

*Dellos del Com. de San de Granada. Lib.*

*R. 103*

# IO. MARIANAE

Hispani.

E SOCIE. IESV,

## HISTORIAE

DE REBUS HISPA-  
NIAE

LIBRI XX.




Toleti,

*Typis Petri Roderici.*

1592.

*Cum facultate & Privilegio.*

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30



*Dellos del tiempo de Juan de Granada. Lib.*

*R. 103*

# IO. MARIANAE

Hispani.

E SOCIE. IESV,

## HISTORIAE

DE REBUS HISPANIAE

LIBRI XX.




Toleti,

*Typis Petri Roderici.*

1592.

*Cum facultate & Priuilegio.*



274027540  
Librarius Lectori.

E libris viginti quinque, quibus hoc opus includitur, viginti modo damus. Re necessaria compulsi cessamus. Reliquos libros auctor, cum erit commodum, & cum vacabit adijciet. Interim oblatis frueri, libens gratusque: si quid erratum est, humanitatis non immemor.

## I V D I C I V M.

AUCTORITATE REGII SENATUS  
factum á Martino Baillo de libris XXV. Historiarum Joan.  
Mariana, de Rebus Hispanis.

**I**OANNES Mariana Societatis Iesu, vir ut doctrinæ, ac pietatis laude florens, sic disertus imprimis, atque eruditus, cum Hispanorum res cognitione nostrorum hominum & exterorum dignissimas, tum veteres, tum recentiores, siue ad Rempublicam, siue ad Ecclesiam spectantes in omni memoria præclarissimas, Latinis nondum litteris, neque vulgaribus plenè, aut satis pro dignitate, neque ordine certo, aut perpetuo cõmendatas esse perspiceret: quod per multis mirabile accidit, cum alio qui Dei singulari munere, hac præsentim ætate, excellentium ingeniorum, præstantia nostra affluat Hispania: huic occurrere pro virili, incommodo cupiens, ut familiæ huius viri perpetuò actiones suas omnes ad communem referunt utilitatem, is vnus inter alios laudatissimus, minime instituti sui inmemor, se totum ad hanc vnã curam videtur contulisse: ut summa eas diligentia, nec sine diurno labore colligeret, atque explicaret. Ex quo factum planè est, ut huiusmodi narrationem, immensam sane operis molem, quinque & viginti libris comprehensam, ab Tubalis in Hispaniam aduentu institutam, & productam vsque annum Christi M. cccc. xcij. capta vrbe Granata insignem, quàm verisimè fieri potuit in maxima vetustatis caligine, rerum, temporum, scriptorumque incredibili varietate, perfecit. Hanc igitur, Senatu Regio iubente, studio flagranti perlustravi: quam meo iudicio quantumque ingenij tenuitate consequi possum nihil habere, quod rectæ Christianæ pietati noxium, aut optimis moribus, & institutis aduersetur, prorsus arbitror: immo potius multa in ea reperiri, quæ ad sacram eiusdem Christianæ religionis disciplinam illustrandam, multa, quæ ad totius Hispaniæ dignitatẽ, splendoremque augendum summo pere videntur pertinere, omnino iudico: ipsumque auctorem verbis illustrem, sententijs grauem, optima fide, iudicioque præditum penitus esse censeo. Quod attestor propria manu.

Doct̃or Martinus Baillus  
Regius Capellanus.

E L R E Y.

**P**OR quanto por parte de vos el padre Iuan de Mariana dela Cõpañia de Iesus, me fue fecha relacion que vos auia des compuesto vn libro, intitulado, Ioannis Marianæ Hispani è Societate Iesu, Historiæ de Rebus Hispaniæ libri XXV. De que ante nos hezistes presentaciõ, en quatro cuerpos: y nos supplicastes os mandassemos dar licencia para le imprimir, y priuilegio por diez años, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron todas las diligencias, que la pragmática por nos hecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon: y nos tuuimoslo por bien, y por la presente (por os hazer bien y merced) os damos licencia e facultad, para que por tiempo de diez años, primeros siguientes, q̃ corren y se cuentan desde el dia dela fecha desta nuestra cedula, podays imprimir el dicho libro, de que de suso se haze  
( ) mencion,

mencion, por su original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, e firmado de Pedro çapata del Marmol, nuestro escriuano de camara, de los que en el nuestro Consejo residen. Con que antes que se venda le traygays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impresion esta conforme a el: e traygays fe en publica forma, como por corrector nombrado por nuestro mandado, se vio y corrigiola dicha impresion por el original. Y mãdamos al impressor, que ansí imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni primer pliego del, ni entriegue mas de vn solo libro, con el original al auctor, o persona a cuya costa le imprimiere, ni a otra alguna para effecto de la dicha correction, y tassa, hasta q̄ antes y primero el dicho libro este corregido, e tassado por los del nuestro Consejo. Y estando fecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y segundamente ponga esta nuestra cedula, y priuilegio, y la approuacion, tassa, y erratas: so pena de caer e incurrir en las penas cõtenidas en la dicha pregmatica, y leyes de nuestros reynos: Y mandamos que durante el dicho tiempo, persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir, y vender. So pena de el que lo imprimiere aya perdido todos e qualesquier moldes, y aparejos, que de los dichos libros tuuiere: y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis, por cada vez q̄ lo contrario hiziere. La qual dicha pena sea la tercia parte para el juez q̄ lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente, y oydores de las nuestras audiencias, alcaldes, y alguaziles, de la nuestra casa, corte, y chancillerias, y a todos los Corregidores, Asistente, Governadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros juezes, e justicias, qualesquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nuestros reynos, e señorios, asì a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula, y merced que asì vos hazemos, y contra el tenor e forma dello no vayan, ni passen, ni consentan yr, ni passar en manera alguna, so pena de la nuestra merced, y de diez mil maravedis para la nuestra camara. Fecha en san Lorenço, a postrero dia del mes de Agosto, de mil y quinientos y nouenta y vn años.

YO EL REY.

*Por mandado del Rey nuestro señor.*

*Juan Vazquez.*

La tassa a quatro maravedis cada pliego.

YO Pedro çapata del Marmol, escriuano de camara de su magestad, de los que en el su Consejo residen, doy fe que los señores del Consejo, de pedimiento y supplicacion del padre Iuan de Mariana, de la Compañia de Iesus, tassaron vn libro por el compuesto, intitulado Historia de España, en lengua Latina, que con licencia y preuilegio de su magestad imprimio, a quatro maravedis cada pliego en papel: y al dicho precio, y no mas, mandaron que se venda. Y que antes que se venda ningun libro se imprima esta tassa en la primera hoja de cada volumen. Y para que dello conste de pedimiento del dicho padre Iuan de Mariana, y mandamiento de los señores del Consejo di la presente firmada de mi nombre, que es fecha en la villa de Madrid, a veynte y tres dias del mes de Abril, de mil y quinientos y nouenta y dos años.

Pedro çapata  
del Marmol,

*Errata, minutissima etiam notata sunt, è quibus tamen in quibusdam voluminibus non pauca castigata iam esse inuenies.*

P Ag. 1. linea. 19. ad occasum. lege. ad extremum occasum. pa. 2. linea. 11. speluncae, lege speculares. 2. 42. Pyrenæys, l. Pyrenæis. 3. 9. aliquando, l. aliquantò. 4. 35. Viruestam, l. Viruescam. 8. 4. excusis, l. excusit. linea. 7. mnuitam, l. munitam. 16. 28. Hesperiam, l. Hesperiam. 23. 42. nunnnullis, l. nonnullis. 35. 38. agi, l. agere. 36. 10. reliquæ, l. reliquæ. 40. 4. æsturia, l. æstuaria. 41. 15. a Pelusio, l. ab Ampelasio. 54. 28. tepore, l. tempore. 55. 20. decimo sexto, l. sextodecimo. 56. 34. præfidis, l. præfidis. 64. 28. Accitanos, l. Accitanos 35. hyberna, l. hiberna. 73. 26. multi, l. multis. 37. cõstituentum, l. constituentum. 81. 19. seditiones, l. seditionis. 87. 41. dista est, l. dicta est. 89. 32. iungerat, l. iunxerat. 90. 25. tertio Kalendis, l. quarto Kalendas. 94. 5. amittente, l. annitente. 95. 7. concordia, l. concordia. 101. 21. Romanis, l. Numâtinis. 106. 43. pœnitè, l. pœni. 107. 33. Cap. XII. l. XI. 111. 5. filij, l. filios. 118. 26. ad marg. 701. l. 699. 120. 34. cunstabat, l. cõstabat. 123. 44. Numasij, l. Numatij. 131. 34. tenebat, l. tenebant. 138. 21. patris, l. fratris. 144. 6. iniectus, l. inuectus. 142. 2. iuricundo liuridicundo. 12. proprior, l. propior. 146. 7. Episcopum, l. Episcoporum. 152. 2. Archilleu l. Achilleum. 26. ducentesimo, dele. 154. 9. Albinum, l. Balbinum. 155. 15. dele numerum. 193. 159. 20. venialium, l. venalium. 162. 25. argumeuta, l. argumenta. 173. 36. Homusij, l. Homusij. 174. 3. Imperatori, l. Imperatore. 33. dele vocem trecentesimo. 177. 4. finaria, l. funaria, 29. Gallus, l. gallus. 181. 36. suaffor, l. suafor. 184. 28. vitæ, l. vitæ. 194. 24. proprius, l. propius. 23. cocordiam, l. concordiam. 202. 43. & 44. Ledicius, l. Ecdicius. 207. 37. Euthericus, l. Eutharicus. 210. 14. prouinciam, l. Prouinciam. 215. 15. num. 565. l. 567. 218. 5. interius, l. interitus. 219. 36. Ermenegildus, l. Ermenigildus. 221. 42. inhil, l. nihil. 230. 33. habitns, l. habitus. 231. 43. mali, l. male. 233. 44. iocunditas, l. iucunditas. 234. 12. syncerè, l. synceræ. 238. 13. altero & sexcente, l. sexcente primo. 243. 14. veneruat, l. venerunt. 247. quos, l. quas. 247. 17. breuiarum, l. breuiarium. 249. 34. duos, l. duo. 253. 20. dele sexcentesimo. 254. 7. contributa, l. contributam. 255. 26. curauit, l. incontinenti. Quartum, l. curauit. In continenti quartum. 256. 17. Ricibergæ, l. Ricibergæ. 31. octauo, l. tertio. 278. 4. & 26. Leone XI. l. Leone II. 287. 15. Africam, l. Africa. 290. 44. stimulari, l. stimulare. 299. 13. Sofigenes, l. Sofigenes. 303. 36. libidine, l. libidini. 310. 41. vndæ, l. vnde. 315. 38. num. 734. l. 739. 320. 34. demonstratum, l. demonstratum. 37. vtrinque, l. vtrunque. 328. 3. Itiori, l. altiori. 380. 2. armi. armis. 21. vestutæ, l. vetustæ. 384. 9. Amaliarci, l. Amalarici. 436. 29. muro, l. muri. 437. 36. ttiumphantis, l. triumphantis. 440. 11. hortos, molas, l. horti, molæ. 449. 14. Raymundi, l. Raymundo. 454. 39. comulatè, l. cumulatè. 460. 15. ad marginem dele num. 1081. 462. 17. Hispani, l. Hispania. 43. voluntates, l. volutantes. 467. 12. commissæ, l. commissæ. 470. 43. præmeditatatum, l. præmeditatum. 478. 7. Cadureos, l. Cadurcos. 481. 28. piorum, l. priorum. 483. 26. repetebatur, l. repètebantur. 487. 15. Therasia, l. Eluira. 497. 28. Ba, l. Ea. 500. 31. alia qua, aliqua. 510. 21. num. 1156. l. 1152. 512. 27. fuisse, l. fuisse. 517. 42. præcipua, l. præcipua. 522. 13. Ligionensis, l. Legionensis. 525. 7. Cap. XII. l. XI. 532. 32. Regi, l. Rege. 546. 30. tempe, l. tem. 554. 12. vtrunque, l. vtranque. 555. 30. datæ, l. date. 556. 3. momentis, l. monentis. 563. 36. Aquitania, l. Aquitanæ. 564. 15. Sordissimo, l. Sordidissimo. 568. 20. Beueuentano, l. Beneuent. 576. 43. iuuifal, l. iuuifa. 596. 41. defiecit, l. disiecit. 607. 26. Iaqueæ, l. Iaqueæ. 38. sta, l. statu. 614. 28. Princi, l. Prin. 628. 2. Calataunia, l. Catalaunia. 637. dele ad marg. num. 1255. 641. 28. Puteo, l. Puteolo. 643. 37. non vir, l. non. 658. 1. dele res. 660. 1. Rex, l. Res. 61. 43. mundaui, l. mandauit. 670. 4. prohibendis, l. prohibendis. 680. 16. habentis, l. habenis. 36. animus, l. animos. 682. 27. disitutam, l. destitutam. 685. 15. expe, l. ex. 705. 40. conato, l. conatu. 708. 28. Alhamade, l. Alhamare. 737. 23. vtilitatis, l. vtilitati. 743. 43. præstitutum, l. præstitutum. 753. que studio, l. studio. 757. 36. Ponticis, l. Pontificis. 762. 9. munimento, l. monumento. 764. 7. imperio, l. imperij. 766. 25. artificium, l. artificum. 785. 23. restagnatis, l. restagnantis. 791. 1. septimus decimus, l. sextus decimus. 793. 18. ob res gestas, dele, res, alterum. 806. 36. tyranum, l. tyrannum. 808. 8. frigori, l. frigo. 41. Bernardus, l. Bertrandus. 811. 3. v Romam, l. vt Romam. 18. paucis, l. paruis. 813. 19. Alburquium, l. Alburquerqueum. 814. 12. quan primum, l. quam primum. 816. 16. municij, l. munifici.

821.26. Aquita, l. Aquia. 822.27. regnare, l. regna. 833.2. Lusita, l. Lusit. 841.39. conuene, l. conue. 842.6. cæremo, l. cære. 846.6. Cantabria, l. Calabria. 846.7. cære, l. cære. 850.17. Ferdinandi, l. Henrici. 856.7. victum, l. victum. 856.14. consilio, l. concilio. 872.30. prosequente, l. prosequente. 875.40. Sunicæ, l. Stunicæ. 894.15. sedidus, l. sedibus. 901.34. defuncti, l. defunctæ. 911.12. extru, l. ex. 926.13. atrocitate, l. atrocitate. 941.32. subtrahere, l. subtrahere. 943.35. dimittas, l. demittas. 949.20. beneficiarum, l. beneficiarium. 950.11. delectis, l. dilectis. 951.18. Augustæ, l. angustæ. 20. diditionem, l. deditioem. 955.1. daturus, l. daturus. 956.34. prouideret, l. prouideret. 958.2. celebratæ, l. celebratæ. 26. auerfabatur, l. auerfabantur.

## AD PHILIPPVM II. HISPANIAE Regem Catholicum.

*Auctoris Prefatio,*



*Q*UOD nostri homines expetebant, externi conuitio es-  
flagitabant, Philippe Rex Maxime, sub tuo felicissimo  
imperio praestitum est. Annales de rebus Hispaniae La-  
tina lingua confectos in publicum damus, exemplo na-  
tionum aliarum uno volumine comprehensos. sic orbem  
terrarum unius tabulae angustijs includimus aliquan-  
to detrimento magnitudinis, nulla veritatis iniuria. sed in ea tamen breuita-  
te res maximè nobiles, bellaque saepe pleniori narratione explicantur: non se-  
cus ac ex angustijs ripis egressus amnis in patentes campos late diffunditur  
restagnatque. multarum vigiliarum magnique laboris opus: utinam tam fe-  
lix gratumque, quam pium debitumque patriæ officium. Herculeam planè au-  
dacia, quis neget? quis non videat? Sed scriptorum tamen in hoc genere pe-  
nuria, argumenti nobilitas, otium, quod confecta Italica Gallicaque pere-  
grinatione nonnullum Toleti suppetebat, ad scribendum impulit. Et erat spes  
sublata perficiendi, qua de Theologia superioribus annis institueram, huic  
tempori quamuis, nostraeque vita rationibus magis accommodata commen-  
taria. Dicendi arte et elegantia potiores multi sint: rerum nostrarum co-  
gnitione qui excellent, occurrant in Hispania passim. qui ad utriusque rei  
nonnullam facultatem, adiunxerit voluntatem studiumque ingentes labo-  
res tolerandi, quales historico subeundi sunt, nulla praemiorum spe, exiguis  
in presenti opibus, fortasse nullus existat. Nostrae aetatis Hispanis scri-  
ptoribus quibusdam certe, comparari non volumus, non optamus. adiutos  
ab ijs esse his annalibus conficiendis, quasi parata materia, congestisque ru-  
deribus structura faciliore, non negamus tamen: cum sit sordidi et humilis  
animi usuram accepti foenoris non soluere, unde census augeatur, nihil de-  
trahatur certè de capite. Et alioqui sumpsisse fatendum est, ne silentio surri-  
uisse videamur. fortasse etiam ijs ducibus aliquando erratum est, non  
sine spe venia, cum alienis vestigijs insistamus. Veteres Hispaniae historias  
euoluimus: excusimus veteres schedas monumenta antiquitatis, acceptas  
publicè ex vetustis templorum tabularijs, ab amicisque priuatim praestanti  
humanitate eruditioneque viris. Quae prima lex est historia, veritatis in-  
primis cura est habita: qua lux maxima, temporibus designandis supersti-  
tiosè saepe sudatum est. Arabum annos cum nostris annis exacta ratione  
comparauimus primi, atque exaequauimus. Locis, oppidis, fluuijs, montibus,  
vetera

vetera nomina reddidimus: neque reipublica casus, sed uti erat necesse, ecclesia etiam vicissitudines explicuimus. cum prouentu singula, an vano conatu, nostrum diiudicare non est: ne lector quidem facile statuatur. tempus aperiet iudex, testisque syncerus, obtreptione & inuidia sublata. Apri-  
 mis temporibus ad auorum statem narratio progreditur, cum Mauro-  
 rum imperium euersum est in Hispania. recentiora contrectare ausi non  
 sumus, multorum offensione vitanda: praesertim leui gratia operapretioq,  
 cum multa in utraq, lingua monumenta de rebus postea gestis extarent. Fe-  
 licioribus ingenijs via patefacta est & campus, ubi eruditionem iactent,  
 Hispania res maiori copia elegantiaq, sermonis illustrent. Nobis coepisse  
 sit satis: aliosque promouisse fructus erit, multo maximus, siue ad scriben-  
 dum denuo, siue ad castigandum nostra. Synceris tantum animis fiat, &  
 sine contentione studio, uti viros decet memores humanitatis. Nam in  
 tanta rerum sylua nunquam offendere miraculi instar esset. Locorum pro-  
 pria ac familiarum considerabunt alij accuratius: si monuerint quod in  
 rem sit, non sine gratia emendabitur. si quid temere prateriisse, aut non sa-  
 tis explicasse videbimur, docti facile & libere sententiam commutabimus.  
 Tenuitatem ingenij nostri, imbecillitatemque agnoscimus. Historia conscri-  
 benda quanta sit difficultas, si initio esset ignoratum, usus docuit. infirmam  
 valetudinem, quid attinet excusare, nisi ad confessionem culpa ipso supra  
 vires conatu suscepta? Tuo quidem, Rex, Augusto nomini hos labores con-  
 secramus, nulla neque spe, neque ambitione mala inducti. sed humanitas  
 singularis inuitauit: & rerum quae in vniuersa Hispania contigerunt ex-  
 plicatio, cui equius adscriberetur, quam adiecta nuper Lusitania Regum  
 Hispania felicissimo, lateque fusum imperium ad utrunque cali axem ijs-  
 dem quibus Solis cursus regionibus terminanti? Quod ut proprium fau-  
 sumque sit, atque nouis incrementis maius, dies noctesque pro tua salute  
 & incolumitate vota facimus.

## INDEX.

Prior numerus paginam: posterior indicat lineam.

### A

- ¶ Abbates subscribunt in concilio Toletano. 257. 24.  
 Abdalasisius Dux. 297. 34. mons. 301. 4.  
 Abderrahmanus Cordubæ Rex. 333. 22.  
 Abderrahmanus alter Cordubæ Rex patris praelatus.  
 351. 38.  
 Abenabetus Rex Hispalis. 450. 42.  
 Abenhatinus Maurus. 823. 1.  
 Abidis Rex. 22. 13.  
 Abomelicus Algezira Rex. 748. 16.  
 Abulenses fideles dicti. 519. 35.  
 Adeodatus Pontifex. 262. 37.  
 Adoptandi Vetus ritus in Hispania. 283. 44.  
 Adofinda Silonis Regis vidua. 325. 33.  
 AEmilianus cucullatus. 216. 40.  
 Aetius Dux. 199. 6.  
 Africa descriptio. 747. 12.  
 Agaliense monasterium. 259. 23. 271. 19.  
 Agathocles Siculus. 51. 34.  
 Agila Rex. 214. 11.  
 Agnes Castris. 770. 4.  
 Agricole Terrestri constantia. 137. 4.  
 Aitub Calataiubæ conditor. 309. 40. 480. 1.  
 Alanorum mores & regnum. 185. 41. 188. 11.  
 Alarcus oppidum. 533. 13. 542. 40.  
 Alaricus Romam capit. 184. 11.  
 Alaricus alter. 203. 36.  
 Alauecini & Benhumeie. 318. 1.  
 Albarracinum, olim Lobetum. 461. 15. 527. 17.  
 Albigenes. 563. 14.  
 Albohacenus ad Tariffam victus. 757. 39.  
 Alcantare militia. 569. 10.  
 Alcauale initium. 763. 13. confirmatio. 815. 14.  
 Alchama à Pelagio victus. 307. 11.  
 Alcobasa monasterium. 498. 44.  
 Alexander V. pontifex. 916. 31.  
 Alexander Seuerus. 153. 2.  
 Alfonsus sextus Castellæ Rex Toletum fugit. 418.  
 27. succedit fratri. 424. 2.  
 Alfonsus Peresius S. Luciferi regulus. 693. 30.  
 Alfonsus Aragonius dictus Imperator. 473. 11.  
 491. 10.  
 Alfonsus Aragonius alter. 521. 22.  
 Alfonsus Borgia sit Episcopus Valentinus. 959. 33.  
 Alfonsus octauus Castellæ Rex. 510. 20. 522. 10.  
 559. 1.  
 Alfonsus Rex cognomento Catholicus. 315. 1.  
 Alfonsus decimus. 621. 10. Imperator Germanie  
 fit. 631. 38.  
 Alfonsus Aragonius Rex in Italiam euocatur. 943.  
 21.  
 Alfonsus Iordanus, filius Raymundi Tolosatis. 478.  
 13.  
 Alfonsus primus Portugaliae Rex. 487. 25.  
 Alfonsus Rex Legionensis pater Ferdinandi Regis  
 sancti. 529. 22.  
 Alfonsus Lusitaniae Rex, Sanctij Capelli frater.  
 618. 34.  
 Alfonsus XI. Castellæ Rex. 722 30. vincit Man-  
 ros ad Tariffam. 761. 11.  
 Alhambra Granatae aedificatur. 664. 43.  
 Aliubarrotæ praelium. 856. 1.  
 Almeria capta à nostris. 503. 5.  
 Almogaraues. 604. 33.  
 Almohades veniunt in Hispaniam. 508. 10.  
 Almorauides. 450. 14.  
 Aluarius Garzia, Pauli Burgensis filius, historicus.  
 898. 26.  
 Aluarius Luna. 914. 43. Magister equitum. 946.  
 2. aula pellitur. 955. 30.  
 Aluarius Osorius primus in Castella Comes. 741.  
 24.  
 Aluarius D. Eulogij vitam scribit. 340. 12.  
 Amalaricus Rex. 209. 8.  
 Amalasiuntha Theodorici Ostrogothi filia. 207. 35.  
 Amilcar Barchinus. 54. 28.  
 Amilcar Ciscionis. 51. 44.  
 Annibal ubi natus. 53. 34. venit in Hispaniam.  
 55. 11.  
 Anacephaleosis. 898. 24.  
 Anagarum, Nagera, Tritium Metallum, idem. 818.  
 20.  
 Andrea Apostoli acta conficta. 197. 30.  
 Annales Hispalenses. 488. 22. Toletani. 602. 39.  
 Annorum ratio abortu Christi capta Valentia. 799.  
 25. Segobia in Castella. 851. 14. in Lusitania.  
 936. 20.  
 Annorum varia ratio. 298. 18.  
 Annunciationis festum mense Decembri. 257. 36.  
 D. Antonius Pataunus. 583. 25.  
 Apollonius Tyaneus. 140. 15.  
 Aprigius in Apocalypsim. 211. 16.  
 Aragoniae Comites. 315. 20. insignia. 403. 43.  
 Iustitia Tribunalum instar. 359. 5.  
 Argantonus Rex. 29. 32.

† Ariminense

## Index.

*Ariminense concilium.* 174. 2.  
*Arnaldus Villanova medicus.* 681. 17.  
*Arij duo.* 171. 8. 17.  
*Asagra.* 677. 16.  
*Asdrubal.* 57. 6.  
*Asidonia Duces.* 693. 36.  
*Athaulfus Compostellanus Episcopus.* 341. 13.  
*Athaulfus Rex.* 189. 36.  
*Athanagildus Rex.* 215. 7.  
*Atlas Rex.* 16. 34. mons. 41. 25.  
*Attila victus.* 196. 1.  
*D. Augustinus obiit.* 193. 26.  
*Aurificus filius se pro patre morti offert.* 792. 27.  
*Ausena montis spelunca.* 307. 38.

## B

*Bachi tres.* 20. 4.  
*Batica nomen.* 12. 10. eadem *Vandalosia.* 8. 18.  
*Baiacetes captus à Tamerlane.* 902. 28.  
*Baleares captæ.* 595. 16.  
*Bande militia.* 747. 37.  
*Barbuda Alcantaræ Magister.* 888. 11.  
*Barcinonensis principatus origo.* 357. 30.  
*Bastulorum fines.* 32. 7.  
*Baucius Capetus.* 32. 27.  
*Beatæ vocabantur virgines sacræ.* 247. 42.  
*Bebetria.* 781. 3. additæ *Petro Regi.* 820. 36.  
*Belisarius.* 212. 20.  
*Benedictus XIII. Pontifex fit.* 890. 4. *spoliatur.* 939. 1. *obiit.* 948. 43.  
*Berengaria, minor erat Blanca sorore.* 579. 18.  
*D. Bernardi Magister.* 819. 38.  
*D. Bernardus venit in Hispaniam.* 484. 33.  
*Bernardus Archiepiscopus Toletanus.* 439. 8.  
*Bernardus glossator Decretalium.* 627. 35.  
*Berosi liber fabulosus.* 10. 38.  
*Bertrandus Clachinus.* 811. 31. *Magister equitum in Gallia.* 828. 6.  
*Biblia sacra in maternam linguam versa.* 675. 7.  
*Bilbaam conditum.* 705. 17.  
*Blanca Petri Castellæ Regis vxor.* 781. 21. *occiditur.* 804. 3.  
*Blasius Toletanus Præsul.* 784. 16. *idem Vascus.* 803. 3.  
*Bletisa, nunc Ledesma.* 317. 1.  
*Bombarda primus vsus.* 766. 28. *vocantur Lombarda.* 907. 32.  
*Bonifacius octauus.* 696. 17.  
*Bononiense collegium.* 755. 2.

*Bonaticum vectigal.* 577. 23.  
*Bracarense concilium primum.* 216. 15. *secundum.* 220. 22. *tertium.* 271. 29.  
*Braccius Dux.* 948. 20. *occiditur.* 952. 15.  
*Braulius Cesar Augustanus Episcopus.* 250. 33.  
*Brigæ qui essent.* 11. 35.  
*Brigantinus portus, hodie Corugnia.* 4. 9.  
*Brimius mons.* 11. 30.  
*Bromienses monachi.* 506. 11.  
*Brunecildis à calumnia liberatur.* 217. 10.  
*Bucar Merinorum conditor.* 639. 18.  
*Burdini schisma.* 480. 20.  
*Burgi vrbs extruitur.* 361. 33.  
*Burgenses primum locum in conuentu regio petunt.* 775. 9.  
*Burgundiæ nomen.* 185. 40.

## C

*Cacus.* 19. 9.  
*Cesar Augusta capitur, multaq; alia oppida.* 478. 23. *quando facta est metropolis.* 729. 21. *quando fundata.* 132. 38.  
*Cæsares dicti Imperatorum successores.* 147. 44.  
*Cæsarianum captum (nunc Xerez.)* 32. 40.  
*C. Iulius Cæsar venit in Hispaniam.* 116. 40.  
*Calaciæ episcopatus diuisi.* 216. 24.  
*Calatambe conditor.* 309. 40.  
*Calatrane militia.* 515. 28.  
*Cale oppidum, nunc Caia.* 6. 24.  
*Calixtus secundus patruus Alfonsi Imperatoris.* 480. 22.  
*Campi Gotthorum in Vaccæis.* 351. 8.  
*Canariæ insula quando reperta.* 773. 33. 884. 42.  
*Cancellarij munus datur Toletanis Præsulibus.* 568. 33.  
*Canicæ Vallem, hodie Cangas dicimus.* 305. 7.  
*Cantabriæ fines.* 7. 37.  
*Cantabricum bellum.* 130. 1.  
*Capella, veteribus Mirobriga.* 590. 2. 40.  
*Caracæ conuentus celeberrimi Ioanne primo.* 867. 30.  
*Caruualij fratres de rupe precipitati.* 721. 30.  
*Carolus quintus Gallia Rex.* 808. 39. *sextus.* 879. 2. *septimus.* 958. 33.  
*Carolus Magnus venit in Hispaniam.* 329. 20.  
*Carteia, Tartessus, idem.* 37. 4. *nunc Tarifsa.*  
*Carthaginis iuxta Toletum translata.* 192. 16.

Carthago

## Index.

*Carthago condita in Africa.* 26. 26. *nona in Hispania.* 57. 7.  
*Casilda Almenonis Mauri filia.* 406. 9.  
*Castellæ Comites occiduntur.* 362. 12.  
*Castulo conditur.* 20. 16.  
*Cathelauri campi in Gallia.* 194. 40.  
*Catalauni Gracum imperium vexant.* 726. 9.  
*D. Catharina monasterium Talauera.* 167. 28.  
*Catharina vxor Henrici tertij Castellæ Regis.* 865. 42. 940. 3.  
*Catholici cognomen Regibus Hispaniæ datum.* 310. 10.  
*Cato Consul venit in Hispaniam.* 83. 25.  
*Caua Iuliani Comitis filia.* 286. 18.  
*Caurus mons, nempe Moncaio.* 4. 35.  
*Cerebrunus Toletanus Præsul.* 323. 19. 526. 12.  
*Celenis concilium.* 197. 20.  
*Celestinus quintus.* 696. 27.  
*Celtiberiæ fines proprie.* 479. 37.  
*Cerde fratres.* 664. 16. 685. 37.  
*Cerna Sertorij.* 111. 10.  
*Chalcedonensis synodus.* 198. 7.  
*Chindaswinthus Rex.* 253. 27.  
*Chintila Rex.* 248. 35.  
*Christus Dominus natus.* 135. 33. *an ex tribus substantijs.* 278. 31.  
*Christi militia in Portugalia.* 731. 10.  
*Ciceronis ortus.* 108. 13.  
*Cidi auus.* 363. 31. *victoria.* 426. 40. 434. 12. *filia.* 462. 15.  
*Cingulo, militaris honor continebatur.* 269. 21.  
*Ciuitas regia edificatur.* 641. 28.  
*Ciuitates ad regni conuentus venientes.* 775. 36.  
*Claramontanum concilium.* 498. 21.  
*Claudius Emeritensis Dux.* 232. 1.  
*Clemens quintus.* 713. 15. *septimus.* 842. 15.  
*Collegia multa litteraria.* 942. 39.  
*Columba Iudæa.* 784. 32.  
*Colonia in Hispania conuentusq; iuridicundo.* 145. 1.  
*Coma, nobilitatis signum.* 628. 29.  
*Comites creandi ritus.* 741. 26.  
*Comes stabuli, Condestable.* 238. 42.  
*Complutum captum.* 488. 21.  
*Constantia filia Petri Regis nubit Lecestria Duci.* 825. 24.  
*Constantinopolitana synodus prima.* 178. 39. *secunda à multis non recipiebatur.* 278. 14. *tertia, ibidem.*  
*Corduba a Mauris capta.* 293. 5. *de Mauris capta.* 502. 27. 615. 32. *fundata à Marcello.* 87. 43. *sedes imperij Maurici.* 319. 23.

*Cordubenses martyres.* 337. 36.  
*Crucis forma Constantino ostensa.* 170. 16.

## D

*Datianus totius Hispaniæ præses.* 160. 34.  
*Dalmachius Compostellanus Episcopus.* 465. 7.  
*Damasus Pontifex.* 176. 14.  
*Darocæ Corporalia.* 614. 34.  
*Daualus hortatur Ferdinandum, ut regnum Castellæ accipiat.* 910. 5.  
*Decumæ Regi Castellæ data.* 717. 23. 730. 20.  
*Delphinus vocatur Galli Regis primogenitus.* 780. 10.  
*Desiderij Viennensis Episcopi vita.* 219. 5. 241. 36.  
*Deualion dictus Noe.* 20. 5.  
*Didacus Gelmerius Compost. Episcopus.* 468. 30.  
*Dieghus Mendoza à quo Infantatus Duces.* 875. 20.  
*Diocletiani edicta in Christianos.* 160. 12.  
*Dionysius tyrannus.* 45. 30.  
*Diploma in Hispania omnium inter regia antiquissimum.* 322. 19.  
*Diuinatio per gallum.* 177. 30.  
*Dobbius Athaulsi interfecto.* 190. 29.  
*D. Dominicus Calsadius.* 471. 22.  
*D. Dominicus multa miracula contra Albigenfes.* 566. 27.  
*D. Dominicus Exiliensis.* 424. 39.  
*Donati secta in Africa.* 162. 42.  
*Donatus monasticæ vitæ fundator in Hispania.* 220. 36.  
*Dumiense monasterium.* 215. 38.  
*Ducum corona.* 869. 18.  
*Durij cursus.* 5. 21.

## E

*Eba & Sisebutus Vitixæ filij.* 284. 29.  
*Ebura in Carpetanis.* 164. 15.  
*Ecditius Comes Auiti Augusti filius.* 202. 43.  
*Educandi Principes ratio.* 491. 30.  
*Egas Alfonsi primi Lusitani Regis educator.* 487. 41.  
*Egica Rex.* 279. 10.  
*Egidius Carrillius Toletanus Præsul.* 754. 32.  
*Egidius Munotius electus Pontifex.* 949. 13. *abdicat.* 959. 27.  
*Egire anni, id est Arabum.* 298. 1.  
*Elbora Vincemij patria, Talauera.* 162. 8.  
*Eleonora Gusmania.* 744. 28. *occiditur.* 779. 26.  
† 2 *Eleonora*

## Index.

- Eleonora Siciliae Regina uxor Petri Aragonij Regis.* 774. 20.  
*Eliberrinum concilium.* 171. 33.  
*Elipandus Toletanus Episcopus.* 324. 43.  
*Elisabetha Lusitaniae Regina sancta.* 738. 36.  
*Emeritense concilium.* 261. 22.  
*Episcopatus divisio in Hispania.* 172. 3. 273. 30. 275. 32.  
*Era ratio.* 127. 10.  
*Ermengildus Rex Hispani.* 221. 17.  
*Eruigius Rex.* 272. 48.  
*Eudo Aquitania Dux.* 303. 18. eius filij. 315. 17.  
*Eugenij martyris corpus repertum.* 505. 22. refer- tur Toletum. 512. 30. 145. 39.  
*Eugenius secundus Toletanus Episcopus.* 250. 14. tertius. 256. 12.  
*Euricus Gothorum Rex.* 201. 18.  
*Eusebij Casariensis duo.* 177. 19.  
*Eutychianus Pontifex.* 158. 12.  
*Externis sacerdotia dari vetatur in Castella.* 868. 12. 895. 34.  
*Extremadura nomen unde.* 6. 39. 402. 10.
- F**
- Facundus & Primitius.* 150. 43.  
*Fauila & uxor Froleua ubi sepulti.* 314. 33.  
*Felix Toletanus Episcopus.* 281. 10.  
*Felix Romanus Pontifex.* 203. 32.  
*Ferdinandi Regis sancti gladius ad bellum defertur.* 913. 32.  
*Ferdinandus Balearis Regis filius.* 715. 43.  
*Ferdinandus primus Castellae Rex.* 401. 25. quartus. 698. 21.  
*Ferdinandus Gonsaluus Castellae Comes.* 373. 40.  
*Ferdinandus Ioannis primi filius.* 847. 25. fit Rex Aragonius. 929. 43.  
*Ferdinandus Rex sanctus.* 559. 11.  
*Flavius Clemens consularis & uxor Domicilla marty- res.* 145. 18.  
*Flauij praeomine uentur Gothorum Reges.* 239. 2.  
*Flauus Comimbriae Praefectus pro Sanctio Capello.* 619. 24.  
*Forum iudicum.* 248. 10. Suprarbis. 358. 44.  
*Franci, Salij aut Salici dicti.* 186. 8.  
*D. Franciscus Assinas venit in Hispaniam.* 582. 22.  
*Franta Suenorum Rex.* 199. 24.  
*Frater in bella Sertorij a fratre occisus.* 113. 44.  
*Frodegundis.* 217. 27.
- Fridericus frater Petri Castella Regis ab eo occidi- tur.* 798. 20. Magister Dni Iacobi erat. 764. 31.  
*Fridericus I. Siciliae Rex.* 697. 19. alter dictus Sim- plex. 792. 8.  
*Froila Alfonsi Catholici frater.* 317. 41. filius. 319. 43.  
*Froila secundus.* 362. 44.  
*Fruetiosi Vita.* 255. 4. fit Bracarenfis Episcopus. 258. 5.  
*Fulgentius Dni Isidori frater.* 227. 26. 237. 15.  
*Fulminatrix legio.* 149. 19.
- G**
- Gadeis insula, Erythra dicta.* 14. 38.  
*Gaditanum fretum.* 3. 33.  
*Galli condiderunt Portugalia regnum.* 6. 20.  
*Galsunda & Brunecchildis sorores.* 217. 10.  
*Gargoris Rex.* 22. 10.  
*Garsias Reginae matri adulterij crimen imponit.* 395. 27.  
*Garsias Fernandus Castellae Comes.* 377. 22.  
*Garsias Hispanus scribit in Epistolas decretales.* 696. 11.  
*Garsias Loaysa Cardinalis.* 167. 39.  
*Garsias postremus Castellae Comes occiditur.* 393. 35.  
*Garsias Semenus primus Rex Nauarrae.* 357. 7.  
*Garsias Vargas Toletanus.* 624. 22.  
*Gaufredus monachus historicus.* 431. 20.  
*Gennadius Episcopus Asturicensis.* 255. 23.  
*Gensericus Vandalus.* 193. 8.  
*Cenuensibus datur vas smaragdeum.* 503. 18.  
*Geryones.* 12. 20.  
*Gesaleicus Rex.* 206. 33.  
*Giennium, Aurigis olim.* 70. 16.  
*Gilimeris postremus Vandalorum Rex.* 212. 23.  
*Gonsaluus eo nomine primus Toletanus Episcopus.* 536. 6.  
*Gosunda Regina.* 219. 37.  
*Gothi an sint Getae.* 186. 16. eorum mores & ori- go. 186. 13.  
*Gotthica precandi ratio.* 413. 30. 443. 28.  
*Gotthici characteres mutati.* 444. 16.  
*Granata olim Eliberris.* 8. 19.  
*Granatensis regni initium.* 613. 40.  
*Gregorius septimus.* 424. 36. nonus. 583. 35. decimus. 655. 17. undecimus. 831. 1. duo- decimus. 908. 1.

Gregorij

## Index.

- Gregorij Magni & Leandri amicitia.* 223. 44.  
*Guadaxoz flumen salsum olim.* 126. 37.  
*Guimaranes antiquis Araduca.* 487. 21.  
*Gundericus Vandalus.* 185. 12. Toletanus Episco- pus. 283. 31.  
*Gustius Gonsaluus.* 362. 25.
- H**
- Hadrianus Imperator Hispaniam diuidit in sex pro- uincias.* 147. 27.  
*Hannonis nauigatio.* 41. 1.  
*Harum fundatur.* 524. 40.  
*Helladius Toletanus Episcopus.* 245. 34.  
*Henricus primus Castellae Rex.* 576. 4. secundus. 813. 10. tertius. 872. 14.  
*Henricus Ferdinandi Aragonij Regis filius.* 917. 12.  
*Henricus Lusitani filius Africa littora explorat.* 943. 5.  
*Henricus Lotaringius Portugalia Comes.* 449. 10.  
*Henricus Villenius.* 897. 40.  
*Heraclea, id est, Gibraltar capitur a Mauris.* 748. 20.  
*Heracilius Imperator Sisebuto suadet, ut Indeos His- pania pellat.* 242. 40.  
*Hercules Amphitruonis.* 20. 35. Libyus. 14. 37.  
*Hermenericus Suenorum Rex.* 193. 29.  
*Hesperus Rex.* 16. 26.  
*Heterius Vxamensis.* 325. 37.  
*Hieronymiani monachi.* 844. 36. 956. 11.  
*Hilarius Pontifex.* 200. 21.  
*Hispalis descriptio.* 623. 8. capitur. 626. 27.  
*Hispalense concilium contra Acephalos.* 243. 29.  
*Hispalus Rex.* 15. 4.  
*Hispania Pania olim dicta.* 20. 20. ab imperio Germanico eximitur. 409. 20. eius siccitas ge- neralis. 22. 8.  
*Honorij imperium.* 182. 40. socordia. 189. 31.  
*Hugo Candidus Cardinalis.* 413. 19.  
*Hugo Cardinalis componit Concordantias.* 616. 5.  
*Hunmericus Vandalus.* 194. 19.  
*Hybrida qui dicti.* 87. 37.
- I**
- Iacca concilium.* 413. 3.  
*Iacinti Cardinalis legatio.* 512. 21.  
*Iacobus primus Aragonius Rex.* 568. 8. Gerunden- si Episcopo linguam praescindit. 621. 31. obiit. 661. 24. secundus. 692. 12. 702. 11.
- Iacobus Balearis Rex.* 662. 10.  
*Iacobus Porcellus Roderici filius.* 361. 25.  
*D. Iacobi aduentus.* 138. 41. corpus inuentum. 328. 5.  
*D. Iacobi militia.* 529. 9.  
*Idania vetus, olim Igeditania.* 263. 31.  
*Ilerda situs (hodie Lerida.)* 119. 29. schola publi- ca. 705. 21.  
*Ilerdense concilium.* 208. 19.  
*D. Illesonsi Vita.* 258. 33. corpus repertum. 485. 1.  
*Illicis, vulgo Alicante.* 799. 43.  
*Illiberis.* 3. 10. hodie Colibre.  
*Indictiones quando caeperunt.* 171. 26.  
*Ingundis Ermengildi uxor.* 221. 35. obiit. 227. 19.  
*Innocentius tertius.* 576. 19. septimus. 904. 35.  
*Ioanna Neapolitana Regina.* 934. 14. 943. 14.  
*Ioanna puella rebus Gallicis opem fert.* 958. 43.  
*Ioanna Regina Nauarrae aedificat Parisijs collegium Nauarricum.* 713. 15.  
*Ioannes Aragonius Toletanus Episcopus.* 734. 33. abdicat. 738. 3.  
*Ioannes Biclarenfis.* 228. 6. 235. 28.  
*Ioannes Castrinus Episcopus scribit de Petri Regis re- bus.* 893. 33.  
*Ioannes Contrerius Toletanus Episcopus.* 945. 19.  
*Ioannes & Petrus Principes ad Granatam occisi si- mul.* 732. 11.  
*Ioannes Hispalensis libros sacros vertit in Arabicam linguam.* 314. 40.  
*Ioannes Husius & Hieronymus Praga.* 924. 28. 938. 23.  
*Ioannes Lusitani Regis frater fugit in Castellam.* 842. 33. eius imago in vexillis. 854. 13.  
*Ioannes Mendoza, unde Almasani reguli.* 875. 38.  
*Ioannes Padillia Magister D. Iacobi coniugatus.* 789. 19.  
*Ioannes Paruus Theologus.* 914. 6.  
*Ioannes Pontifex obiit in carcere.* 208. 27. Ioannes vigesimus primus Pontifex. 660. 23. vigesimus secundus. 728. 33. vigesimus tertius. 921. 10. 935. 18.  
*Ioannes Toletanus Episcopus.* 520. 4. quidam abds casse dicunt. 323. 24.  
*Ioannes secundus Toletanus Episcopus.* 620. 26.  
*Ioannes secundus Castellae Rex.* 911. 17.  
*Ioannis octauis Pontificis geminae litterae.* 347. 27.

† 3 Ioannes



## Index.

*Ioannes Ausij Magister fit Rex Lusitaniae.* 856. 24.  
*Vincit hostes.* 859. 17.  
*Ioannis primi Castellae Regis filij.* 845. 22. 847. 24.  
*Iornandes Gotthorum Episcopus.* 214. 44.  
*Irene virgo Lusitana.* 258. 23.  
*Irienses Episcopi.* 328. 19. transferuntur Comp-  
*stellam.* 329. 8.  
*D. Isidorus Hispalensis* 247. 16. 251. 6. eius epi-  
*stola.* 248. 40.  
*Isidori tres in Hispania.* 253. 1.  
*Isidoriani monachi.* 956. 11.  
*Iubilaei institutio varia.* 704. 43.  
*Iudaei per vim facti Christiani.* 243. 1. petunt ne  
*cogantur comedere carnes porcinas.* 246. 42.  
*conuersi donantur nobilitate.* 280. 41. seruituti  
*mancipantur.* 281. 20.  
*Iudaei & Mauri insigni nota distincti.* 830. 35.  
*934. 38.*  
*Iulianus Conchenensis Episcopus.* 535. 14.  
*Iulianus Toletanus Praesul.* 273. 22. apologia eius.  
*278. 27.*  
*Iuliani Comitis vxor.* 284. 28. filia. 286. 28. exi-  
*tus.* 301. 12.  
*Iulius & Augustus ieiunij lege soluantur.* 171. 42.  
*Iulius Caesar annum corrigit.* 299. 10.

## L

*Labarum crucis forma.* 170. 16.  
*Ladislaus & Ioanna Neapolitani Reges.* 863. 15.  
*Laræ Infantes occisi.* 383. 30.  
*Laredi portus siue Lauretanus.* 4. 10.  
*Lateranense concilium ne decumae dentur profanis.*  
*868. 24.*  
*Latronianus seu Matronianus poeta.* 180. 17.  
*D. Laurentius martyr.* 157. 1.  
*Leandri cum Gregorio amicitia.* 223. 44. eius  
*concio.* 234. 29.  
*Legio condita.* 147. 6. Vrbs regia facta. 353. 7.  
*D. Leocadiae vita.* 161. 40. 42.  
*Leuigildus Rex.* 219. 30. veste discreta à populo  
*primus est vsus.* 230. 10.  
*Lex Toletana & lex Romana.* 417. 18.  
*Libellatici qui essent.* 156. 28.  
*Liberata & Quiteria martyres.* 168. 33.  
*Litaniarum vsus in Hispania.* 208. 4. 249. 38.  
*Liua primus Rex.* 219. 25. secundus. 239. 18.  
*Lolliani declamationes, quae tribuntur Quintiliano.*  
*156. 15.*  
*Lucas Tudensis.* 593. 19. 243. 23. 564. 4  
*Lucense concilium.* 216. 30.  
*Lucius Pontifex.* 156. 21.

*Ludovicus Galliae Rex venit in Hispaniam.* 511. 13.  
*Ludovicus Hutinus Navarrae Rex.* 713. 8.  
*Ludovici Sancti Regis litterae ad Toletanos.* 627. 2.  
*Lumen inferentes pueri, Vincamus dicunt.* 174. 37.  
*Lusitanorum Regum insignia.* 498. 17.

## M

*Machabeorum mentio.* 88. 7.  
*Magister equitum, nempe Condestable, qui primus in  
 Castella.* 849. 16.  
*Magistratus vendere.* 153. 5.  
*Mahumetes non venit in Hispaniam.* 244. 12. eius  
*filiae.* 238. 23.  
*Malaca aedificatur.* 27. 14. eius porta Caua dicta.  
*287. 20.*  
*Mancini foedus cum Numantinis.* 101. 21.  
*Manfredus Siciliae Rex.* 637. 32.  
*Mantius primus Eborae Episcopus.* 147. 17.  
*Marchia Aragonis, nunc Manchia.* 630. 40.  
*M. Aurelius pluiam impetrat Christianorum preci-  
 bus.* 149. 14.  
*Marescalus castrorum magister.* 849. 19.  
*Maria Coronelia libidinem igne extinguit.* 782. 6.  
*Maria Padillia.* 782. 17. obiit. 804. 35.  
*Mariae Honorij vxoris sepulcrum Romae repertum.*  
*189. 19.*  
*Mariani montes Sierra morena.* 5. 11.  
*Marrani vox vnde.* 322. 27.  
*Martialis poeta.* 146. 19.  
*Martinus & Nummius idem.* 756. 33.  
*Martinus Martini Regis Aragonij filius.* 882. 13.  
*obiit.* 917. 28.  
*Martinus Momblanci Dux succedit fratri in regno.*  
*891. 27. obiit.* 921. 13.  
*Martinus quintus Pont. Max.* 938. 29.  
*Martinus presbyter multa scribit.* 539. 11.  
*D. Martino Turonensi templum in Calacia aedificatur.*  
*216. 10. miraculum ibi factum.* 220. 25.  
*Martini Dumienensis scripta.* 215. 30.  
*Martis dies male ominatus dicitur.* 661. 15.  
*Martyres a bestijs non tanguntur.* 168. 40.  
*Martyrum reliquiae ferantur in thesis.* 271. 30.  
*Masdra Sueuorum Rex.* 199. 23.  
*Massa candida.* 161. 21.  
*Masilia condita.* 31. 15. diripitur ab Alfonso Re-  
*ge Aragonio.* 950. 27.  
*Masimissa.* 71. 32. 72. 29. amicus fit Scipioni.  
*81. 27.*  
*Mauregatus Rex centum Virgines dat Mauris quotan-  
 nis.* 323. 1.  
*Mauri vnde annos auspicantur.* 300. 3.

Maurorum

## Index.

*Maurorum multaregna in Hispania.* 569. 29.  
*Mausona Emeritensis.* 227. 28. 231. 30.  
*Matildis litterae ad Alfonso Lusitanum Regem.*  
*635. 39.*  
*Matrimonia inter Graecos & Latinos iusta non habe-  
 bantur.* 725. 14.  
*Mathematici praedictio de Alfonso Aragonio Rege.*  
*943. 33.*  
*Maximus & socij martyres.* 154. 13.  
*Medinae Celine Duces vnde genus deducant.* 821. 17.  
*Mediolanensis synodus.* 173. 41.  
*Melaria oppidum.* 39. 17.  
*Melchisedes Pontifex.* 169. 44.  
*Melchonis, id est, Saturni sacra.* 29. 4.  
*Mellicola Rex.* 19. 12.  
*Mendoziae gentis prima mentio.* 557. 36.  
*Meniquentia, Caesaris Octogesa.* 490. 12.  
*Mercenarij monachi.* 583. 5. confirmati. 598. 40.  
*Merini gens Maurica.* 638. 39.  
*Metropolitani aliquando vocantur Primates.* 445. 21.  
*Metropolitanorum prima mentio.* 172. 1.  
*Milicus potens opibus in Hispania.* 20. 14.  
*Militia a Ioanne I. Castella Rege instituta.* 870. 20.  
*Miramamolini Reges Mauri.* 261. 36.  
*Mompellerij principatus Petro Aragonio dotalis.*  
*549. 1.*  
*Monarchia Siciliae.* 464. 22.  
*Moncadarum conditor.* 497. 1.  
*Monetae primus vsus.* 25. 1.  
*Moneta Pisonis.* 108. 3. Sertorij. 111. 13. Car-  
*sij.* 132. 34. Ermenigildi. 223. 34. Liuae.  
*239. 20. Iaquefa.* 607. 26. Pepones, Burga-  
*lenses, & moneta nigra.* 629. 18.  
*Monetale vectigal.* 548. 37.  
*Montanus Toletanus Episcopus.* 210. 34.  
*Montanus, Iulianus, Bacauda, Petrus, ex ordine Tolet-  
 tani Praesules.* 233. 22.  
*Montesia militia instituta.* 731. 7.  
*Mudarra ortus & posteri.* 383. 20.  
*Municipia quae erant in Hispania.* 145. 1.  
*Murgis & Muxacra idem.* 5. 5.  
*Murgis duplex in Batia.* 18. 3.  
*Murza mittit copias in Hispaniam.* 289. 7. venit  
*ipse.* 295. 1.  
*Myro Sueuorum Rex, seu Ariamirus.* 220. 20.  
*Myronis Barcinonensis Comitis filij.* 368. 22.

## N

*Nabuchodonosor venit in Hispaniam.* 30. 31.  
*Narbonense bellum Vamba Rege.* 262. 33.  
*Narcissus & Felix martyres Gerundae.* 158. 8.

*Nauarrae nomen.* 7. 15.  
*Nauarricum collegium Lutetiae.* 682. 3.  
*Nauae Tolosa, vbi victi Mauri.* 555. 10.  
*Nauigationes Hannonis & Himilconis.* 38. 34.  
*Neapolis Andegauensibus dedita.* 951. 12.  
*Nerium promontorium hodie Finis terrae.* 4. 29.  
*Nicenum concilium.* 171. 20.  
*Niebla Veteribus Elepla.* 602. 19.  
*Nigrus fluius.* 41. 44.  
*Noc vocatur Deucalion.* 20. 5. non venit in Hispan-  
*nam.* 11. 4.  
*Nomina multarum Vrbiu[m] & episcopatum.* 273. 30.  
*Normanni vexant Hispaniam.* 336. 30. eunt in  
*Italiam, & eorum origo.* 429. 35.  
*Northegia Vinum acidum reddit continuo.* 186. 36.  
*Novellus Complutensis Episcopus.* 228. 14.  
*Numantia.* 89. 19. foedus cum Romanis facit 87.  
*10. excinditur.* 105. 8. bellum cum Romanis  
*gerit.* 89. 10.  
*Numatij Flacci nefarium facinus.* 123. 44.  
*Nunctus Abbas.* 230. 1.  
*Nunilo & Alodia Virgines.* 359. 34. 380. 27.  
*Nunnus Pereira.* 854. 20. Magister equitum. 858.  
*14. Barcelosij Comes.* 860. 43.  
*Nunnus Rasura & Lainus Caluus indices.* 363. 14.

## O

*Obulcum, Porcuna vulgo.* 614. 1.  
*Odoacer Herulorum Rex.* 202. 18.  
*Ogia fluius.* 409. 2.  
*Ogis monasterium.* 550. 44. instauratur. 735. 41.  
*Olimpiodorus de Athaulfi cade.* 190. 29.  
*Olisipo Vrbs.* 3. 44. capitur de Mauris. 327. 36.  
*Gilbertus primus eius Vrbs Episcopus.* 505. 5.  
*fit Metropolitana.* 869. 27.  
*Ophiusa insula.* 28. 20.  
*Oppas frater Vitizae.* 283. 39. 284. 27. capitur.  
*309. 18.*  
*Ordonius Rex.* 341. 2. tertius. 370. 16.  
*Ordonius cognomento Malus.* 372. 32.  
*Orospeida mons.* 5. 10.  
*Orjuz & Corbis duellum.* 80. 36.  
*Osca schola a Sertorio instituta.* 111. 4.  
*Osiris venit in Hispaniam.* 12. 42.  
*Osius Cordubensis.* 171. 14. perijt Arianus factus.  
*173. 39. 174. 20.*  
*Offeti fontes baptismi aquis sponte complebantur.*  
*213. 30.*  
*Otho Augustus Batiae attribuit Mauritaniam.* 142.  
*20.*  
*Quetum conditur.* 319. 40. fit Metropolis. 348. 20.

† 4

Oysime-

## Index.

*Orysimelium factio Granata.* 617. 24.  
*Ozminius precipuus Maurorum Dux.* 730. 3. 740. 5.

### P

*Paciechus amicus M. Crassi.* 109. 26.  
*Paciechi fratres in Castellam veniunt.* 896. 21.  
*Palentia publica schola constituta.* 550. 41.  
*Pan socius Dionysij.* 20. 19.  
*Papinianus occisus a Caracalla.* 152. 12.  
*Parisiense concilium contra Bonifacium VIII.* 710. 1.  
*Partitæ leges.* 628. 33.  
*Pascha male in Hispania celebratum.* 220. 30.  
*Paschasius Diaconus fontes baptis. in Sicilia sponte redundare ait.* 213. 42.  
*Paschasius Toletanus Præsul.* 627. 28.  
*Paterniana hodie Pastrana.* 221. 18.  
*Patriarcha, duodecim pauperes quotidie mensæ adhibent.* 261. 4.  
*Patricij vox, dignitatis nomen.* 214. 25.  
*Paularij monasterium conditur.* 869. 35.  
*Paulinus Burdigalensis.* 182. 24.  
*Paulus venit in Hispaniam.* 140. 16.  
*Paulus Burgenfis.* 898. 9.  
*Pauperum collegia ab ecclesijs sustentabantur.* 236. 30.  
*Pax Augusta fundata.* 132. 38. vulgò Badajoz.  
*Pelagius contra Mauros rebellat.* 303. 10.  
*Pelagius Correa D. Iacobi Magister.* 617. 10. ubi sepultus. 654. 12.  
*Pelagius martyr.* 354. 10. 374. 27. 376. 36.  
*Pelagius Ouetensis.* 379. 22.  
*Peninsula Aragonio Regi cedit.* 959. 31. vulgò Peniscola, Prolemao Chersonesus. 604. 12.  
*Perpetua vincitur a Pompeio.* 116. 2.  
*Perpinianum conditum.* 417. 3. concilium ibi. 916. 1. eo venit Sigismundus Imperator. 936. 32.  
*Petra amantium.* 921. 36.  
*Petrus Ansurus Vallisoletum obtinebat.* 469. 21.  
*Petrus I. Aragonia Rex.* 469. 29. secundus regnum facit vectigale Pontifici Romano. 548. 32. tertius. 662. 3. quartus. 752. 26.  
*Petrus Castellæ Rex.* 777. 30. occiditur a fratre. 824. 23.  
*Petrus Cisterciensis de Albigenfibus scribit.* 563. 32.  
*Petrus Fernandus primus D. Iacobi Magister.* 529. 42.  
*Petrus Fernandi quarti Castellæ Regis frater.* 721. 27.  
*Petrus Frias Cardinalis Hispania.* 901. 3.  
*Petrus Hispanus, deinde Ioannes. XXI. Pontifex.* 660. 23.  
*Petrus Lara facit ne ingenui fiant vectigales.* 532. 8.  
*Petrus Librana primus CesarAugustæ Episcopus.* 479. 25.  
*Petrus Luna deinde Pontifex.* 819. 4.  
*Petrus Luna Toletanus Præsul.* 903. 31.  
*Petrus Lusitanus septem orbis partes fertur obiisse.* 958. 30.  
*Petrus conditor gentis, cui a Toletis nomen est.* 438. 24.  
*Petrus Petri Castellæ Regis nepos & Episcopus.* 905. 23.  
*Petrus cognomento Pulcher Urbani successor Toletani Episcopi.* 321. 16.  
*Petrus Sicilia Rex, eiusq; fratres.* 755. 13.  
*Petrus Tenorius Archiepiscopus Toletanus.* 838. 14. obiit, eiusq; opera. 900. 3.  
*Petrus Apostolus non venit in Hispaniam.* 140. 25.  
*S. Petri ad Astantiam monasterium fundatur.* 371. 30.  
*Petrifilij Regis vexillum ad bellum fertur.* 751. 43.  
*Phoenix visa.* 137. 33.  
*Phœnices veniunt in Hispaniam.* 25. 43. opprimuntur ab incolis. 33. 4.  
*Philippus Comes Eburonicum, Rex Navarra.* 740. 43.  
*Philippus Gallia Rex avus D. Ludovici.* 587. 37.  
*Philippus II. Hispania Rex.* 162. 1. 271. 13.  
*Philippus Imperator an fuerit Christianus.* 155. 20.  
*Philippi Pulchri Regis Galli, tres nurus de adulterio postulata.* 728. 42.  
*Philonida Cohortem Scipio constituit.* 103. 44.  
*Phocæensium aduentus in Hispaniam.* 31. 15.  
*Pilati & Christi acta conficta.* 170. 31.  
*Pimenij oppido, alijsq; pagis Episcopos Vamba datur.* 272. 3.  
*Pissamena socrus Gratiani.* 179. 17.  
*Placentia condita.* 533. 9.  
*Pluvia, novem mensibus non fuerunt.* 558. 38.  
*Pompeius Magnus.* 111. 33. 115. 30.  
*Pompelo seu Pompeiopolis.* 116. 27.  
*Pompeij filij contra Cæsarem.* 122. 30.  
*Portalegris episcopatus instituitur.* 869. 29.  
*Portugalia regni initia.* 485. 36. insignia. 619. 13.  
*Primatus Toletanus.* 254. 6. 277. 8.  
*Priscilianus hereticus.* 148. 30. 179. 20.  
*Prochita coniuratio in Sicilia.* 669. 23.  
*Proconsulis nomen Imperatoribus datum.* 159. 19.  
*Procuratores regni tres, quinque, aut septem.* 873. 40.  
*Prudentius Turiafonensis Episcopus.* 169. 23.  
*Prudentius poeta.* 174. 41.

Punicum

## Index.

*Punicum bellum primum.* 51. 32. secundum. 61. 24.  
*Puteorum mira natura.* 27. 6.  
*Pygmalion venit in Hispaniam.* 26. 37.

### Q

*Quintiliani institutiones inuenta.* 142. 8.  
*Quiricus Præsul Toletanus.* 263. 11.  
*Quiroga Cardinalis.* 168. 23.  
*Quiteria martyr.* 168. 34.

### R

*Radagastus Dux Gotthorum.* 183. 43.  
*Ramirus primus Aragonia Rex Romanam precandirationem primus suscipit.* 416. 39.  
*Ramirus monachus, Episcopus, Rex, & coniux.* 492. 14.  
*Ramirus primus Legionensis Rex.* 334. 1 eius votum. 336. 10.  
*Rasis Arabs de Romano Pontifice quid dicat.* 275. 27. 276. 18. quando scripsit historiam. 377. 35.  
*Raymundus Barcinonensis gener Ramiri monachi.* 496. 25.  
*Raymundus Burgundus.* 466. 24.  
*Raymundus Losana primus Hispani capta Episcopus.* 626. 31.  
*Raymundus Penafortius.* 583. 17. 638. 14. 654. 11.  
*Raymundus Toletanus Episcopus post Bernardum.* 488. 28.  
*Raymundus Tolosæ fautor Albigenfium spoliatur principatu.* 573. 32. obiit. 587. 10. filius cognominis absoluitur Lutetia. 594. 27.  
*Raymundus Lullus.* 706. 13.  
*Reccaredus Rex.* 221. 16.  
*Recceswinthus Rex.* 255. 33.  
*Rechila Sueuorum Rex.* 193. 39.  
*Reciarus Sueuorum Rex fit Christianus.* 194. 9.  
*Reges primi non Legionis dicti sed Gegionis.* 311. 1.  
*Regina vidue moniales fiant.* 281. 34.  
*Remismundus Sueuorum Rex.* 199. 24.  
*Rodericus Danalus.* 885. 31. Magister equitum. 896. 8.  
*Rodericus Rex Theodfredi filius.* 284. 31. eius sepulcrum. 292. 10.  
*Rodericus Semenus Toletanus Episcopus.* 549. 14.  
*Rodolphus Ausburgensis, Cæsar creatur.* 652. 10.  
*Rogerus Lauria Dux magnus.* 651. 12. capit Carolum Neapolitanum. 678. 23.

*Rogerus Sicilia Comes fit Legatus Pontificis.* 462. 23.  
*Romana ecclesia concilia confirmat.* 236. 36.  
*Romani Pontificis maiestas auctore Isidoro.* 249. 8.  
*Rubicatus ammis, Lobregat.* 3. 16.  
*Rucones, Riuogia.* 221. 30.  
*Rufus Festus Auienus.* 169. 26.  
*Rupertus S. Sabine Cardinalis Legatus in Hispania.* 412. 18.  
*Ruscimonensis comitatus Aragonijs accedit.* 533. 15.

### S

*Sabbathi diebus a carnibus abstinent Hispani.* 557. 14.  
*Sabora, hodie Cagnetum.* 144. 9.  
*Sacerdotibus vxores permisit Vviti.* 282. 27.  
*Saguntum excinditur.* 61. 10.  
*Salambona Venus dicta.* 160. 18.  
*Salica lex.* 729. 6.  
*Salij, Franci vocantur.* 186. 8.  
*Salmantica schola.* 614. 16.  
*Salsus amnis, unde prælio nobilissimo nomen.* 760. 27.  
*Sampyrus Asturicensis.* 379. 21.  
*Santanderius portus, siue sancti Emeterij.* 4. 10.  
*Sanctius Alfonsi Regis Sapientis frater, Toletanus Episcopus.* 629. 40.  
*Sanctius Alfonsi sexti filius occisus.* 466. 18.  
*Sanctius Alfonsi Sapientis filius rebellat in patrem.* 667. 30.  
*Sanctius Aragonius multa monasteria ab Episcopis eximi curat.* 455. 24. occiditur. 456. 23.  
*Sanctius Balearis Rex.* 709. 17. obiit. 739. 1.  
*Sanctius Capellus Lusitanus Rex.* 618. 13. obiit. 634. 12.  
*Sanctius Garzia Castellæ Comes.* 387. 27. occidit matrem. 391. 38.  
*Sanctius Iacobi Aragonij Regis filius Toletanus Episcopus.* 645. 26. occiditur. 659. 6.  
*Sanctius Maior Rex Navarra.* 386. 35. obiit. 398. 31.  
*Sanctius Rogius prius Palentinus, deinde Toletanus Episcopus.* 935. 40.  
*Sanctij Abarca Regis educatio.* 364. 17.  
*Sanstij tres Reges vno tempore in Hispania.* 417. 30.  
*Sarabis, Taurus.* 351. 6.  
*Sardicensis synodus.* 173. 18.  
*Saturni sacrificia.* 29. 4. 64. 41.  
*Saturninus hereticus.* 143. 25.

Saxonum



## Index.

*Saxorum prima mentio.* 176. 42.  
*Scalabis vocata Santaren.* 258. 30. 421. 21.  
*Scriniij regij Magister, idem quod Cancellarius.* 738. 5.  
*Segobia aqueductus.* 15. 33.  
*Segobriga an Toletano Praesuli contributa.* 637. 10.  
*Seneca philosophus.* 140. 5. *Tragicus.* 142. 3.  
*Senior dominum significat.* 220. 14.  
*Sentica, Zamora dicta est.* 351. 5.  
*Sepulveda olim Segobriga, deinde Sepulveda.* 317. 2.  
*Setabis obsidetur, vulgo Xatina.* 614. 41. *capitur.* 625. 8.  
*Sicheus venit in Hispaniam.* 26. 15.  
*Siculis Regibus Hierosolymitani regni titulus.* 602. 30.  
*Sidonius Apollinaris.* 198. 12.  
*Silingi qui essent.* 186. 3.  
*Silius Italicus an Hispanus.* 141. 41.  
*Simon Monfortius contra Albigenfes.* 566. 44.  
*Simplicius Pontifex Romanus Zenonem Hispanensem Episcopum suum Legatum facit.* 203. 19.  
*Sindereus Toletanus Episcopus.* 283. 38. *interfuit concilio Lateranensi.* 289. 32.  
*Siricius Pontifex.* 180. 38.  
*Sirmiese concilium.* 173. 34.  
*Sisbertus Toletanus Episcopus.* 280. 18.  
*Sisebutus Iudeos cogit fieri Christianos.* 242. 44.  
*Sisenandus Rex.* 246. 6.  
*Sixtus secundus.* 156. 39. *quintus.* 226. 32.  
*Sol a cursu retentus.* 654. 19.  
*Sofgenes Mathematicus.* 299. 13.  
*Staberus fluvius, hodie Segura.* 7. 25.  
*Stephanus Pontifex absoluit Basilidem.* 156. 31.  
*Successionis in regno ius & ratio.* 927. 26.  
*Sucro Vcroq; Xucar & Hucar.* 531. 19.  
*Suinthila Rex.* 244. 41. 245. 14.  
*Suprarbis forum.* 358. 44.  
*Symbolum Constantinopolitanum.* 179. 17. 234. 13.  
*Symmachus & Boetius occisi.* 208. 42.

## T

*Tagus fluvius.* 3. 44.  
*Taius Episcopus scripta Gregorij conquirat.* 254. 28.  
*Talavera multis nominibus vocata.* 116. 18.  
*Talavera cur Regina dicitur.* 779. 34.  
*Tamerlancus Scythia.* 901. 39.  
*Tarraco Rex venit in Hispaniam.* 27. 31.  
*Tarraco colonia Romanorum sit.* 67. 22.  
*Tarraconense concilium.* 207. 41.  
*Tartessus, id est Tariffa.* 3. 24.  
*Tauri Gusanadi.* 113. 26. 122. 25.

*Templarij extincti.* 718. 13.  
*Tenorius Toletanus Episcopus.* 167. 30. *vide Petrus Tenorius.*  
*Thalmuditici libri vetantur.* 934. 40.  
*Tharsis seu Carthago, hodie Tuncz.* 3. 26. 26. 21. *eius naues.* 33. 39.  
*Theobaldus Campaniae Comes.* 601. 11. 603. 11. *Junior.* 630. 17.  
*Theodisclus successor Isidori.* 252. 33. 254. 13.  
*Theodorus Rex Suevus.* 215. 29.  
*Theodoredus Gotthorum Rex.* 194. 15. 195. 37.  
*Theodoricus Ostrogotthus.* 202. 30. 204. 13. *non venit in Hispaniam.* 207. 14. *Visigotthus.* 198. 20. 201. 15.  
*Theodosianus Codex ab Alarico in compendium redactus.* 206. 10.  
*Theodosius Imperator.* 178. 20.  
*Therasia Alfonsi quinti soror nubit Mauro.* 388. 38.  
*Thesaurus pauperum a quo scriptus.* 660. 27.  
*Theudis Rex.* 211. 20.  
*Thomas Aquinas consecratur.* 729. 23.  
*Thomicus historicus.* 871. 23.  
*Toletum quo tempore Urbs regia dicta.* 221. 23. *capitur a Mauris.* 293. 35. *a nostris recepta.* 435. 26.  
*Toletanus Episcopus Castelle Cancellarius.* 568. 34.  
*Toletana concilia. primum.* 183. 10. *secundum.* 210. 24. *tertium.* 233. 20. *quartum.* 246. 40. *quintum.* 249. 35. *sextum.* 250. 20. *septimum.* 253. 39. *octavum.* 256. 31. *nonum & decimum.* 257. 30. *undecimum.* 271. 15. *duodecesimum.* 276. 42. *tredecimum.* 277. 26. *quartodecesimum.* 278. 3. *quintodecesimum.* 279. 28. *sextum & septimumdecimum.* 281. 16.  
*Toletanum concilium Rege Gundemaro.* 240. 40. *aliud Vvitiza Rege.* 282. 33.  
*Toletani primum locum in regni conuentibus petunt.* 775. 7.  
*Toletani Reges Mauri.* 391. 1.  
*Tonsura clericalis forma.* 247. 29.  
*Trebomani opera leges in compendium redactae.* 212. 43.  
*Turcarum origo & Imperatores.* 725. 30.  
*Turibus Asturicensis.* 197. 15. 36.

## V

*Valens Imperator.* 177. 9. *diuinat per gallum.* 177. 27.  
*Valentiam Cidus capit.* 461. 43. *capitur de Mauris a Iacobo Rege.* 608. 29.

*Valentinum*

## Index.

*Valentinum concilium.* 208. 20.  
*Valentinianus Imperator.* 177. 6. *Junior.* 178. 17. *tertius.* 183. 3.  
*Valerius Casaraugustanus, & Vincentius martyres.* 161. 22.  
*Valerij Abbatis liber.* 255. 21. 271. 37.  
*Vallisoletum olim Pincia.* 469. 21.  
*Vandali iidem Burgundiones.* 185. 35. *eorum voces in lingua Hispanica.* 187. 3.  
*Varduli vbi.* 317. 24.  
*Vicroflunius, vulgo Hucar.* 531. 18.  
*Vellidus Ataulfus Sanctij Regis occisor.* 421. 28.  
*Vellus aureum quid.* 20. 29.  
*Veremundus Rex.* 324. 2. *Podagricus.* 379. 26. *tertius.* 393. 4.  
*Verissimus & socij martyres.* 168. 31.  
*Vernulfus Athaulfum occidit.* 190. 26.  
*Verus Hispanensis Praesul.* 321. 15.  
*Vespasianus Imperator.* 144. 10.  
*Via argentea a quo facta.* 109. 10.  
*Victor martyr.* 168. 32.  
*Victoria Urbs condita.* 535. 42.  
*Vicus cuminarij, nunc Sancta cruz de la zarza.* 530. 3.  
*Vigila Comes.* 349. 33. 373. 5. *eius filij.* 392. 20.  
*Vigilantius hereticus.* 182. 31.  
*Vigilius Pontifex.* 214. 41.  
*Vincentius Casaraugustanus Episcopus Arianus.* 227. 43.  
*Vincentius Ferrerius.* 904. 44. 927. 27. *obiit.* 940. 34.  
*Vincentij martyris ossa.* 320. 27. *Olisiponem delata.* 537. 25.

*Virginibus sacris virorum colloquium interdictum.* 243. 33.  
*Viriatus.* 94. 34. 99. 1.  
*Vlphilas Gothicos caracteres excogitat.* 177. 43.  
*Vlpianus iureconsultus.* 153. 16.  
*Vlisses venerit in Hispaniam.* 21. 43.  
*Voluntas in Deo an procedat ex voluntate.* 278. 28.  
*Vrbium multarum nomina vetera.* 273. 26.  
*Vrraca nubit Alfonso Aragonio.* 470. 16. *obiit.* 488. 15.  
*Vrsao vulgo Osuna.* 614. 2.  
*Vsura centesima.* 149. 31.  
*Vallia Rex.* 191. 5.  
*Vvamba eligitur.* 263. 3. *venenum illi datur.* 272. 38.  
*Vuestremirus Episcopus Toletanus.* 340. 14.  
*Vvitiya Rex.* 281. 36. *vrbes moenibus nudat.* 283. 22. *perijt.* 283. 44.  
*Vvitericus Rex.* 239. 17.  
*Vvixores multae a Vvitiya permiffae.* 282. 26.

## Z

*Zaida filia Benabeti Regis Mauri Christiana.* 406. 9.  
*Zamora, olim Sentica.* 317. 1. *datur illi Episcopus.* 484. 40.  
*Zanellus presbyter libros Gothicos excussit.* 354. 42.  
*Zoilus martyr.* 168. 32.  
*Zuria Cantabriae Princeps.* 344. 3. 350. 37.  
*Zurita arx ab Alfonso octavo capta.* 524. 31.

## Indicis Finis.

IOANNIS MARIANAE  
HISTORIAE  
DE REBUS HISPANIAE,  
LIBER PRIMVS.

*De Tubale, & Hispania fertilitate. Cap. I.*



10

APHETI filius Tubal, mortalium primus in Hispaniam venit. sic magnorum virorum consentiens opinio est, eam orbis terrarum partem alijs aliò deductis colonijs, multis per late patētem prouinciam oppidis constitutis imperio, iusto moderatoq; tenuisse. Anno enim post diluuium terrarum generale iuxta veriozem cōputandi rationē centesimo trigesimo primo in omnes prouincias Adæ posterij dissipati sunt. Tētata Nembroto duce turris Babylonicæ ædificationis, spretique numinis ea scilicet merces fuit. sublato diuinitus sermonis cōmercio cum

inter se non intelligerent homines, necessariò terrarum orbis trifariam diuisus in trium filiorum Noe ius ditionemque concessit. Semo Asia omnis ab Euphrate versus orientem Solem Syriaque data est. Chami posteritas Babylonem, Arabias, Aegyptum, totamque Africam obtinuit. Iapheti familiae Asiae pars ad Septentriones obuersa à Tauro & Amano montibus, Europaque vniuersa obuenerunt. Alij Iapheti filij in alias regiones abierunt. Tubal autem quinta eius proles ad Occasum ablegatus, Hispanorum gētem & regnum primis illis temporibus, rudique adhuc seculo, auspiciatò numine annuente atque auctore in æternum ea in orbis parte constituit. Vnde excellentes bello paceque viri ab omni memoria prodierunt, bonorum omnium copia extitit. ampla ad scribendum materia ob rerum amplitudinem & varietatem. scriptorum tamen inopia, qui res Hispaniæ per se præclaras, litteris ipsi illustrarent. Prouocauit hæc ipsa penuria quosdam quidem, vt poeticis fabulis quàm incorruptæ historiæ propiora memoriæ propagarent: nos autem vt hoc ingenio, & hac eruditionis tenuitate grauisimum scribendæ historiæ onus subiremus, magis vindicandæ ab iniuria veritatis studio, quàm laudis spe præmiique: quod neque cupimus ab hominibus, neque reddi poterit laboribus par quocunq; tandem successu. Ergo de regionis natura, situ, linguis, moribus quædam initio dicenda sunt. Hispania terrarum plaga cōparanda optimis, nulli cedit, neque salubritate cæli, neque frugum

A omne

omne genus vbertate, neque metallorum gemmarumque copia, quibus tota ferme scatet. Non vt Africa violento Sole torreatur, neque vt Gallia ventis, cæli rigore, humiditate terræ aerisque fatigatur, sed media inter vtranque, verni caloris temperie, & tempestiuus sæpe imbribus geluque hyemis tempore fecundatur: adeo vt ex Hispania non indigenis tantum, verum externis etiam remotisque nationibus, ipsique Italiæ multarum rerum copia supeditet. Omni enim materia affluit, cuiusque pretium aut vitæ necessitas fecit, aut humani ingenij vitium & ambitio conciliauit. Suaues imprimis arborum fructus sunt, vinearum viniq; nobilitas præcipua: frumenti, mellis, oleique copia: pecoris, faccari, bombycis, lanarumque vis maxima: argenti & auri secturas habet: ferrariæ vbique occurrunt: sunt & speluncæ lapides, sunt & marmorum lapicidinæ, mira ludentis naturæ colorum varietate. Minij nulla regio feracior. Soli multiplex & varia natura: alibi multa arbor, alibi arboribus nudi montes agrique. rari sæpe fontes, pingue solum, cum vigesimo trigesimoque sæpe efficit, nonnunquam octogesimum excedit, sed rara ea felicitas agrorum est. Quæ mitiora sunt frugibus frumentoque seruiunt: cætera pabulo pecorum. Magnam Hispaniæ partem squalida siccitate loca, rupes horridæ & saxa tenent (nonnulla ea iniuria est) qua certe parte ad Septentrionem vergitur: Australia benigniora sunt, eximiaque felicitate conspicua Maritimi piscatu abundant, cuius in Mediterraneis penuria est, propter maris longinquitatem, raris fluminibus, paucis stagnis: nihil tamen otiosum, nihil sterile: quacunque parte frugum messis denegatur, sparticopia funditur ad nauticos funes cõficiendos, variosque vitæ vsus. Equorum velocitas tanta est, vt ex ea re commento probabili vento gigni, apud exteras nationes veteresque scriptores vulgatum sit. Plinij etiam testimonio in extrema historia naturali, quacunque ambitur mari, omnium terrarum optima & vberima Hispania est secundum Italiam: cui ipsi læta cæli facie, atq; aeris nulla paludum graui nebula infecti æquabili salubritate præstat: ac nisi per æstatem aliquando terræ ariditate, pluuiarumq; inopia laboraret, rebus omnibus ad victum cultumq; vitæ necessarijs, cæteras omnes prouincias Europæ atque Africæ absque controuersia vinceret. Hoc quidem tempore propter Indicum cõmercium, quo ad orientis occidentisq; Solis oras, Hispanorum arma nostra & auorum ætate inuicta virtute penetrarunt, copijs omnibus, omneque genus mercibus beata facile regionum omnium obtinet principatum. Inde auri, argenti, gemmarumque vis immensa ac vix fidem factura, si ad numerum referatur, publice & priuatum nauigationibus anniuersarijs aduecta propitio cælo, magno nostræ gentis splendore famaue, aliarum nationum haud leui prouentu: ad quas ex nostris opibus fructus redit multo maximus.

*Hispania situs & ambitus. Cap. II.*



EXTREMA terrarum ad Solis occasum Hispania iacet, à Gallia Pyrenæjs montibus, ab Africa angusto freto dirempta: corio bubulo similis figura (sic regionum descriptores aiunt) circumfuso vndique mari: nisi quo latere Pyrenæos mōtes finem habet

habet perpetuis iugis ab Oceano tendentes ad Mediterraneum mare, duobus promontorijs altero in Oceanum proiecto, cui Olarsoni nomen, altero in mare nostrum, cui olim à Veneris templo, nunc religione mutata à Cruce facta est appellatio. Ab hoc promontorio, vbi Gallia Narbonensis terminatur, ad extremas vsque Gaditani freti fauces, Hispaniæ latus vnum è quatuor præter Austrum Occasumque longissimo littorum tractu porrigitur ad Mediterraneum mare, leucas colligens ducentas & septuaginta (continent autem leucæ singulæ millia passuum quatuor) si quidem extrema legentes littora totum spatium metiamur: alioqui breuius aliquantulum iter est mari terraque, si à promontorijs, vbi se mare flexu locorum insinuat, introrsus extrorsusve recedatur. Ad hoc Hispaniæ latus Illiberis in ora antiquæ Galliæ sita est, vetustate & portus commoditate aliquanto, quam elegantia & ciuium frequentia hac tempestate nobilior. Post Veneris promontorium, quod Illiberi vicinum est, succedunt Lunarium, Ferraria siue Tenebrium promontoria, pari propemodum interuallo ab Iberi ostijs. Eo spacio Rubricati ostium est (quod hodie Lobregat dicitur) Barcino, Tarraco, Dertusa, atque Saguntum, fidei constantia suaque ruina nobilis, Valentia, Sacronis (nimirum Xucaris) ostium, Dianium. Sequitur promontorium Scombraria, propeque noua Carthago, & longiori interuallo, quod ab achatis hodie, quarum ijs locis magna copia est, nomen habet promontorium: & à Græcis olim quoniam ij lapides ad conciliandam gratiam valere crediti sunt, Charidemum vocabatur. Succedit Almeria, quæ ex Abderæ ruinis creuisse creditur: alijs Vrci est in Bastetanis: deinde Malaca: ac tandem ad freti angustias Heraclæ siue Calpe à Calpe monte, cui imposita est. Mox Tartessus, nostris Tarriffa, vnde totum fretum Tartessiacum dictum est: & fortassis vtrumque nomen à Tharsis hoc est Carthagine vel Tuneto manauit, ob frequens quondam Pœnorum ijs in locis commercium nouis, vt sit, appellationibus factis. Herculeum fretum vocitatum est, quod Hercules suscepta expeditione in Hispaniam, Calpemque & Abylam montes vrinque freto impositos (Herculis columnæ eæ sunt) magnis in mare iactis molibus exaggerans eas maris angustias arctasse obturareque voluisse dicitur: quarum longitudo quindecim millia passuum efficit, latitudo, qua breuissimus tractus est, vix septem. Idem Gaditanum fretum à Gadibus vocatum est, quæ insula fauces freti egressis ad dexteram in Oceano occurrit, à Pœnis deducta voce, quod vt Hispaniæ sepes (id enim Hebræis etiam Gheder est) obiecta marinis fluctibus esset: olim septingentis passibus à continenti diuisa, ambituque ducta passuum millia numerans, nunc summa longitudine vix duodecim, ponteque cum continente commissa. Ab extremis freti fauceibus vsque ad promontorium Nerium in Calæcia, quod hodie finis terræ dicitur, leucas ducentas viginti sex numerant præternauigantes. Nam Sancti Vincentij promontorium Sacrum è regione Pyrenæi montis positum, longissimoque ab illo Hispaniæ tractu dissitum, excurrente in Oceanum littorum anfractus efficit longiores aliquanto quam essent rectâ progredientibus. In his Oceani littoribus Hispalis ad Bætum est, atque qua parte se Tagus in mare exonerat, vrbs Oli-

## De Rebus Hispaniæ.

## Liber Primus.

**A**lipo amplitudine, frequentia, commercioque cum primis Europæ comparanda: propeque Artabrum promontorium: vnde ad læuam Oceano Atlantico terminato, incipit ad dextram Oceanus Gallicus, quemadmodum in mari infero (sic arbitror) Iberici & Balearici appellationes Iberus amnis se creuit. Latus Hispaniæ tertium Septentriones inter & Caurum protensum leucas centum triginta quatuor patet, haud quaquam directis exæquatisque littoribus, vt Pomponius Mela existimauit, sed maris recessibus, littorumque inæqualitate non minus quàm reliqua castigatum sinuosumque. Portus insignes maxime Brigantinus, Lauretanus, Sanctique Emeterij (hi hodie portus Corugna, Laredius, Santaderiusque sunt) & fortassis Hispaniæ littorum sicut reliquarum prouinciarum vetus forma immutata est, alibi exesis vetustate, alibi noua materia exaggeratis congestisque montibus, ad veterum descriptionum terræ iniuriam, neque minorem denuo scribentium difficultatem naturæ inconstantia comparatum. Pyrenæi montis (quod quartum Hispaniæ latus est) longitudo Hispaniam versus incuruata aliquantum est: atque præter Ortum Septentrionemque porrecta ab Oceano ad Mediterraneum mare octoginta leucas continet: sustino sexcenta millia passuum, numeris proculdubio iniuria temporis vitiat. & ex altissimo Cantabriæ monte, cui à D. Adriano nomen, despectum in vtrumque mare esse memorant, quibus ea parte iter est: nisi oculorum ludibria pro vera specie venditantur.

### Præcipui Hispania montes & flumina. Cap. III.

**A**NTABROS inter & Vascones ad Rocidam vallem, Galorum procerum nobilem clade, quo tempore Carolus Imperator cognomento Magnus irrumpere in Hispaniam conatus est, montes ex Pyrenæi iugis præcisi rectaque in Occasum delati, Cantabris Alturibusque ad dexteram Septentrionem versus relictis, Calæcosque medios secantes Nerium promontorium, quod longissime procurrat in mare, in extrema Hispania constituunt. Citramontanorūq; appellationem ab Ultramontanis vulgò in Hispania fecernunt. Ex his montibus Idubeda mons versus Austrum ad Iberi fontes in Pelendonibus deriuatur: (saltum Aucensem hodie vocat ab Auca vrbe veteri, cuius ad Villafrancam vigesimo supra Burgos milliari vestigia monstrantur) & per Virueban Areuacesque, vbi Orbionis cacumina surgunt, neque procul Cauno, qui hodie Moncaius est, Bilbilim, Darocamque præteruectus mare Mediterraneum attingit non procul Dertusa vrbe, vnde extremæ eius montis partes hodie etiam nomen habet. Iberum amnem cõtra quàm reliqui insigniores Hispaniæ faciunt ad Occasum ire Idubeda mons prohibet, duobus ostijs sese confundentem mari Mediterraneo. Paulò infra Caunum ex Idubeda emissus Orospeða mollibus initio iugis vix assurgere videatur: sensim tamè sese efferens vteriusque progressus Molinæ primum montes erigit, Conchæ deinde: vbi Sucronem ad læuam, ad dextram Tagum emittit. Inde Confaburonis seu Confuegræ montibus cõstitutis & in campis Laminitanis Anæ fontes

fontes enixus, ad Alcarassum, Segurãq; procedens in diuersas partes mariaq; diuersa Taderem (hic hodie Segura fluuius est) Bætisque in saltu Tigenli non longe à Casorla oppido fundit, ab Anæ fontibus remotum amplius cētum millibus passuum. vnde in duo brachia scissus parte vna é regione Murcia factus ad Murgim hoc est Muxacram mareq; terminatur, relictis ad occasum Bastetanis à Basta vrbe, quæ hodie Baza est, ad ortum verò Contestanis veteris Hispaniæ populis. parte altera versus Malacam porrectus, & Eliberritanis iugis sese annectens, vltra Calpem vltraque Tartessum tanta procurrat auiditate, vt penetrato mari fretique angustijs tantum non obturatis, Africa complexum non semel appetere videatur. Ex Orospeða prope Alcarassum Mariani montes (nostris Serramorena) surgunt. quorum radices perpetuò ferme vsque ad Oceanum Bætis ad læuam alluit, ab Illiturgi Bæticiam mediam secans Cordubam, Italicam, atque Hispalim præterlabens demum in Oceanum euoluitur ad oppidum, quod antiquis Luciferi templum erat, vno nunc ostio, olim duobus, quando Nebrissa & Asta ab antiquis in Bætis æstuarijs ponebantur, à quo modo octonis passuum millibus remota sunt. Non procul ab origine Orospeðæ propeque Caunum é media camporum vastitate atque planicie montes alij oriri quidem videntur, cæterum in Pyrenæi brachijs quibus vniuersa innectitur Hispania numerandos esse nemini dubium est. tametsi initio vix assurgere viderentur, nisi aquarum diuertia facerent, Durijque cursum in Pelendonibus exorti nõ obscure Meridiem vsque ad Numantiam appetentem, rectà ad occasum auerterent. Horum montium apud veteres scriptores neque nomen ac ne mentionem quidem inuenio: nunc numerosis nominibus atque nouis identidem & ferme à vicinis ciuitatibus insignes per Numantiam, Segobiam, Abulamque, Castellam (vt mox dicemus) latissimam inter Hispaniæ prouincias in veterem nouamq; fecernunt. præterque Caurium & Placentiam Tagi ductum, quo ad læuam alluuntur, sequentes, Portugalam in duas ferme æquas partes secant. ad oppidum Sintram demum Tagro monti viginti octo millibus passuum ad Septentrionem ab Olisipone vrbe impositum, occiduum Oceanum attingunt, desinuntque promontorio in mari constituto, cui Artabro apud Solinum quidem certe nomen est.

### Hispania tum vetus tum recentior diuisio. Cap. IIII.

**E**T V S Hispania in tres partes diuisa est, Lusitaniam, Bæticiam, atque Tarraconensem. Lusitani extremam Hispaniam ad Oceanum occiduum obtinebant, Durio ad Septentrionem, ad Austrum Ana fluminibus comprehensit: atque à Durij parte ea, quæ é regione Septimancarum est, linea ducta ad Tagi potem, cui ab Archiepiscopo appellatio est indita, vsque ad Oretanos Anæque ripam ab Hispania Tarraconensi secreti sunt. Abulam, Caurium, Placentiæ agrum, Castra Iulia, Salmanticam, aliasque Castellæ nostra ætate contributas vrbes & oppida suo ambitu continebant. Bætici sequebantur Ana flumine

A 3 atque

atque utroque mari tribus ex lateribus cincti usque ad Murgim: quod oppidum prope Charidemum promontorium situm erat, & hoc tempore Muxacra esse creditur. unde ad finem Castulonis supra Emeritam usque ad Oretanos, ubi Almagrum est lautum municipium, ducta linea extremus Bæticæ limes ad Solis ortum constituebatur. Quidquid verò terrarum in Hispania relictum est, à Tarracone Scipionum colonia nobilissima, ubi Imperij Romani sedes diu fuit, unde iura dari populis, belli pacisque cōsilia prodire moris erat, Tarraconensis Hispaniæ nomen tulit. Hanc Isidorus Hispaniæ partem Hadriani seu Constantini Magni apud Sex. Rufum diuisionē secutus, in Tarraconensem, Carthaginensem, Galæciamque nulla finium certa designatione partitus est. neque erat facultas, finibus sæpe harum prouinciarum pro voluntate imperantium proque rerum euentu alternantibus. Tarraconensem alij Citerioris Hispaniæ nomine vniuersam, quæadmodum Lusitaniam & Bæticam vna Vterioris Hispaniæ appellatione cōprehendunt. nam qui Ibero amne Citeriorem Hispaniam ab Vteriore secernunt, quod aliquando certe factum est, ijs antiquior Plinius & maiori viri eruditione resistunt. Vtraque hodie Hispania in varia & numerosa nomina abiit: quæ quinque tamen regnorum nominibus comprehendi omnia nihil vetat, postquã gens Maurica Hispania pulsa est. Portugaliæ gentem, nomen, regnum, & linguam primi condiderunt Galli Henrico Lotaringo duce: cui Portus vrbs ad Durij ostium, & vicina oppida ab Alfonso Castellæ Rege eo nomine Sexto, dotis nomine data sunt. unde à Portu & Gallia duplicata voce (quæ opinio magnos auctores habet) seu potius, quod maiori viri eruditione sequuntur, de Cale oppidi, quod nūc Caia est portui imminens, nomine Portugaliæ appellatio facta est, veteri Lusitania aliquanto longioris: ultra Durium enim præcipua regionis nobilitate solique fertilitate ad Minium usque fluuium extensa centum decem & septem leucas ad Oceani littora efficit vniuersa, angustior regionibus, ac ferme locorum latitudine ad Solis ortum æquabili, paulo supra Brigantiam per Durium Tagumq; ad Pacis Iuliæ finem in Anæ ripa (quã ad Austrum clauditur) pertinens. Portugaliæ ad Septentrionem & Ortum Legionis regnum adhæret (sic dictum ab eius prouinciæ vrbe regia Legionem). Continet Calæcos omnes & Astures Ouetenses, à Mearo flumine & Ribadeo oppido ad Llanis portum secundum littus extensos: ac præterea è Castella veteri quidquid Pernia saltu, & (qui inde ortū habet) Carrione fluuii & Pisorica, quousque cum Durio coniungitur, inclusum est. Durioque trāsmissō Heua & qui in Heuam influit, Regamon eius prouinciæ litem constituunt, Salmanticam inter & Abulam usque ad montium culmina & Portugaliam extensum. Accessit deinde, vno excepto Placetiæ agro ditioneque sacra, totus ille tractus, cui Extremaduræ nomen fecit, quod post Hispaniæ vastitatem rebus Christianorum resurgentibus, bellique alternante fortuna, vtriusque nationis longo tempore ea prouinciæ pars, limes esset extremus. alij diuersam vocis notationem asserunt, quam nec refellimus hoc loco, nec probamus. Prolati etiam aliquando eius regni fines sunt usque ad Emeritam veteris Lusitanæ & Pacem Augustam Bæticæ ciuitates, uti locis

cis competentibus historia declarabit. Nauarri in Vasconibus censebantur, Pyrenæis iugis à tergo parteque eius montis, quem in Nerium promontorium excurrere demonstratum est: reliquis ex partibus Aragonæ flumine ad Austrum, ad occasum fluuii ignobili, qui infra Calagurrim influit in Durium, Durijque parte cincti sunt. ultra Iberum hæc: citra autem Tudela Nauarræ aliaque vicina oppida ijs Regibus postmodum dotis nomine accesserunt. Quam prouinciam quamuis angustis regionibus circumscriptam, neque incolarum numero frequentissimam (nam hoc tempore quadraginta millia familiarum tota ditione numerantur) in præcipuis Hispaniæ partibus poni placuit: quod Vascones veteres eius prouinciæ cultores à reliquis prouincialibus seiuncti loca, quæ à Mauris armis inter primos vindicarunt, regio occupato nomine ad patrum memoriam constanter retinuerunt: bellorum sæpe alternante fortuna ultra præscriptos fines imperium proferentes. nam in vrbe Anagaro Regum Nauarræ sepulcra, aliisque vicinis locis, eius gentis extant illustria ditionis maioris monumenta. Nauarra quasi naua erria dicta est, ut quidam arbitrātur, ex Catabrica & Hispanica linguis voce duplicata, conflato nomine. nauas Hispani vulgò planicies, terram Cantabri vocant erriam. commentum haud insulsū. nos his commentarijs, Vasconum voce eam Hispaniæ partem nominamus. Aragoniæ regnum in Catalaunos, Valentinis, & qui peculiari nomine Aragonij dicuntur, tributum est Mediterraneo mari, Pyrenæi saltus parte extrema, ubi Ceretani erant, Vasconumque finibus, tribus ex lateribus ad Austrum, Ortum, atque Septentrionem cinctum, ad Occasum Ibero definitur, qua parte Vasconum fines attingit: lineaque magno sæpe locorum flexu per Turiasonem, Darocam, Harisam, Turulim, Setabimque & Horihuelam ad Staberī ostium Illicim inter & Carthaginis portū ad mare terminata. Legibus & institutis ab alijs, Aragonij, Hispaniæ populis discrepant plurimum, retinēdæ libertatis aduersus Regum potestatem studio acres & incitati: quam antiquis maiorum sanctionibus, scitisque, ne sese nimia efferat, luxurietque in subditorum perniciem, degeneretque in tyrannidem, circumscriptam hætenus tenuerunt, non ignari à paruis inijs ius sæpe minui libertatis. nomē verò vel à Tarracone, vel ut alij malunt, ab Aragonæ flumine, unde eius regni fines initio extendi cœperunt, mutuatum habent. In Castella, quam ab arcium frequētia dictam putant, vnaque regionum amplitudine, cæli clementia, soli bonitate, ingeniorū præstantia, diuiti cultu, ac quodam fertili & peculiari nitore reliquas Hispaniæ prouincias facile superat, exterarum nulli concedit, Asturum partem cōprehendimus, totamque Cantabriam olim angustam regionibus neque Pyrenæos montes attingentem deinde latiore, indicio Cantabrigæ, quæ vrbs præter Lugrunium & Vianam ad Iberi ripam sita fuisse creditur in edito colle, cui Cantabriæ hoc tempore nomen est: & D. Eulogio martyri fluuius est Cantaber, cui Arago amnis confunditur Ega aut Iberus scilicet. argumēto maioris olim latitudinis Cantabriæ, quàm quibus hodie finibus circumscribitur in Viscaiam, Guiposcoam, Alauam, & montanos diuisa. Continet præterea Castella regnum è Castella veteri vrbes non paucas: atque in his

Burgos, Segobiam, Abulam, Soriam, Vxamam, agrum Toletanum (nouam Castellam hodie vocant, antiquis Carpetani) quam Tagus amnis interfluit, ab arenis voluentibus aurum, aquarum suauitate, agrorum per quos decurrunt nitore prouentuque vnus maxime celebratus. Fluit versus Occasum aliquanto ad meridiem flexu riparum: quod cum Durio, Ana, Bætique commune habet. Is Toletum in Hispaniæ vmbilico urbem amplam, totius Hispaniæ lucem, arcemque, natura loci muniam, incolarum tum forma tum ingenio, & religionis cultu sapientiæque studijs excellentem, totam ferme circulo, vastis præruptisque montibus magno naturæ miraculo penetratis ambit, angusto arduoque aditu ad Septentrionem relicto, cæli salubritate, & in sterili solo 10. propter agrorum vicinorum bonitatem, rerum omnium ad vitæ cultum victumque copia beatam ciuitatem. Inde Liboram præteruchitur frequens municipium, agri amœnitate bonitateque præcipua, quod hodie oppidum vocatur Talauera, atque per mediam vicinamque Lusitaniam, multis auctus fluminibus in Oceanum effunditur. In eadem Hispaniæ parte prouincia Carthaginensis est, vbi Carthago Spartaria, Murcia, Conchaque numerantur: & Celtiberia, cuius caput fuit Numantia: præterea Aragoniæ marca in cõtestanis, quam vulgò Manchiam dicimus: Bæticaque, quæ ferme Vandalosia est, vbi Hispalis & Corduba sunt, atque Granara olim Eliberris, certe prope illa sita, portæ urbis atque vicini montis, quæ Eluiræ nomen retinent, indicio 20. certissimo.

*De Hispanorum linguis. Cap.V.*

**H**ISPANIS omnibus hoc quidem tempore lingua ea communis est, quam vulgò homines Castellanam vocant, ex multarum linguarum colluione, ac præsertim ex Latinæ degenerantis corruptione conflata. nominis argumento, nam Romana etiam vulgò appellatur, tãtæque cum Latina affinitatis, vt quod ne Italarum quidem linguæ conceditur, perpetua oratione tum soluta, tum adstricta numeris loqui liceat simul Latine & Hispanice. Extremis Lusitanis peculiaris lingua est ex Gallico sermone & Hispanico temperata atque confusa, eoque elegans audituque grata. Valentini & Catalauni, vnde originem habuerunt, Narbonensi idiomatici, affini lingua vtuntur: & fere locorum vicinitate & commercio vocabula magna ex parte moresque mutantur. Solum Cantabri linguam hætenus retinuerunt rudem & barbaram, cultum abhorrentem, multumque à reliquis omnibus discrepantem, & totius olim Hispaniæ communem (sic fertur) & antiquissimam, priusquam in eam prouinciam Romanorum arma sermoque penetrassent. Gens enim agresti rudique ingenio, quæ plantarum instar translata tamen, terræ bonitate mitigatur, & motanis inaccessa locis, externi imperij iugum vel admisit penitus nunquã, 30. vel excussit quam primum: atque cum antiqua libertate veterem gentis, atque communem prouinciæ sermonem conseruatum fuisse fide non caret. Alij contra differunt veterum auctorum testimonio, voces Cantabricas oppidorum præ cæteris Hispaniæ duriores esse confirmantium, atque Latinæ linguæ cultum 40.

cultum respicientes maxime: ac Strabo non vnum genus litterarum, neque linguam vnã Hispanis omnibus esse ait. Vocum Briga, Cetra, Falarica, Gurdus, Cusculia, Lancea, Butcus, Vepio, Necy pro Marte, multarumque id genus aliarum argumentum accedit: quas Hispanorum linguæ fuisse proprias, magnorum auctorum testimonio confirmatur, & nonnullas inde in Latinam linguam mansisse minime dubitare licet: neque eæ tamen hodie lingua Cantabrica vsurpantur. quam vnã è multis tamen priscis Hispaniæ linguis esse minime negant quorum opinionem pluribus neque refellere operæ pretium est, neque confirmare animus.

*Hispanorum mores. Cap.VI.*

**V**ETERES Hispani moribus fuere rudes sane & sine more, feris propiora quàm hominibus ingenia, secreti etiam inter tormenta tenaces, inquieto animo, corporum celeritate maxima, dediti religionibus, a sapientiæ studijs abhorrentes: tametsi ingenio maximo, quod translati in alias prouincias declararunt, neque mētis perspicuitate, neque memoriæ laude, ac ne orationis quidem copia ad vlla gente superari. Armis aliquantò aduersus hostes, quàm cõsilio meliores fuerunt: cultu vitæ agresti, victu copioso magis quàm exquisito, vino parcissimo, aquæ sæpe potu contenti vitam propagabant: aduersus fontes fluuii, in aduenas humani & hospitales. Hoc tempore vitijs & laudibus multum est additum: nam sapientiæ studia, vt si qua alia in orbis parte, coluntur vigētque maxime: nullibi que maiora virtuti certioraque præmia proposita sunt, cursusque ad laudem apertus magis, quàm in vlla alia gente. humaniorum litterarum cultus desideratur, sine iniuria tamen cæterarum disciplinarum. Iustitiæ cultores maximi sunt, summos cum medijs, atque cum his infimos, æquabili iure deuinctos tenent legibus armati, & auctoritate muniti magistratus. quorum industria latrocinia sublata, à cædibus, ab iniuria manus abstinēt. nulli enim 30. impune est, quicumque vel sacrosanctas leges, vel quemuis de populo violare ausus fuerit. Retinendæ veteris religionis constantia, quo tempore sacra omnia apud nationes alias rerum nouarum cupiditate mutantur & conueluntur passim, clari atque præstantes. Domi consilium viget, foris arma pulsus intestinis hostibus, atque profligata Saracenorum impietate, magnam orbis terrarum partem inuicta virtute peruagata sunt. Laborum atque inedia, quibus virtutibus omnes difficultates mari terraque superarunt, patientissima natura corpora. nostra tamen ætate affluenti copia voluptatum, illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestrisque, atque commercio gentium exterarum ad copiarum Hispaniæ famam accurrentium, easque importantium 40. merces, quibus vigor animorum extinguitur, emolliuntur labefactanturque vires, eneruati, & peregrinis moribus deprauati, tum obsequio principum, & licentia lasciuientis plebis corrupti, nec libidini, nec sumptibus, nec vestium pretio modum faciunt. vnde quasi ex summo voluente se fortuna graues calamitates prudentibus videntur imminere: cum præsertim ab ingeniorum



austeritate, morumque seueritate atque arrogãtia odium nationum omnium sustineant, grauisimum atque indiuiduum magnorũ imperiorum assecram.

*De fabulosis Hispania Regibus. Cap. VII.*



**T**AQVE venisse Tubalem in Hispaniam in confesso est: quibus verò in locis infederit, quamque latissimæ prouinciæ regionem primùm colendam habitandamque suscepit, dicere non habemus, diuinare non iuuat. Tamen si Setubalis oppidi indicio quidam in Lusitania putat, alij in ea Vasconum parte ma-  
lunt, cui Nauarræ nomen esse demonstratum est, ex Tafala atque Tudela, quas Tubalis colonias esse magis ob affinitatem vocum suspicantur, quam certo aliquo argumento confirmant, sumpta pronũciandi occasione. Nam toti prouinciæ de primi conditoris appellatione Setubaliæ nomen factum, quod nõ nulli ne probabili quidem & ad scænæ ostentationem apto mendacio affirmarunt, eruditæ aures auersantur. quid enim nisi hoc desipere sit, rãtam verustatem ad linguæ Latinæ etymon velle præpostere reuocare, & venerandam antiquitatis formam nouis commentis scedare? quod ij faciunt, cum Setubaliam Tubalis cœtum significare persuadent Tarraconem & Saguntum alij in Tubalis colonijs numerant, quod neque affirmare hoc loco, neque refellere in animo est. Nimirum quod ignotas remotasque à nostro cõmercio regiones describentibus sæpe accidit, vt inaccessos montes, paludes perpetuas, horrida gelu, aut ardoribus vasta loca esse dicant: varias piscium, ferarũ, auiumque formas, prodigiosos hominum mores, insolentes vultus ijs in regionibus ad intuentium legentiumve voluptatem esse confingant, nullo qui redarguat absque existimationis periculo prorsus impune: idem plerisque nostris tum externis historicis video contigisse. qui vbi lumen historiæ deficiebat, rerumque ignoratio antiquitatis velum oculis opponebat, ipsi illustrandi eam gentem studio, cuius res gestas in historiam cõferre erat propositum, & ad maiorem scriptionis gratiam, si nullis lacunis præcisa & impedita, cõtra magnarum rerum luminibus illustris narratio esset, de suo multa commenti sunt. Sed antiquitati fas esse ais, cõsecrare gentis origines, initiaque multo quàm sint, splendidiora facere miscendo falsa veris. Sit sane. modo ne male affictæ vrbium origines, inauditæ Regum progenies, & nomina, & bella, sexcentaque alia id genus portenta ex anicularum fabulis & populari rumore collecta posteritati prodantur: simplexque veritatis facies apertis mendacijs deformetur. quod imitari profectò non debemus, quamuis cum spe veniæ aliena vestigia sectaremur. Ac multo minus Beroso adscripti, qui non ita pridem in lucem prodijt, & ceteros in errorem misit, libri opiniones venditare, somniaque ex fabulis & mendacio compositi eius, qui suas cogitationes alieno nomine, speciosoque titulo, quia diffidebat ingenio, more malorum mercatorũ voluit illustrare, haud satis dissimulata fraude: neque enim coherentia loquitur, neque alia ex alijs apta & colligata ita respondent secunda primis, posteriora medijs, vt non commeti vestigia expressa

pressa vbique cernantur, extentque: si præsertim veterum scriptorum, quæ nobis relicta lux est, tenuis certe & maligna, sed lux tamen nõnulla propius admoueat. Itaque quod ex noui Berosi officina prodijt, Noemum in Hispaniam, ex longo nimirum errore, tandem appulsum, Noelam in Galæcia, in Asturibus Noegam primum fundasse, specioso mēdacio, quoniam de his oppidis Plinius, Strabo Ptolemæus meminerunt, repudiamus. Neque recipimus ab Ibero Tubalis filio, Ibero fluuio, toti deinde prouinciæ Iberiæ nomina fuisse facta, cum sit potius verisimile, Iberos ad Pontum Euxinum intra Colchida & Armenias Caucasij montibus inclusos, inde in Hispaniam magno numero delatos, atque vrbe Iberia supra Dertusam constituta, vicino fluuio primùm, vniuersæ deinde prouinciæ, nouas Iberi & Iberiæ appellationes fecisse: quemadmodum Aragonis fluminis, ab alio eiusdē appellationis in Iberia, nomen quidam fluxisse putant. Nam Celtiberiæ nomen ab Iberis & Celtis duplicata voce venit: qui & ipsi superatis Pyrenæi iugis, ex Gallia finitima in Hispaniam delati (& Celtas Appianus in Citeriori Hispania collocat) mixto cum Iberis sanguine Celtiberiæ appellationem effecerunt. Neque maiorem meretur fidem, Idubedam Ibero patre defuncto Hispaniæ Regem monti Idubedæ, cuius montis initia, media, atque progressus demonstrata paulò superius sunt, suam appellationem communicasse. Adijciunt huius filium Brigum, cum aucta gente numero, opibus, auctoritate in varias orbis partes colonias dimisisset, Brigiam, quæ postea sit Phrygia dicta, vbi Ilium erat, in Asia cõdidisse de suo nomine, in Alpium iugis Varobrigam e ducibus Brigi vnum, alium in Gallia Latobrigam, quò sua nomina consecrarent, & à suo Rege gratiam inirent nouis colonijs deductis. Mēdacio probabili accommodata fides est: cum Plinius referat transisse ex Europa Brigas, à quibus appellantur Phryges, & plures in Hispania ciuitates Brigas nominari cernerent, vt Miobriga, Segobriga, Flauio brigas: arbitrati sunt Regem aliquem extitisse in Hispania, Phrygiæ gentis auctorem, conditorem Ilij, multarumque vrbium eo nomine in Hispania constructorem. Cum Brigas ex Hispania profectos in Asiam credere, non esset necesse (Midamque Brigibus ad Brimium montem imperasse Conon ait, quibus in Asiam trasuectis, Phrygibus nomen fuit) & in promptu esset existimare, vel prisca Hispanorum lingua vrbem, Brigam communi voce nuncupatam: aut quod verius esse puto, Germanorum nationem prole fecundissimam, aliquando se in Hispaniam primis illis temporibus infudisse, atque à Burgis, quæ vox oppidum ipsorum lingua significat, obtinuisse vt vrbes in Hispania facili litterarum permutatione dicerentur Brigæ. aut si qua alia commodior sit ratio, quæ ignoretur: rãtum ne fabulis in historia sit locus. Tagum post Brigum regnasse, quod ijdem affirmant, eò pertinet, vt nihil sit paulo maioris rei in Hispania, cui non contumò Rex cognominis affingatur: quò omnium rerum certa designari origo & appellationum singularum exacta reddi scilicet notatio videatur. quasi nõ liceat in rebus ipsis resistere, nefasque sit sacra Regum nomina ulterius perscrutando inquirendoque, contrectare. ac non is fluuius in Carthaginensi prouincia exortus, à Carthagine potius nomē traxisse videatur. auctor Isidorus.

Eiusdem

Eiusdem formæ est, Bætum Tagi successorem Bætici nomen dedisse, in Tur-  
 cetas, Turdulos, Bastulosque olim tributæ, atque ab insigni rerum omniũ  
 copia poetarum ingenijs concelebratæ cum primis: adeo vt Elysios campos  
 sedesque beatorum non alibi collocarent teste Strabone. qui legibus, ait, car-  
 mine modulatis vti suo tempore cõsueuisse, vt ipsimet iactabant, ante sex am-  
 plius annorum millia promulgatis. & fortassis annus eorum Romano mul-  
 to breuior erat, & quatuor tantum mensibus voluebatur. Est autẽ vero pro-  
 pius quod numero & auctoritate potiores historici tradiderunt: Bæticiam pro-  
 uinciã à flumio ipsam interfluente dictam, quem incolæ Giritum, externi  
 Bætum vocarunt, fortassis Hebraica voce à crebris domibus, villis, oppidis, 10  
 quibus dextrà leuãque ob agri subiecti bonitatem, cultum collucentemq; vi-  
 debant. Atque de commentitijs Hispaniæ Regibus hæcenus hoc loco. quorũ  
 statuo audeoque affirmare, neque regnum, neq; nomen in ea prouincia, ac ne  
 obscuram quidem mentionem vsquam in probatis scriptoribus extare. Sed  
 vt aniles fabulas colligere, & signẽtis oblectare lectores velle, procul graui-  
 tate suscepti operis esse arbitror: ita quæ magni auctores vulgarunt tradide-  
 runtque, repudiare non ausim.

*De Geryonibus. Cap. VIII.*



PRIMUM Geryonem Græcis & Latinis litteris celebratum  
 licet, Regem Hispaniæ numerare. Is cum aliunde applicuisset in  
 Hispaniam, quod Geryonis nomen Chaldaica lingua decla-  
 rat, peregrinum fuisse, opimæ prouinciæ copijs oblectatus,  
 auri cumulis congestis, cuius quia vsus ignorabatur, glebæ passim negle-  
 ctæ iacebant in agris, nullis fornacibus victæ, sed vt natæ erant, vnde apud  
 Græcos Chrysei illi nomen factum est: pecorumque armentis propter læta  
 pascua copiosus, in prouinciales eatenus rudes ingenio, & per agros ferarum  
 ritu pagosque dissipatos, nulliusque vnius, cuius imperium respicerent, cuius  
 virtute allatam vim propulsarent, sub iure ditioneque deuinctos tyrãidem 30  
 occupasse primus & exercuisse putatur: arcemq; operibus è regione Gadium  
 muniuisse Gerondam, cuius præsidio arreptum semel imperium staret: vr-  
 bemque alteram (nisi ex nomine ducta coniectura fallit) eadem appellatio-  
 ne ad Pyrenæi radices atque in Aufetanis exædificasse oram maritimam cõ-  
 plexus, vnde rebus suis tranquillitatem pollicebatur. Osiris, quem AEgyptij  
 etiam in suis Regibus primum ponunt Diodoro teste, quique alio nomine  
 Bacchus & Dionysius vocitatus est, non ille Semele natus atq; in vrbe Myro  
 educatus (vnde fabule occasio, quia myron scœmur significat) sed AEgyptius  
 Geryonis rationes aduentu inopinato turbauit. cum enim longissima pere-  
 grinatione suscepta atq; obita orbem ferme terrarũ vniuersam, ab AEthio- 40  
 pia ad Indos, Asiam, & Europam victorijs illustrasset, vitesque & frumenti  
 ferendi scientiam vsusque vbique primus monstrasset, tandem in Hispaniã  
 perlatus, quod in alijs orbis partibus nullo suo priuato compendio ductus,  
 sed odio tantum ardens improbitatis extirpandæ præstiterat, vt exactis ty-  
 rannis

rannis pristinam reuocaret libertatem, idem in Hispania faciendum sibi iu-  
 dicauit. quam in seruitutem redactam, omnes indignitates contumeliasque  
 perferre fuerat ante denunciatum. & quia voluntate tyrannum copijs opi-  
 busque præualidum, facturum quicquam pro sano non sperabat, ad arma vē-  
 tum est. Instructis vtrinque copijs collatisque vexillis in Tartessiacis cam-  
 pis ad fretum Gaditanum dimicatum ferunt, magno quidem animorum ar-  
 dore ancipitique Marte: cæterum victoria cæsis & fugatis Hispanis penes  
 AEgyptios stetit. Geryon ipse in prælio cecidit, occisique corpus victoris  
 iussu (sic aiunt) sepulturæ mādatur, in extremis freti faucibus ad locum, vbi  
 20 nunc Barbate oppidum situm tumulo composito. Diuinitati consecratum,  
 constitutum in ora Siciliæ ab Hercule templum, atque Geryonis oraculum  
 Patauij famosissimum, quod à principibus etiã viris religionis ergo frequẽ-  
 tabatur, satis declarant. Pace igitur per hunc modum restituta Osiris benefi-  
 cio, de pulsaque tyrannide, cum acerbum, remque non optimi exempli ad po-  
 steritatem victor iudicaret, parentum peccata filijs puniendis emẽdare, gra-  
 ueque videretur tres Geryonis filios ætate pueros, forma præstanti, atque in  
 spem paterni regni educatos in turbam conijcere, aut perpetuæ seruituti exi-  
 lioque mancipare: & fere magnis animis post victoriam aduersus prostratos  
 succedit humanitas: quorum mentes non magis paternis vitijs & exemplis  
 20 ad crudelitatem erudiri, quàm funesto exitu castigari posse non desperabat,  
 viris prudentiæ opinione excellẽti, qui infirmam puerorum ætatem, regniq;  
 tantisper molem regerent, commendatos, optimisque præceptis institutos in  
 paterno Hispaniæ regno collocavit. Ipse vt longinquæ expeditionis tanto-  
 rumque laborum fructus aliquis per otium esset in patria, in AEgyptum re-  
 uersus est. Geryones fratres ætate confirmata opibus aucti, atque paterni Re-  
 gni administratione suscepta, beneficij immemores, memores iniuriæ pater-  
 nas inimicitias persequi, cædem vicisci, atque quod gratissimum venire so-  
 let, parentis occisi manibus hostili sanguine parẽtare decreuerunt. quod cum  
 præ se ferrent, alia ex arcano cura non minus sollicitabat tyrannidis exẽplo  
 30 patris in Hispaniam reuocandæ: quod Osiri superstite impune fore non spe-  
 rabant. Hæc cogitantibus, neque rationem tantæ rei conficiendæ satis expli-  
 cantibus, optimum visum est Typhonem Osiris fratrem ad eam rem sollici-  
 tare. quem fama ferebat regnãdi ambitione vltro corruptum esse: & alioqui  
 dira dominandi cupiditas omnia naturæ iura subuertit. Missi legati muneribus  
 haud difficulter se in Typhonis gratiam insinuant: sensimque opem om-  
 nem polliciti, data vltro citroque fide eosdem amicos inimicosque futuros  
 persuadent, vt fratre germano sublato, armis ipse AEgypti regnum inuade-  
 ret occuparetque. Quod cum occultissime factum esset, occisi quidem corpus  
 40 diligenter conquisitum, Isis Regina in Abato tumulauit eius paludis insula,  
 quæ Memphi proxima est: quam idcirco Stygem, hoc est mœrorem, vulgò  
 homines nominarunt. Tanta perfidia latere non poterat, neque occulti quic-  
 quam esse in intestina discordia. Orus qui eo tẽpore res gerebat in Scythia,  
 celeriter in AEgyptum rediẽs, paternam cædem morte Typhonis vltus est.  
 & cum cognouisset impiæ conspirationis conscios impulsoresq; præcipuos,  
 Geryones

Geryones fratres extitisse, paternæ gloriæ æmulatione & vindictæ cupiditate inflammatus, suscepta non minori quàm pater expeditione, varias toto orbe gentes in fide cõfirmavit, nouasque ad amicitiam adiunxit: & quam à matre acceperat, medendi arte diuinitatis honorem obtinuit, opinionem excitauit. Vnde à quibusdam Apollo est dictus, ab alijs propter militarem scientiã, & pugnandi dexteritatem Martis nomen tulit: ab omnibus Hercules vocitatus est, non ille Amphitriõnis filius, sed Libyus: quem monstra domuisse fama tenuit, claua & leonis exuijs armatum, armorum è calybe vsu nõdura per ea tempora ad humani generis exitium excogitato. Ergo numero conflato exercitu, & collectis vndique auxilijs, formidabilis in Hispaniam tandem contra Geryones penetrauit, Gadeisque peruenit: quò se illi iam dudum receperant collatis in vnum regni copijs, comparato in multos dies, si forte ducendum esset bellum, commeatu, finitimorumque auxilijs vndique conuocatis. Nam conscientia patrati sceleris animos debilitabat, & scisis prouincialium studijs pro ipsis & aduersus ipsos, erectisque multorum animis ad spem recuperandæ libertatis, in ambiguo erat, suis an externis magis diffiderent. Desperata salus si Aegyptij vicissent, ad rabiem magis quàm audaciã accendebat. Itaque locis munitis se tenere constituunt. Hercules contra instructis copijs progressus, in hostium conspectum peruenit. & quoniam neq; bellum duci volebat, & tantos vtrinque exercitus cõtemplatus, ad honestam vllam pacis conditionem venturos hostes non sperabat: neque si venirent nisi si patre, Geryonum sanguine vindicato, satis foret è dignitate ab armis discere: animo reputans tamen quanta vtrinque hominum strages futura esset, si totis vtrinque copijs esset dimicatum: Geryonibus misso Feciali iubet denunciari: vt si quidem corporis robore fiderent, quo erant firmissimo, vel æquitate causæ, qua niti videri volebant, prædicantes se ab Osiri fuisse iniuria prouocatos, violatosque priores: eam vltro se conditionem componendæ totius contentionis, proponere, quam ne desiderare quidem ipsis venisset in animum. Vnde culpa orta esset, ibi periculum cõsisteret: parceretur innoxio sanguini, à ciuium & cognatorum laniena temperarent. Neque vereri se pro communi vtriusque exercitus salute contra tres ipsos vnus ex prouocatione dimicare, suoque periculo multorum redimere incolumitatem, singulari quidem certamine & aduersus singulos separatim, numinis auxilio fretum, cuius arbitrio res humanæ vniuersæ, sed & maxime bellorum euentus gubernatur. Eam conditionem Geryones libenti animo susceperunt, minime de victoriã dubitantes. Die dicta vbi ad manus deuentum est contra accidit. tres Geryones ab vnò Hercule superati iugulatique. Tumulus in eadem insula eorũ corporibus compositus. quo ex tempore nomen Erythræe inde tulisse putatur, non ipsa sola, sed & vicina Gadibus insula, obiectaque continentis Hispaniæ pars: quoniam gentes ex Erythraeo mari Orum securæ, eius consensu pace facta loca ea domicilio delegerunt. Demum in freti Gaditani faucibus, magnis vtrinque molibus iactis in mare, Calpe & Abyla montibus constitutis (quæ Herculis columnæ dictæ sunt) rebusque cæteris in Hispania ordinatis, Hispalum è sociorum numero ad prouinciæ gubernacula reliquit: cuius fidei, constantiæ,

stantiæ, atque industriæ domi militiaeque præclara monimèta extabant. ipse in Italiam nauigauit.

*De Hispalo Rege & Herculis morte. Cap. IX.*



**H**ISPALVM in Hispania post Geryones regnasse, constanti omnium fama & prædicatione traditum est. Iustinus assermat ab Hispalo dictam Hispaniam vnus permutatione litteræ. adiungunt alij conditam huius industria atque nomine Hispalim, vrbem amplitudine, opibus, commercio propter Bætis iubectiones, inclytæ fertilitatis glebam, nulli in Hispania secundam: ab ea procedente tempore ad totam prouinciam Hispaniæ appellationem deriuatam. Isidorus eius vrbis conditionem Iulio Cæsari adscribit, quo tempore res in Hispania gessit scilicet, Iuliamque Romulam suo illam & Vrbis Romæ iunctis nominibus nuncupasse ait. dictam verò Hispalim, quòd in palustri loco suffixi profunde pali fundamenta contineant, & fortassis tunc primùm amplificata locis, ædificijs illustrata, & iure coloniae donata est: nam a Plinio Romulæsis colonia vocatur. verum vt eo primùm tempore fuerit ædificata, fide caret, idonea argumenta auctoresque deficiunt. Plutarchus scripsit, altero Dionysio, Semele nimirum nato, in Hispaniam appulso, totaque prouincia victribus armis parere imperio compulsæ, è socijs vnum ad res gerendas relictum Pana nomine effecisse, vt prouincia primùm Pania, deinde vnus litteræ adiectione Spania diceretur. Verum de his liberum opinaturis iudicium esto. Illud non recipimus: Hispalum reliquisse filium nomine Hispanum, qui patre defuncto regnaret. tantum eundem hominem gemina voce significari à diuersis scriptoribus credimus: cum Hispaniæ nomen vtrique acceptum feratur: & qui alterum ponunt, nullam de altero mentionem faciant, vno excepto Beroso, cuius male cõsarcinatas fabulas paulò ante repudiavimus. Huius Regis res gestæ cum ignorentur ob longinquitatem, nostri historici vt gracilem, tenuique riuo historiam corruatis aliunde aquis amœnorem facerent, & ne quis esset Regum, cui non continuo Hispaniæ rerum, quod siue nomen, siue ædificium ad maiorem celebritatem, quod male cohæreret, alluerent: Hispalum scripserunt vrbem Segobiam, aquæ ductumque in ea, mirabili tum forma tum altitudine excitasse. quod de aquæ ductu constat Traiani Imperatoris esse opus, certe per ea tempora factum. In portu verò Brigantino (Corugnia hodie vocatur) turrim speculo impolito, vnde erat despectus in mare, nauesque procul venientes speculari atque prospicere ex imagine obiecta consueuerant. atque eo præsidio vitare pericula, exædificasse Hispalum vt existimarent: ex Latinæ tum linguæ tum historiæ pudenda ignorantia factum est, speculæ voce, quæ eas turres significat, in speculi significatione vsurpata. & constat turrim illam in honorem Augusti Cæsaris fuisse à Brigantinis ciuibus constitutam. C. Seuius Lupo Lusitano architecto, cuius nomen hoc ipso tempore vicinis rupibus incisum legitur. nimirum in publico id opere facere lege vetitum erat: quæ lex inter Romanas in Pandectis extat.

extat. fuitque Phidiæ Athenis capitale, violata ea lege suam & Periclis imagines in scuto Palladis efformasse, quamuis in dissimulato habitu: in quo religio etiam læsa esse poterat iudicari. Defuncto Hispalo, quo tempore auctores variant, sed defuncto tamen Hercules ex Italia, vbi eatenus moram traxerat, rerum nouarum metu continuo Atlante, cuius magnitudinem animi perspectam habebat, rebus in Italia præfecto, accurrit in Hispaniam. Vbi re. recte & sapienter administrata, nouisque in ea vrbibus constitutis, in quibus Iulia Libyca & Vrgelia in Pyrenæi montis complexu, Barcino & Turiaso in Citeriori Hispania à quibusdam commemorantur Herculis coloniam fuisse, in senili affectaque ætate defunctus, propensa vniuersæ prouinciæ voluntate diuinitati est consecratus. diuini honores decreti tēplo dicato. Quo loco corpus Herculis solennibus sacris, non tantum à prouincialibus, sed etiam ab exteris nationibus religionis ergo eò confluentibus coli cœptum magno sacrificulorum quæstu & loci nobilitate. Templum illud Herculis sepulcro clarum qua in Hispaniæ parte extiterit, auctores in diuersum trahunt: & in rebus tam antiquis diuinare ex coniecturis facilius fuerit, quam certa ratione in alteram partem pronunciare: alij Barcinone dicentibus, vbi ad templum maximum vetusti operis reliquiæ & magnifici sepulcri vestigia extant: alij in Gadibus: alij, quorum auctoritas potior erat eruditio maior, Tartessi existimantibus ad fretum Herculeum: quo loco constat, eam religionem diu fuisse conseruatam Herculis magnifico templo excitato.

*Hesperus & Atlas Hispania Reges. Cap. X.*



**H**ISPALO & Hercule in Hispania sine vlla prole defunctis, Hesperus Atlantis frater, in Africa, vt perhibent, natus atq; vnus è socijs Herculis, quod is testamento sanxerat, Hispaniam regendam suscepit tanto gentis consensu, quanto haud quisquã alius. Rerum gestarum fama & virtutis exactæ opinio maxime ad populum commendabant: vsque eò vt vniuersam Hispaniam de Hesperii nomine Hesperiam cœpissè dici, Græcis & Latinis auctoribus persuasum sit. Macrobius & Isidorus ab Hespero stella occidua malunt, quæ in Hispania occidit, & ad quam ferme respiciunt in eam regionem nauigantes. Læta certe huius regni initia breui luxuriarunt vanaque euaserunt. Atlas Hesperii frater ex Italia, vbi relictus ab Hercule fuerat, Hispaniæ copijs & amplitudini inhians, iniuriam sibi factam expostulabat fratre prælato. Nec mora: in Hispaniam delatus, incensis pro eo militum studijs, quem militari gloria florere considerabant, regnum cepit. Hesperus à suis desertus fuga in Italiam euadere coactus est. Hetrusci eiectioni hominis atque profugi calamitatem nulla ipsius culpa, fraterna tantum ex ambitione contractam miserati benigne primum hospitio acceperunt: deinde probitatis & modestiæ experimento, fama que rerum gestarum permoti Hesperum, qui Corythi Regis (huc Ianum etiam quidam & Iouem nominant) teneram ætatem præsidio indigentem atque rectore, veris virtutibus informaret: regni que tantisper molem, dum ille

ille adolefceret, humeris sustineret, omnibus suffragijs delegerunt communi prouincialium lætitia. Spem de eius probitate conceptam animis irritam non fuisse declarat Italiæ nomen, ab eo tempore Hesperia etiam appellatione mutatum Hispaniæ exemplo, atque Hesperii probitatis argumento efficaci. Qua re in Hispania nunciata Atlas sibi metuens, ne prima negligendo serperet malum, resurgenteque à secundo hominum fauore, fratris potentia, de Italiæ primum imperio cadere, deinde etiam de Hispaniæ possessione periclitari cogere: suorum concilium aduocare, nouos delectus habere, omnibusque posthabitis in Italiam festinare constituit. Sequebatur valida Hispanorum manus, in qua plerique Hispani proceres in expeditionem deducti per speciem honoris, & vt se ijs auxilijs confirmaret, re vt obsidum loco essent, ne se absente, externo repudiato nouis imperijs studerent. Suscepta nauigatio secunda non fuit. vi tempestatis in Siciliam abreptus, eius insulæ copijs oblectatus Hispanorum in ea partem non exiguam reliquissè memoratur: quorum virtute insulæ occupatum imperium retineri posse sperabat. Cū reliquis copijs ex longo interuallo atque post longas moras in Italiam tandem delatus, Hespero interea rebus humanis exēpto, Corythum Hetruscum Regem facile in potestatem redegit: rerumque in Italia nullo resistente arbitere, è duabus filiabus alteram Electram nomine Corytho vxorem dedit: vnde Iasius & Dardanus nati sunt, de quibus mox sermo redibit. Altera cui nupsit incertum est, ferunt tamen Romen vocatam, ditioneque tenuissè loca, per quæ Tiberis fluit, qui tunc fluuius Albula dicebatur. addūt ijs locis prius Hispanorum copias ab Atlante fuisse collocatas. præterea memorant Romen deinde in Palatino monte eius vrbis prima fundamenta posuisse, quæ à paruis initijs profecta orbis imperium longo interuallo nacta est. An fabulæ hæ sunt Fabij quamuis Pictoris auctoritate affirmatæ: nostrorum mulcēdis auribus datum, ab Hispanis conditam urbem Romam? nam alij Romen eius vrbis conditricem AENEÆ neptim faciunt, Aescanij filiam. Alij post Ilij excidium cum AENEÆ in Latium delata nobilissima captiuarum fuit, incensis nauibus ad Tiberis ripam oppidi ijs locis condendi auctor, quod eius nomine Roma sit dicta. Omnino Urbem Romam ante Romulum conditam fuisse, magnorum virorum testimonia confirmant: neque obscurum est, nomen alterum fuisse Romæ, quod foras enunciari cæremoniarum arcana verabant. eius violati silentij reum Valerium Soranum capite pœnas dedissè. Cæterum quale illud nomen fuerit clam est: neque satis fixum à nostra gente eam urbem fundatam, quod nostri historici affirmarunt. Quid me scribere par sit, leges historiæ, quam quid nostrates laudaturi sint, considerabo: neque in tempestiuis commentorum floribus, quibus Hispaniæ rerum splendor non eget, simplicem veritatis faciem exornabo. Itaque Romam Hispanorum coloniam fuisse, inter incertæ fidei res (ne quid grauius dicam) ablegamus. Quemadmodum Sicorum, Sicanum, Sicelem, Lusum, quos recentes historiæ in Hispaniæ Regibus ponunt, eorum veteres nihil meminerunt, penitus repudiamus. Ac ne illud quidem recipimus: Atlantis filium nomine Morgestem à patris obitu in Italia regnasse: vnde Hispani Atlantem in Italiam secuti,

cuti, Morgetes fuerint dicti: quod nihilo meliori fide stat: & credam potius eam gentem ab vrbibus, in quibus habitabant, appellationem tulisse; cum duplex Murgis in Bætica extiterit, altera ad maris littus, quæ modò Muxacræ nomen habet: in interiori prouincia altera, quæ hodie Murga nuncupatur: atque his locis finitima Murcia, quam Morgetum sedem quidam faciunt. Vnde in Sicilia Murgantium vrbs atque Murgentini populi fortassis hoc ipso tempore aut alio quouis manarunt. & est omnis coniectura fallax, quæ nomen tantum similitudine nixa est.

*De Siculo Hispania Rege. Cap. XI.*



LLVD Philistij Syracufani auctoritate munitum pro vero recipiatur: Siculum Atlantis filium, post patris ex Hispania discessum, pro absente vicarium eam prouinciam gubernasse, successisse defuncto. Regno is suscepto, rebusque in Hispania ordinatis, cupiditate incensus regni Italici hæreditatem cernendi, cum lectissimis copijs eò profectus est. Paterni exercitus reliquiæ ab indigenarum iniuria tuendæ erant: Iasij & Dardani cõtrouersia pacandæ post Corythi patris obitum de Hetruriz possessione certatium. Iasij, cuius melior erat causa, vires infirmiores, vt maturaret littere sollicitabatur. Multum temporis in ea nauigatione consumptum. ex itinere vltro, siue tempestatis vi in Siciliam appulsus veterum sociorum vires confirmasse fertur, Cyclopiibus & Lestrigonibus feris & immanibus gentibus bello illato. Parta victoria ei insulæ, quæ Trinacria erat, noua nomina facta (sic quidam suspicantur) Siciliæ à Rege Siculo, Sicaniz ab Hispanis, quos ad retinendum eius insulæ imperium reliquit, ex ea Hispaniæ parte auctos, quam Sicoris amnis interfluit. nam ijs in locis olim Sicanam gentem habitasse in confesso est. Sunt qui Sicoriz etiam nomen ei insulæ adhæsisse tradant à Sicoris gente Sicanis vicina, siue alio nomine eadem Siculum etiam secuta. Deinde Romen Atlantis filiam cõtra Aborigenes bello identidem lacescentes opportunis auxilijs à fratre Siculo firmatam addunt, nullo cõmodiori argumẽto, quàm quòd Siculorum Sicanorumq; in Latio etiam mentio facta ab idoneis scriptoribus reperitur: quod quãti pòderis sit, alij iudicabunt. In Hetruria demum Dardanum validis Aboriginum copijs stipatum ferociẽtemq; aduersus fratrem, eò redegit: vt positis armis ex animo seu simulata fraude in auunculi se fore potestate promiserit, & sua innocẽtia confisum, & Siculi æquitate, nõ passurum eripi iniuria, quod paterna ex hæreditate debitum, armis etiam vindicaret. Fœdus inter fratres Siculi auctoritate factum. quam breui Dardanus ludibrio habens, Iasium fratrem per fidem conuentionis securum, nihilque minus cogitantem, ferro crudeliter peremit. Eam iniuriam Siculum ad se pertinere ratus, parricidam insgni prælio victum expulit in Samothraciam: vnde Helleponto is superato in Asia primus Ilium condidit. Iasij filio Corybanto pro patre regnum Italiæ de manu est traditum. Rebus ad hunc modum compositis reperiata Hispania, quid Siculum egerit clam est: ac ne referre quidem proptum aliquid

aliquid per hæc tempora memorabile. nisi inania quorundam somnia pro historia venditare placet, vnde noua rursus Hispanorum Regum nomina post Siculum prodierunt. Testa vrbis Testæ, & Contestanæ gentis conditor, ex Africa ad Hispaniæ imperium translatus. Romus Valentiz fundator in Ederanis, cuius antiquum Romæ nomen in Valentiam fuerit transformatum retenta sententia, voce modò mutata. quemadmodum Romam, cum prius diceretur Valentia, ab Euandro vulgatum Romæ nomen accepisse Solinus est auctor. Palatius, à quo Palatui populi, & magno terrarum interuallo Palentia. Cacus abactarum boum indicio Herculis Thebani manibus peremptus in Auëtino monte, vbi Roma est, ipseque morabatur ex Hispaniæ possessione pulsus. Erythrus è mari Rubro profectus, à quo Gadeis insula Erythræa dicta sit. Mellicola alio nomine Gargoris, de quo Iustinus meminit. Quæ omnia neque tanquam foueam intacta præterire debuimus, cum in eam nõ vulgus modò, sed expoliti doctrina homines præcipitarint: neque verum ea probare, quæ ad anicularum fabulas ableganda potius esse, præiudicatum habebamus. Siculum sane à Iustino arbitror Sicorum nominari.

*Variæ gentium migrationes in Hispaniam, Cap. XII.*



UPERIORVM Regum tempora tum imperij tum ætatis certa ratione designare promptum non est: ac ne ab orbis quidem constitutione annos numerare facile. neque deesset studiũ, si qua se via conantibus panderet inquirenda veritate, nunc coniecturis standum. Quibus Geryones Hispaniæ Reges suspicabar quarta aut quinta post diluuium ætate vixisse. Siculum ducentis amplius annis ante bellum Troianum. Huius ætate aut non multo post, numerosa classis soluens ex Zacyntho (quæ insula Peloponneso ad Occasum in Ionio mari adiacet) in eam Hispaniæ partem perlata, vbi nunc Valentia cernitur, Zacynthum condidit (quod deinde nomen Sagunti appellatione mutauit) tribus à littore passuum millibus, se muniendi cura contra prouincialium vim, & vt esset quòd fortunas aurum & argẽtum conferrent, scrutis vilissimisq; rebus muratum. simplici homines ingenio sua bona & natiuas opes ignorabant. Eius arcis præsidio liberius in prouinciam penetrare ausi sunt, atq; vicina littora explorare: adeò vt sexaginta ad Occasum passuum millibus idoneo loco, templum Hispaniæ celeberrimum Dianæ exædificare aggressi sint (vnde Dianium promotorium dictum) moreq; è Græcia aduecto simulacris exornare, multoq; victimarum sanguine nobilitare. Cæremoniarum insolentiam & totius structuræ maiestatem admirati incolæ, quasi è cælo lapsos homines, maiores cõditione mortali heroes credere. & eit innatus humano ingenio sensus & reuerentia diuinitatis. sic nulla re magis capitur quàm religionis studio, vero aut simulato. Tẽpli huius cõtignationem ex iunipero materia imprimis odorata, Plinius ad suam ætatem incorruptam mansisse est auctor. Secũdum Zacynthos Dionysius alter centum quinquaginta circiter annis ante bellum Troianum, in extremam Hispaniam penetrasse fertur: atque in Bætis æstua-

rijs inter duo eius fluminis ostia, quibus tunc decurrebat in mare, Nebrissam ædificasse, à nebridibus, id est, ceruinis pellibus, quibus Dionysius & socij in communi vita & cum sacris operabantur, ut soliti erant, Nebrissæ appellatione facta. cui deinde oppido Veneriæ cognomen accessit. Tres fuisse Dionysios seu Bacchos Diodorus scribit. Primum Deucalionis, ut ego interpretor, Noë filium, Osirim nempe Aegyptium, de quo superius est demonstratum. Alterum Proserpinæ seu Cereris filium, cuius ad simulacra cornua adhibere moris fuit, boues primum ad aratrum iunxisse monimentum. Tertius Semele ex adulterio natus fuit, & in vrbe Myro (quæ vox fœmur significat) educatus: vnde materia fabulandi in patris Iouis fœmore. 10. geuissè. Hunc ferunt primi Dionysij æmulatione, suscepta expeditione, multis obitibus prouincijs, defunctum victorijs Hispaniam maleficijs omnibus atque immanitate repurgasse eorum, qui in tenuiorum fortunas grassabantur. Quo tempore Milicus Myricæ filius, fortassis & ipse è Siculi posteritate, gratia, opibus, auctoritate plurimum poterat inter Hispanos. Milici nepotes non procul Batiâ Castulonem condiderunt in Bæticæ agro, urbem quondam inter primas Hispaniæ nobilem. Dionysij duo socij ab eo reditum ad suos adornante in Hispania relictum cum potestate. Lusus à quo Lusitanorum nomen & gens, & Pan, quem delusi vana superstitione homines diuinitati consecrarunt, & ab eo vniuersa prouincia Pania primum, deinde Spania dicta est. auctores Varro atque Plutarchus. Non longo annorum interuallo Iason Thessalus gloriæ cupiditate incensus, pyratice deditus (quod ingentes opes parabat, littoribus nondum munitis, hominibus per agros pastorum in morem in tugurijs habitantibus) Argi industria excellenti forma nauim ædificandam curauit: multisque socijs sibi adiunctis, Hercule Thebano, Orphæo, Lino, Castore & Polluce ex Thessalia soluens ad Sigeum Troiæ promontorium Hesionem Laomedontis filiam eripuit ab interitu: inde in Colchidem perlatus, vellusq; aureum furatus, hoc est, auri gazam, quod per riuos è monte Caucaaso dilapsam villosis pellibus piscari quasi retibus soliti erant, cum ijs copijs raptaque Medea in Mœotidem Cimmerio bosphoro superato penetrauit. Tanai mox aduerso, quo fluuio ab Europa secernitur Asia, nauim aliquanto spatio, quâ pertractam remulco, quâ solutam in partes humerisque deportatam in Sarmatico littore rursus compegisse fama est Germaniæ, Galliæ, atque Hispaniæ circumductis littoribus, tandem ad freti Gaditani fauces constitisse. in ijs extremis, quâ in Mediterraneum mare se pandunt, monti Calpi imposuisse arcem: quæ de Herculis nomine Heraclea dicta est. Prædæ cupiditate ex ea cum Hispanis varia fortuna pugnatum. Ingens præda fuit. qua in naues imposita, iustoque præsidio in arce relicto, Saguntum abiit. ibi benigne accepti propter communem originem linguæque commercium, ad Baleares excensione facta, Bôcorique earum Rege in potestatem redacto, quia nullum ijs in locis aurum inueniebatur, comparato comœatu, bobusque letissimis in naues impositis in Italiam transmisere. Quo loco in montis Auentini antro interfecto Hercules Caco, morem etiam sustulit, Saturnum

Saturnum quotannis placandi homine de ponte Miluio iactato, quod crudele erat & inhumanum, ritu tamen permanente, ut effigies hominum scriptæ verborum vicariæ mitterentur in aquas. Longissima nauigatio fuit, miraculo comparanda. præsertim cum soluta rursus nauis per Liguriam, qua parte breuissimus in Padum traiectus est, in Hadriam delati absoluta nauigatione læti & incolumes, tantis rebus perfectis clarissimi in patriam peruenisse credantur. Verum externa mittamus, satis oneris sustinentes Hispaniensium rerum commemoratione. Auctorem habeo Hecatæum, qui Herculem Amphitritonis, alio nomine Alcæum, venisse neget in Hispaniam. 10. Diodori & aliorum omnium opinio resistit. Vestigia præterea in Hispania, Pyrenæis iugis, & Gallia Narbonensi huius expeditionis multis seculis impressa, ipso in Italiæ aditu Alpes Lepontiæ & Euganæ ab Herculis comitibus sic dictæ declarant, venisse quidem in Hispaniam Herculem, & copiarum quidem partem terrâ in Italiam peruenisse, inde locis Græca nomina facta. Nam quod Geryonum cædes eidem à Virgilio tribuitur, errare potuit ut humanus, ex nominum similitudine temporibus commutandis. Post Herculis expeditionem & Milici ætatem, Gargoris in Hispania regnauit, mellis colligendi inuenta arte vsuque nobilis, vnde Mellicolæ cognomen assignendi occasio. Huius ætate bello Troiano confecto, atque vtriusque exercitus reliquijs in varias orbis partes dispersis, non pauci neque contemnendi Græcorum Duces in Hispaniam nauigarunt. & nostrorum scriptorum cõsentiens opinio confirmat, multas gentes eò antiquitus traductas propter locorum commoditatem in varijs eius prouinciæ partibus conseditisse. In quo numero Teucer amisso Aiace fratre, eoque à patre Telamone aditu patriæ prohibitus, in Cypro Salaminâ urbem patriæ cognominem cõstituit. In Hispania deinde, quibus locis Carthago est, urbem alteram de suo nomine Teucricam posuisse memoratur. quod pro vero relinquere, si Isidori testimonio, qui Teucrum quidem in Hispaniam venisse ait, confirmaretur: aut eius vrbis aliqua vestigia vel obscura possent demonstrari. Illud constanti aucto- 30. rû fide traditur, Teucrum freti faucibus enauigatis, flexisq; ad dextram proris, ac promotorio Sacro superato, in Calæciæ littore urbem Heilenem construxisse, quo nunc loco Ponteuedra sita est, de socij nomine Amphilochem, quam Romani Aquas calidas dixerunt, Sueui (quo tempore ijs locis imperiû tenere) Auriam. Diomedem rursus memorant Tydei filium Hispaniæ littoribus præternauigatis, repulsum vndique prouincialium virtute supra Lusitaniâ Tudem siue Tydem urbem paterni nominis monimentum exædificasse, eo terrarû tractu, qui Minij & Limiæ ostijs ad mare est inclusus. Omnino Mnestheus Atheniensis auctore Strabone libro tertio, sua & ipse classè in Ga- 40. deis delatus, è regione eius insulæ qua parte Belô, qui Guadalesches est, in mare influit, urbem sibi cognominem ab imo totâ cõstruxit portu munitam. Templum etiâ in eodẽ littore inter duo Bætis brachia, cui olim tẽplo Mnesthei oraculo nomẽ fuit: quod ad Græcam superstitionem inter Hispanos suscipiendam, magnum attulit momẽtum. Vlysses tãdem venisse in Hispaniã, atq; in Lusitanæ littore urbẽ Vlysiponem cõdidisse Strabo Solinusq; ipsoq; ex no-

mine ducta coniectura confirmant. Refellunt quidam tum nominis argumēto, nam Olisipo ex antiquis monumentis, & lapidum inscriptionibus nominari scribique debet. & quoniam Vlyssis aræ supra mare Armoricum in Belgis non vno loco extabant. nempe ex Græca vanitate, quem in Deorum numero habebant, ei templa atque oppida consecrabant, quod Hispanis contigisse etiam, non inepte prorsus arbitrantur.

*Habidis res gesta, & generalis Hispania siccitas. Cap. XIII.*

**I**NTEREA Gargoris Rex in Tartesiolorum saltu, vbi Titanas aduersus deos bella gessisse antiquitas finxit, Curetum regnū tenens auctore Iustino, cæteras virtutes omnes, quæ magnæ in illo fuerunt, vna crudelitate suggillabat. Habidem nepotem ex filia furto conceptum ad depellendam generis ignominiam, dolorem ex eo casu procurandum, feris laniandum in mōte obijci mandauit. Illæ naturæ conditione mutata eam infanti exhibuerunt humanitatem, quem effertus aui animus denegarat, vberibus distentis lacte etiam in os instillato. Repertum incolumem, in angusto primū tramite pecoribus conculcandū, aui iussu proiectum ad maiora fata numinaq; seruarunt. Multorum dierum inedia maceratae canes, quibus & suis denuo fuerat obiectus, quodam misericordiæ sensu vltro lactarunt. In mare demum præcipitatum fluctus sustulerunt, cerua in littore diligenter aluit. Pro alimenti cōditione animi mores corporaq; mutantur. eo lacte educatus, mirabile dictū est, quantam pedibus grandior celeritatem excitarit. ferarum cursum adæquabat, vndique prædas agebat importunus & audax. neque resisti poterat, cum ad velocitatem vires & industriam adderēt. Insidijs tamen exceptus, laqueoq; implicitus ad auum perductus est. Ille ad iuuenis conspectum sensu naturæ tacito, quo sæpe ignorantēs tangimur, (& nescio quid ea fortuna maius micabat in facie) vultu nepotis & notis, quæ infantulo inultæ erant, attente consideratis, intellexit nepotem suum non absque deorum consilio è tot periculis fuisse seruatum. Odium humanitate mutatum. Habidem nominatum regio cultu, dum vixit, apud se habuit: moriens successorem regni, heredem fortunarum reliquit. Suscepto imperio cæteros ante se Reges industria & virtute superauit ingenio præstanti, corpore tātis laboribus durato: quæ res magnas difficultates nō solum mitigare, sed exhaurire etiam conieuit. Ferōs homines per agros dissipatos in vrbes & oppida coire persuasit, quantum præsidij esset in mutua societate, atq; communis iuris commercio demonstrans. ad vitæ cultioris commoda, disciplinæ studium adiectum. sic feri gētis mores humanitate mutati. Vini vsum, agriq; colendi rationem longo ex interuallo restituit: nam herbis antea, & sponte natis frugibus pomisque tolerabant vitam. Leges sanxit, fora constituit, iudicia & magistratus ordinauit. Quo virtutum tenore incredibilem a suis gratiam, apud exterarum nationum nominis celebritatem consecutus, ætate omni ad vltimam senectutem peracta, vitam morte mutauit. Eius posterii per multa secula regnum tenuisse traduntur, nulla neq; nominum neq; temporum

temporum designatione. nisi quod Habidis res gesta in Dauidis Iudaici Regis ætatem incidisse creduntur. Iustinus videtur Geryonibus æqualem facere, & in diuersa parte tenuisse imperium. Consequenti tempore nihil in Hispania accidit memorabile, quod quidem in litteras sit relatum, præter insignem & diurnam, quæ non multo post consecuta est in Hispania, terræ aerisque viginti sex annorum siccitatem, vt nostrates historiæ affirmant, tantam vt fontibus fluuijsque omnibus, præter Iberum & Bætum, præ ariditate consumptis, humoreque penitus exsiccatō, quo partes terræ puluisq; coagmētantur, agri in vastos hiatus abirent, facultate sublata aliō commigrare cupientibus vitæ sustentandæ necessitate. Sic Hispania locis præsertim mediterraneis arborum & herbarum honore nudata (pauca quasdam arbores ad Bætis ripas conseruatas aiunt) bestijs & hominibus consumptis fame, in solitudinem redacta est miserabilem vastitatem. Regum nobiliumque progenies à stirpe defecit, renuicioribus, quibus res angusta domi erat neque in multos dies paratus comitatus, in vicinas prouincias locaque maritima tempestiue dilapsis. Vnde terræ tandem post vim ventorum maximam, qui subsecuti sunt, & arbores omnes radicitus conuulserunt, copiosis pluuijs depulso malo, ad pristinas sedes alijs permixti gentibus reuersi Hispanorum gētem & nomen ferme ad interitum perductum instaurasse creduntur. Sic nostræ historiæ sentiunt. Alij præstanti homines ingenio eruditione magna, huius narrationis fidem conantur eleuare his fere argumentis. Quod nullus neque Latinorum neque Græcorum scriptorum, ac ne nostræ quidem omnes historiæ tantæ rei mentionem faciant, cum sæpe leuia & minutissima quæque persequantur. Nulla neque profectio Hispanorum neque reditus vestigia extant, nulla monumenta, minori sæpe de causa excitari solita. Negant deinde tanta & tam diurna siccitate, qualem fuisse perhibent, humoris partem aliquam in Bæti, Ibero aut omnino vlla in parte conseruari potuisse, quantum humoris vnius ætatis spatio ob pluuiarum raritatem Solis æstu consumatur ad coniecturam de re tota reuocantes. quo tempore sæpe copiosa flumina exsiccantur consumptis penitus aquis: præsertim si maligni sideris vis terris incubuerit, eoque maiori aliqua ariditate laboratum fuerit. Adijciunt tam longi temporis siccitate, non fatiscere terram, sed in puluerem comminui necesse fuisse: cum humore cōcrescant corpora, soluatur ariditate: Africæ Libyæque exemplo, vbi præ Solis æstu terræ humore consumpto, pulueris fluctus montesque vi ventorum concitantur. Hæc illi. Nos ductam per manus famam, & historiæ nostrarum consentiens testimonium temere repudianda non putamus. & licet antiquitatem excusare, quæ summas rerum nunciat tantum, ordinem & vestigia confundit: aut quæ alijs contigerunt, in alios permutat. fama omnia in maius auget, vti in magnorum fluminum lapsu, non temporum interuallo modo, sed & locorum longinquitate non maxima sæpe memoria vitiata. Quod in re præsentis euenisse arbitror ariditate eius temporis, minus diurna, certe minus graui, pluuijs malignis nonnullis tamen terram irrigatam subactamque, ne solueretur in puluerem: neque fluuiorum aquas omnium penitus defecisse, fructus modo arborum terræque

fruges ad maturitatem perduci, hiatusque & voragines semel patefactos, coagmentari nimiam siccitatem vetasse. Et fortassis quod Phaetonis ætate, in alijs prouincijs accidit: terras exustas Solis ardoribus, aeris insolenti siccitate (fabulæ commentò rem gestam antiquitas adumbravit) eandem calamitatem Hispania pertulit, huic alioqui malo inter primas obnoxia.

*Celta, Rhodij, Assyrij in Hispaniam veniunt, Cap. XIII.*



**H**ISPANIAE vastitatis fama finitimarum gentium animos misericordia compleuit, rerum humanarum vices considerantium: deinde depulso malo magnam earum multitudinem in prouinciam attraxit. Agros, cultum, & copias Hispanorum, aut suis ipsi oculis viderant rebus integris, aut ex aliorum prædicatione adamare cœperant. Cum vxoribus, liberis, atque impedimentis omnibus populariter commigrarunt: vastæque & latissimæ prouinciæ eam pro se quisque partem domicilio delegit, quam rebus suis maxime idoneam fore iudicabat: siue pecore diues esset, siue agrorum cultui commercio deditus. Horum industria, multitudine, sæcunditate haud longissimo tempore pristina elegantia, cultus, frequentia restituta locis est, nouaque rebus facies reddita malorum colluuiione sublata. Ex finitima Gallia Celta Pyrenæi iugis superatis, Hispaniæ tractum incolendum suscipere ad Iberi ripam protensum, Idubedæ morti ad Solis ortum adiacentem, lætissima cæli solique facie, vbi Turiaso, Nerobriga, & Arcobriga erant. Ab his & Iberis mixto inter se sanguine Celtiberiæ gentis appellatio conflata etiam est, initio angustioris: deinde sobole aucta fines gentis nomenque ad Austrum prolatum, argumêto Segobrigam, Belsinum, Valeriam, Vrcesiam, aliaque oppida locis remota ab idoneis scriptoribus in Celtiberis poni. quod plerisque gentibus accidit, vt procedente tempore earum gentium fines alternarent, nunc angusti nunc lati pro rerum euentu vario. His finitimi ad Septentrionem Arcuaces, vbi Vxama & Agreda sunt, Duraci, Pelendones, Neritæ, Præfamarci, Cileni Celtiberis contributi, iisque sanguine coniuncti, locis finitimi vno se tẽpore ex Gallia in Hispaniam infudisse creduntur, coniectura probabili, argumento euincente nullo. Illud maiori fide nititur: Rhodios propter magnum in re nautica vsum, maris imperium tenuisse annis viginti tribus, & quod in alijs prouincijs præstitum erat, vt se muniendi causa, classesque continendi maris tempestatibus clauso mari, præterea vnde commercij cum prouincialibus facultas esset, arces multis locis construerent: idem sibi in extrema Hispaniæ ora faciendum iudicasse, ad Pyrenæi montis radices Rhodope constituta ad idoneam maris stationem. quæ vrbs à nostris Rosas vocatur, in eam amplitudinem quondam aucta, vt Gotthorum imperio Episcopi sede esset insignis: nunc ad casam redacta præter ruinas & antiquæ nobilitatis vestigia nihil retinet. Nauticos ex sparto funes plectere, atque ad varios vitæ vsus stœreas Rhodij, primi docuerunt Hispanos. molas trusatiles versare manu molendo frumento, & ad facilitatem consiciendi panis: quod multo ante labore rudibus inge-

nij & industriæ omnis ignaris constabat. Numos ex ære percussos primi mortalium in Hispaniam inuexerunt, magno miraculo risuque initio prouincialium, cum paruo ære, vnde nullus vsus sperabatur, viderent cibos, tegumenta, variaque instrumenta mutari. Accessit religionis cura Dianæ tẽplo Saguntinorum imitatione ædificato: quod exquisitis cæremonijs hostijsque colebatur. Fortassis etiam (nam ritus non explicatur) more è Tauris tranllato, apud quos hospites Dianæ immolare vsitatum erat. Herculi oraculum præterea constitutum sacraque: quæ non faustis acclamationibus, neque sacerdotum placida prece, sed maledictis & execratione peragebantur: nullaque re magis contaminari habebant persuasum, quam si inter solennes ritus vel imprudenti bonum verbum excidisset. Cuius rei hæc ratio reddebatur. Hercules Lyndum, quod est oppidum Rhodi, delatus forte, ab aratore bouem alterum pretio sibi vendi postulauit: & cum non impetraret, vtrunque vi abstulit. Iniuriam ille, quoniam nihil aliud supererat, maledictis vltus est. quæ Hercules tum quidẽ inter epulas cum risu & cachinnis audiuit. Postmodum eo ad diuinitatem consecrato Lyndi ciuibus placuit rei gestæ monumentum perpetuis sacris celebrare ara posita, quam Bouzygon, idest, bouis iugum dixerunt: atque eo ipso rustico sacerdote creato, binis maectatis bobus, conuitia in Herculem certis temporibus instaurari sanxerunt. Is mos ritusque à posteris conseruatus hoc tempore ex Græca vanitate, Rhodiorum commercio, cum multis venit in Hispaniam. Rhodope ex aduersum Emporiarum sita est duodecim millium traiectu interualloque inter vtranque ciuitatem. Pyrenæi montes, quibus hæc vrbes vicinæ sunt, per hoc tempus omni ex parte conflagrasse memorantur, de cælo tacti, an à pastoribus incendio per imprudentiam excitato. forte etiam de industria arboribus dumisque combustis cãpos pandere, idonea culturæ & habitationi reddere rura propositum erat. Ex ea re Pyrenæi vocari ij montes cœperunt à Græcis hominibus, quorum lingua, Pyr, ignem significat. Alij malunt ab igne cælesti eam appellationem conflatam, quo sæpe tanguntur ob sublimitatem. Nam quod de Pyrene quidam fingunt ab Hercule adamata, atque ijs in locis defuncta, aut à Pyrrho Rege quõdam Hispano affirmant Pyrenæorum vocem fluxisse: à sanioribus tanquam fabulosum repudiatur. Omnino eius incendij vi, auri & argenti venæ, quibus tum ij montes tum vniuersa Hispania scatebat, eoque Plutonem in eius terræ visceribus delitescere fingebatur, conflata ardore atque solutæ riuos liquati metalli in omnes partes emisserunt. Ij riuus sedato incendio concreti fulgore suo admirationem prouincialibus commouerunt: contempti tamen ab ignorantibus quanti ea metalla essent. Alijs tamen nationibus re vulgata in Hispaniam veniendi incredibilem animis cupiditatem immiserunt, minime dubitantibus, ab ignaris suorum bonorum Hispanis, facile aurum & argentum impetraturos se, aut vilissimis mercibus scrutisque commutatos.

*Phœnicum in Hispaniam aduentus. Cap. XV.*





**D**HOENICES primi mortalium mare classibus tentasse feruntur: atque ad regendum nauium cursum Elicem, Cynosuram, ipsumque imprimis cæli cardinem obseruasse. Ij maris imperio Rhodijs, Phrygibusque erepto, Tyroque nobilissimo Orientis emporio profecti, ad Hispaniæ copias inter primos nauigarunt. Hispaniæ partem quam primum tenuerint, auctores non consentiunt. Aristoteles Phoenices ait, ad Gaditanum fretum appulso tantam argenti vim à Tartessiacis oleo aduectio mutasse, ut cum neque nauibus ferri neque capi posset, omne instrumentum nauticum ipsasque anchoras ex argento conflarent. Fortassis Pyrenæi incendium per alias etiam Hispaniæ partes montesque vagatum similes ubiq; copias produxit in lucem. aut quod uero est propius, argentum ipsi effoderant, cuius secturis Bætica abundabat imprimis. Alioqui Phoenices extimas Hispaniæ partes primum tentasse credibile est: atque argenti vim illam maximam ex Pyrenæi incendio sublatam concedentibus prouincialibus, mercium quas afferebant permutatione. Sichæum autem vel huic classi Ducem (quod nostri scriptores affirmant) vel non multo post repetitis subinde nauigationibus uenisse in Hispaniam, credi par est: atque ex eo commercio eas copias parasse, quæ regiæ quidem sororis nuptias conciliarunt primum, exitio deinde fuerunt, Pygmalione leuiro auri Hispanici cupiditate corrupto: Didonem occiso marito ijs copijs raptim in naues impositis ereptisq; tyrano, fugam Tharsis, idest Tunetum, cum qua vrbe Tyrijs frequens erat commercium, adornasse: multis adiunctis socijs Sichæi misericordia, odio tyranni, uiduam Didonem secutis. Ijs ad sobolem propagadam in Cypro excelsione facta uirgines raptæ, abductæque Charchedonem: quod oppidum olim Charchedon Tyrius à Tuneto vrbe duodecim passuum millibus condiderat. In eo agro à prouincialibus auro redemptum terræ quantum bouino corio complecterentur: quo in tenuissimas partes dissecto iustæ arcis idoneum locum occuparunt, fraudem incolis dissimulantibus. Vnde & arci nomē Byrsæ factum est, id enim bouinum corium significat, ut Iustinus scribit libro octauo decimo. Alioqui uero propius est Byrsam Phœnicum lingua, quæ Hebraicæ affinis est, dictam quasi Bosrâ, quæ uox arcem munitiōemque significat Hebræis. Eam arcem perpetuo muro cum Charchedone iunctam, locisque amplificatam, atque nouis exornatam ædificijs Carthaginem nominauit, conditam urbem annis duobus & septuaginta priusquam Romanæ Urbis fundamenta constarent. Verum externa mittamus, ne incerto exitu infinita feratur oratio nostra. in Hispaniam redeamus. Ad quam Sichæo sublato Pygmalion nauigatione Hispanica, quæ aliquot annis intermissa fuerat, instaurata, uenisse in Hispaniam fertur: atque ad Turdulorum littoris partem eam, ubi Almunecar oppidum cernitur, urbem Axim seu Exim nomine condidisse. Inde commercio cum prouincialibus inito, atque Hispanicis copijs onusta classe reuersum in patriam. Repetita iterum & tertio ea nauigatione Gadeis tenuisse nostri hystorici cōfirmant: quam insulam ab Ori socijs Erythrææ nomen accepisse supra est demonstratum, Gadiram ab his Phœnicibus, quod ut Hispaniæ sepes marinis Oceani fluctibus obiecta

iecta esset. quidam diuersam causam eius appellationis designant, nimirum oppidum quod primum in ea insula constituerunt Phœnices, sepe ualloque mœnium uice muniuisse. Herculi in eo oppido templum cōstructum aiunt, ex aduersum continentis, qua parte extenuata in cuspidem insula desinebat in promontorium Herculeum ab eo templo dictum. sic perspicaci homines ingenio odorantur. Bini profecto in ea insula putei erant admirandæ naturæ, alendæ superstitioni idonei. alter aqua dulci, cum se æstus ex alto incitabat, quod bis accidit quotidie duodecim horarum spatio, incrementa similia & decrementa suscipiens. falsa alter, easdem uicissitudines sed ex contrario ferens, imminuta aqua cum se æstus extulisset, aucta remittente æstu. Erat & Geryonis arbor, sic dicta, quod præciso aliquo ramo, humore quasi sanguine sudaret, eò rubicundiore, quò propius radices cædebatur, cortice pineo, ramis ad terram inflexis, folijs cubiti longitudine, latitudine digitorum quatuor, neque plures una & altera, quam prioris radices protulerunt. Ad Phœnices redeamus. qui alijs constitutis oppidis, in quo numero Malaca & Abdera sunt, & Bæticiæ parte sub iugum missa, ad uniuersæ Hispaniæ imperiū niti cœperunt non obscure, eius prouinciæ opibus & commercio formidabiles. Plato in Timæo est auctor, Atlantides (iacent Gadeis in Atlantico mari) ex Erythræa insula profectos, & in Achaiam delatos Athenas quidem initio expugnasse, deinde autem belli conuersa fortuna ad unum omnes perijisse. Eam expeditionem de Phœnicibus quidam interpretantur, Orientis, Occidentisque imperio validis, Gadeis continentibus. Vno tempore Romanæ Urbis fundamenta ponebantur, et Iudæorum temp. Ezechias Rex gubernabat Israelis regno, quod decem eius gentis tribus complectebatur, sublato ductu Salmanafaris Assyrij Regis potētissimi. Huius filius Senacheribus numero so exercitu comparato, orbisq; imperium animo complexus, Iudæam prouinciam igne, ferro, & direptionibus vastauit, Hierosolymam obsedit. Cursu tandem uictoriarum elatus, maioraque uersans animo, quam quæ gerere uidebatur, relicto cum copiarum parte Rabface subigenda Hierosolyma anno quarto decimo regni Ezechie, ipse cum robore exercitus Pelusium progressus, quæ Heliopolis fuit, ab ea obsidione cū ignominia est repulsus, Tarachone, qui ad Aethiopiæ regnum, Aegyptum armis adiecerat, obuiam facto. Herodotus à muribus dixit omni bellico instrumento corrupto. uitiata memoria arbitror, quam Hierosolymæ accepit in ipso reditu cladem, centum octoginta quinque hominum millibus diuinitus una nocte prostratis, ad Aegyptios transtulisse. nisi forte diuina uirgens ultio utroque loco susceptæ impietatis pœnas sumpsit. Tarachonem hunc scribunt Assyriorum tempestate ab Aegypti finibus pulsa uictoricibus armis tum alias prouincias lustrasse, subegisse gentes, tum in Hispaniam directo cursu (Strabo in Europam progressum ait) in ea ora cis Iberum in edito tumulo Tarraconem urbem sibi cognominem condidisse. quam tamen Scipiones multo post tempore inaurantes primæ conditionis laudem tulerunt, Plinij etiam Solinique testimonio, neq; apud vulgus tantum, sed etiam ab expolitis ingenio & doctrina hominibus attributam.

*Carthaginienses Ebusum capiunt, Baleares tentant. Cap. XVI.*

ECVNDVM hæc Carthaginenses cum validis instructi clas-  
sibus terra marique essent potentissimi, & ad imperij amplifica-  
tionem multum referre haberent persuasum, si vicinis Mediter-  
ranei maris insulis potirentur: unde ad Europæ imperium gradum  
facere cogitabant: primum Siciliam armis tetarunt, deinde Sar-  
diniam atque Corsicam euentu vario, successu haud satis prospero, cum vindi-  
que insularum virtute repellerentur. Optimum visum est minores primum  
insulas aggredi. Itaque Liguriæ & Galliæ ora relicta, atque ad Hispaniæ lit-  
tus directo cursu Ebusum ceperunt insulam scopulis quidem circumcirca  
impeditam, adituque difficilem, nisi quæ ad Austrum Idoneus portus se pan-  
dit: Dianio promontorio obiectam disiunctamque à continenti centum non  
amplius millibus passuum: ceterum locis angustam ac vix ambitu colligen-  
tem viginti millia passuum: plurima ex parte syluis obsitam, unde à Græcis  
Pityusæ à pinorum copia nomen tulit: salinis diuitem, atque totius terræ no-  
bilitate præcipua: quando venenata animantia ipsa non procreat, aduecta  
perimit naturæ vi quadam admirabili: eo amplius cum non sine ludentis na-  
turæ miraculo Ophiusa prope sita esset, noxijs scatens atque vastata animan-  
tibus, vt præsci Cosmographi testati sunt. Quæ quo hoc tempore nomine vo-  
cetur, diuinare facilius est, quam certa ratione designare: alijs Formenteram  
facientibus bis mille passibus remotam ab Ebuso: alijs Draconeram putanti-  
bus maiori Baleari propemodum coniunctam. Doctioribus placet montem  
Colubrarium continenti vicinum, atque Peninsulæ oppido obiectum Ophiu-  
sam credere, in quem signa vetera consentiunt: serpentibus impediri atque  
vastari, unde Græci Ophiusam dixere, Latini Colubrariam. Neque moueat  
quod antiqui descriptores terræ Ophiusam Ebuso propinquam fecerunt, falli  
promptum fuit propter regionum longinquitatem. Ergo Carthaginienses in  
insula Ebuso vrbe eiusdem nominis ædificata, duas alias ad Ortum insulas  
adiuerunt, ab Hispaniæ littore sexaginta passuum millibus seiunctas, inter se  
triginta. has Græci quoniam à nudis hominibus incolebantur dixere gyne-  
sias, à fundis quibus certissime collimabant, Baleares: & alioqui minorem Nu-  
ram, maiorem Clumbam Florianus dictas ex Antonino ait. Harum insularum  
littora & aditus omnes Pœni quidem circumducta classe explorarunt. inter-  
iora penetrare ausi non sunt, incolarum feritate deterriti: quos qui lace-  
sissent ardentiori spiritu iuuenes, cæsi atque reiecti in naues reliquis documen-  
to fuerunt, feros montanosque homines temere irritandos non esse. Hispani-  
æ deinde littora tentata, si possent aut commercio prouinciales aut armis  
subiugare, Hispanorumque copias Carthaginem auertere. euentu nullo duas  
ob causas. Saguntini ijs insulis vicini, vt erant à multo vsu cauti magnoque  
ingenio, non ignari Pœnos libertati Hispanorum insidiari, à suis eos litto-  
ribus prohibuerunt, ingeniorum dexteritate prouincialibus persuasis ab eius  
gentis commercio abstinere: in specie amicitia latere insidias. Accidit com-  
mode vt res aduersæ Carthagine classes in patriam reuocarent. quæ intesti-  
nis dissi-

nis dissidijs fluctuabat, & Africanorum armis impar erat. præterea seuissi-  
ma pestis lue per ignobilia capita vagata in vrbe ad paucos erant redacti. Ijs  
malis procurandis cruenta sacrorum religione & scelere pro remedio vsi  
sunt. Ritu ex Syria trāsato, vbi Melchon, idest, Saturnus à Moabitibus & Phœ-  
nicibus humano sanguine placabatur, sancitum ex oraculorum respōso, quo-  
tannis lectissimos iuuenes eius dei numine placando vt mactarent. Erat simu-  
lacrum ingens manibus cauis & cōplicitis, quibus impositi infantes, pueri,  
adolescentes in subiectam foueam igne ardētem arte quadam precipitabant. Ma-  
gnus circumstantium clamor erat, tympanorum & sistrorum crepitu partes om-  
nes personabant, ne iuuenum scilicet eiulatus auditi ad misericordiam reuoca-  
rent animos. Ea se religione cum ciuitas implicasset, calamitatis sæpe causse  
depulsæ sunt, diuino numine abiectum veritatis lumen nouo & maiori erro-  
re vindicante. Impius & crudelis ritus non magno interuallo in Siciliam pri-  
mum ex Africa, deinde ad Hispanos manauit. tanta immanitate vt rebus in-  
supremum & maximum periculum adductis, nisi Regis maiori filio mactato  
non satis propitiari numen, haberet persuasum. Quod Moabitarum Regem  
vsurpasse, cum à Iudæis obsidione premere tur, diuinæ perhibent litteræ. &  
fortassis memoria retinebant, Abrahamum Iudaicæ gentis auctorem à Deo  
iussu, filium vnicum aræ impositum iugulare. Mala sæpe exempla ex bonis  
initijs sunt nata. Philo sane in Phœnicum historia morem, inquit, supremis  
periculis fuisse, ciuitatis Principem, filium dilectissimum dæmonio vltori  
pretium liberationis offerre. quod Saturnum, quem Phœnices Israelem vo-  
cant, fecisse ait, filio ex Anobret Nympha vnico, cum bello ciuitas premere-  
tur, super aram regijs ornamentis impositis immolato. corrupta memoria  
Israelem posuit, quippe homo externus, pro Abrahamo.

*Argantonij ætas. Cap. XVII.*

30 **I**N HOC ipsum tempus, quantum in rebus tam antiquis conij-  
cere licet, annum sexcentimum vigesimum ante Christi Dei  
ortum salutarem, cum se hominibus in carne monstrauit: qui an-  
nus ab Vrbe condita centesimus trigessimus secundus erat, Argā-  
tonij Tartesiorum Regis nobilissimi ætas incidit. Hunc Silius  
totos tercetos annos vixisse ait: Plinius ex Anacreontis sententia eam annorum  
illi summam dimidiatam dat. Erat illi magnus in re militari vsus, & ex mul-  
tarum rerum varietate prudentia singularis: vsque eò vt rerum summam &  
imperium permitterent prouinciales, eius virtute atque industria vanos fo-  
re Phœnicum conatus sperantes, iam ex latebris atque insidijs erumpentium  
in apertam tyrannidem. Quam vt constituerent in continentem traicere,  
40 rixas cōtentionesque ferere inter Hispanos, alias ex alijs discordiarum caus-  
sas necere, sensimque multa oppida sua ipsorum ditioni subiugare. Cogni-  
to prouinciales periculo cōdonatis mutuis iniurijs patriæ caritati, sub vnus  
imperio deuincti Phœnicum audaciam reprimunt, susceptam à maioribus  
libertatem tuentur. Auctorem habeo, qui Argantonium affirmat cursu victo-  
riarum

riarum secundo Bæticæ oram maritimam vniuersam, ipsasque ad eò Gadeis sub imperium misisse. quod haud difficillimum fuit plerisque Phœnicibus ex ea insula profectis Tyrum, auxilium aduersus Nabuchdonosorem Babylonium: qui numerofo exercitu formidabilis in Iudæam impetu facto, Hierosolymam urbem copijs, frequentia, ipsaque imprimis loci sanctitate inter Orientis ciuitates facile principem ceperat, Sedechia Rege capto, atque cum vniuersa Iudæorum multitudine in seruitutem abacto. Tyrios deinde impugnandos sumpterat mari terraque nobilissimum Orientis emporium. Illi quanto in periculo res essent, Carthaginem in Africa, in Hispania Gaditanos extrusis legatis monuerunt. Ni mature opem communi patriæ tulissent, vnde orti erant, & cuius industria atque commercio tâtas diuitias parassent, instare exitium. Debere eos siue communi naturæ sensu tam opulentæ paulo ante ciuitatis misericordia tangi: siue cõmunis patriæ periculo moueri: siue etiam suorum commodorum respectu, quæ cadente Tyro euertebantur. Celeritate opus esse propter locorum longinquitatem, rerum angustiam. Rei bene gerendæ occasionem, cum in celeri momento versetur, frustra amissam quæri. Non debere eos sumptibus deterreri, quos victoria parta facile compensare possêt. Laborem, periculum, sanguinem, si opus esset, communi parenti, vnde omnia accepissent, patriæq; caritati denegare, nefas esse. Hac denunciatione quid Carthaginenses fecerint clam est: Gaditani certe ea permoti, delectu iuorum habito & Hispanorum auxilijs aduocatis, instructa numerosa classe, secundisque à pupi ventis, paucis diebus in Tyri conspectum delati, per mediam hostium classem ad obsessos penetrarunt. Eorum aduentu ciuibus cum spe defensionis studium etiam propugnandi accessit, tantum vt integris ferme quatuor annis obsidionem tolerarint, enixe tum Tyrijs tum Hispanis pro extrema spe dimicantibus. sic patientia atque virtute obsessorum fractis Babylonij animis ab obsidione discesserunt. Commodum etiã ex Africa nunciabatur, magnas in AEgypto copias aduersus Nabuchdonosorem cõscribi: quos is conatus priusquam mora conualescerent, reprimendos iudicabat. Pugnatum inter vtrosq; initio varia belli fortuna: AEgyptus tandem & Africa victori, armis domitæ cesserunt. Inde in Hispaniam transmissit, spe ditissimæ prouinciæ copias occupandi: simul studio ardens vindicandi missa Tyrum auxilia. In extrema Hispania ad Pyrenæi radices exposito milite, reliquam Hispaniam Gadeis vsque peruagatus victorijs est. (Iosephus in Antiquitatibus à Nabuchdonosore affirmat, huius Nabuchdonosoris filio, Hispaniam subiugatam, Tyrum obsessam) Verum cum se prouinciales ad resistendum compararent, neque Babylonius vellet superiores victorias aduerso aliquo casu corrumpere: satis diuitiarum congestum esse, satis ad nominis gloriam profecisse, orbis finibus imperio terminato consideranti optimum visum est numerosa comparata classe soluere ex Hispania. vti fecit ab Vrbe condita anno. 171. Huius aduentu in Hispaniam nonnulli, cum multos Iudæos in expeditionem traheret, arbitrati sunt, multa Hebraica nomina cum in Bætica tum in Carpetania locis adhæsisse. atque ex ea gente Toletum, Scalonam, Nouem, Maquedam, Iepem, aliaq; minora oppida fuisse constituta,

constituta, ab Ascalone, Nobe, Mageddone, & Ioppe Palestinæ urbibus, appellationibus mutuatis. Toleti vocem à Tholedoth deriuatam, quod nomen Hebræis progenies familiasque significat, quæ magno numero eius urbis fundamenta posuerint. Quam opinionem neque recellere operæpretium est, neque probare animus, cum leui coniectura nixa sit, neque veterum scriptorum fide auctoritateque fulciatur. Sic compressa Phœnicum audacia & Babylonijs ex Hispania reuersis Phœcæenses Phœcæa Ionix ciuitate profecti, cum classe longarum nauium, quarum primi Phœcæenses inuētores extiterant, in Italiam, Galliam, atq; Hispaniam nauigarunt Harpali sæuitiam venturi copiarum pro Cyro in Asia Ducis sic suspicari iuuat. Ij in extrema Lucania ex aduersum Siciliæ Velia vrbe constituta, cæli eius grauitatem & loci sterilitatem exosi, atque ab incolis male accepti, pars Corlica tentata, atque ad Gallix littus prouecti idoneum portum nacti, tumulo tribus ex partibus mari cincto, difficili è terra aditu propter loci naturam vallemq; altissimam Massiliam urbem condiderunt. Pars in Hispaniam Tartessumque nauigantes, Argantonio Rege in urbem admissi oppositas Tartesso insulas (nunc omnes præter vnam Iunoniam nomine perierunt) quæ Aphrodisiæ vocabantur, Græco instituto atq; ædificiorum elegantia excoluisse memoratur: effecisseque industria, vt quæ paulò ante neglectæ iacebant, ciuibus in delicijs essent. Subsecutum Argantonij funus anno circiter ducentesimo decimo ab Vrbe condita tot circum tumulum obeliscis lapideis constitutis scilicet, quot in bello hostes sua ipse manu peremerat. quem morem ritumque tumulandi mortuos Hispanis solennem atq; vsitatum fuisse, Aristoteles est auctor.

*Phœnices imperium meditantur Hispania. Cap. XVIII.*

**A**RGANTONII mortem magni motus sunt consecuti. Hispania non secus ac destituta gubernatore nauis magnis tempestatibus iactata deinceps est: belli fortuna alternante atque ab Hispanis tandem aueria, quibus libertas erepta est Carthaginensibus in prouinciam attractis. Phœnices per hæc tempora numero, viribus, & copijs aucti, atq; iugo Hispanorum excusso, Gadeis insulam receperunt, fortunarum domicilium, commercij sedem, arcem imperij. vnde in continentem transmittere cogitabant, si qua se occasio dedisset. Hæc cogitantibus, neque rationem tantæ rei perficiendæ satis explicantibus optimum visum est, religionis prætextu aggredi, quo nihil est in speciem fallacius. Quasi per quietem iussi essent Herculis sacra in Hispaniam transferre, templum Herculi in continenti ædificandi facultatem sibi, locumq; esse prouinciales postularunt: & cum datum esset, iustæ arcis forma, addita munitione, magnis molibus ad culmen breui perduxerunt. Multi loci religione, & insolenti cæremoniarum apparatu allecti locum illum domicilio delegerunt. Sic in urbis æmulam magnitudinem nõ magno interuallo excreuit, eò loco sita vt creditur, vbi nunc Medina Afsidonia cernitur. Nam & Sidonis nomen consentit, & locus, cum sit obiecta Gadibus, à maris littore, sedecim passuum millibus.

millibus. Obtinebāt præterea alias vrbes minoraque oppida, vel ex ipsorum numero constitutas, vel per vim ablata finitimis. Vnde ac ex templo præsertim prædas agere pecorum hominumque. Turdetum urbem, quæ olim posita fuit, præter Casarianum & Arcobrigam (hæ hodie Xerez & Arcos sunt) suæ ditionis fecerūt nullo meliori iure quàm quod in vi & armis erat. A Turdeto sunt dicti Turdetani amplissima olim Bæticiæ natio secundum Oceani littora Ana flumine terminati. Bastuli & ipsi in Bæticiæ parte à Tartesso Veram vsque fusi ad Mediterranei maris oram erant. Turduli à Menesthæi portu (is hodie portus à Sancta Maria nomen habet) præter Ortum & Septentrionem extensi paulò infra Cordubam Bæti superato, & Marianos montes attingentes, vsque ad extremum Bæticiæ limitem mediterranea obtinebant. Turdulos & Turdetanos Lilius, Polybiusque vnā nationem faciunt. plerique eorum fines confundunt. quominus ijs describendis, alijsque populorum nominibus eorum ambitu comprehensis, sigillatim recensendis laborandum puto, Malsienis, Selbisijs, Curenibus, Lignijs, alijsque haud exiguo numero nominatis à veteribus regionum descriptoribus. Quod rei præsentis est tamen: tantis iniurijs læsa prouincialium patientia, & nouæ vrbes incrementa suspecta habentes finitimi, bello Gaditanos laceßere constituunt concilio gentis ad diem certam indicto. In eo conuentu Phœnicum iniurias cõquesti sunt. Vt semel Afsidoniæ templum ædificare cepissent, iugum prouinciæ ceruicibus impositum grauissimum. Homines esse auaritia insatiabili, crudelitate maxima, ex fraude & arrogancia compositos. in religionis simulatione inexpiabiles fraudes, immania scelera contegere. Non posse diutius eorum iniurias sustineri. nisi quid auxiliij in mutuo gentis consensu sit, vniuersis domo emigrandum. aliud domicilium, alias à Phœnicibus disiunctas sedes petendas. Quiduis perpeti fore satius quàm tantas & tam frequentes iniurias contumeliasque tolerare. Hæc verba multorum excussere gemitus, expressere lacrymas. Sed silentio tamen facto, Baucius Caperus Turdetanorum Princeps. Mollis, inquit, & eneruati animi est calamitatem deplorare, leue malorum in muliebri eiulatu solamen, turpe nullam rebus asperis opem afferre præter lacrymas. Quin viros nos esse potius recordamur, correptisque continuo armis illatas iniurias vindicamus maiori hostium molestia? Neque erit difficile paucos perduelliones de vniuersæ prouinciæ finibus exturbare: si qui numero, viribus, & caussa potiores sumus, animorum concordiam adiungamus, mutuis iniurijs communi patriæ condonatis caritati: ne quod hætenus euenit, conceptæ animis simultates cursum veræ laudis impediant. Violari nomen nostris iniurijs vindicandis nemo sibi persuadeat: nam fauere sceleri non solet, & iniuria potius oppressis opitulari æquius est. Diuturnam hostium felicitatem metuere non debetis: sed illud potius cogitare consueße deos, quorum scelera vlcisci volunt, ijs interdum res secundas & diuturnam impunitatem dare. Ituri in arma modò maiores vestros & posteros cogitate: ne oblitum sanguinis vestri, nepotum contumelias & commoda negligite videamini. Hac oratione cuncti, qui aderant, animis inflammati, vno consensu bellum contra Phœnices decernunt. Duces delecti, ijsque imperatum quàm

quàm maximos delectus militum, & quàm occultissime habere: quò hostes imparati facilius opprimerentur. Torius belli summa Baucio demandatur: quem exactæ prudentiæ opinio, virtus bellica, multarum rerum vsus ad populum commedabat. Collecto per eum modò numeroso exercitu Phœnices inopinantes locis omnibus oppressi. diuitiæ multo congestæ tẽpore direptæ. vrbes & oppida expugnata momento temporis tum ea quæ per vim occupata tenebant, tum alia, quæ ex sua gente fundarant: Afsidoniæ, quo se Phœnicum reliquiæ quasi ex communi naufragio receperant templi munitione confisæ, nihil impediẽte loci sanctitate eodem animorum ardore vi expugnatam solo æquarunt, ciuibus ad vnũ cæsis, tanta erat vindictæ cupiditas: ne templo quidem ipsi parcitur. Exasperati iusta iracundiâ animi neque misericordiam recipiebant, neque religionẽ mouebantur. Multis annis magnaque diligentia quæsitas opes, fundatam urbem & templum hostilis iracundiæ flamma vastauit. tanta ex eò Phœnicum consternatione, vt paucis in continenti oppidis ijsque ignobilibus retentis, magis quia non impugnabantur, quàm quòd satis animi ad resistendum esset, in insulam Gadeis compacti de Hispaniâ, vbi tanta inuidia flagrabant, deferenda, consilia inter se communicarent. Omnino concordie spe omni sublata, externa auxilia aduocare, ijsque se aduersus prouincialium vim munire constituunt.

10 E Tyro expectare longum erat in ea rerum angustia. vnde minime debuerunt, Carthagine propter communem originem, regionum haud magnum interuallum euocant. Dato senatu, legati Phœnicum supremum in periculum res Gaditanorum venisse, Patribus explicant. nisi in ipsorum præsidio, spem nullam esse reliquam. Non iam de opibus laborare, quibus puncto temporis iniuria exuti essent: sed de libertate & salute periclitari. Venisse quam toties expetissent, occasionem in Hispaniam transeundi, honestam iuxta ac piam, pro necessarijs & cognatis tuendis, pro deorum immortalium religione vindicanda: quæ Herculis templo euerso sanctitatis opinione celeberrimo, sacrisque contaminatis violata erat. Se quidem libertate modò & antiquis finibus habituros satis: cætera victoriæ præmia, quæ futura erant opinione ipsorum, suaque prædicatione maiora libenter ipsis relicturos, imperium copiasque Hispaniæ. Carthaginenses audita Gaditanorum legatione bono eos animo esse iubent, eorum salutem fore senatui populoque curæ pollicentur. Magnam se habere spem fore breui, vt Hispani suis malis castigati breui iniurijs finem faciant. tantisper modò sustentarent, dum classis valida rebus omnibus instructa mitteretur in Hispaniam. Obtinebant ea tempestate Carthaginenses maris imperium numerosis classibus, siue commercio seruientes, quo nomine per hæc tempora, vt ex diuinis libris intelligitur, naues Tharsis celebres erant, siue proferendi imperij cupiditate: nam oram Africæ vniuersam & inferi maris insulas non paucas sub ditionem miserant felici conatu. Hispaniæ aditu hætenus fuerant prohibiti eas ob causas, quæ sunt superius indicatæ. Eò maiori auiditate festinatio, neque instructa classis Duce Maharbale cum soluisset Carthagine, Baleares & Ebusum præteruicta idoneis tempestatibus Gadeis tenuit anno ab Vrbe condita

condita, ducentesimo trigesimo sexto. Alij non multò ante primum bellum Punicum putant. quocumque certe tempore, ad imperium Hispaniæ aditu patefacto continuo littora vicina explorare, Hispanorum naues interciperre, atque ex ipsorum agris quàm maximas & quam latissime prædas agere, locis idoneis munitiones ædificare, vnde incursiones in agros finitimos facerent. Quibus malis excitati Hispani Turdetum frequètes conuenientes, Baucium denuò noui belli Ducem iubent. Is delectu suorum habito, hostium munitionem, quæ ex multis Turdeto proxima erat, intempesta nocte expugnauit, præsidio cæso præter paucos ipsumque ducem Maharbalem, qui equo per auersam portam euadens fuga seruatus est. Eodem victoriæ cursu maiora hostibus damna intulit. His rebus gestis Baucius grauem præda militè lætus in urbem reduxit. Carthaginenses, Hispanos vi opprimi posse desperantes ad Punicas artes conuersi velle se pacisci simulant, non eò se venisse affirmantes, vt Hispanos bello fatigarent: sed vt cognatorum iniurias vindicarent, & à sacrosancti tēpli violatoribus piacula exigerent. Turdetanos ciues habere cōpertum, neque aduersos deos quidquam impie, neque in Gaditanos crudeliter commississe. Gentis virtutem admiratos, amicitiam appetere potius, quæ vtrique nationi non inutilis futura erat. ponerent arma, dextras, iungerent, atque in amore responderent, à quibus essent prouocati. Et vt intelligerent, nihil ficto animo geri, cuncta se præsidia deducturos, atque omnem militarem iniuriam ab eorum finibus prohibituos. Adhęc Turdetanicam legationem gratam tum sibi fore responderunt, si cum verbis consentirent facta: bellum neque timere neque prouocare: amicitiam Carthaginensium neque magnopere desiderare, neque repudiare oblatam. Eos esse Turdetanos, qui beneficijs maleficia vlcisci, & officio cum offensa certare consuescent. quæ gesissent non sua voluntate sed defendendi belli necessitate facta esse. Ad hunc modum quodam induciarum genere facto, se propius littora Pœni continuerunt: vnde per oppida & arces dispositis præsidijs finitimos carptim fatigabāt. Quod si qua paulo validior manus Hispanorum, vindictæ studio coiuisset, militum licentiam excusantes, atque noua fœderis simulatione, simplices homines & tranquillitatis amantes illudebant: simili- que fraude ad alios opprimendos conuertebantur. Quæ res Gaditanis gratisima erat, Hispanis non videbatur intolerabilis, publica damna, vt sit, contemnentibus singulis, cum à priuatis rationibus sunt seiuncta. Sic Carthaginensium vires augebantur nostrorum cessatione, ipsorum artibus, quod facile fuit Baucio tanto Duce per idem tempus defuncto die suo, nullo relicto successore hæredeve, quod sciatur.

*Carthaginenses in Gaditanos insurgunt, Cap. XIX.*



INSATIABILIS est humanus animus eo quod fortuna suppetat seu vis altior. fœrent prima, cum maiora versamus in animo: & quæ non minor est nostræ felicitatis labes, confortis impatientissima est natura potestatis. Extincto Baucio Carthaginenses

nenses de vniuersæ Hispaniæ imperio cogitantes, à quibus euocati erant, propinquos & necessarios Gadum possessione Phœnices deturbare aggressi sunt. Fœcunda gignendis inimicitijs ambitio. Arte quadã semina discordiæ serere, misericordiæ simulatione erga veteres insulanos. Superbe Phœnices imperare prædicantes, neque communicare honores aut magistratus cum veteribus incolis, publicas & priuatas fortunas compilare. ad vitæ conditionem seruituti proximam miseros insulanos perductos esse. Sic Phœnicibus accusandis studia sibi multitudinis adiungere, malis artibus ambitiosi, ingenio prauo callidoque. Illi re cognita Pœnorū perfidiam accusare. neq; cognationis respectu, neque beneficiorum memoria à concepto scelere retardari corruptis semel animis praua cupiditate. Arma corripiunt interse. Primi Phœnices impetum in Pœnos faciunt, quem illi impetum non tulerunt, venturi securi scilicet, neque digna formidantes. Non pauci in cōflictu perierunt, contento alijs cursu in arcem, quam ad similes casus in extrema insula ex aduersum Cronij promontorij paratam munitamque habebant, se receperunt. In tecta & agros Pœnorum conuersa rabies. ignes passim iniecti, direptæ opes. Conturbati Pœni improviso malo gaudebant tamen, vt in maius, tumultu Phœnices facto honestam sibi occasionem belli defendēdi præbuisse, urbemque eorum occupandi. quod breui factum est. Deductis præsidijs omni ex parte, & fœderatorum auxilijs aduocatis, à quibus paulo ante cæsi fugatique erant, vltro prouocare ausi sunt. successuque elati, quoniam hostis nullo loco pugnæ copiam faciebat, ipsam urbem Gadeis expugnare aggrediuntur. Menses aliquot obsidio tenuit: ferroque tandem in urbem penetratum. In ea obsidione Pephasteni Tyrij industria litteris quorūdam celebratur, arboris machina inuenta muris quatiendis: quam ex transuersa tra- be suspensam, atque librata maiori motus facilitate, maiorique impetu quatere monstrauit. Phœnicum calamitas magnam Carthaginensibus inuidiam à finitimis conciliauit gentis perfidiam & inhumanitatem accusantibus: à quibus in partem imperij vocati essent, & quos paulo ante conseruassent, ipsidem libertatem & fortunas eripuisse: impios æque & ingratos nulla satis idonea caussa hospitij iura, consanguinitatis, amicitiae, humanitatis priores violasse. Menesthæi portus ciues, quibus magna ac diuturna cum Phœnicibus amicitia erat, imprimis dira omnia Pœnis imprecari, mitari vindictā. à iurgijs & conuitijs ad bellum & arma ventum est. Validæ ab vtraq; parte copiæ in aciem productæ, prius tamen quàm ventum esset ad manus prudentioribus placuit concordiae viam aliquam tentare. Carthaginenses in vnius pugnæ euentu considerantes rerum suarum & imperij summā verti, priores de pace agi cœperunt. Datis cōsensu arbitris fœdus haud difficulter his conditionibus est factum. Commercia instaurarētur. Neutri alteros portibus excluderent, aut mari libere vagari vetarent. Captiui redderentur ab vtraque parte. Damna inter se compensarent, quantū delecti iudices pronunciaissent. Quò maior esset conuentionis constantia, Atheniensium instituto obliuionem iniuriarum sancire visum est. Vnde fluuio ad Menesthæi portum in mare influenti Lethis, idest, obliuionis Græca voce nomen factum aiunt.

Plurimū transcribo quā credo: nam neq; refellere promptum erat, quæ dicuntur ab alijs, neque argumentis confirmare animus. Sed ijs tamen rebus (sic aiunt) ex Meherbalis litteris cognitæ Carthaginæ, immortales dijs gratiæ actæ: eoque maior lætitia fuit, quod difficultate rerum suarum impediabantur classem expedire in Hispaniam auxilium suis, retinendo imperio Gaditano subsidium, Bello Siculo primū, deinde Sardico male mulctati: quæ Machæo copiarum Duce gesta erant. Excepit belli Africani nouus metus: qui Carthaginensis senatus cogitationes auertit penitus ab Hispania. Sic Pœni qui Gadibus erant, spe auxiliij sublata ad conciliandas Hispanorum voluntates animos retulerunt assimulatis ad tempus officijs. Phœnicum reliquæ, qui potissimū lesi erant, quoniam aliud nihil supererat, retenta maritimi commercij libertate, vnde ingentes diuitiæ parabantur, a cogitatione abstinerunt deinceps repetendi Gadeis. Quo tempore anno ab Vrbe condita ducentesimo quinquagesimo secundo, Hispania terræ siccitate, pluuiarum inopia, annonæ angustia, terræmotibus frequentibus afflictæ est. terra desidente vasti hiatus extiterunt, magnaue auri & argenti vis ex antiquo Pyrenæi montis incendio cineribus terraque sepulta, per eum modum in lucem producta nouas gentes attraxit in prouinciam, quas enumerare non est necesse. Prorsus Carthaginæ classis in Hispaniam nouo decreto senatus destinata missaque Asdrubale & Amilcare Ducibus (Magonis iij filij erant viri Principis Carthaginæ) Sardiniam, cum deuia non esset, primò tenuit. In ea insula Asdrubal ab insularis in pugna interfectus perijt. cui filij fuerūt Annibal, Asdrubal, & Sappho. Amilcarem a cogitatione Hispaniæ bellum Siculū reuocauit. Cognito enim Asdrubalis casu Siculi, atque Leonida Spartano cum classe delato in Siciliam, bellū contra Pœnos maiori impetu initaurarunt. In eo bello Amilcar occubuit, tribus filijs relictis Himilcone Hannone & Gisgone. Præterea Darius Histaspis per idem tempus magnam Carthaginensibus sollicitudinem iniecit, missis legatis, qui viuendi leges præscriberēt, & auxilia in id bellum, quod contra Græciam parabat, mitti postularent. quem in se irritare Carthaginenses nolebant asperiori aliquo responso, in eo discrimine rerum suarum: tamen si auxilia mitti non placebat. Darij filius fuit Xerxes, is qui imperij sui anno tertio, qui annus ab Vrbe condita ducentessimus septuagesimus primus erat, cum patris æmulatione bellum & ipse atrox in Græciam pararet, Græcis illis ex Sicilia in patriam reuocatis, qui Leonida Duce auxilio venerant contra Pœnos, senatus Carthaginensis quasi ex diuturna iactatione respirans, rerum Hispaniensium cura, nongentos milites ex Siculis præsidijs deductos & quatuor nauibus impositos supplementi loco in Hispaniam mitti decreuit, maioris auxiliij spe facta. Baleares tentati ex itinere montanos homines laceßere malo fuit. Correptis illi fundis, quo tunc solo telo utebantur, hostes male acceptos, atque lapidum grandine continenter afflictos, ad mare redire, & auertere in altum naues compulerūt. Inde valida abreptæ ventorum vi, diuersæ Gadeis tandem appulerunt. Earum aduentu, & acceptæ in Sicilia cladis cæso Amilcare fama imminuta est, & male sentientibus se commouendi petestas sublata. Quo tempore Tartesso aiunt coloniam missam Duce

Capione

Capione ad eam insulam quam ambobus ostijs Bætis complectebatur. Omnino vbi Mnesthæi oraculum erat, noua ciuitas à Tartessiacis fundata est Cartesiorum Ebora dicta distinctionis gratia, cum plures eo nomine ciuitates in Hispania fuisse constet. Et Tartessus Carteia etiam nuncupabatur. præterea in ostio fluminis altero turris est constituta Capionis Ducis nomine, quo tempore non constat. Sed eius tamen oræ accolæ Cartesij seu Tartesij dicti sunt: vnde coniectandi occasio Tartesso in eam partem coloniam fuisse amandatam ingenijs nimium perspicacibus.

10

*Sappho venit in Hispaniam. Cap. XX.*

FRIGAM omnem contra Carthaginem coniurare per id tempus fama erat, copias conferre, quantum cuique ciuitati virium esset, obsides inter se dare. Nimia eius vrbis potentia cæteris suspecta esse cœperat, & annuū vectigal denegarant, quod Didonis voluntate pactum pendere consueuerant. præterea rei male gestæ in Sardinia atque Sicilia fama ad audendum inuitabat. Mauritanæ gentes nulla quamuis iniuria violatas sese cum cæteris coniunxisse: tantumque omnium furorem esse, vt Hispanos angusto freto diremptos, in belli societatem trahere cogitarent, & a Carthaginensium amicitia abducere. His rebus Carthaginensis senatus permotus tum se ad resistendum comparare, tum Sapphonem Asdrubalis filium Præfectum in Hispaniam amandare: vt suorum vires atque animos præsentia & auctoritate confirmaret: & nutantes Hispanorum voluntates industria atque accommodatis officijs conciliaret. Quod ille in prouinciam delatus diligenter effecit. Hispanorum enim proceribus aduocatis, quid Africani molirentur exposuit, quo essent animo Mauritanæ populi, pro iure veteris amicitiae postulans neu se, neu suorum quemquam infraudem impelli sinerent, se potius, atque Carthaginensem populum consilio reque iuuarent. Eorum voluntate tria Hispanorum millia conscribere datum est: non vt bello laceßeret Mauritanos amicos Hispanorum & necessarios, sed vt rem Punicam ab iniuria defenderet, sicunde vis pararetur. Copias ille omnes ad Gaditanum fretum continuit tum ciuium, tum sociorum: si quo modo Mauritanos sanare, & a cæteris Africanis belli timore posset abducere. Verum cum non cessarent, transmissio freto agros vastare, ædificia oppidaque incendere, in seruitutem abducere, quicumque Marte arbitro venissent in potestatem. His malis permoti Mauritani Tingim Tartesso obiectam in Africæ littore conueniunt, in communem deliberaturi, quid facto opus esset. Legatos in Hispaniam mitti placuit, conquestum iniurias eorum Hispanorum qui Sapphoni militabant. in quibus præsidium esse debuit, inde perniciem existere amicis & necessarijs. vnde discederent, & qui bus se adiungerent considerare iubent. Omnium gentium, ad quas Pœni accessissent, insidiari libertati. Communibus proinde armis vindicandos videri. Ne consilium priuatim ipsi captarent, cuius è vestigiò eos pœnitere necesse esset, siue victis Carthaginensibus, totius Africæ odium

C ; incurrere

incurrere necesse foret, siue victori bus seruiendi necessitate. Iam dudum Carthaginenses præ animorum fastu atque arrogantia orbis meditari imperium. Adhæc Hispani, facti imprudentiam excusare, Sapphoni non ad inferendum bellum sed ad defendendum, Hispanorum auxilia concessa. missuros se in Africam legatos, quibus auctoribus si pax facta non esset, suorum copias reuocarent in Hispaniam. ita præstitum. Legatorum aduentu ab armis discessum ea lege est, vt Dux Carthaginensis copias ex Mauritania deduceret, Mauritanii suos ab oppugnatione Carthaginis, à qua nulla fuerant iniuria violati, reuocarent. Verum Sapphone in Hispaniam reuerso cum Mauritanii ab Africanorum castris non recederent, repetito bello maiores illatæ sunt Mauris clades: ægreque tandem Hispanis interpellantibus impetratum, vt nouis Sappho Hispanorum auxilijs auctus, quæ vltro offerebantur, Mauritania relicta in Africam interiorem discederet versus Carthaginem. Sic hostium copiarum oppressæ sunt, à tergo & à fronte circumuentæ ijs copijs, quæ Carthagine & ex Hispania missæ erant. Sarucus Barchinus, à Barce vrbe ad ortum Carthaginis sita (tametsi Silius à Didonis socio Barce malit) ob diligentem operam Carthaginensi reipublicæ in hoc bello nauatam, in eam urbem translatus Barchinorum factionis princeps extitit. Finis bello impositus est anno ab Vrbe condita ducentesimo octogesimo tertio. Sappho in Hispaniam reuersus, rebus in prouincia compositis, Carthaginem septimo post anno reuocatus est, per speciem quidem reipublicæ in patria procurandæ, summo magistratu dato, cui Suffetes nomen erat auctore Festo, re quoniam molestum erat, ditissimæ prouinciæ copijs amplius ciuem vnum augeri quàm libera ciuitas pati possêt. Quo maior esset honor Himilco Hanno & Gisgo patruales successores dati sunt. Sapphoni in patriam reduci magni honores habiti, tantos spiritus ex eo sumentis: vt non tyrannidem inuadere sed diuinitatem meditaretur. plures enim auiculas vocales docuit proferre atque ingeminare, tria verba. Magnus deus Psaphon. quæ libere abire permixta, cum ijs vocibus pronuntiatis Psaphonis famam per agros dissipassent: facile à prouincialibus, rei miraculo attonitis ante obitum diuinitati consecratus est, nomenque templis datum. quod ante id tempus acciderat nemini. Plinius hoc factum ad Hannonem ablegat, Psaphonem fama tenuit, veteri prouerbio consecrata munitaque.

*Himilco & Hanno novas navigationes aperiant, Cap. XXI.*



**H**IMILCO & Hanno Hispaniæ prouincia destinata, quæ prima dies cursum dedit, classis vela è portu egressi explicarunt. Tentati ex itinere Baleares munusculis arteque. Rudes homines & earum artium ignari munitioni ædificandæ locum concesserunt in maiori Balari, qui gradus erat ad opprimendam gentis libertatem. In minore Hanno iamam condidisse fertur præter Septentriones & Occasum situm oppidum, Magonem ad Eurum. Sunt qui Labonem tertium eius insulæ oppidum numerent: & causam harum appellationum

tionum extitisse putent tres deinceps Carthagine missos eius insulæ procuratores. Hannonem satis constat Gadeis appulsum gloriæ cupiditate incensum, & vt res nouas exploraret, Oceani litora vsque ad promontorium Sacrum (D. Vicentij hodie) classè legisse, visaque senatui sigillatim per litteras explicasse. Magnam se habere spem, inaccessa eatenus Atlantici, Gallicique maris littora longissimo excurrentia locorum tractu, posse magno reipublicæ commodo gloriaque aperiri. Binas classes ædificare daretur, rebusque omnibus instruere ad diuturnam nauigationem tolerandam. Quod cupiebat consequenti anno senatus permissu est factum. Himilco Europæ littora mariaque, quàm longissime posset, iussus est explorare: Hanno Africæ ad eundem curam sibi desumpsit: Gisgo ad rerum procuracionem in prouincia cõsensu fratrum relictus est. Ergo sub initium eius anni, qui ab Vrbe condita trecentessimus septimus numerabatur, Hanno & Himilco relicta Hispania diuersi classibus abiere. Himilco Heraclea soluens Meseniosque & Selbissios (hi in Bastulis ad fretum erant) præteruectus Hermam siue Iunonis promontorium, quod in extremis freti faucibus est, flexis ad dexteram prorsus transiit, Cylbique ostium, fluij Melariam (hodie Beielium) atque Barbatem inter in mare mittentis. quemadmodum Besilum tenui riuo proximum, Gadibus obiectum in idem euoluitur mare: Geryonis sepulcro inter vtrunque flumen comprehenso, vbi lingua est procurrens in mare. Mox occurrit Erythræa insula, siue ea Gadeis sit, siue vt alij disputant, à Gadibus secreta, quinto olim à continenti stadio dirempta: nunc hausta mari, vt ne vestigium extet. Deinde syluis densum impedirumque montem contemplati scilicitatione inuenerunt Tartesium, ex illius oræ maritimæ communi nomine dici. porro ex eo monte deriuari fluium Lethim, de quo paulo ante est demonstratum. Sequebantur Cibiceni Turdetanorum natio ad propinquius Bætis ostium secundum littora fusi. atque in medio interuallo Geron-da turris, Geryonis opus. Supra hos Yicates, Campsi, & Manij aduerso Bætis interiora terræ obtinebant. Eum fluium Tartesium etiam vocari, atque è Ligostico fonte in paludis formam restagnante ad Argentarij montis latus, qui hodie mons Seguræ est, deriuari cognouerunt, in quatuor brachia diductum. Mendacio videlicet accommodata fides est verisimili propter tria flumina alia, quæ influunt in Bætis: aut fortassis per ea tempora irrigandis Bæticiæ campis in plures partes riuosque diducebatur. quod vix in tam rudibus ingenijs credi potest. Rufus Festus qui has nauigationes explicuit, quatuor ostijs Bætis in mare mittere testatum reliquit. antiqui descriptores terræ duo tantum inueniebant, nos vnum, rebus tempore mutatis alternante scilicet memoria. Inde progressi, Bætisque ostia præteruecti, Calsij montis fastigia viderunt venis stanni copiosi, vti nomen ipsum indicio est, vsque eò vt ab eo monte id genus metalli Calsiteron Græce dici quibusdam sit persuasum. Monti subiectam planiciem Albiceni Tartesi obtinebant. Succedebat Iberus fluius olim Tartesium limes extremus, nunc Palos inter & Huelmam in mare defertur, tantæ olim nobilitatis, vt ab eo quidam malint Iberiæ nomē, quàm ab altero Citerioris Hispaniæ fluxisse. hoc tempore

Tinctus fluuius, siue Atramenti vocatur, ab eius terræ copia inficiendis atro colore lanis aptissima. Ad Occasum secundum littus progressis Iberia vrbs occurrit, alteri cognominis ad Iberi ripam olim sitæ non procul Dertusa, de qua Liuius meminit. Prope maris æstus succedunt: qua parte promontoriū excurrerat in mare ab imposito tēplo Proserpinæ appellatione. quo circumducto Mariani montis extrema iuga visa sunt in mare desinentis: supraque Zephyrius mons culmine cælum attingere, nubibus nebulaq; contactus tranquillo quamuis mari, raris ea parte ventis. Littora excipiebant, lapidibus impedita, dumetis aspera vsque ad Saturni montem pertinentia. Mox Cenitæ interfluente Ana, duabus obiectis insulis: quarum quæ maior erat, Agonida nuncupabant. Inde promontorio Sancti Vicentij Sacro transmissis, magno littorum flexu aliquot confectis miliibus ad portum Cenim venum est, non procul à Petanio insula (nunc Perseguro.) Quibus locis proximi erant Dragani Lusitanæ populi, montium Sephis & Cempis latere sinuque Septentriionali inclusi, ex aduersum Strimniæ insulæ procul iacentis in mari. Dagrani vicina erat insula altera Acale nomine, aquis præter morem cæruleo colore, odore tetro (sic ea tempestate res erant) nunc retracto mari omnia sunt à veteri forma & obseruatione immutata. Supra Acalem Ceprilianus mons in continenti assurgebat. & longo littorū tractu emisso, præter Ortum & Septentrionem Pelagiam insulâ nacti viriditate præcipuam Syluisq;, attingere ausi non sunt, cum in Saturni præsidio esse, & eò appulsis mare turbari ex multorū prædicatione haberent persuasum, homines inani superstitioni seruietes. Sequebantur ad continētis littora Sarij gens inhumana & inhospitalis: Promontoriumq;, quod ijs locis vulgò Spichelis dicitur, antiqui Barbarium ab eius gentis feritate nominarunt. Duorum mox dierū nauigatione ad Strimniam insulam est peruentum, habitatoribus vacuam vastamque, ob serpentes & noxia animalcula, incolis nouas quærere sedes compulsis: vnde à Græcis Ophiusæ nomē tulit. Occurrit deinde Tagi ostium, Sariæ gentis finis, Græca colonia imposita, quæ non incommodè Olisipo fuisse creditur, vrbs consequenti tēpore in paucis nobilissima. Quo ex loco soluentes, atque Albianū & Lanciam insulas (hæ hodie Baionæ in Calæcis obiectæ sunt) legētes ad Neriorum littora peruenerūt, vsq; ad Nerium promontoriū pertinentium, quod nostris Finis terræ est. Et promontorio plures insulæ adiacent Strenides quidem ex eo dictæ, quod Stremniæ insulæ incolæ Serpentū inde copia depulsi, eas insulas domicilio delegere: Calsiterides à plumbi stanniq; prouentu. Nerium promontoriū præteruerti Himilco & socij, conuersisq; ad Ortum prorsus, quatuor iam decursis mensibus, ex quo nauigare cœperāt, ventis remittentibus, vadosisque littoribus & viua plurimum impediti magnas difficultates obierunt: vt Ligorum, Asturum, Silorum, quæ deinceps nationes ea littora obtinebant, sinus, portus, promontoria, vrbesq; explorarent. Quarum rerum, ac ne earum quidem, quas in Armonico & Baltico mari, Galliæ atque Germaniæ littoribus inuenerunt, quidquam est in litteras relatum, posteritati que proditum (quod sciatur) ac ne iter quidem, quo in Hispaniam redierunt, toto biennio in ea nauigatione transacto.

*Hannonis*

*Hannonis nauigatio. Cap. XXII.*



**HANNONIS** nauigatio longior fuit, priscis temporibus omnium nobilissima, & huius ætatis nauigationibus comparanda: quibus ad orientis occidentisque Solis oras Hispanorum arma inuicta virtute penetrarunt: præferenda etiam, cum magnetis illi & quadrantis vsum ignorarent, neque se libero mari permitterent. Itaque comparata classe, in qua sexaginta quinquereemes erant, hominum vtriusq; sexus millia triginta, colonijs Libophœnicum per littora, vbi esset commodum, constituendis, Gadibus soluens atque Herculis columnis superatis, duorum deinde dierum nauigatione in latam planiciem delatus urbem imposuit, quam Thymiaterion dixit (hodie Azamor quidam esse suspicantur). Conuersis mox ad Occasum prorsus Ampelium promontorium, occurrit: quod nos quidē Despartel vulgò dicimus, Arriano autem Soloen esse puto, opacum arboribus, præcipua locorum amœnitate. Sequebatur Zilia fluuius, Anatis Polybio (sic arbitror) qui fluuius hoc tempore Arzillam oppidum præterlabitur. Septingētis triginta quinque passuum millibus ab Peluio promontorio Lixij ad ripas fusi erant Lixij fluminis, quod ex Libya decurrit in Oceanum: vbi Antæi & Herculis luctam fuisse, atque hortos Hesperidum dracone custode quondam fabulati sunt. Succedebat paribus interuallis centum millium spatio duo fluuij Subur, vbi Bonosa oppidum: & Sala coniuncto eiusdem nominis oppido, quod hoc tempore Sale esse credimus, situ commodo agri fertilitate atque amœnitate præcipua: Africæ tamen desertis vicinum, eoque serarum incurfibus obnoxium, quæ haud leuis iniuria est. Ijs ex locis profecta classis ad montem Atlantem peruenit desinentem in promontoriū in primis nobile, cui olim promontorio extremæ Chaunaræ nomen fuit: consequenti tempore à nautis vulgò rudi vocabulo & barbaro Caput Non vocari solitum erat, existimantibus si quis id promontorium superare conatu temerario ausus esset, cum ad suos nunquam amplius rediturum: nostra ætate Boiadoris promontorium est Palmam insulâ recta ad Occasum obiectam habens, vnam è Fortunatis à media cæli regione vigesimo octauo positam gradu. Eo promontorio superato littus vastum excepit vsq; ad insulam paruum quinque stadorum ambitu: quam tum quidem colonia relicta Cernem dixerunt, nostra ætate Arginam vocari puto ultra promontorium Album citra AEquatorem vigesima prima orbis cælique parte. Totus sinus ab ea insula Argini nomen habet vsque ad promontorium Viride extensus, & illi obiectas decem insulas Hesperides: in quo numero, cui à D. Iacobo nomen est, principatum obtinet Hoc promontorium Arriano esse puto Cornu Hesperium: præterea fluuius, qui latissimo aluico multisque superbus aquis citra illud decurrit in mare, a Festo Ruso Asamam vocari. nam & huius temporis nomen Asnagæ consentit non multum ab antiquo discrepans. Crocodilos nutrit atque hyppopotamos Nyli modo. Similia incrementa & decrementa suscipit in ætate, vnde & originem eandem habere creditur. à veteribus Nigir est dictus, duobusque ostijs mittit in mare, hoc

*lege. Ampelios*

C 5 de quo



de quo dictum est, & altero Viride promontorium circumuectis occurrente, cui à latitudine fluuio Magno vulgò nomen est. Sequebatur insulæ Gorgonides. Sic eas Hanno nominauit, à portentosis fœminis, quas Gorgonas dixit antiquitas. quemadmodum Currum Deorum vocarunt montem continentis, ijs insulis vicinum, quòd ignibus micaret, tonitruisque perstreperet, nostris Serra Liona est octauo citra æquatorum gradu. Ptolemæus quinto posuit, numeris ipsius errore, aut incuria librariorum corruptis. Eum montem constat ob sublimitatem fulguribus identidem corruscare: æstus qui ingens ijs locis est, vitandi necessitate incolas dies in specubus subterraneis transigere, noctu ad opus annonamque procurandam egredi accensis faculis: quibus subiecti ei monti campi collucētes ardere omni ex parte cum videantur, Hannoni & socijs ea occasio extitit siue feriò existimandi siue fingendi de industria, vt libenter de longinquis regionibus maiora vero prædicamus, exijs locis fluuios igneos decurrere in mare: vicinasque late regiones flammis perpetuis incendioque vastari. Vltra eum montem insulam nacti sunt à villosis hominibus habitam (sic illi crediderunt) Rei insolentis quòd maior fides esset, duabus fœminis, quas ceperunt (nam virorum cursum adæquare non potuerunt) quia feritatem non deponebant, pelles detractæ atque tomento suffultæ Carthaginem missæ longo tempore, miraculo iuxta & monimento fuere. Hæc insula non inepta ratione creditur passim à doctis ea fuisse, quam æquatori subiectam & Lupi Consalui promontorio oppositam Lusitani sub imperium miserunt parentum ætate, D. Thomæ nomine, nobilem saccari prouentu, cæterum cæli grauitate infamem nostræ certe gentis corporibus, cū sit Aethiopibus vicinis saluberrima. Pilosos homines simias maiores fuisse putamus, quarum in Africa magna copia est absoluta hominum forma. Ex ijs locis Hannonem in Hispaniam rediisse Arrianus confirmat, commeatus inopia longius progredi prohibitum. Plinius Hannonem ait, ad Arabicum sinum peruenisse, superato nimirum Bonæ spei promontorio, quod littoribus ab vtraque parte, maris fluctibus castigatis, in pyramidis formam extenuata interior Africa facit: indeque Carthaginem affirmat legatos de rebus gestis pedestri itinere missos. Illud conuenit quinto postquam soluerat anno, qui annus ab Vrbe condita erat trecentessimus duodecimus, in Hispaniam rediisse tandem. Socij nauales suspensis audientis populi animis pro se quisque narrare miracula, vim tempestatum, inauditas volucrum formas, marinarum belluarum prodigiosa corpora, hominum ferarumque ambiguas species, visa, an ex metu credita, an studio conficta.

Libri Primi Finis.

HISTO.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER SECVNDVS.

*Hannonis reditus in patriam. Cap. I.*



ANNO & Himilco ex longo errore in Hispaniam reduces, continuò otij sumendi, patriamque inuisendi cupidi Carthaginem venia impetrata profecti, inter suorum salutationes & totius populi plausus triumpho persimili pompa in urbem inuecti sunt, cunctis animorum vigorem, nobiles ausus, lætissimum laborum exitum cum voluptate prædicantibus, heroes immortalis laude dignos. Gisgoni fratri, qui fuerat in Hispaniæ procuratore relicto, vt magistratu abiret & in patriam rediret tanti gaudij saturus particeps, facile est impetratum. Quod ad confirmandam potentiam auctori tatemque pertinebat, successores designati missique in Hispaniam sunt eorum voluntate, Annibal patruelis Sapphonis scilicet frater, & Mago necessarius. Magonem ferunt in Balearibus, cum aliquot annis hæsisset, in minori insula urbem sibi cognominem posuisse. Quod quoniam veterum scriptorum fide caret, & sola ex nomine coniectura nititur (quoniam Magonem urbem in ea insula fuisse constat) non videtur pro certo ponendum. ne à Hannone quidem fuisse fundatam. In rebus tam obscuris quid mirum si caligat narratio? Conuenit Annibalem Gadeis appulso Gisgonem ijs copijs onusta classe, quas ipse & fratres tot annis, tanto labore, tantaq; industria parauerant, Carthaginem profectum cursum tenere non potuisse nauibus ad vnam mari haultis earum tempestatum vi, quæ per eos dies validæ frequentesque incubuerunt mari, anno nempe ab Vrbe condita tercentesimo quindodécimo. Sic sæpe spes concepta animis fallit in ipsa laborum meta euersa atque mutata in contrarium. Annibalem autem ad Oceani maris littus citra promontorium Sacrum idoneo portui urbem imposuisse affirmant viri eruditionis opinione magna, dictam olim Annibalis portum, deinde Lacobrigam, nunc Lagos lingua vulgari. Tartesij e contrario ad vltimus Bætis ostium arcem ædificauerunt cum templo Veneri sacro, quæ stella quoniam Luciferi nomen habet, Luciferi templum dictum, hodie corrupta voce Sancti Lucari nuncupatur, oppidum hac tempestate quidem propter Indici maris commercium cum primis Hispaniæ celebre. Sic gentis historiæ tradunt. Bellum etiam per idem tēpus omnium opinione atrocius exarsisse

exarisse confirmant inter Hispanos, eos qui Anæ ripas vtrinque obtinebant Bæticos & Lusitanos, à iurgijs pastorum natum. Horum partes Carthaginenses fouisse, illis urbem in eo tractu primariam opitulatos, quam nonnulli Iberiam fuisse arbitrantur, de qua paulo ante est demonstratum: ac ne foeminas quidem ab armis abstinuisse, tanta erat vincendi rabies. Pugnatum die integro neutro victoria inclinante. cessatum noctis superuentu octoginta hominum millibus ferro trucidatis nihilominus, & Carthaginensium Duce primario, quem ipsum Annibalem fuisse (si hæc vera sunt) non abs re licet existimare. coniecturis ducimur, cum rerum veritas latet. Addunt Magonem ad eius prælij famam continuo è Balearibus exitum suorum res sustentasse in præcipiti constitutas: hostes non minori clade afflictos urbem incendere, & alias sedes quærere, metu maioris mali compulso. Incidit ea clades in annum ab Vrbe condita trecentessimam vigesimum primum. Quo anno Carthagine magna rerum immutatio facta est, duobus Annibalis fratribus Asdrubale & Sapphor. in vrbe coniunctis ferme funeribus elatis. Hannonis gratia & auctoritas, quæ consensere cœperat, nouo ex Hispania incommodo renunciato, aperte præcipitavit, multorum, vt sit, erumpentibus odijs, vnum ad nulum rempublicam gubernare, plusque priuatim posse quam reliquos magistratus moleste ferentium. Ergo centum virorum magistratu creato, reuersis à bello Ducibus ad rationem reuocandis rerum gestarum, Hannonem causam dicere coegerunt: & damnatum iudicio patriam exilio mutare, inuidique & ingrati nulla iustiore de causa, quam quod ingenio & industria plus valeret, quam vt liberæ ciuitati tutum putarent. qui primus hominum Leonem manu tractare, atque cicurare ausus esset: & male credi videretur libertas, ei qui ferarum immanitatem domuisset. Nimirum liberæ ciuitates aduersum clarissimum quemque ciuem opinionem habent, atque reipublicæ Principes inuidia lacerare solent. quibus malo sæpe fuit, excellentibus virtute atque industria fuisse.

*Res ab Hispanis in Sicilia gesta. Cap. II.*



LIQVOT deinceps anni exitere nulla re in Hispania memorabili: nisi quod anno ab Vrbe condita trecentesimo vigesimo septimo, quo tēpore bellum Peloponnesiacū Græcia in duas factiones scissa gerebatur, sæua pestis lues orbem ferme totum peruagata, ab Aethiopia corruptis ventorum flatibus profecta Hispaniam etiam vexauit, hominibus & pecoribus magno numero consumptis ea tabe. Huius mali Thucydides, Liuius, Dionysiusque in suis historijs meminerunt. Historiæ nostrates diræ contagionis causam ad insolentem aeris siccitatem referunt, pluuiarum inopiam. Hippocrates qui tum vixit in Thessalia, incensis syluis eam pestem auertisse à finibus ait. Contra Syracusanos in Sicilia, nondum ea peste sedata grauissimum bellum exarsit: Leontinis finitimis & Caranensibus contra eos Atheniensium auxilia aduocantibus

uocantibus Ducibus Nicia & Alcibiade tum iuvene missa sunt, cum classe centum triremium ad spem non dubiam ex contentione incolarum totius insulæ imperio subdendæ. Expectationi ne responderet euentus importuno discessu Alcibiadis factum est à populo postulati quasi Cereris mysteria nulla re magis quam silentio solennia enunciaffet. Is enim ex conscientia digna metuens, an aduersariorum potentia vt par esset, ad Lacedæmones abiit iudicij, ad quod vocabatur, metu. In ea vrbe benigne acceptus propter indolem ingenij & rerum gestarum famam, vt Gilyppum excellentem ea ætate Ducem, contra Atheniensium conatus auxilio Syracusanis mitterent, auctor exitit. Sic breui belli Fortuna in Sicilia conuersa est. Atheniensibus terra marique oppressis Nicias ipse cum multis alijs in hostium potestatem venit. Obtinebant ea tempestate aliquot in Sicilia oppida Carthaginenses ad promontorium Lilybæum, quod Carthagine distat centum octoginta millibus passuum non amplius. Agrigentini finitimi moleste ferebant Pœnorum potentiam in veterascere in provincia: præterea priuatæ iniuriæ extabant. Ergo consilio inter se communicato, vindictæque studio, sacrificij causa egresses in syluam Pœnos non procul Minoa vrbe inermes imparatosque opprimunt, quos non montes, fuga, saltusque texerunt. Ea res Carthagine nunciata magnam populo & Patribus indignationem commouit. Duo millia Punici nominis, & par Hispanorum militum numerus ad reposcendam vindictam nauibus in Siciliam vecti sunt, adiunctis quingentis Balearibus. nouum atque insolens militiæ genus, præsertim cum nudis corporibus pugnam inuaderent, hostibus contemptui fuit initio: deinde terrori. commisso prælio victoriam pepererunt, sinistro Agrigentinarum cornu perpetuo lapidum imbore penitus afflicto. Multi ex hostium numero ceciderunt in pugna fugaque. pars inter noctis tenebras in urbem euadentes biennij obsidione tolerata in hostium tandem potestatem venerunt, ab Vrbe condita anno trecentesimo quadragesimo sexto. Finem huius belli alterius initium excepit. Dionysius senior Syracusis occupata tyrannide pollens opibus famaue, ab Agrigentinis occulte per legatos & litteras sollicitatur, vti eos in fidem accipiat, Pœnorum imperio liberatos, quod grauissimum erat impositum. Pollicetur ille maturam opem, Carthaginensibus stantibus regnum, quod meditabatur, in ea insula statui posse diffusus. interim consilium dat, vt Agrigento cuncti quam occultissime dilapsi Camarinam & Gelam finitima oppida improuiso occupent. inde populationibus late, hostilem agrum infestum reddant. reliqua ipsius curæ permittant. Damnis vitro citroque per eum modum datis acceptisque disceptator Dionysius accessit missis ad Pœnos legatis postulabat, a biata reponi, compensari damna. quod caput erat, Agrigentinis suam ciuitatem reddi, certe in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, profugos & egenos admitti. Propinquos & necessarios iusto propemodū seruitio premi, suas preces ludibrio haberi se passurum non esse. Ad hæc Pœni. Ius esse belli, vt victis victores pro voluntate imperarent. non se Agrigentinis sed eos sibi bellum intulisse priores,

priores, iniuriamque fecisse, & superum numen violasse. Neque recte neque pro bono facturum, si impios atque consceleratos subleuaret. Quod diceret, se Agrigentinarum iniurias non neglecturum, cum vellet congregeretur: intellecturum quid inuictæ Carthaginis vires, duratusque in armis miles virtute posset. Ab hoc initio res ad bellum deducta est. Dionysius insulæ copijs contractis Græcas ciuitates, ipsumque Darium Nothum Persarum Regem contra Pœnos sollicitare. Illi contra quindecim millia Punici Africæ nominis & quinque equitum millia conscribere, adiunctis decem Hispanorum millibus: quorum animis promerendis Gadibus plaurit pristinam reddere libertatem, iura legesque restituere, sublata tantum potestate longas naues ædificandi. Herculis modò templum & paucæ in littore speculæ sub Punica reuictæ potestate. Copijs omnibus Himilco Cipus (Iuliani codices Amilco habent) præfectus, quò omnes copiarum conuenerant, Carthagine soluit. Mollibus initio tempestatibus, deinde concitatis atque vehementibus ad varios Siciliæ portus diuersæ naues delatae sunt. Classis Hispanica commodior ad tempestatas maris perferendas, & rei nauticæ maior erat peritia, in alto se tenuit: & remittente vento Camarinæ portum inuecta quadridui oppugnatione vrbe capta incensaque oppidanos ad vnum trucidarunt. Crudele exemplum: sed eo metu tamen Gelæ habitatores oppidum deseruere. Ijs in locis, cum reliquæ naues confluxissent aliquot dierum mora exercitu recreato, contra Dionysium, qui numerosas copias mari terraque trahere nunciabatur, terrestri prælio decerni placuit, classibus magna ex parte Carthaginem Gadeisque reuersis. Hæc Pœno cogitante Dionysius se in conspectum dat. Castris castra collata. Prior Dionysius copias omnes producit in aciem, paribusque intervallis diuersa ciuitatum auxilia constituit. equitatum, quem numerosum habebat ab utroque latere. Syracusanos nouissimum agmen claudere iubet. Himilco contra triplici suorum instructa acie hosti procedit obuiam. In medio agrinæ erant Hispani. vtrunque cornu Pœni tenebant, adiunctique ab vtraque parte septingenti funditores. ea equites latera muniebant. duo peditum millia ex omni copia lectissima in subsidijs collocata. Concurritur dato pugnae signo ardore animorum maximo: diu prælium fit anceps neutro victoria inclinante. pugnatur vnà in omnibus partibus. consistit agmen. multi ab utraque parte cadunt. Dionysij tantum equitatus meliora terre, Pœnosque equites premere cœpit. debellatumque esset Pœnis cedentibus, ni Himilco cohortes subsidiarias contra equitatum promouisset. quarum ij impetum non tulerunt, cum vno tempore Siculi equites à fronte & à tergo premerentur, magna equorum strage edita in fugam compulsi omnes sunt. Funditores ab apertis lateribus lapidum grandine hostes continenter vexare. Hostium equitibus fuis Himilco cum suo equitatu ad legiones reuersus, vbi pugna integra erat, Siculorum agmina turbauit. Dionysius tametsi non periti tantum Ducis sed strenui etiam militis officium impleuerat, & fugato equitatu in pedes desiliens, arreptoque militari scuto rem inclinatam diu sustentarat, omnibus partibus

partibus præsto, & quo loco suos grauius laborare videbat, eò signa inferri & aciem conuerti iubens: ad extremum re desperata suos in castra sensim reduxit, propter diei tempus retenta. Nocte concilio conuocato consolatus hortatusque suos, ne se ad modum animo demitterent, non virtute vicisse Pœnos, sed artificio quodam & astu: modò tantisper sustetarent, equitatum, qui esset integer, & magnas ex vniuersa gente copias auxilio venturas, militibus corpora curare iubet, faucijsque magna diligentia atque humanitate, vt res erant, recreatis, castra defendere parat. Inanis conatus fuit. proxima luce hostium concursu fossa obducta, vallo superato circum cartos & impedimenta pugnatur. Re demum desperata amissis castris Dionysius non vno vulnere accepto fuga euasit. Magnus Siculorum numerus in eo prælio cecidit, neque Pœnis incruenta victoria fuit. Tria ex eorum numero genteque millia, duo Hispanorum millia perierunt. Secundum eam victoriam plurimæ Siciliæ vrbes se victoribus adiunxerunt: cum tota ferme insula in potestatem redacta, ad inconstantiam rerum humanarum exemplum repente exorta grauiissima pestis lues rem publicam penitus afflixit, Hispanorum Astorumque copijs sæua contagione consumptis. tanto ex eo Carthaginis dolore, vt non secus ac si vrbs ipsa capta esset, iustitio indicto insolitus mœror mentes omnium occuparet. Dux Himilco cum paucis reuersus sordida seruilique tunica discinctus, inter populi prosequentis gemitus domum ingressus, remotis omnibus ac ne filijs quidem admissis mortem sibi consciuit. Secundum hæc Dionysium tentasse ferunt per legatos, Hispaniam à Carthaginensium amicitia abducere: Pœnos contra omnibus blandimentis prouinciales in fide retinuisse. Illud constat Dionis Syracusani industria inter Siculos & Pœnos pacem triginta annorum factam nonagesimæ quintæ Olympiadis anno tertio. qui annus ab Vrbe condita, fuit trecentessimus quinquagesimus sextus. Et auctorem habeo qui post Leutricam cladem Thebanorum Duce Epaminonda Laconibus à Dionysio missa auxilia scribat, in quibus Celtæ & Hispani numerantur. (nimirum ex Himilconis exercitus reliquijs, aut ab ipsa vsque Hispania in Siciliam vecti) ijs auxilijs confirmatum Archidamum Agesilai filium ad Mantineam vrbem cæso Epaminonda Spartam exitio proximam à casu sustentasse. Quo tempore ex Carthaginensium numero quidam classe soluentes ex Hispania, vi ventorum abrepti, an Hannonis amulatione præter Occasum & Austrum directis prorsis, multorum dierum nauigatione Oceani fluctibus victis insulam conspicati sunt: in quam excensione facta inuenerunt, latam regionibus esse, lætissimis pascuis, densam arboribus, ex arduis montibus flumina nauium capaci alueo deriuari. Quibus bonis permoti & quoniam habitatoribus vasta erat, pars eam domicilio delegere: reliqui incolumi classe Carthaginem redeuntes senatui populoque visa atque explorata renunciarunt. Aristoteles re in senatu deliberata ait, decreuisse Patres occisis qui redierant, rei tantæ famam comprimere. Nouarum rerum cupida plebs, & tot annorum militia fatigata, prouidebatur scilicet, ne vacua habitatoribus vrbe relicta eo populariter commigraret. præstare ijs copijs

ijs copijs carere, quàm tam longè propagato imperio vires debilitare. Hanc insulam quidam vnam è Fortunatis fuisse crediderunt. Sed neque magnitudo consentit neque amœnitas. Itaque eruditioribus magis probatur fuisse eam, cui hodie à D. Dominico nomen est: aut proximi continentijs partem, quæ cum tota circulo lustrata non esset, insulam crediderunt.

*Bellum Siculum instauratur. Cap. III.*



**A**RDEBAT Carthago pertinaci cupiditate belli Siculi instaurandi. noui in Africa atque Hispania delectus habitus. Hispani sumere arma detrectabant, militiam adeo longinquam auersantes. male ominatam dicere, nouas ex loco religiones fingere. geminam cladem ob oculos habentes nefas prædicare Siculis inferre arma, vnde nulla iniuria extaret. Pœni adhæc tantisper dissimulare, dum malorum memoria tempore consenseret. gentem in arma promptam breui arrepturam atque auide eam militiam, quam tantopere detrectaret. Commodo ipsorum accidit, Hispaniam aeris siccitate, fame, & quæ famem excipit, peste laborare: & ex Sicilia nunciabatur Dionysium ea insula magna ex parte subdita, arma transtulisse in Italiam: captoque Rhegio in ipsis freti faucibus, Crotonem obsidere Græcam urbem & maritimam. plurimum accessurum opibus considerabat vrbe validâ mœnibus portuque, occupata in extrema Italiæ ora. Eæ duæ res senatum Carthagine inuitauit, vt bellum Siculum instaurarent: Hispanos vt militiam capesserent impulit rerum suarum difficultas. viginti millia peditum equites mille nauibus impositi. & ex Balearibus, cum deuij non essent, funditores trecenti Carthaginem auecti. Hanno eius belli Dux adiunctis decem Afrorum millibus, qui in procinctu erant, celeriter in Siciliam nauigauit. Ea cura Dionysium in Siciliam reuocauit Italia relicta. ad quam subigendam Galli Senones prouocabant Romanæ potentia odio. Classem eius, qua Rhegio copiarum traieci curabat, Punica classis superauit, multasque naues cepit. in quibus domestica tyranni suppellex erat & Suniati Carthaginensis litteræ, quibus Græce scriptis Dionysio totius belli rationem & apparatus significabat, inuidia Ducis, sibi ad id bellum prælati, patriæ proditor. Quod re cognita illi capitale fuit: decretumque factum, ne quis postea Carthaginensium Græco sermone & litteris studeret, loquendi cum hoste aut scribendi sine interprete sublata ciuibus facultate. Secundum victoriam naualem multa se oppida & vrbes Siculæ Hanno dediderunt: & bellum alternante sæpe fortuna ducebatur. Anno demum ex quo id bellum cœptum erat sexto decimo. qui annus ab Vrbe condita fuit trecentessimus octogesimus sextus iuxta Eusebij computationem, alij Olympiadis nonagesimæ nonæ anno secundo, aiunt Dionysius suorum coniuratione perijt filio eiusdem nominis successore: cuius vt teneram ætatem omni disciplina liberali imbueret, & naturæ insita vitia institutione vinceret Dion. sororius, penes quem regni procuratio mansit.

mansit, Platonem Athenis in Siciliam euocauit, cum Carthaginensibus foedus cōstituit, fecitque inducias. Inter Dionysium ætatis accessu & Dionem subortæ suspiciones simultatesque remp. turbauerunt. Ijs vigentibus Dion solum vertere coactus, rebus alternantibus Dionysium hostem regno patriaque deturbauit, compulitque tandem egenum atque inopem sine lare familiari aliquandiu vagari. Hæc in Sicilia sunt gesta, ad Hispaniam sese conuertat oratio.

*Hannonis res gesta. Cap. IIII.*

10



**I**NITIO belli Siculi Gaditanis magna ex parte restituta fuisse libertatem dictum est. Eo bello confecto duo missi gubernatores in Hispaniam, Bostrar vt Balearibus præesset, & Saguntinos taret omnibus officijs conciliare: quæ illi suspecta habentes præ libertatis studio constanter repudiarunt, neque suæ vrbis adeundi copiam fecerunt, alias ex alijs causis excusantes. Hanno iura dicere Gaditanis iussus, cum in Bætica premeret prouinciales, & in diuitias tum publicas tum priuatas audissime inuolaret, quæ illi malo fuerunt, Hispanos compulit re communicata inter se, à Carthaginensium auctoritate rebellare. capta repente arma, cædes factæ hostium, bonaque eorum locis omnibus prædæ fuerunt. Hanno magna suarum diuitiarum parte spoliatus, atque ab ijs Hispanis desertus, qui eius castra & auctoritatem sequebantur, Mauros ex Africa attraxit in Hispaniam. Ab ijs Bæticae agri omni sunt iniuria vexati, prædæ direptionesque locis omnibus factæ, edita vbique barbaræ crudelitatis exempla. Quibus rebus Carthagine nunciatis, Hanno successore est datus anno ab Vrbe condita trecentesimo nonagesimo octauo. Successoris neque nomē proditur, neque res gestæ in Hispania. Fortassis assimulatis ad tempus officijs prouincialium voluntates sanasse, & imperij inuidiam leuasse, satis habens à belli cogitatione abstinuit. Et in Sicilia Dione occiso, atque Dionysio Syracusas restituto, pace turbata, cum Corinthus Syracusanis aduersus tyrannum auxilia misisset Duce Timoleonte, Pœni de Sicilia solliciti, eò conuersis animis, Hispanorum res tranquillæ vt essent, fecerunt. Læticia ea syncera non fuit. præ pluuiarum copia inflati fluuij ripisque superfusi, magna agris, pecoribus, ædificijs intulerunt damna. Anno altero ingentes terræ motus, ac frequentes extiterunt. Multæ ad Mediterranei maris oram vrbes afflictæ: in quibus Saguntum maiorem calamitatem pertulit: ex quanto alias Hispaniæ vrbes amplitudine, frequentia, elegantia, atque maiestate superabat. Anno tertio seuis procellis iactato mari, non vno loco naufragia sunt facta. Is annus ab Vrbe condita fuit quadringentesimus quintus. Quo tempore Hanno tyrannidem in patria occupare aggressus est, fretus ijs opibus, quas in Sicilia atque Hispania ingentes pararat, doloreque, ex abrogato imperio irritatus. Id vt cōsequeretur, in filia nuptijs epulum generale plebi & proceribus parare cōstituit: atque in eo noxio veneno senatum perimere. Audax facinus atque immane. Indicio facto modo tantum cōuiuiorum sumptibus adhibito

D periculum

periculum declinatū. Ille impunitate ferocior seruitia armare, quorum erat magnus numerus, & cæsis proceribus remp. nouo conatu opprimere tentat. Verum re denuo prodita concursu ciuium, in arce quò se receperat, captus effosis oculis, manibus pedibusque effractis, lacerato virgis corpore, cruci est affixus. Filij & cognati omnes etiam innoxij, supplicio traduntur: ne ad imitandum facinus, aut ad vindicandam mortem, quisquam ex ea familia euaderet. Crudele exemplum magnitudo concepti sceleris, & patriæ caritas videbantur excusare.

*Ad Alexandrum Macedonem missa legatio. Cap. V.*

10



**N**O tempore Boodes Carthagine missus est in Hispaniam, eo præfecto Gadibus defuncto, quem in Hannonis locum fuisse subrogatum diximus: & ex Sicilia nunciabatur Dionysium suorum coniuratione & Timoleonis virtute compulsam patriam exilio mutare, & priuato instrumento recepto Corinthum abiisse: vbi

humillima quæque tutissima iudicans fore, in popinis & lupanaribus ad extremum ludi magister factus, fordidam vitam ad exitum tolerauit. Timoleon cum Dionysio pulso, magnos sibi in re militari spiritus sumeret, Carthaginenses tentauit ex Sicilia pellere. prælio ad Crinisium fluuium facto Pœni superati. cæsi ad decem millia sunt, & præsidium castrorum captum. neque victoria Timoleonti incruenta fuit: debilitatis viribus victor quamuis neque hostes ex insula pellere, neque aliquam illis urbem potuit post victoriam adimere. Interea Boode siue defuncto siue Carthaginem reuocato, M. herbal in Hispaniam venit, qui quid rerum in prouincia gesserit non liquet. ac ne illud quidem proditum est, quibus deinceps præfectis ex ea gente Hispania sit gubernata. Illud pro constanti traditur, Mafsilienses aucto suorum numero

4 1 9

& commercij extendendi gratia, anno ab V. C. 419. multis nauibus coloniam misisse in Hispaniam. classis partem ad Pyrenæi radices confedisse, vbi Indigetæ habitabant: vrbisque, quæ ex aduersum Rhodopes sita erat, & ex hoc tempore à multo commercio Emporiæ nuncupari cœpit, angustiore quidem partem versus mare, perpetuo tamen muro à reliqua vrbe secretam tenuisse. vnde tota ciuitas & Palæopolis, id est, vetus vrbs, & Dyopolis, id est, gemina ciuitas dicta sit. partem alteram ad Dianium promotorium, oppidum Dianæ templo coniunctum constituisse. Huius classis aduentu tria in Hispania cognita ferunt: magna Romanos potentia, eximiaque fide susceptas amicitias colere. Syracusanos post receptam libertatem Timoleontisq; obitū de pellendis tota insula Carthaginensibus cogitare. Tum Alexandrum Macedonem, cui Magni cognomen res gestæ pepererunt, initio regni cum nōdum vigesimum ætatis annum impleisset, Illyrijs, Triballis, Thracijsque superatis, & liberis paulò ante Græciæ ciuitatibus oppressis, Asia deinde, Syria, totaq; Aegypto domitis, Dario fugato cæsoq; Persarum imperiū occupasse. ad Indos tandem ferro penetrantem inauditas gentes & regna citius domuisse, quam alius passibus peragrasset. quo nūcio permoti Hispani ea parte, quæ Mediterra-

neo

neo alluitur mari legatione Babylonem vsq; missa, eum conciliare placuit, vt haberent quem Carthaginensibus opponerent, non obscure prouinciæ libertati insidiantibus. eius legationis princeps Maurinus (nisi Orosij lectio vitiosa est) adiunctis ex itinere Gallorum legatis Babylonem tandem peruenit. vbi Sicilia, Sardinia, Italia, totius Africa ciuitatū, ipsiusq; adeò Carthaginis legati victoris aduentum iussi erant expectare. Ergo post reditum facta se adeundi potestate Hispanorum legati mandata exposuerunt, eius virtutis famam toto orbe ad extremam terrarum Hispaniam vagatam, suam gentem permouisse vt missa legatione interpellandum iudicarent, amicitiamq; expecterent, non inutilem futuram post subactum ipsi Orientem, signa ad Occasum conuerrere, vt par erat, cogitanti, ditissimæq; prouinciæ copijs vsuro pro voluntate: sibi nō minus domesticis dissidijs quam externis bellis laborantibus, & periculo proximis haud minori præsidio opus esse. nō commissuros se se vt fidelis animi officium atq; industriam vllò tēpore desideraret. Hispanorum moris esse, neq; amicitias leuiter suscipere, & cum suscepissent cōstanter colere. Grata imprimis hæc legatorum oratio Alexandro extitit, atq; ita vt tum demum rerum dominus factus sibi videretur auctore Arriano, postquam ex vltima terrarum plaga de cōtrouersijs suis ipsi arbitrium defereretur. multa de reip. statu, prouinciæ copijs, agrorū fertilitate, institutis atq; moribus prouincialium, cōmercioq; gentium exterarum percontactus, atq; quāmpriū res Asiæ cōpositæ essent, quoniam de Africa atq; Occidente cogitaret, Hispanorum res sibi curæ fore pollicitus, donatos in patriam remisit. Romanorum gloriæ æmulatio Alexandrum incitabat, & Carthaginensibus erat iratus, quos satis constabat suarum rerum metu Tyro euerfa atq; Alexandria in ipso Africa aditu constituta, Amilcarem cognomēto Rhodanum ad Alexandrum misisse, vt fugæ simulatione cōsilia eius ad ciues occulte perscriberet. Verum eos conatus mors inopina impediuit. Babylone quarto kal. Quintilis extinctus est, Olympiadis. 114. anno primo, qui annus ab V. C. 430. erat. Quidam huic annorum numero biennium detrahunt, & in ratione horum temporum sæpe hallucinetur historia necesse est. Hanc Hispanorum legationem Carthaginensibus fuisse ingratham, cōtra quos potissimum erat cōparata verisimile est. & constat eos à cogitatione repetendæ armis Hispaniæ reuocatos motibus Siculis atque Agathoclis metu. Is patre figulo in Sicilia natus, & adolescentia turpissime exacta, quòd esset manu promptus, bonus consilio, Syracusanorum Dux creatus, bello quod cōtra AEnneos gerebatur: eo bello profligato, cum in suspicionem venisset affectatæ tyrānidis, in exilium pulsus, & à Murgantinis odio Syracusanorum prætor primū, deinde Dux cōstitutus, eorum ope Leontinis captis Syracusas etiā redegit in potestatem, urbem prodeunte Amilcare Pēno, quem illi cōtra Agathoclis potētiam auxiliarem aduocant. perfidæ penas Amilcar capite dedisset omnibus suffragijs in senatu damnatus, ni fati beneficio euasisset morte in Sicilia præuentus, altero Amilcare Gisgonis filio successore. Qui firmis ex Hispania auxilijs, nouisq; ex Africa copijs in Siciliam traductis, tyrannum inito prælio victum intra Syracusas obsedit. ex metu audacia nata, suorum is animis confirmatis

4 3 0

D 2 ad ob-

ad obsidionem tolerandam, cum classe in Africam traiecit: & qui vni bello impar erat, consilio vires adiuuante, duobus victor extitit, Hannone Pœnorū Duce in Africa acie superato, cæsoq; dein agro vastato villis castellisq; incēsis, atq; ingenti hominum & pecorum præda abacta, magna Carthaginis trepidatione, in cuius oculis agri, villæ, oppidaque fumabant, deliciæ ciuium copiarq; & ex Sicilia afferebatur tyranni fratrem Artandrum, qui erat in obsidione relictus, eruptione ex vrbe facta, hostes securos Duce cæso superasse. Quo nuncio lætus Agathocles cōtinuò Syracusas reuersus, Pœnis locis omnibus superatis, cæsis reiectisque in Africam, totius insulæ imperium abstulit. Tranquillitas diuturna rebus non fuit. Pyrrhus Epirota à Tarentinis aduocatus venit in Italiam, & Romanorum potentia duabus coniunctis ferme cladi-  
 4 7 6 bus afflicta, anno ab V. C. 4 7 6. traiecit in Siciliam. Agathocle enim Syracusis defuncto, vxoreq; & liberis eius iussu cum thesauris & priuato instrumēto in Aegyptum dilapsis, Carthaginēses insulæ occupandæ studio in Siciliam traicientes nō paucas vrbes occuparunt. Cōtra horum potentiam Pyrrhus à Syracusanis aduocatus, Epiri se & Sicilia Regē dixit, hostesq; terrestri prælio superauit: tamen eos in ora Hispani maritima delectu habito quinque Hispanorum peditum millia, centum quinquaginta equites, funditores septingētos, præsidariosq; Hispaniæ milites, arcibus Hispanorum fidei custodiæq; cōcredit, nauibus in Siciliam auexisse nostri scriptores aiunt: quorum virtute addunt Pyrrho in Italiam redire maturanti nauali prælio cōmisso, victoriam de manibus extortam. victum cōstat: in Italiamq; ac deinde in patriā reiectū, Sicilia imperio tam citò amisso quàm facillè quæsierat. sic Iustinus ait. Pyrrhu discessu Syracusani Hieroni remp. cōmendarunt, deinde Ducem cōtra Pœnos, ac demum Regem iusserunt. patre is Hieroclyto natus erat, genus ducenti à Gelone antiquo Sicilia tyranno, matre impari atq; aded ancilla. Carthaginēses multas Sicilia vrbes sub imperium denuo adiunctas validis præsidijs muniebant.

*Primum bellum Punicum. Cap. VI.*

**R**E B V S ad hunc modum stantibus, nouum repente bellum exarsit: quod Carthaginis fortunas afflixit, penitusq; subuertit. Romanis qui hætenus Italiæ finibus imperium terminarant, in Siciliam admissis hac occasione. Mamertini à Marte dicti, cūm bellicā gloriam sibi præ cæteris arrogarent, ex ea Italiæ parte quam Cāpaniam dicimus, Messanæ (quæ vrbs freto Siculo imposita & portu tutissimo nobilis est) Agathoclis ætate à ciuibus auxilio aduocati, oppressa libertate & ditio-  
 4 0 ne armis propagata, aded opibus aucti sunt, vt Pyrrhum Epirotam bello laceßere auderent, & Syracusanos iniurijs prouocare minime dubitarent. Verum Hierone Duce ad Longanum fluuium prælio cōmisso, cæsis atque fugatis plurimis, Mamertini cæteri intra vrbem compulsi, cūm ægre mœnibus se tuerentur, neque suis viribus fiderent, aliunde auxilium petierunt. pars Carthaginēses asciuit, venientesque quoniam prope erant, vrbe atque oppidis recepit. pars Romam legatos misit, cuius felicitatis, virtutis,

virtutis atq; equitatis ingēs fama ferebatur. Ij dato senatu suorū ciuium man data explicarūt. Plerisq; Patribus iniquū fore videbatur Carthaginēses vnde nulla extaret iniuria bello prouocare. alij expectādum negabant dum Sicilia accessione aucti traicerēt in Italiam. Re iactata optimum visum est Mamertinis opitulari, præsertim cūm in antiquo foedere iam inde à Publicolæ cōsulatu icto rursusq; & tertium instaurato cautū esset ne se rebus Siculis alterutri admiscerēt, quod à Carthaginensibus violatum fuisse accusabāt. Missus est auxilio Appius Claudius Cōsul cum cohortibus aliquot, Olympiadis. 1 2 9. anno primo, qui annus ab V. C. fuit. 4 9 0. Ea re Messanæ nunciata Charthaginēse præsidium vrbe pulsum à ciuium parte est. Atroci iniuria Pœni irritati foedere cum Hierone facto Messanam terra mariq; obsident, tum vrbs expugnandæ studio, tum vt Romanos freti transitu prohiberēt. Verum ij noctis caligine tecti in vrbem admissi freto trāsmisso, eruptioneq; facta Hieronem prælio superant, & Pœnorum castra capiunt, Siculos qui cladi superauerunt intra Syracusas cōpulsos aliquandiu obsessos tenent, Carthaginēsis vrbes & oppida nō pauca adimunt, & fortuna penitus aduersa Hieron ab eorū amicitia diuulsus Romanis se adiūxit. At illi noua cōparata instructaq; classe nouisq; delectibus in Hispania, Gallia ora maritima, atq; Liguria habitis, vt Polybius est auctor, bellum instaurarūt cōtra Romanos diuturnum atq; difficile. cuius successus omnes à nobis vt referantur visum nō est, satis oneris sustinentibus Hispaniæ rerum cōmemoratione, bello intestino atq; atroci hac ipsa tēpestate vexatæ, cædibus, incēdijs, rapinis vastatæ, vt ne strates historiæ docent, nulla neq; locorum neq; nominum designatione. Nam bellum inter Romanos & Carthaginēses alternante sepe fortuna gerebatur: et prælio nauali quod cōmissum est anno V. C. 5 0 2. Romana respublica afflicta est nonaginta, si Eusebio creditur, amissis nauibus, Cæcilioq; Metello Imperatore victo fugatoq;. Balears verò à Carthaginensium magistratum auctoritate rebellarunt, cæsisq; Punicis præsidijs classem, quæ in portu erat, lapidum procella coegerūt è portu subductam stare in anchoris: & cūm furor agrestium hominū non remitteret, in patriam migrare. Ad eam tēpestatem sedandā virtute & auctoritate opus erat, Amilcar Barchinus exacta prudētia vir, atq; militari laude clarus Dux à senatu eò missus, cūm summæ diligētiæ & auctoritati summam morum facilitatem addidisset, & à vi abstineret, totam insulam ad pristinam tranquillitatem reuocauit. Quo tempore in Tiquadra insula Balearibus proxima, Amilcari natus est Annibal, is qui magnitudine rerum gestarum totū orbem terrarū sui nominis fama cōpleuit. Plinius certe, nisi lectio sit vitiosa, Tiquadram Annibalis patriam esse ait. Scriptores nostri matre Hispana natum addunt, atq; Amilcarem belli cōtra Romanos Ducem creatum anno ab V. C. 5 0 7: duo Hispanorum millia, & funditores trecentos nauibus abduxisse, Sicilia imperio, quod amissum erat recuperando. Eæ copiæ Italiæ littoribus tentatis, ad eam Sicilia partem appulerunt, vbi Panormum vrbs sita est, nauium statione non incommoda coniuncta, monteque in quem ascensus est difficilis omni ex parte. subiecta duodecim millium quoquo versus planicies præcipua amœnitate prouentuque panditur. Eum montem Amilcar munire  
 D 3 atque

atque in eo copias continere, ne vniuersæ dimicationis aleam subire cum vi-  
ctore necesse foret: minutis tātum prælijs fatigare, finitima oppida & vrbes  
ad defectionem sollicitare, & maris imperium retinere constituit. Aduersus  
eas molitiones C. Lucatius Consul Roma cum valida classe dimissus Lily-  
bæum venit. A Carthaginēsi senatu Amilcaris hortatu noua classis cōparata,  
atque Hannone Duce, Romanorum classi obuiam missa, cum ad manus ad  
Lilybæum ventum esset, victa à Romanis atque profligata est, sexaginta  
nauibis captis, quinquaginta submersis. Cæforum & captiuorum nume-  
rus pro numero nauium magnus, tanta ex eo Carthaginis trepidatio-  
ne, vt continuò de pace agendum iudicarent. paciscendi cura Amilcari de-  
mandata, non minori prudentia Duci ad fortunæ impetus sustinēdos, quàm  
ad gerendum bellum virtute diligentiaque. Ducum mutuo colloquio de cō-  
ditionibus actum, ac tandem pax facta est his legibus. Pœni copias omnes ex  
Sicilia vicinisque insulis deducunt. Hieroni aut Romanorum cōfœderatis  
negocium ne faciunt, neve molestiam exhibent. Duo millia & ducenta Eu-  
boica talenta aliquot p̄sonibus pendūto mulctę nomine, & ob eos sumptus  
quos tolerare necesse fuerat. Gratis captiuos reddunt. Has conditiones popu-  
lus Romanus non probauit. missi Decemviri cum auctoritate mille talenta  
addiderunt summæ pactæ. neque Sicilia solū, sed etiam alijs insulis quæ Si-  
ciliam inter & Italiam sunt, Pœnos abire iusserunt. Inchoati belli anno. 22.  
qui annus ab Vrbe condita fuit quingentesimus duodecimus, Hispaniæ infau-  
stus ob aeris siccitatem & terræmotus freqētes, quibus Gadium pars hiatu fa-  
cto defedit mari hausta, ab armis discessum est, pace facta. atque ita discessum  
vt maius quàm quod gesserant agitare in animis bellum omnibus esset per-  
suasum. Graues conditiones fœderis, eoque non amplius cogitabant, quàm ne  
cessē foret, Pœnos toleraturos.

*Amilcar denuo venit in Hispaniam. Cap. VII.*



**N**OVAE excepere calamitates: vt nunquam in vno gradu for-  
tuna resistit. vno tēpore in Africa atque Sardinia Punicæ copię  
tumultuatæ sunt. In Africa quidē deducti ex Sicilia milites Coto  
Afro & Sependio Italo Ducibus, cum exhausto superioris belli  
malis ærario stipendia longæ atq; infaultæ militiæ negarentur,  
ad sexaginta hominum millia oppidis incensis, atq; vicinis vrbi agris vastatis,  
Carthaginēsiū animis magnam sollicitudinem iniecerūt. Sardinia ex-  
citus eadem de causa rebellās, id facinus nouo scelere cumulauit. Hannonem  
ad eos motus sedandos missum, acerbe exercentem imperium conspiratione  
facta milites in crucem egerunt: & vtriusq; copijs coniunctis eam insulam cō-  
muni nomine aliquandiu tenuerunt. Dein Sardorum armis pulsi, atque ad  
Romanos confugientes, ita in fidem recepti sunt, vt neque eas copias in  
Sardiniam remitterent, & comparata tamen classe Pœnos ab eius insu-  
læ possēssione remouerent. Grauis is dolor genti fuit, tantum virium  
amissā nuper Sicilia & modò erepta Sardinia decessisse. Romani con-  
tra

tra excusabant, in superiori fœdere cautum esse vt vtraque insula Pœni absti-  
nerent. Additum blandimentum mitigando dolore vltro Carthaginem nauibus  
missis frumento onustis ad famem leuandam, quam neglectus agrorum  
cultus in tātis motibus pepererat grauisissimam. Tametsi Amilcar Barchinus  
ei bello creatus Dux, tumultuantes in Africa milites, primū triennij patien-  
tia fregerat, deinde etiam prælio ingenti superarat. Hac victoria Pœnorum  
rep. recreata, atq; ablata Sardinia dolore cōpresso, de Hispania cogitare cœ-  
perunt, longissime à Romanorum ditione imperium proferri posse credētes,  
& maioribus cōmodis reip. vulnera sanari. Amilcar ei prouinciæ cum sum-  
ma potestate præfectus Carthagine soluit, votis prius nūcupatis, & sacrificio  
peracto: ad quod Annibalem nouem natum annos, atq; in Hispaniam secutu-  
rum, à patre Amilcare adhibitum memorant tactis aris cum per ætatem licē-  
ret, conceptis verbis iurasse, hostilem animum in Romanos. Erant præterea  
Amilcari filij tres Annibale minores, Asdrubal, Mago, atq; Hanno. Appulso  
Gadeis, Turdetani qui vno tenore multis annis ex quo in amicitiam Cartha-  
ginēsiū venerant, fidem coluerāt, missa legatione occurrerant aduentū gra-  
tulantes, copiasque si ex vsu esset, offerentes. Eo præsidio Amilcar non modò  
veterem ditionem in cōtinenti recepit, verum etiā vniuersam Bæticam, quā  
vi, quā voluntate sub imperium misit, anno ab Vrbe cōdita quingentesimo de-  
cimo sexto. Gentem vsq; adeo opulētam ea ætate, vt argenteis præsepibus &  
dolijs vterentur, auctore Strabone. Adijciunt classē Mediterranei maris litto-  
ribus tentatis, aduerso Ibero flumine coloniam instar arcis reliquisse, quam  
olim Carthaginem veterem dixerunt: hodie Cantæchia esse creditur, igno-  
bile oppidum, & Rhodiensibus militibus cōtributum, à Derrusa vrbe præter  
Occasum & Septētrionem quadraginta millibus passuū in Ilercaonibus sitū,  
vbi eam coloniam Ptolemæus certe collocauit: haud obscuro argumēto falli  
eos, qui Carthaginem veterem aut Dertusam ipsam esse putarunt, aut duode-  
cimo ab ea vrbe lapide ad oriētē Solem Perellum pagum, vbi parietinæ ex-  
tant veteris structuræ clara vestigia. Sequēti anno ora maritima vniuersa sub-  
iugum missa est, vbi Bastetani atq; Contestani secundū maris littus extēde-  
bantur. Sagūto vicino ad Amilcarem missi legati, de victoria gratulātes, mu-  
neraq; afferētes, seruiendi conditionem quantumuis honestam detrectarunt.  
Ijs benigne dimissis, nobilem urbem opprimēdi studio ardēs, iure vt videre-  
tur facere, idq; facinus specie honestatis velaret, Turdetanos paulò post subor-  
navit, vt in eorum agro atq; ditione urbem ponerent, quam Turdetum olim  
nominatam fuisse cōstat. Turulim quidam octoginta passuum millibus remo-  
tam esse arbitrantur, sola ex nominis leui similitudine ducta cōiectura. Ea ex-  
re inter vtranque gentem orta controuersia, Amilcar confidebat opprimēdæ  
Saguntinorum libertatis nō defuturam occasionem. Quam illi fraudem odo-  
rati, nihil se commouere, atq; ab armis abstinere constituunt. ad Iberi ostium  
rei bene gestæ lætitia celebrata est Amilcaris filia Himilces & Asdrubalis  
propinqui nuptijs, anno ab Vrbe condita. 521. Legati dimissi ad Gal-  
lorum Principum voluntates tētandas, quorum Amilcar amicitia imprimis  
vsui fore confidebat, domita Hispania aduersus Romanos signa conuertere  
D 4 cogitanti,

cogitanti, plerique donis & auro, cuius est gens illa auidissima in partes attra-  
cti. Arma mox anno sequenti propius Pyrenæum promotæ, atque à Dertusæ  
finibus ad Rubricati ostiū littoribus subditis, Barcino vrbs de Barchinæ gē-  
tis nomine paulò vltra id flumen cōstituta creditur, alij ad Herculem Libyū,  
alij ad Barcilonem Cariæ ciuitatem huius vrbs cōditionem ablegāt: aucto-  
res numero & antiquitate potiores redarguunt, Barcinonem in colonijs Pu-  
nicis numerantes. His rebus intentum Amilcarem, Rhodopemq; & Empo-  
rias finitimas vrbes, quoniam eius conatibus potissimum repugnabāt, subiu-  
gare parantem, mors oppressit. Cū noui motus in Bætiam reuocassent, in  
Edetanis magna prouincialium multitudine in armis obuiam facta, in acie  
occubuit, nono circiter anno ex quo in Hispaniam venit. ex hominum milli-  
bus amplius quadraginta, quem numerum sub signis habuisse memorāt, plus  
duabus tertijs cēsis, reliqui amisso duce fugæ & noctis beneficio in proximas  
ciuitates euaserunt. Ad Castrum Altum pugnatum fuisse Liuius ait.

*Asdrubalis res gesta. Cap. VIII.*



NO RVM arma in Bætiam cōuersa sunt, Phocænsiumq;  
ijs locis coloniam, cuius nomen non proditur, quoniam eos mo-  
tus prima concitarat captam solo æquarunt. Ita qui funesto bel-  
lo occasionem præbuerunt, ij principes pœnas persolvere. Car-  
thagine Hamilcaris morte nunciata de successore subrogando deliberatione  
suscepta, magna contentio excitata est, & Senatus sententiæ variabant. Tota  
enim ciuitate in Edos atq; Barchinos scissa, quæ duæ factiones opibus, gratia,  
& auctoritate facile principes erant, Barchini Asdrubalem præferebant. His  
Edi non obscure inuidentes ex sua gente nouum in Hispaniam præfectum  
mitti omni ope cōtendebant. vnde ingentes diuitiæ parabātur. Dum alterca-  
tionibus tempus extrahitur, missus opportune ex Hispania Annibal amicæ  
factionis animos confirmauit, aduersariorum conatus fregit: atque gratia &  
auctoritate effecit, vt imperium Hispaniæ Asdrubali deferretur: cū in sena-  
tum ingressus longa atque accurata oratione explicuisset patris labores, res  
gloriose gestas, Hispaniam eius virtute domitam, funestum exitum nulla ip-  
sius culpa sed fortunæ iniquitate cōtractum. Nouas in Hispania conditas vr-  
bes, veteres magnis præfidijs teneri. Magnam spem esse totius prouinciæ po-  
tiundæ, si eodem consiliorum tenore pergerent remp. administrare. Errare si  
qui putent, feroces Hispanorum animos viribus superari posse. Asdrubalem  
ætate esse integra, virtutis opinione maxima, non modò bellicis artibus, sed  
etiam eloquentia validū, tractandi Hispanorum animos artificem singularem.  
In vnum maxime exercitus & sociorum studia conspirare. Fasciculum littera-  
rum ostentabat, voluntatis indicem Hispanorum, Ducumque proficiscenti  
datum ad senatum. Etiam atque etiam viderent ne mutandis præfectis nobi-  
lissimæ prouinciæ animos alienarent, in eo rerum momento, cuius opibus  
aucti nullam deinde potentiam ipsi formidarent. Ea oratione, atque ijs litte-  
ris victo senatu Hispaniæ imperium Asdrubali decretum est anno ab Vrbe  
condita

condita. 24. Quo is circumactō, rebus in prouincia cōpositis, multis Hispa-  
norū proceribus itipatus Carthaginem nauigauit. vbi omnia ad nutū guber-  
nare sperabat: plusq; vnum auctoritatis & potentiæ habiturum quàm reliqui  
magistratus. Verum cū nihil procederet eorū quæ cogitarat, populo atq; Se-  
nato ab Edorum factione concitato, quasi re cum Annibale comunicata re-  
gnū meditaretur in libera ciuitate, in prouinciam reuersus per otium ea par-  
te, qua Contestani ad mare fusi erant, vrbs ædificauit, quam Carthaginem  
nouam dixerunt (alterius comparatione ab Amilcare prope Iberum amnem  
constitutæ, vti ante dictum est) ab sparti copia, quam ea regio fundit ma-  
ximam, Spartariam etiam Carthaginem: portu coniuncto ab omni ven-  
torum procella tutissimo, propter editos colles, quibus quasi circinō circun-  
datus angustum aditum habet insula obiecta ad maiorem securitatem: quam  
prisca Herculeam nuncuparunt, Latini à piscium genere ijs in locis frequen-  
tissimo Scombrariam. olim murorum amplitudine, ædificiorum elegantia, ci-  
uium cultu atque frequentia cum quauis magnarum vrbiū comparanda.  
nunc ad paucos incolas redacta, non obscura veteris amplitudinis vestigia re-  
tinet. Romani ijs rebus cognitis, quæ in Hispania gerebantur, tametsi cupi-  
ditate ardebant, eundi obuiam Pœnorum conatibus, ignauiamque suam accu-  
sabant: ne initi tamen nuper foederis sanctitatem primi violasse viderentur,  
& quoniam ex vltiori Gallia rumores erant allati, eam gentem vnà cum  
citerioribus Gallis in Romani nominis perniciem cōiurare: tantisper suste-  
rare placuit, ac Mafsiliam tantum legationem mitti per speciem occurrendi  
Gallorū consilijs, re vt eorū opera vrbes in ora Hispaniæ Mafsiliensibus ami-  
cas in fœdus attraherēt: quod Pœnorum odio facile perfectū est. Emporiæ pri-  
mum in Indigetibus, qui Laletanis & Ceretanis contermini à Sameroa flu-  
uio vsque ad Pyrenæi extremas partes extendebātur, cum Romanis fœdus fe-  
cerunt: & per eos Saguntum atque Dianium in partes attractæ: vnde noui at-  
que grauissimi belli inter Carthaginenses & Romanos nō longo interuallo  
materia extitit. Tantæ machinationes Asdrubalem latere non poterant, neq;  
quorsum Romanorum conatus & consilia spectarent. dissimulare tamen pla-  
cuit donec omnia essent ad bellum comparata, focijs vrbijs in fide confir-  
matis, & Annibale per litteras in Hispaniam reuocato (nam eatenus Cartha-  
gine hæserat, retētus à patribus, quasi Asdrubalis fidei pignus). ægre ac mul-  
tum Hannone Edorum factionis Principe repugnante, qui æquo cum cæte-  
ris iure viuere assuefaciendum disputabat, impetratum à Senatu est, vt  
remitteretur in Hispaniam. eò delatum, incredibili exercitus atque socio-  
rum lætitia exceptum continuò Asdrubal suum legatum constituit, anno ab  
Vrbe condita quingentesimo vigesimo octauo. Quo tempore Romani Se-  
natus legati venerunt in Hispaniam, & facta Asdrubalem conueniendi  
potestate, data ipsis mandata explicarunt. Iam dudum Pœnos amicos atque  
confœderatos esse cœpisse Populi Romani. Nuper in Citeriori Hispania  
quibusdam ciuitatibus pacem datam. Ne fœdus cum alterutris initum alteris  
fraudi esset. Quod erat æquissimum, Pœni vt in Hispania Ibero flumine di-  
uisionem terminarent, postulare: neque Saguntinorum fines contingerent, quā-  
uis



uis ultra id flumē positos. neutri alterutrius populi socios iniuria violaret, qui secus fecissent, ab ijs fœderis leges motas fuisse visum iri. Ea legatio cum tantum sibi Romani sumerent, vt in aliena prouincia victoribus præscriberent, magnum pro eo ac debuit dolorem inuisit Carthaginensium animis. tempore tamen cædere rati optimum, dum se penitus ad resistendum compararent. omnia legatis concesserunt, quæcunque senatus nomine postularant. & erat ex Italia nunciatum Gallos vltiores Cisalpinæ Galliæ copijs permixtos atque formidabiles à Romanis fuisse ingenti prælio superatos, cæsis ex hostium copijs quadraginta millibus, atque eius numeri quarta parte capta. Dimissis legatis Asdrubal totum triennium consumpsit ijs rebus comparandis quæ ex vsu belli, quod meditabatur, futura prouidebat animo. Verum conatus eius mors inopinata interceptit, Olympiadis. 139. anno tertio, qui annus ab Vrbe condita fuit quingentesimus trigessimus secundus, trucidatus est à seruo quodam necem domini ferro vindicante, quem Tagum nomine Asdrubal occiderat summo inter Hispanos loco natum, tanta in seruo vindictæ voluptate, vt cum eum ad aras sacris operantem obruncasset, continuo comprehensus inter exquisita tormenta, membris omnibus excarnificatus, gestientis habitu nullam paulò tristiores vocem emisit.

*Saguntinum bellum. Cap. IX.*



**M**ORTVO Asdrubale summa Hispanici imperij Annibali commissa est, vigenti ætati iuueni magnorumque spirituum, viginti sex annos circiter nato, prærogatiuam militarem, fauor plebis & senatus approbatio confirmavit. Multæ inerant virtutes, neque minora in natura vitia. corpus duratum labore, ingens animus: gloriæ appetens, magis quam voluptatum: plurimum audaciæ, consilij plurimum. Has virtutes crudelitas, perfidia, religionis omnis contemptus fœdabat multitudini iuxta tamen erat ac Principibus carus. Inito magistratu, & sua sponte & Amilcaris casu castigatus, ne eius conatus mors impediret, continuo de bello Romanis inferendo agitare animo cœpit. honesta causa querenda erat. optima visa est sociorum iniurias, quæ à Saguntinis illatæ esse ferebantur, armis vindicare. Id priusquam aperte moliretur, Himilcem sibi Carthagine noua iunxit connubio nuptijsque celeberrimo apparatu factis, ex Milici Regis posteritate virginem, Castulone natam ad fines Bæticæ, non procul Biatia, vbi Cazlonæ villæ veteris amplitudinis obscura tantum vestigia conseruant. præterea Cyrræus Phocænsis, vnde etiam sanguinem deriuabat, Castulonæ matris nomine eam urbem primus condidisse ferebatur. Dos ingens fuit, diuitiæ pares nobilitati: vnde Annibalis potentia multum in Hispania creuit, creuere prouincialium studia. multis præterea locis auri atque argenti secturæ perscrutando effossæ eo res gerente: atque ex eo communi omnes voce Annibalis putei dicti sunt. Prouentum vnus putei, cui Bebelo nomen fuit, argumento licet conijcere liquati defecatiq; argenti in dies singulos reddentis trecenta pondo, hoc est, quantum duo millia ducenti quadraginta

draginta aurei nummi nostrates valoris habent. Initio arma in Carpetanos verla, gentem ferocia & multitudine cæteros eius prouinciæ populos superantem. De causa non liquet. Primi Olcades, vbi nunc Ocania sita est (Stephanus Olcades ad Iberum ponit) & caput gentis Carteia oppressi. mox alij ad Tagum insigni prælio victi. Quo tempore Saguntinorum intestina dissidia vigeant graue malum. quo procurando eorum rogatu missi Roma legati vtrunque factionem hortando terrendoque, & de fontibus aliquot sumpto supplicio motus composuerunt, veriti si diutius aleretur controuersia, vbi vetum esset ad arma, ne victa pars Annibali aditum in urbem patefaceret, vniuersosque is suæ ditionis faceret. Qui ferox successu omnibus citra Iberum populis subiugatis ad bellum Saguntinum conuerso animo, Turdetanis persuadet, vti de finibus Saguntinos lacestant, non de fore sperans ea controuersia orta occasionem opportunam perficiendi, quod cupiebat: belliq; cum Romanis id futurum initium, quod iam dudum totus ferebatur. Contra Saguntini, quod neque se armis pares fore, & amicitia populi Romani magis quam sua innocentia fidebant, Romam continuo extrudunt legatos. Ij dato senatu mandata Patribus explicarunt, hostilia moliri Annibalem, propediemq; sociam fidelemque ciuitatem obsessurum. nisi quid opis in ipsis sit, de sua suorumq; salute actum. Se quidem extrema prius pati paratos esse, quam fidem fallerent: viderent ipsi, ne cunctando socios hosti prodidisse, & vrbi amicæ cultam exitiæ fidem exitio fuisse videretur. Varijs sententijs agitata in senatu res. Multis bellum continuo decernentibus. vicit sententia lenior, legatosque ad Annibalem mitti placuit. qui adulta iam ætate Carthaginem nouam delati Annibali, senatus Romani verbis denunciant, ne Saguntinis socijs atque confœderatis molestus esse pergat. neve Iberum, vt erat in superiori fœdere cautum, transcendat. si secus faxit, curæ senatui populoque Romano socios amicosque fore. Ad hæc Annibal neque recte, ait, neque pro bono facere Romanos nuper Sagunti de viris primarijs sibi que amicis supplicio sumpto, & nunc dissimulandis iniurijs, quibus Turdetani à Saguntinis violati essent. Tum demum æquum fore Romanis socios tueri, si sibi pari conditione iureque potestas relicta esset, amicos ab iniuria damnoque vindicandi. Hoc responsò dimissis legatis continuo mense Septembri Annibal Romanorum conatus præoccupandi studio copias omnes ad centum quinquaginta hominum millia Saguntum deducit Olympiadis centesimæ quadragesimæ primæ anno primo, vti Polybius ait. Ijs copijs vastato agro, & multis circum oppidis direptis, vno modo Dianio conseruato propter loci sanctitatem homo minime religiosus urbem cepit impugnare. Erat Saguntum in Edetanis, tribus à mari millibus passuum, agri fertili gleba, commercij maritimi terrestriq; copijs beata, loci natura arteque munita. Positis castris, ædificatisque operibus, ariete murus tentatur, qua parte in vallem desinebat, minoriq; adeo firmitate. Fefellit opinio. munitior locus erat quam putarant: ciuesq; supremo conatu propugnabant. Annibali ipsi, cum auidius muro succederet, hasta fœmur traiectum, tanta suorum trepidatione, vt opera propemodum omnia & vineæ defererentur. Dum vulnus curatur dies aliquot ab oppugnatione cessatum. Nouos interea Saguntini

Saguntini Legatos Romã mittunt, obtestatum, ne urbem amicam in cruciatu hostibus dedant. Si paululum cunctati fuerint haud dubiũ interituram demõstrant. Ratione inita paucorum mensium frumentum esse: paulò etiam longius parcendo tolerare posse. Simul locis omnibus maiori cura munitis se ad resistendum comparant. Annibal cum primũ ex vulnere conualuit, tribus turribus arietum ictibus & quidquid inter eas muri erat ad terram prostratis, per lapidum stragem & rudera in urbem conatur euadere. Oppidani contra instructa pro ruinis acie, hostium primũ impetum sustinent, deinde quoniam præter spem non vincebantur, loco mouent ex vrbeque reijciunt, tandem in fugam vertunt: atque ita vt Saguntinorum impetum vix castrorum munitione sustinerent. Audacia exitialis fuit. Ferocior factus Annibal, certus nisi vrbe capta non quiescere. Legati denuò Roma missi (nam omnia tentare visum est, prius quàm veniretur ad arma) negata Annibalem conueniendi potestate, vt erant iussi, Carthaginem nauigantes de iniurijs in senatu cõque sti sunt, dedi Annibalem certe ad supplicium postulantes. eam vnam pacis cõditionem esse. Hanno æqua Romanos petere differuit. Annibalem si nullus posceret, in vltimas terras deportandum videri: ne quietum reip. statum perturbaret. Restitit Barchina factio Annibalis litteris & studio præoccupata. Sic repudiato saniori consilio in hanc sententiam responsum datur. Nulla Annibalis culpa res in eum statum deductas esse. à Saguntinis ortam iniuriã. Inique facere Romanos nouis amicitijs prælatis. Interea Annibal fesso militi pugnibus atque operibus paucorum dierum quietem dat. Ex Himilce per eodẽdem dies natus Aspar patrem Annibalem & exercitum lætitia cumulauit. pro eius ortu ludii in castris magno apparatu celebrati, & spectacula varij generis commissa. Saguntini contra de salute solliciti omnia ad defensionem comparare. Vani ij conatus fuere. repetita oppugnatione, turrique lignea promotã, telorum ex ea multitudine murum propugnatoribus nudatũ, quingenti Afri vectibus diruunt nulla calce duratum sed luto, eoque cedentem ictibus. Milites aditu patefacto, prædæque spe per præconem denunciata in urbem penetrant. Cedunt Saguntini viribus impares, penitioemq; vrbis partem cum arce subitarij operis muro coniungunt. Res in extremum adductas vna Romani auxiliij spes sustentabat. Datum tantisper respirandi spatium Annibalis discessu in Carpetanos & Oretanos, delectus acerbitate ad arma consternatos. Relictus obsidione vrgenda Maharbal Himilconis filius Saguntinorum eruptionibus compressis, & noua vrbis parte capta fecerat operæpretium, cum Annibalis reditu postquam eos motus composuit, miseris spes omnis præcisa est, arcis parte in potestatem redacta. Vna obstinatio, quæ in summo periculo consilium non recipit, vana sine viribus sustentabat animos. Saguntinus Halcon clam ex vrbe euadens, suorum misericordia ciuium quos de mentis potestate malorum pondere deductos considerabat, de pace priuatim agere cœpit: & cum nihil aliud impetraret, quàm vt ciues cum vestibus tantum, vrbe relicta, vbivictor cõstituisset, in ea agri parte nouum oppidum ædificarent, in castris hæsit, desperatione ea lege flexuros ciues ad deditioem animos. Miseram conditionem. pars maxima morbi est medicinam respuere.

respuere. Alorcus Hispanus, tamen si Annibali militabat, Saguntinis quadam naturæ propensione & veteris hospitij memoria fauens, in urbem per ruinas admittus, eas deditiois condiciones pro concione proceribus sumnota multitudine exposuit, iniquas quidem, & graues, sed fortunæ iniquitate necessarias. Debere eos non quid amitterent cõsiderare: sed quidquid relinqueretur id in lucro ponere. vitam, libertatem, opes in victoris esse potestate. Alorci oratio magna indignatione plebis & fremitu, quæ certatim confluerat cognoscendi auida, audita est. Plerique aurum atque argẽtum vestemq; in forum raptim congestam subdito igne cremarunt: seq; cum liberis & coniugibus in eundem rogam iniecerunt, mori obstinantes. Turris diu quassata eodem momento concidens, liberum militi aditum in urbem dedit, flagrantem incendio: quod excitarent sui restinguerent hostes, pari vtrunque infelicitate. Sic naturæ iura bellum in contrarium mutat. Sæuitum est in ciues, nullo neque ætatis neq; sexus discrimine: plerique seruitutis odio hostium ferro vltro obijciebant capita, aut tectis admoto igne eodem peribant incendio. Pauci in potestatem venerunt. ea militum præda fuit. Præterea multa vestis Carthaginem missa, multa occupata à militibus. neque enim omnia corrupta erant à ciuibus. Octo menses obsidio tenuit. mense Maio capta vrbs est atque excisa, anno ab Vrbe condita quingentesimo trigesimo sexto, cui alij numero annu, quidam biennium detrahunt, certe P. Cornelij & T. Sempronij consulatu.

*Initia secundi belli Punici. Cap. X.*



AGVNTI excisæ fama vno tẽpore Romæ audita est, & qui ad Annibalem fuerant legati, Carthagine redierunt, quæ Patrum & plebis dolore dicere non est necesse. Sera poenitentia suam ipsorum cunctationem accusabant. proditos desertosque socios. Inanis luctus erat, nobilissima vrbe euerfa. quod proximum erat, vindicare constituunt. Tamen si iram adæquabat metus à præualido hoste multorum annorum militia duratas copias trahente. iam superatis Alpibus bello petere Italiam Annibal, & pro menibus adesse, rãtumque vim non adiuuere videbatur. Bellum tamen continuò in Carthaginenses decretum. Coss. Cornelius Hispaniam, Sëpronius Africam cũ Sicilia sortiti sunt. Romæ atque tota Italia delectus habiti. Iuuenes ad signa vocati. inutilis bello turba, in quibus nihil præterea opis erat, in preces & supplicationes versi per omnia vrbis templa votis & victimis fatigare deos. His rebus comparatis, instructaque classe, quinque legatos præmitti Carthaginem placuit, rogatum publica ne an priuata auctoritate Saguntum esset excisa. Legationis princeps Q. Fabius, dato Carthagine senatu, mandata suæ vrbis exposuit. Illi non de auctoritate quærendum dicere, sed de belli conditione, iure an iniuria illatum esset. In antiquo cum Lucretio foedere nullam de Saguntinis esse mentionem. Ab Asdrubale condiciones datas non magis reliquos astringere, quàm Lucretij foedus Romanum fenatum: cuius leges pro volûtate mutarat, peioresq;

peioresque ea excusatione fecerant. Tempus altercationibus ducebatur, nullo competenti responso. Romanus veste in sinum contracta pacem, inquit, & bellum portamus. vtrum mauultis eligite, Respondentibus daret quod vellet, explicato sinu bellum dare dixit. Inde vt erant iussi Romani legati in Hispaniam nauigantes Bargusios in extrema Hispania atq; in Ceretanis facile contra Pœnos impulerunt. à Volcianis verò, quos vicina loca tenuisse arbitror (alij in Celtiberis ponunt, quo loco Villadolce sita est, non procul ab ortu Guerbæ fluminis, oppidum veteribus monumentis Volcem dictum) repulsam tulerunt addita verborum contumelia, quasi proditis Saguntinis novos socios aucuparētur: nomen magis ad præsidium sociorum quam vires afferre soliti. Eo responso vulgato pari libertate ab omnibus ciuitatibus repulsi, in Galliam Narbonensem profecti in gentis concilio ne Annibali, quem arma expedire in Italiam constabat, per suos fines transitum darent, Romani senatus verbis postularunt. magno Gallorum risu, stultum iudicantium alieno modo arbitrioque grauissimum bellum in suos fines attrahere. Pœnorum donis præoccupati erant: à Romanis neque acceperant quidquam, neque expectabant. Sic nullo operæ pretio facto per Massiliam Romam redierunt. Interea Annibal in nouum bellum intentus, copijs in hyberna dimissis, factaque qui cuperent suos inuisendi potestate, modo ad prima veris signa Carthaginæ noua præsto essent: ipse Gadeis, quasi in Herculis templo nuncupaturus vota procuraturus sacra, profectus est. Sacrificio peracto, atque vxore & filio abs se dimissis, aut in Africam, aut vt alij suspicantur, Castulonem, tredecim millia & octingentos cetratos ex Hispania pedites Carthaginem misit, Baleares octingentos, mille & quingētos equites, vt obsidum loco essent, & procul à patria maiore virtute fideque operam reip. nauaturos cōfidebat. Eadem classe vndecim Afrorum millia in Hispaniam abducta. quo præsidio octingentis insuper additis Liguribus Asdrubalem fratrem iussit Hispaniam tueri. Addita classis idonea ad maris imperium retinendum. Obsides præterea quos ciuitatibus imperauit iuuentutis principes, in Sagunti arce Bostari custodiendos reliquit. Ipse cum robore exercitus, in quo nonaginta peditum millia ex varijs gentibus erant, duodecim millia equites (Polybius multo minore numerum ponit) iter ingressus, vbi ad Iberi ripam castra posuisset, noctu de belli euentu sollicitus, videre sibi visus est per quietem, iuuenem augusta specie, qui se ab dijs ducem in Italiam missum diceret. sequeretur proinde, neque oculos retro referret. cum nihilominus cōuersa facie serpentem vidisse obuia cuncta subuertentem, & nimbi procellam subsecutam. Roganti ecquid ea portenderent, desineret respondisse fatorum arcana perscrutari, sequereturq; quæ viam pandebant numina. Ibero trāsmisso Annibal Andubale gratia, copijs & auctoritate ijs in locis inter Hispanos Principe sibi conciliato, atque Hannone cum iusto præsidio totiusque exercitus impedimētis, quo expeditius esset iter, in eo tractu relicto, in Pyrenæi saltus iugis tria Carpetanorum millia tam longinquæ militiæ pœnitentia signa deserentes, ne ijs cogēdis supplicio cæteri irritarētur, eos septemq; alia Hispanorū millia, qui inuiti sequi videbantur, sponte dimisit. Quo facto nominis auctoritatem sanciuuit

sanciuuit, quasi dimissis sponte omnibus, & reliqui exercitus metus mitigatus, eo exemplo confidentium militiam, quam sponte suscepissent, cum vellet posituros. Mox transceso Pyrenæo, atque Gallis, qui arma corripuerāt, foedere deuinctis, opera Ciuis mari & Mænicati, qui inter Gallos summum gratiæ & auctoritatis locum obtinebant, Rhodano traiecto, Volcisq; victis, eius fluminis ripas vtrinq; incolentibus, ad Alpiam radices castra promouit. Fuit hic annus Hispaniæ vt frugum copia lætus, sic morbis & pestis contagione grauis. magni terræ motus exitere. mare identidem tempestatibus sæuijt. in cælo concurrentium acierum species visæ cum nubium fragore, ad indicium calamitatum, quibus hoc bellum orbem terrarum implicuit.

*Annibalis transitus in Italiam. Cap. XI.*



VLTA ex ijs quæ sequuntur, externa sunt sed nisi ijs explicatis, quæ in Hispania contigerunt, cognosci vix possent. Dabit lector veniam accommodatam priorum vestigia obseruantibus, maiori breuitati. Ergo P. Cornelius Consul, cui sorte obuennisse Hispaniam dictum est, mari profectus ad impediendum hostium iter, positus ad Rhodani ostium castris, ad rei bene gerendæ occasionem excubabat: cum trecenti equites Romani quingentos Numidas (nam erant ab vtraque parte speculatum missi) forte obuios factos, tumultuaria in pugna vicerunt. Lætus Consul omine, quoniam prima bene successerant, ex ijs coniectans de summa, cupidusque vniuerso prælio decernendi, motis castris ad Rhodani & Araris confluentes, triduo postquam hostis inde discesserat, in vacua Pœnorum castra peruenit. Iter hostium consequi non sperabat: vnde discesserat rediens Cn. Scipione fratre cum robore exercitus & longarum nauium classe, ad tētandam Hispaniam, tuendosque in ea socios ablegato, cum paucis ipse Genuam mari repetijt, nouum in Italia exercitum haud de fore ratus aduersus Annibalem. Qui per Allobroges Taurinas Alpes ægre quam uis superauit quindecim dierum spatio: ac in Italiam copias induxit viginti peditum millia, sex equitum, vt quidam aiunt. Alij centum millia pedites, equites viginti millia duxisse cōfirmant. Punicis certe copijs par Romanus non erat, tyrone plurimum milite, vti ex subitario delectu. Ita ad Ticinum annum facta pugna Consul pro victo in castra compulsus proxima nocte fugæ per simili profectio Placentiam abiit, maiori mœnium quam virium fiducia, in pugna grauitè fauciatus. Collega Sempronius meliori partium fortuna in Sicilia res gerebat, vna & altera Punicis classibus victis. Eo inde aduersus Annibalem reuocato ad Trebiam annum maior quidē clades illata Romanis est. Ijs in locis Annibal hyeme transacta Sempronio Cos. ad comitia in Urbem profecto, vix dum aperiente sese vere anni ab Vrbe condita quingentesimi trigesimi septimi, in Hetruriæ aditu coorta atq; in Apennini trāsitu sæua procella, & frigorum inclemētia multos suorum amisit. Ad Placentiam, cum re necessaria retro redijisset, Sempronioq; in castra reuerso creatis Coss. Cn. Seruilio & C. Flaminio, denuo collata signa sunt. Acre & anceps prælium

prælium fuit. pugnares nox diremit: exæquataque clade Pœnus in Lygu-  
res abiit, amissa magna exercitus parte.

*Gesta per idem tempus in Hispania. Cap. XII.*



**I**NTEREA Gn. Scipio Emporias classe delatus, à Lacetanis  
exorsus omnem eam Hispaniæ oram à Veneris promotorio ad  
Iberi ostia secundum mare Romano nomini adiunxit, Pœnorū  
odio libenter fœdus imperiumque mutantem. Classis Romana  
ad Tarraconem nempe in Salū portu (Solorium Rufus Festus  
10 vocat) quarto ab ea vrbe ad Occasum lapide hyemauit. deinde cum Han-  
none ei oræ ab Annibale præfecto signa collata in Ilergetibus ad Cyssum:  
quod hodie quidam Sissum, alij Saidi ijs in locis nota oppida esse suspican-  
tur. victoria penes Romanos stetit, sex Pœnorum millibus cæsis, duobus ca-  
ptis. Hanno ipse venit in potestatem, & Andubal Hispanus, quem rebus Car-  
thaginensium fauere dictum est, tot vulneribus debilitatus vt intra paucos  
dies expirarit. Asdrubal, qui auxilio fuerat Carthagine noua ab Hannone  
aduocatus, cum traiecto Ibero aduersi prælij nuncium accepisset, flexo ad  
mare itinere multos nauales socios Romanorum, promiscuamq; hominum  
turbam inopinato aduentu oppressit. parique celeritate rursus Ibero trans-  
20 misso Ducis Romani metu, qui ad eius rei famam accurrere nunciabatur, in-  
columes copias octo millia pedites, equites mille, in tuta loca reduxit. Gne-  
ius continuo Emporijs, quo fugato Asdrubale discesserat, in Ilergetes redire  
compulsus est, quoniam ab eius discessu ad Pœnos defecisse contempto Ro-  
mano fœdere, imperioq;, erat nunciatum. Modica vindicta fuit. Athanagia  
vrbe, quæ princeps rebellionem fecerat, deditioem faciente pecunia mul-  
ctatos, & maiori obsidum numero imperato, vniuersos conseruauit. Inde in  
Accitanos promotæ castra. ij prope Iberum incolætes in Pœnorum fide ma-  
nebant (alij Ausetanos scribunt, qui ad Pyrenæi radices, vbi nunc Gerunda  
est, habitabant) sane Acete gentis eius vrbe primaria obsessa Lacetani auxi-  
30 lio superuenientes, noctuque in vrbe irrumperere conantes, excepti insidijs,  
ad duodecim millia trucidati sunt, cæteri fuga dilapsi. Obsessi omni auxilio-  
rum spe deposita, atq; vrbis Principe Amusito ad Asdrubalem occulte pro-  
fecto, trigesimo obsidionis die deditioem necessario fecerunt. argenti talen-  
ta viginti mulctæ nomine imperata victis. copiæ Tarraconem in hiberna  
reductæ. Hispanorum auxilia domos dimissa. Multa per eos dies in Hispa-  
nia, Italia, atque Africa ostenta visa. quibus procurandis maiores hostiæ ma-  
ctatæ à Carthaginensibus præfertim, feruntur: prorsus vt more è Phenicia  
translato, qui lōgo tempore fuerat intermissus, Principum filijs iugulatis Sa-  
turni numen placandum censerent, in eius belli euentu, fortunarum atq; cō-  
40 munitis salutis discrimen verti considerantes. atq; in cæteris Asparem Anni-  
balis filium senarus iudicio neci destinatū aiunt, quasi eminceret inter alios.  
ea paternis meritis gratia habita. An hæ fabulæ potius sunt, ad lectore oble-  
tandum varietate, à nostris historicis confictæ? Addunt patre intercedente  
puerum

puerum euasisse, sui capitis periculo bellum administrare malle dicitante,  
quàm filij profundendo sanguine patrijs religionibus obsecundare.

*Pugna ad Trasimenum. Cap. XIII.*



**H**eme exacta, atq; in Liguribus exercitu recreato auctoq;, Apēni-  
ni iuga Annibal superauit, meliori aliquatō quàm antea conatu.  
In eo itinere restagnatis Arni paludibus transmittendis alterum  
oculum amisit, deformata facie maiori terrori futurus. multi ho-  
10 mines, & iumenta, Elephantiq; ferme omnes perierunt. Ad Trasimenum per-  
uētum, lacum in ea Hetruriæ parte nobilem, vbi Cortona vrbs sita est, nō pro-  
cul vrbe Perusio, vnde lacui nomē nostra ætate. Ijs in locis lacescenda C. Fla-  
minij temeritate in exitium præcipitantis agrum omnem Cortonam inter  
& lacum vastat, atque in aperto castra ponit. retro vicinum montem Balea-  
res & leuem armaturam in insidijs, ad angustias equitatum, quas montes &  
lacus efficiunt. Ea arte à tergo atq; à latere circumuenti Romani, qui Ducis  
furore cæci in hostem ferebantur, quasi indagine inclusi nulla difficultate vi-  
cti sunt. quindecim millia ex Romano exercitu cecidere, pari captiuorum  
20 numero: cecidit & Consul ipse hastili traiectus. Cæsi mox in Umbria ab  
Annibale quatuor millia equites, qui vicissè Pœnos ignorantes, securiq; in ca-  
stra Romana ibant, missi à Gn. Seruilio collegæ auxiliū. Sub hæc Spoletum  
Romanorum colonia tentata, cum expugnari non possēt, signa in Picenos  
conuersa, atque eorum agris omni iniuria vexatis, Annibal per Marfos, Mar-  
rucinos, Pelignosque in Apuliam irrumperens circa Arpos & Luceriam sub-  
stitit. Tantis acceptis Romæ exiguo tempore cladibus, maiori metu vrgēte,  
ad illud extremum decurritur. Dictator creatur cum summa & maxima de-  
cernēdi potestate extraordinaria, Q. Fabius Maximus, M. Ruffo Minutio ma-  
gistro equitum. Libri Sibyllini cōsulti, atq; ex ijs ver sacrum Romæ votum.  
Propter ærarij inopiam ex singulis absibus, qui ante librales erant, sex facti  
30 valore retento, qui sextantarij sunt dicti. Naues missæ per idem tempus in  
Hispaniam ad Cneium comœtu onuitæ, ad Cossanum portum à classe Car-  
thaginensi interceptæ erant. noua ergo ciassē ad tutandam Italiæ oram cō-  
parata, nouisq; contra Annibalem copijs conscriptis, Dictator in Apuliam  
profectus cunctando, neq; totius dimicationis vsquam facta copia, hostis fe-  
rociam debilitare cœpit, & reip. vulnera aliqua ex parte sanare. Tametsi nō  
illi magis contra hostem pugnandum erat, quàm contra Minutij temerita-  
tem, militum audaciam, nominisq; infamiam: quæ res fortissimos sæpe viros  
in præceps egit, Dictatoris cunctationem cunctis accusantibus ignauitæ af-  
fictio nomine. In Hispania Asdrubal Himilcone cum classe valida præmis-  
40 so ad eam Hispaniæ oram tentandam, quæ in Romanorum fide erat, terra  
ipse copias duxit viginti militum millia. Cneius terrestribus copijs inferior  
retinendi maris imperij studio cum triginta nauium classe Tarracone pro-  
fectus in ostio Iberi classē Punicam nactus militibus vacuum (securi ij  
in terra erant) oppressit. Viginti quinque naues in ipsius oculis Ducis  
E captæ.

captæ. reliquæ quæ submersæ, quæ ad littus eiectæ. parique celeritate naues onerariæ quatuordecim interceptæ sunt in mari: quæ remittente vento cursum aliarum adæquare non potuerant. Eodem victoriæ cursu Honosca vrbs vi expugnata direptaque est. Carthaginis vicinus ager vastatus, & suburbana ædificia incendio deformata. Asdrubal Gadeis vsque Romanæ classis vestigia subsēcutus incendiis Hispaniæ atque vastitatis deformis vbique testis visebatur nullo præsidio. Secundum eam victoriam Ebusus insula tentata à Romana classe: atque populi amplius centum viginti in fidem accepti: in his Celtiberi gens valida cum primis & lata. nam in horum finibus Segobriga, Bilbilis, & Medina Celina erant: ad hæc Vrceſia, Concha, Opta, Agreda, Numantia, vrbes & oppida regionibus vsque adeo disiuncta, ipsaq; adeo Gauni montis fastigia. Harum Cneius gentium accessione formidabilis, terrestribus copijs ad saltum vsq; Castulonēsem armis penetravit. eundē nullo magno opere pretio facto, citra Iberum ij motus reuocant, quos Mandonio auctore, summo in Ilergetibus loco, inter suos ante Principe, concitari nunciabatur. vnde maiori mole bellū coortum est, Asdrubale à factiosis aduocato. Tametsi missa Romanorum manu multi è seditionum numero sublati erant: & Celtiberi Cneij litteris sollicitati, cum facta suorum manu in Punica ditione tres vrbes occupassent, retro redire Asdrubalem compulerunt, noui periculi propulsandi necessitate. Ventum vtrinq; ad manus. quindecim millia è Punico exercitu à Celtiberis trucidata sunt duobus prælijs, autumno in hyemem præcipiti, quem præcipua fertilitas & bonorum omnium copia celebrem reddidit in Hispania.

*P. Scipio venit in Hispaniam.. Cap. XIII.*



IC status rerum erat cum Cn. Scipio datis ad senatum litteris, militem in supplementum & commeatum quatum maxime possent mitti postulauit. A Equa Patribus petere visus est. Cornelius Scipio prorogate post consulatum imperio ad fratrem destinatur initio sequentis anni, qui fuit ab Vrbe condita quingentesimus trigesimus octauus. cum triginta longis nauibus, octo millibus militum, magnoque commeatu, Tarraconis portum tenuit, exæquato cum fratre imperio bellum administraturus. Ij consilio inter se communicato, exulum Saguntinorum rogatu, cum in patriam redire, & iniurias vindicare cuperent, Saguntum copias promouent. In ea vrbe Hispanorum obsides modico præsidio à Bostare præfecto tenebantur. Ea res Hispanorum plerasque ciuitates morabatur: ne defectionis ad Romanos culpam suorum capitibus luerent. Acedux nobili loco Sagunti natus, ad Romanos propesus & insigni aliquo officio satagens eorum promereri gratiam, præfecto clam conuento persuadet, vti obsides redderet Hispanis. nulla re magis quam fide hominum studia excitari. Id cum Bostari homini minime malo esset persuasum, obsides reducendi cura desumpta, Acedux monitis prius Romanis de media nocte profectus, in eorum induxit castra. sic per eos cognatis redditu, magnam Romanis

manis ab ijs populis beneuolentiam adiungere. Orta ex his rebus lætitia ne Romanis syncera esset Cannensis cladis fama effecit. peracto enim Cn. Seruiliij consulatu, noui Coss. creati, L. A. Emilius ex nobilitate, è plebe nouo exemplo Terentius Varro, cuius importunitate tanta clades accepta est. Diuiso inter collegas imperio, ita vt alternis diebus imperarent, A. Emilio detractante certamen, Varro quo die imperij summa penes ipsum erat, conflagere non dubitauit, collega prosequente, magis ne defuisse reipublicæ videretur, quam quod cōsiliū probaret. Ad Cannas Apuliæ urbem ad oram Superi maris, vbi vtraque castra erant, pugnatum. prælium atrox sæuumq; fuit. quadraginta duo millia peditum è Romano exercitu strata sunt, equites tria millia. cecidit & Consul A. Emilius, repudiato qui ad fugam offerebatur equo. capta duodecim millia capitum. Annulorum modios tres cum dimidio Mago Annibalis frater Carthaginem legatus de victoria detulit, ostentauitque in senatu, ad indicium, quam multi ex nobilitate, quæ sola annulis aureis utebatur, in ea pugna perijissent. Post eam cladem tanta Romæ trepidatio fuit, vt iuuenes primarij de Italia deserenda deliberarent. Ne Romanum imperium penitus concideret, modica temporis mora factum est. omnino Italiæ vrbes non paucae eius cladis fama ab amicitia populi Romani abductæ. multæ retentæ in Hispania ne foedus cum Romanis maturarent. nam noui motus ne existerent Scipionum prudentia factum est. Quo tempore eorum diligentia atque auctoritate Tarraco quidem in Hispania ædificijs atque mœnibus amplificata, coloniæ Romanæ iure donata est. Carthagine autem quamuis Hannone multum repugnante atque in eo rerum momento nouo foedere vincendos Romanos in senatu disputante, placuit Annibalem atque Asdrubalem pecunia, classe, & supplemento, prout ipsi expetierant iuuare. magnis delectibus Afrorum atque Numidarum millia quadraginta conscripta, atque ex eo numero continuo ad Asdrubalem, qua parte resp. magis laborabat, quatuor millia pedites missi, equites quingenti. Horum Ducum Magoni cura data, nouas & maiores copias conscribendi in Hispania peditum, equitumq; ad retinendum extendendumq; in ea prouincia imperium.

*Asdrubal Italia aditu prohibetur. Cap. XV.*



MOVEBANTVR in extrema Hispania Tartessij, ferox hominum genus Duce Galbo Asenaq; vrbe capta, vbi Pœnorum commeatus & frumentum erat. Ijs Asdrubal motibus compressis, litteris Carthagine missis, continuo in Italiam maturare iussus est Annibali fratri supplementum allaturus. Graue id mandatum fuit, multorumque animos in Hispania ad Romanos auertit. sed re necessaria compulsus, accepto successore Bomilcaris filio Himilcone, eoq; prouinciæ arcana edocto, & rationem belli in posterum administrandi, magnis denuo delectibus tota prouincia habitis, & pecunia maxima in stipendium imperata, signa versus Iberum mouit, anno ab Vrbe condita quingentesimo trigesimo nono. Scipiones de patriæ periculo solliciti, si Asdrubal in Italiam

peruenisset, ne à duobus exercitibus opprimeretur, ab Annibale toties victa, Punicæ ditionis oppidis impugnandis ab Italiæ cogitatione aut auertere penitus aut morari constituit. Urbem à propinquo fluuio Iberiam dictam tentare visum est. Asdrubal contra ea prius vrbe munita, alteram urbem Romanis addictam ijs in locis circumfedit. Accurrunt Romani Duces, Iberiæ obfidiōe soluta. Castra castris collata primū, deinde leuibus vtrinque prælijs dimicatum, postremo totius dimicationis signo proposito totis viribus & copijs cōcursum est. Non de Hispaniæ modo possēssione, sed de Italiæ orbisq; imperio certamen erat. Romani non secus ac si pro mœnibus ipsiq; vr̄bis Romæ portis acriter pugnantes vicere hostes. Fugæ initium ab ijs Hispanis factū, qui intimis sensibus à Pœnis auersi, inuiti eorum signa sequebantur, longinquæ expeditionis odio, & ad Romanos propensi. Pœni Africq; tanto præsidio nudati, cæsi profligatiq; sunt. equitatū elephantosq; fuga seruauit. Ipse Asdrubal cum paucis Carthaginem nouam eualit. Ea res ex Scipionum litteris Romæ nunciata, nō tam victoria læta fuit, quàm Asdrubalis in Italiam impedito trāsitū. Grauis is annus Hispaniæ extitit, tum annonæ difficultate, tum pestis lue, quæ multos mortales extinxit, Himilcemq; vxorē Annibalis & filium Castalone. sic afirmāt. Ea causa Romani Patres ad Hispaniensem exercitum com̄eatum misere, mutuò à mercatoribus pecunia sumpta, propter inopiam ærarij, & quia aduersus Philippum Macedonem, qui icto cum Annibale foedere, Italiam appetere nunciabatur, noua classis erat comparanda. Mago ea classē, quam in Italiā instructā habebat, Asdrubalis periculo nunciato, iussu senatus Carthagine soluens, atq; in Hispaniam perlatus, sexaginta longas naues & duodecim millia milites intulit in portum Carthagine nouæ, vbi Himilco naues eas etiam cōtinebat, cum quibus paulo ante ipse venerat in Hispaniam. Magonis aduentu magna animorum cōmutatio facta est. Quibus victis, vix erat relictum vbi consisterent in Hispania, ij de reparandobello cogitare ceperunt. Illiturgim eorū antea ditionis, & nunc ciuium defectiōne alienatam ducunt, & trinīs castris obsessam impugnant. Sexaginta hominum millia sub signis erant. Eò Scipiones cum sedecim millibus auxilio profecti, carris atq; iumentis frumento onustis in urbem inuectis, Pœnos nequicquam prohibere conatos, ingenti prælio superarunt: non Asdrubalem modo, sed Magonem, Himilconemq; ex proprijs castris ad certamen accurrētes. Cædes maior quàm pro victorum numero fuit. tria millia equitū capta, mille equi in castris reperti, Elephanti quinque trucidati. Incibilim oppidum viginti septem passuum millibus à Dertusa ad Occasum Pœni Duces reparatis viribus expugnare parabant. Eo loco nouo prælio facte, tria millia è Punico exercitu cæsa sunt, pari captiuorum numero: cecidit Himilco Dux præstanti virtute, famaq;. Incibilim hoc tempore quidam esse arbitrat̄ur Cheluum oppidum in Valentini regni agro. Illiturgim Andugarum in Bætica, aut Lietor non procul Alcarallo vrbe. Sed regionum historiam conquirere non minus quàm factorum difficile est, cæca vsq; adeo Hispaniæ antiquitate. Hæc autumnō contigerunt, quo ex Italia nuncius Romanorum lætitiā vehementer auxit: Annibalem Capuæ delitijs per hyemem exercitu cneruato, dum

dum Nolam finitimam obsidione premit, acie à M. Marcello victum atq; in Apuliam reiectum. Duo Hispanorum millia desertis Punicis castris ad Romanos transiisse, magnis pollicitationibus sollicitatos. In Sardinia Asdrubalem Caluum, qui cum valida classē ex Africa mittebatur in Italiam, & Arficoræ viri inter insulanos principis promissis in spem venerat eius insulæ occupandæ, à T. Manlio Torquato ad Calarim prælio victum captumq; cæsis multis tum Pœnis tum Sardis, qui Pœnis militabant. Simul ex Sicilia cognitum Hieroni Regi defuncto Hieronymum eius nepotem diuersissimis moribus, Syraculis in regno successisse. Scipiones bona ex ijs rebus spe pleni, certiq; arma repetere cum primū per anni tēpus licuisset, copijs in hyberna dimissis, ipsi Tarracone hyemare cōstituunt. Quo tempore eius vr̄bis murum fuisse perfectum in veteri lapide incisæ litteræ declarabāt, qui lapis Alfonso Regis Castellæ eo nomine. XI. ætate extabat, vt eius historia testatur. Tarraco in planicie modica sita est, quæ in mollis atq; rotundi collis fastigio se pandit, mari subiecto ad lapidis iactum, ascensu ad Ortum arduo, propter continentes rupes. Ad Occasum planicies præcipua amœnitate & prouentu cōsternitur quadraginta amplius millibus passuum, olea, vite, malis medicis consita, pecore abundans & frumenti ferax, quantum ciuibus alēdis sit satis: modico interfluēte flumine vno ab vrbe milliari (Francolinum vulgò vocant, veteres Thulcim). Eius aquæ ad macerandum linum & canapim, quarum rerum magnus prouentus est, magis quàm ad potum aptæ sunt. vna enim aquæ dulcis penuria olim ea vr̄bs cum laboraret, post Scipiones, Romani opere Romano aquæductu magna altitudine exædificato, Gaia fluminis partem decem & sex passuum millibus in urbem deriuarant. Eo porrò bellorum iniuria salutis anno ducētesimo sexagesimo sexto, corrupto, puteus auorum memoria effossus altissimè, aquæ dulcis copiam suppeditat, ciuibus, qui nostra ætate septingentas circiter familias efficiunt, murorum vniuerso ambitu duarum millium non amplius capaci.

30

*Pœni passim in Hispania caduntur. Cap. XVI.*



IX hyeme circumacta anni ab Vrbe condita quingentesimi quadragesimi, Mago & Asdrubal fratres magnum Hispanorum exercitum comparant, educuntq; tempestiue Carthagine, spe Vltioris Hispaniæ, quæ magna ex parte Romanorum facta erat, armis recuperandæ. His conatibus P. Scipio obuiam eundem iudicans, Ibero transmissio in Vætones penetrat: & ad Castrum Altum nobile oppidum, Amilcaris cæde Pœnis infaustum, castra ponit. vnde amissis duobus Romanorum millibus, qui à circumfusis vndiq; hostibus intercepti trucidatiq; erāt, maioris cladis metu, copijs in pacata loca reductis, in Victoriz mōte (hic hodie Mōcia esse creditur, vltra Iberum aliquot millibus passuum ad mare) castra posuit muniuitq;. Eò diuersis itineribus atq; animis tum Gneius auxilio cum omnibus copijs, tum Asdrubal Gifgonis filius ad impugandum venerunt. Erat is paulò ante ex Africa missus cum quinque millibus mi-

E 3 litum

litum supplementi causa, summo Carthagine loco natus, magnis opibus, Bar-  
 chinus fratres cognatione attingens; eoq; cum copiarum parte, tertius bellū  
 administrare per vicina Ibero loca cœperat. Erant vtraque castra vltra Ibe-  
 rum, modico interuallo distātia. P. Scipio speculatum progressus circumfusa  
 hostium multitudine periculo proximus fratris superuentu seruator, haud vl-  
 lo maiore operæ pretio. Vtroq; Castulonensis defectio in vltiorem Hispaniā  
 auertit. Ea vrbs Carthaginis odio, grauiq; eius gētis imperio fessa, pulso Car-  
 thaginensi præsidio rebellat aperte plures voto. Pœni ne mora cresceret  
 malum, Illiturgim obsident, Castulonensis defectiois auctorem præcipuam  
 vindicaturi supplicio. Cneius ad ferendam opem cum expedita legione pro-  
 10 fectus inter bina hostium castra magna cæde facta, in urbem penetrat. sequē-  
 ri mox & tertia luce eruptione facta, duo hostium millia cædit, capta tria mil-  
 lia, cum militaribus signis tredecim. Maiorem alij numerum ponūt, vitiatis,  
 vt creditur, numeris. Omnino Pœni obsidione soluta, rursus à Bigerra in Ba-  
 stetanis, quam circumsidere parabant, hostium superuētu repulsi, ad Aurigim  
 (hæc hodie Giennium est, aut Ariona) totius dimicationis aleam subeuntes  
 denuò victi sunt, cum quatuor horis certamen sustinuisſent. cæsa quinq; Pœ-  
 norum millia: capta tria: elephanti triginta confossi: relata signa mili-  
 20 taria quinquaginta. Cneius suorum aliquāto numero amisso, & ipse fœmore  
 hasta traiecto, lectica hostem persecutus, ad Mundam non alio quā ante  
 euentu pugnavit. minor dimidio cædes fuit. hostem syluæ mōtesq; vicini te-  
 xerūt. Liuius pugna ad Aurigim postremo loco ponit, & ad Mundam Gneio  
 vulnus inflictum ait. Nobis locorum situs & aliorum scriptorum auctoritas  
 potior fuit. Tot incōmodis re Punica afflicta in Hispania quidem, nihil vt  
 esse in calamitate residui videretur, Mago in Galliam mittitur Mœnicato &  
 Ciuisimaro, quos Regulos cum Annibale amicitia iunxisſe supra mōstratum  
 est, ad iungendas vires, ferendamq; opem sollicitandis. Parent illi: nouem Gal-  
 30 lorum millia nauibus Carthaginem nouam deduxere. In ea vrbe Asdrubal  
 bello reparando intentus erat. Cneius successū lætus, haud minori cura hye-  
 mem in Bætica consumpserat. Anni eius initio, qui fuit ab V. C. quingentesi-  
 mus quadragesimus primus, productis vtrinq; copijs in Bætica pugnatū est,  
 eisdem quibus ante animis, maiori aliquāto cæde. octo millia è Punico exer-  
 citu occisa, ac ferme è Gallorum numero omnes. Duces etiam Mœnicatus &  
 Ciuisimarus, cum ostentandæ virtutis cupidi auidissime, & vt est gentis inge-  
 nium, magna alacritate pugnarent, fortiter occubuerunt. Secundū eam victo-  
 riam Sagūtum vi expugnatum est à Romanis, sexto omnino anno ex quo in  
 Pœnorum potestatem venerat. Exules Saguntini, qui cladi patriæ superfue-  
 rant, tandem restituti in auitos lares sunt. Turdetum excisa susceptæ calami-  
 tatis princeps causa: eorum etiā agri Sagunto contributi: vt esset malorum  
 aliqua cōpensatio. Ipsi Turdetani sub corona venditi doloris iniuriæq; vin-  
 40 dicta leuamen. Quo tēpore ex Italia nunciabatur, Arpis Apuliæ vrbe, quæ  
 post Cannensem cladem à Romanis defecerat, Q. Fabij virtute expugnata,  
 Hispanos mille eius vrbs præsidarios milites magnis promissis inuitatos  
 transiſſe ad Romanos. Ex ea re Patres Romæ de summa belli sperantes ho-  
 stes

stes euertere posse, Scipionibus per litteras mādant, vti proceres aliquot Hispa-  
 norum primoquoq; tēpore mittant in Italiam: per quos reliquos Hispanos  
 ab Annibalis castris, hoc est, robur hostilis exercitus subducere cogitabant.

*Novum bellum excitatur in Africa. Cap. XVII.*

**P**ER idem tēpus in Africa bellum hac occasione exarsit. Asdru-  
 bal Gisgonis filius, viro maturam filiam Sophonisbam reliquerat  
 Carthagine. Huius quoniā eximiæ animi & corporis dotes erāt,  
 10 nuptias Syphax Numidarum Rex ambiens, cum Patres Asdruba-  
 lis parentis absentiam excusassent, quod res erat repulſam interpretatus bel-  
 lo iniuriam persequi cogitabat. Sedes regni Siga fuit exaduersum Malacæ  
 posita in ora Africa, imperium Tingi atq; Oceano ad Occasum, ad Ortum  
 Carthaginensium ditione terminabat, Galæ tantū regno interiecto cum  
 quo sæpe de finibus belli fortuna alternante certabat. Galæ Masinissa filius  
 erat, præstanti indole iuuenis, & ad res maximas obeundas corporis & animi  
 virtute pari. In hunc Syphax primum arma vertere parabat, Pœnorum ami-  
 20 citia magis quā suis viribus propter ditionis angustias fretum, iniuriæ op-  
 portunum Pœnis gemino bello impeditis Italico atq; Hispanico. Hæc cogi-  
 tantem tres à Scipionibus legati ex Hispania amplius inflammaverunt, osten-  
 dētes rem eum in primis gratam facturum Romano senatui: si fœdere facto  
 iunctisq; viribus nouo Carthaginem bello in Africa implicaret, futuram im-  
 parem, copijs in plures partes distractis. Eius beneficij memoriam perpetuā  
 Patribus fore. Cum his Syphax legatis multis sermonibus cōsumptis ad Ro-  
 manam amicitiam animum appulit: & cum didicisset, quā ipsi præ Roma-  
 nis omnis disciplinæ militaris essent ignari, petiuit pro initæ amicitia iure  
 vt duobus ipsorum cum responso, vnde venerant, redeuntibus, tertius mane-  
 ret in Africa, peditatu instituēdo, qua parte militiæ disciplina per manus tra-  
 dita Numidæ carebant. Datum expetenti Regi vt Q. Sertorium apud se ea le-  
 30 ge retineret si factum Scipionibus ipsi probassent. Carthaginenses cognito  
 Scipionum cōsilio, Galæ Regis confœderati opera aduersus Syphacis cona-  
 tus vt decernunt. Belli Dux Masinissa creatus, tunc præstanti indole iuuenis,  
 deinde Romana amicitia clarior, contractis cōtinuò suis & Carthaginensium  
 copijs, hosti obuiam procedens, primo prælio triginta hostiū millia cæcidit.  
 Mox fuga ad Maurusios regni extremam urbem elapsū Syphacem, & viri-  
 bus reparatis transitū in Hispaniam parantem, prælio altero victum fregit.  
 Sunt qui Syphacem venisse, scribant, in Hispaniam, nimirum vt de ratione  
 belli gerēdi coram cōsilia cum Scipionibus cōmunicaret, à Liuiio atq; Plutar-  
 cho prætermisſum, quod mirum non est. Hæ res in Hispania nunciatæ, dolo-  
 40 rem Romanis vt par erat, lætitiā Asdrubali pepererūt singularem: rem Ro-  
 manam, quæ resurgere visa erat, denuò præcipitantem vrgere maiori studio  
 visum est. Appetēte iam hyeme, Celtiberi, quorum erat maxima opinio vir-  
 tutis inter Hispanos, in sequētem annum magno stipendio à Pœnis inuitatur.  
 Cognito Scipiones periculo, maioribus præmijs gentem pretio venalem in

fide retinent. Additus honos ne distincto in agmine & separata castrorum parte, vt ante consueuerant, tenderent, sed sub iisdem signis atq; Centurionibus confusi Romanis. Ex eo numero per speciem honoris re vt obsidum loco essent, & à castris Annibalis reliquos Hispanos abducerent, trecenti Romam missi eò initio anni sequētis mari peruenerunt, qui annus ab V.C. fuit quingentesimus quadragesimus secundus. Quo tēpore quatuor naues ex vrbe cum cōmeatu & pecunia missæ, copias præsentī inopia leuarunt. & quod nō minus iucundum accidit, Hannonem nunciarunt Carthagine missum, dum contractis Ligurum Gallorumq; copijs cōtendit ad Annibalem, vt vires cōferret, qui per eos dies Tarentum in deditiōem acceperat, in Piceno agro cum copijs omnibus oppressum fuisse. In Sicilia autem Syracusas, quæ post Hieronis obitum cædemq; Hieronymi successoris in factiones scissæ, in Pœnorum ditionem concesserāt, à M. Marcello triennij obsidione fatigatas Merici Hispani, quingentorum militū præsidio urbem obtinentis tutatiq; diu, proditiōe expugnatas tandem atq; direptas, imperij Romani iugum suscepisse.

*Scipiones in Hispania occiduntur. Cap. XVIII.*



ICTI Syphacis præmium Sophonisba fuit æmulo atq; rivali Masinissæ pacta coniux. Sic nouo necessitudinis vinculo & ferēdæ socero opis necessitate impulsus, cum septem Afrorum millibus & Numidis equitibus septingentis eadem æstate in Carthaginis portum sese Masinissā intulit Indibilis Mādonij frater in Sueffetanis quinq; hominum millia in armis habebat, mouere paratus cum primū admoneretur. Sueffetanos quidam in Vasconibus ponunt, ea parte vbi Sāguessā ad flumen Aragonem est, quam olim Sueffam fuisse dictam veterum Regum diplomata indicio sunt. & à suū bonitate nuncupatam quidam coniiciunt: quòd in Lacetanis finitimis suillæ penæ à præcipua nobilitate nostra etiam ætate celebrantur. Ergo tantis Pœni auxilijs confirmati copias Carthagine priores educunt Bætiam versus, bipartito exercitu. parti Asdrubal Barchinus præerat, reliquis Mago Masinissæque cum socero. Scipiones nouis ex Italia auxilijs aucti, & triginta Celtiberorum millibus cōfidentes, ex statuis & ipsi mouent, certi cum hoste toties fracto manus conferere. Cneius cum Celtiberis & legionū Romanarum parte tertia Asdrubalem sibi deposcit, castraque castris confert ad urbem Anatorgim, fluuio interfluente. Publius cōtra reliquos Pœnorū Duces mouet, ne Asdrubale victo fuga ipsi in saltus euaderent, sed quasi indagine cincti omnes vnà perirent. Tātum fiducia ingerit sæpe continuata felicitas. Quod contrā prorsus accidit. Asdrubalis arte, facili linguæ commercio Celtiberi inducti Cneium deserere, conuulsis repente signis redire in patriam. & erat nunciatum, à parte Pœnis fauente armis correptis fortunas eorum diripi, qui in Romanis castris erant. Ea virium Cneius parte spoliatus, quia inferior hosti erat, cedere statuit. Quid enim temeritate in exitium certum rueret? Neq; est minoris sæpe animi certamen vitare, quàm accipere. Sapienter destinata, vis altior euerit.

Publius

Publius Masinissæ equitatu pro castris ad equitātē fatigatus, veritusq; si Indibilis accessisset, qui aduentare nunciabatur, vt par tantis copijs esset, anceps consilium cœpit. Indibili prodire obuiam statuit, Dux alioqui cautus iuxta ac fortis. Sed nimirū excæcantur animi cum instat exitium, vt tūc accidit. Relicto in castris modico præsidio de nocte cōtra Indibilem copias educit. Consilium hostes non latuit. Ventum iam erat in Sueffetanorum conspectū, & sub vesperam pugnari cœptum. Romanum meliora ferentem Masinissæ aduētū suo turbauit primū, deinde vicit. Multis passim ab equitatu stratis, Publiq; Imperatore confosso, reliqui vertuntur in fugam. Magna cædes fuit in pugna fugaq;. Noctis beneficio pauci pars ad vicina Romanorum præsidia, urbemq; Illiturgim, pars vnde exierant in castra redierūt. Pœni successu læti magnis itineribus festinantes cum Asdrubale Barchino copias iungūt. Horum aduentu permotus Cneius suspicari cœpit Publium fratrem fuisse cæsum. neq; eo superstite & incolumi venturos in vna castra Pœnos, sibi pro certo persuadens. & inerat animo insolita mœstitia, tacitum infelicis, vt fit, euentus præfagium. Eo amplius in cedendi consilio confirmatus, de nocte silentio castra mouet. Lucente die Pœni Romanos profectos esse cognoscūt. præmissi Numidæ equites carpando nouissimos necessariò morantur iter, dum Pœnorum duces cum robore exercitus superueniunt. Cneius vbi præocupatis metu animis neq; cohortationes, neq; preces, neq; auctoritatem valere cernit, proximum collem capere vniuersos, atq; eò signa inferre iubet, molli ascensu, nullaq; materia erigendo vallo, ne fossam quidem ducere sinebat, soli natura in modum petreæ durati. Clitellæ & sarcinæ pro vallo obiectæ. munimentum leue, aliquandiu hostes detinuit, virtutem atq; industriam Romanorum rebus etiam perditis admirātes. Verum à Ducibus castigati increpitiq; in castra ferro irrumpunt. Pauci à multis circumuenti facilè cæduntur. Cneius ipse occumbit, summi Ducis & strenui militis functus officio: qui tot annis Hispaniæ Præfectus fuerat, primusq; inter Romanos Hispanorum fauorem, morum facilitate occuparat. pauci mōtibus syluisq; tecti quæ quæq; metus aut spes agebat ad P. Scipionis castra perfugerunt (incolumem forte credebant) sed ea à T. Fonteio Legato modico tenebantur præsidio. Ad Staberum fluuium prope Illicim pugnatum est, quod hodie oppidū quibusdam Lorquinum esse creditur, nō procul noua Carthagine. vulgò persuasum turrim Tarraconi prope obiectam Scipionum sepulcrum esse, omnino in ea duo signa é marmore male dolata atq; informia visuntur, Scipionibus, sic prædicant, cōstituta, eò tantorum Ducum translatis cineribus: aut eximia prouinciales voluntate militesq; Scipionum memoriæ id cenotaphium cōstituendum ad urbem primariam, vbi sedes imperij erat, iudicarunt.

40

*L. Martij virtute Pœnorum audacia repressa. Cap. XIX.*



CIPIONVM casus magnam rerum & animorū commutatio nē attulit: cōcidissetq; res Romana, ac penitus afflictā fuisset, ni eam L. Martij primū audacia, deinde P. Cor. Scipionis virtus susten-

E 5 tissent



cessent in præcipiti constitutam, & nouis iactatam ærumnis. Destituunt  
 studia hominum, quibus fortuna aduersa est. Castulonenses primi, Ro-  
 manis ad se confugientibus portas vrbis clauerunt. Illiturgitani etiam  
 in vrbem admissos crudeliter peremerunt. Earum vrbiū exemplo alia  
 oppida defecisse dubium non est. tot vnà malis consternatos Romanos,  
 qui cum T. Fonteio legato in præsidio castrorum relictī erant, & qui  
 se eodem ex fuga recipere potuerunt, magnisque itineribus trans Ibe-  
 rum festinabant L. Martius Septimij filius eques Romanus, magno ani-  
 mo iuuenis, qui sub Gn. Scipione primipili Centurio, & Tribunus fue-  
 rat recreauit, validam manum, partim ex præsijs, partim ex his quos 10  
 à fuga retinuit, factam, ad reliquas copias adiungens. Incredibilis eius  
 aduentu totius exercitus lætitia fuit: de Duce deligendo deliberatione sus-  
 cepta, omnibus suffragijs prælatus Martius est, ipso T. Fonteio lega-  
 to prætermisso, siue etiam concedente, ambitionem comprimentibus re-  
 bus aduersis. Verùm ea militum alacritas breui formidine mutata est.  
 Asdrubalem Ibero transmissō ad delendum Romani exercitus reliquias  
 festinare, iamque adesse nunciabatur: proximè Magonem subsequi. For-  
 tunæ iniquitatem nondum Romano sanguine exatiatæ. pars suos inter  
 se commendare, testamentaque in procinctu nuncupare, si quibus ex eo 20  
 discrimine euadere contigisset: pars vicem suam depiorare: Martij cohō-  
 rationes non audire: attonitis similes hæere, fixis in terram oculis, aut abdi-  
 ti per tentoria. Cùm ad vallum appropinquante hoste signa Punica visa  
 sunt. tum ex metu audacia orta, accensis milites animis, ad periculum omni  
 ex parte correptis armis concurrunt, è castrisque erumpunt hosti obuiam.  
 Pœnorum securitas incuriaque ex re, vt sit, prospere gesta Romanis saluti  
 fuit. Inopinata hostium audacia metu percussī terga continuò verterunt. pau-  
 cis in fuga cæsis Martius satis habens suorum animos confirmasse, an suspi-  
 catus insidias, signo receptui dato, milites reduxit in castra, multum quamuis  
 indignantes, palàmque edicentes, quoniam talis occasio vlciscendi hostis  
 relinqueretur, sese etiam cùm vellet Martius non esse pugnatuos. Pœni 30  
 contra Ducis consilium metum interpretati, nihilo maiori cura munire  
 castra. Ea res Martium prouocauit, vt rursus fortunam tentare cuperet,  
 noctu cogitans hostem securum opprimi posse: & necessitudo inerat, quæ  
 ex ignauis sæpe facit audaces. Mago cum robore exercitus subsecutus, si  
 se cum Asdrubale coniunxisset, spem salutis omnem sublatum iri pro-  
 uidebat animo. Celeritate opuserat. militibus de ratione suscepti con-  
 silij pauca locutus, iussisque curare corpora, de quarta vigilia silentio  
 copias eduxit, prodigio lætas, quòd ex Martij concionantis capite flam-  
 ma eluxerat. Erant Magonis cœpiæ sex tantum millibus passuum ab As-  
 drubalis castris interiecta nemorosa valle, in qua cohors Romana & equi- 40  
 tes aliquot ad omnes casus excubare iussi sunt. reliqui milites in Asdru-  
 balis castra penetrant. nullæ enim vigiliæ erant, nulli pro portis mili-  
 tes excubabant. Hostium contemptus exitium attulit. In inermes som-  
 noque sepultos magna cædes facta est: pauci fuga seruati. multò plures  
 cum

cùm in vicina castra effugere conarentur, in insidias præcipitarunt. Captis  
 Asdrubalis castris, eodem animorum vigore ad Magonem opprimendum fe-  
 stinatum est, ignarum cladis acceptæ. Exorto iam Sole in ea castra impetus  
 factus, & pari felicitate momento temporis capta sunt, priusquam se hostes  
 ad resistendum comparassent. Intra munitiones pugnatum acriter, donec re-  
 centis cædis signa in Romanorum scutis & gladijs visa fregerunt animos.  
 Salute desperata se in fugam concitant, cæsi in vtraque pugna hostes ad tri-  
 ginta septem millia. capti ferme duo millia. præda ingēs fuit. Pœnorum Du-  
 ces fuga euaserunt: id vnum ad exæquandam superiorem cladem Martio de-  
 fuisse visum est. Tantæ victoriæ nunciij Romam peruenerunt eius anni ini-  
 tio, qui fuit ab Vrbe condita quingentesimus quadragesimus tertius, cum Mar-  
 tij litteris: quibus quòd iniussu senatus se Proprætorem scripsisset, Patribus 5 4 3  
 offensionem commouit. Responsum tamen est, quod de frumento & vestibus  
 postularet senatui curæ fore, a scribi Proprætorem nō placuit. Qua re, & Cl.  
 Nerone post peractum bellum Capuanum destinato in Hispaniam cum sup-  
 plemento peditum duodecim millium, equitum mille centumq;, militum Mar-  
 tijq;, factum dissimulanter accusabāt. naturæ vitio in timore benigni sumus,  
 post victoriam ingrati. Omnino ea re motus Annibal, de rerum summa de-  
 sperare cœpit, cùm tantum animorū habere Romanos cerneret, vt hoste pro-  
 portis excubate (nam venerat Tarento Annibal ad liberendam obsidione Ca-  
 puam, & inde repulsus ad tertium ab Vrbe lapidem castra posuerat) supple-  
 mentum decernerent, mitterentque in Hispaniam. Itaque ex senatus decre-  
 to, Nero Puteolis Tarraconem classe delatus, Martij & Fonteij copijs adiu-  
 ctis, continuò in Baticam mouit, contra Asdrubalem, qui in Aufetanis Illi-  
 turgim inter & Mentisam (Montegium esse creditur, aut Casorla) statua ha-  
 bebat, ad Lapidem atros (salsus nomen id erat). Eius loci faucibus à Nerone  
 occupatis, Asdrubal fœderis simulatione, fanciendo retractandoq; pacis con-  
 ditiones, tantum temporis extraxit, dum noctu copiæ per ardua mōtium eua-  
 derent: Romano Imperatore sero se Punicis artibus circūuentum esse sentie-  
 te, pugnamq; expetere, cuius discrimen Pœni cautiore omni cura deuitabāt. 30

*Carthago noua à P. Cor. Scipione expugnata. Cap. XX.*



N T E R E A Romæ de augendo Hispaniensi exercitu, Impe-  
 ratoreq; deligendo deliberatione suscepta, populi comitijs habi-  
 tis quoniam ancipites atq; suspēsi erant Patrum animi, cùm nul-  
 li eum honorem ambirēt ob magnitudinem periculi: P. Cor. Sci-  
 pio L. Scipionis filius quatuor & viginti ferme natus annos prodijt candi-  
 datus, atque omnibus suffragijs Proconsul in Hispaniam missus est, nam  
 40 Nero Proprætore officio vicarioungebatur atque extemporali. Inerat ani-  
 mi magnitudo supra ætatem, eamque iuuenibus de Italia deserenda delibera-  
 tibus post Cannensem cladem, gladio in conuentu districto, intentataque  
 morte, nisi desisterent penitusq; murarēt, satis declarauit. integritatis opinio-  
 nem religionis siue studio siue simulatione, ex quo togam sumpsit, diligenter  
 aluit,

aluit, Iouis Capitolini templum frequentando, sacrisq; procurandis, quoties aliquid siue publicæ rei siue priuatæ aggressurus esset. Decem millia peditum equites mille in supplementum dati, Syllanus Proprætor in Neronis locum. legatos sibi ipse legit L. Scipionem fratrem & C. Lælium, eum cuius ex cõsilijs ea omnia prodijisse creditum est, quæcũq; à Scipione per omnem ætatem perfecta gloriose sunt. & vulgò iactabatur, Lælium comœdiam scribere, Scipionem agere. His præsidijs atq; his copijs ad ostia Tiberina classè instructa, in Hispaniam sub finem anni appulsus, milite omni verborũ honore colaudato, Martium in præcipuo honore apud se habuit. Quo anno M. Marcus 10  
 5 4 4 ptorius Ouans ob Syracusas captas, in urbem ingressus est, Merico Hispano, qui urbem præsidijq; prodiderat, præeunte in corona aurea. Eius militibus Murgantij agri attributi merces operæ, olim Hispanorum coloniæ, vt nostri scriptores affirmant. Proximo anno, qui annus ab V. C. erat quingentesimus quadragesimus quartus, Scipio ad prima veris signa, suis & sociorum copijs contractis, Iberum trajcere, atq; Carthaginem nouam impugnare decreuit. qua vrbe capta cogitabat, quoniam omnium munitissima erat, ex aduersum Africæ portui comodissimo imposita, in eamq; Pœni Hispaniæ obsides, subsidia belli, & militum impedimenta cõtulerant, sperabatq; Carthaginenses de totius Hispaniæ possessione depellere. Temerarius conatus nõ erat: nam modico præsidio tenebatur, & Pœnorum Duces procul habebant castra: Mago prope 20  
 Gaditanos, Asdrubal Gisgonis ad Anæ ostium, alter Asdrubal in Carpetanis curabat. Classis Romanæ Lælius cura suscepta, modicis itineribus subsequi iussus est. Scipio cum omni exercitu, in quo vtriusq; gẽtis viginti quinq; millia peditum erant, equites duo millia & quingenti, pedestri itinere Carthaginem die septimo peruenit. Sequenti die vno tẽpore à mari & à terra urbem impugnare cõstituit. Mago cõtra præsidij præfectus armare ciues, loca omnia militibus firmare, bellicas machinas expedire, nulla re prætermissa, quæ ab strenuo Duce posset desiderari. Erat ea vrbs in cliuo posita, portui imminens, insula ad portus fauces obiecta (vti alio loco est dictũ) quæ stationem tutissimam efficit, tribus ex partibus circumfuso mari, aditu à terra versus 30  
 septentrionem arduo, muroq; ex ea parte altissimo. Romanos ea inuadentes parte repellunt Hispani castris hostium oppositi. cedentibus facta eruptione instant acerrime primum: deinde subsidijs è castris Romanorum submissis, terga vertunt ipsi, tanta ciuium trepidatione, verentium ne hostes permisti suis ingrederentur in urbem, vt mœnia defensoribus nudarentur. Rei bene gerendæ occasione animaduersa milites scalis muro succedere tentant, mari terraque. sed cum male mulctarentur, telis & lapidibus è superiori loco coniectis, eõq; maiore vi icũ certiori, receptui signum est datum. Erat ad Occasum vrbiconiunctum æstuarium, quod remittente maris æstu cognitum ex piscatoribus est, peruium pediti esse. Eà milites bifariam iussi murum inuadunt, oppidanisque alteri agmini resistentibus, reliqui in muros scandunt. 40  
 Aderat Dux Romanus testis spectatorque singulorum virtutis & ignauitæ, magnum in pugna incitamentum. Superato muro & proxima porta occupata intra diem vnum vrbs venit in potestatem: arcem etiam dedente Magone Præfecto.

Præfecto. Præda ingens fuit, tormenta bellica multa, signa militaria septuaginta quatuor, naues onerariæ in portu sexaginta tres, commeatu & instrumento nautico onustæ. Capti ad decem millia homines. ex his oppidani dimissi, suaque eis omnia concessa. Ea libertati gratia addita promerendis prouincialium voluntatibus. quin obsides ipsi pars ciuitatum legatis concessi, pars honestissime habiti. in his filia Indibilis, & fratris Mandonij vxor, puellaq; insigni forma, quam à militibus oblatam, ne videre quidẽ voluerat, cum suæ ætati intelligeret, non aliunde maius esse periculum, quàm ab inhonestis voluptatibus. Cui desponsa erat Celtiberorum Principi Luceio, Scipionis iussu conseruata & restituta est, addito etiam auro ad dotem augendam, quod à puellæ parētibus fuerat oblatum, libertatis pretium. Qua ille benignitate victus, intra paucos dies cum mille & quadringentis equitibus veniens ad Scipionem, fortem & fidelem operam nauauit Romanis. Præmia militibus ad veram meritorum rationem exæquata, & duobus de corona murali contendentibus totius exercitus studijs diuisis in partes, vtrunque eo honore dignum videri pronunciauit, coronæque donauit. Lælio corona aurea & in sacrificium triginta boues dati: missusq; continuò Romam cum quinquere mi, in qua Mago Præfectus & quindecim Pœnorum senatores vehabantur, nuncius de capta Carthagine. Urbis deinde aliquanto tempore muris refectis, quibus partibus labefactati erant, præsidium impositum. His ita gestis Scipio quidem ad generales sociorum conuentus habendos Tarraconem redijt, sub eiusdem anni exitum: Lælius autem dato Romæ senatu, quantum virium capta Carthagine accessisset, longa oratione disseruit. Ex captiuis quæstione habita, cognitum quod M. Valerij Messalæ ex Sicilia litteris nũciatum erat, Masinissam quinque in Africa Numidarum millia sub signis habere, & Afrorum copias scribere, atq; de repetenda Hispania cogitare. Asdrubalem Barchinum cum ijs copijs & noua Hispanorum manu senatus iussu in Italiam destinatum, subsidium Annibali. Magnum ea res populo metum atq; senatui vniuerso curam ingessit: & per eos dies ad Herdoneam urbem in Samnitibus non 30  
 exigua clades erat accepta Gn. Fulvio Prætoze cum duodecim Tribunis numerofoque exercitu cæso. quidam tredecim millia cecidisse affirmant, septẽ alij.

*Asdrubal Barchinus a Scipione victus. Cap. XXI.*



**I**N HISPANIA magna conuersione rerum facta pleriq; ad Romanos inclinare cœperunt. Edesus summo loco inter Hispanos, vxore & liberis receptis, quoniam inter obsides erant, Romanorum partes secutus est. Mandonius & Indibilis Celtiberorum Principes, nouæ prodicionis venia impetrata in gratiam recepti. Erant 40  
 Asdrubalis Barchini castra ad Betulonem, quæ vrbs in Bætica fuisse creditur, quibus nũc locis Vbeda & Biatia sunt. Eò Scipio cum primum per anni tẽpus licuit, eius qui ab V. C. fuit quingentesimus quadragesimus quintus, adiũcto Lælio, qui Roma redierat, Tarracone mouit. Asdrubal Scipionis aduentu cognito, atq; suorũ viribus & Hispanorũ voluntate diffusus, noctu in tumultũ 5 4 5  
 copias

copias traducit: cuius radices fluuius (Bætis vt creditur) circulo magna que ex parte sublebat. Fastigium distinguebat gemina planicies. in inferiore subiectaque Numidæ, Afri, Balesares constituti. in superiore cum robore exercitus Dux ipse constitit. Scipionem neque loci iniquitas neque periculum deterruit, quin cum perterrito hoste, locoque magis quam viribus confidente, manus conferret. Subeundi difficultas magna fuit, nullo hostium frustra cadente telo. In planiciem magno nisu vbi ventum est, cominus pugna conferta continuo hostes conuersi in superiorem tumuli partem sese receperunt. In eam diuisis copijs Scipio, quoniam difficiliore ascensu erat, flexo atque adeo molliori cluuo, læua ipse, Lælius dextra euadentes, atque ab utroque ingruentes latere, hostes momento temporis fuderunt, neque pugnam in cornua vertere valentes, nec ad collocandos in fronte elephantos satis spatij nacti. Ad octo hostium millia ceciderunt, capti decem millia pedites, equites duo millia. In his Masius puer Masinissæ, qui nuper ex Africa venerat, nec prælio interfuit, ex sorore natus, vestibus equoque donatus ad auunculum dimissus prælio peracto est. Asdrubal pecunia elephantisque præmissis, cum copiarum parte non prius substitit, quam ad Pyrenæum ventum esset: eodem Asdrubal Gisgonis & Mago cum venissent, communi consilio decretum: Asdrubalem quidem Gisgonis in Lusitaniam concedere, Masinissam cum tribus equitum millibus per Citeriorem Hispaniam vagari: pugnae utrunque necessitatem discrimenque omni ratione vitare. Mago ad colligenda funditorum auxilia in Balesares dimissus. Barchino autem Asdrubali videri necessario in Italiam commigrandum, vt senatui morem gereret, & Hispanos milites, qui ad Scipionem respiciebant, longinquitate sanaret. Atque hæc Pœni. Scipio autem adulta ætate per Castulonensem saltum Tarraconem reuertit. vbi in sequenti toto anno, qui fuit ab Vrbe condita quingentesimus quadragesimus sextus, Pœnorum viribus fractis, atque republica moderata occupatus substitisse videtur: neque quidquam accidit ad memoriam illustrius, quam quod est ab Italia allatum. Ad Tarætum in tumultuaria pugna Marcel lum Consulem cæsum ab Annibale, Collegam Crispinum fauciatum, atque ex vulnere obijisse. In locum Barchini Asdrubalis Hanno Carthagine missus in Hispaniam venit, anno ab Vrbe condita quingentesimo quadragesimo septimo, Magone ex itinere adiuncto, qui eatenus in Balesaribus hæserat. In Celtiberis delectus habentem Hannonem missus à Scipione Syllanus cepit viuum, Magonem etiam superauit acie, cum ex alijs castris socio auxilio superuenisset. Scipio ea victoria nunciata Asdrubalem Gisgonis prope Gadeis castra habentem, sibi impugnandum sumpsit. Ille tot cladibus castigatus, ante Scipionis aduentum milites per vicinas vrbes & præsidia distribuit, quoniam dextris virtuteque diffideret. Huius consilij Scipio certior effectus, ipse quidem retro conuertit iter: Lucius autem frater ad expugnandam Oringim urbem missus in Melessum finibus (Plinius Oningim in Bætica, quibus locis Giennium nunc est, collocat) breui operæ pretium fecit, capta atque direpta vrbe. Pœni omnes & trecenti ciues, qui portas venienti clauserant, in seruitutem abducti, cæteris libertas suaque omnia

omnia restituta. & quia hyemis tempus appetebat, exercitu in hyberna dimisso, Lucius ipse Romam à fratre missus cum Hannone cæterisque nobilibus captiuis Patribus gesta nunciauit. Quo tempore ex Italia nunciatum est Asdrubalem Barchinum, qui in Gallia Alpiumque transitu omnia facilliora opinione erat expertus, in Piceno à L. Claudio Nerone & M. Liuiio Salinatore Coss. in Metauri fluminis transitu ingenti prælio victum ac cæsum fuisse, exequata Cannensi clade, siue Ducis cæde, siue occisorum numero. Nam quinquaginta sex millia ceciderunt, magna populi Romani lætitia, in eius pugnae euentu rerum belli summam verti considerantium.

Pœni ex Hispania pelluntur. Cap. XXII.



SEVENTI anno ab Vrbe condita quingentesimo quadragesimo octauo, Asdrubal alter, supremo adhibito conatu numerosum exercitum conflat, nouo provincialium delectu & veteribus copijs in vnum corpus collatis. castra in Bætica ad Silpianam urbem posuit, in quibus quinquaginta millia pedites, equites quatuor millia & quingenti erant, tantæ multitudini Scipionem haudquaquam parem fore arbitratus. Ille re cognita à Colca Bætici Regulo, qui partibus studebat, peditum tria millia, equites quingentos accepit. plures ex Hispanis adiungere verebatur, patris & patruus exemplum pro documento habens, ita fidendum externis, vt proprijs viribus amplius crederet. Cum his auxilijs & Romanis legionibus hosti obuiam profectus est. Leuia aliquot dies prælia fuere, deinde copiae utrinque in aciem productæ, nullo opere pretio, cum neutri pugnam inciperent. Erat vallis inter duas acies haud magno & difficili ascensu. hanc utrique si alteri transire tentarent expectabatur, quo æquiore loco pugnam committerent. Et cum neutri auderent, sub vesperam copiae reducebantur in castra, Pœnorum prius, deinde Romanorum. Hoc consiliorum tenore dies aliquot extracti: donec Scipio suorum curatis corporibus summo mane in hostium castra impetum dat. Asdrubal re inopina commotus, equitatu præmissis aduersus Scipionis equites, qui primi castra tentarant, copias in pugnam eduxit. diu ab equitibus anticipati pugna dimicatum: Scipioque suis in mediam aciem cum recepisset, utroque cornu explicato atque promotum, quæ ex Romanis legionibus constabant, priusquam mediæ acies iungerentur, hostium cornua, in quibus Balesares tyronesque Hispani erant loco mouit atque in fugam compulit. Nam virtute impares erant, & ieiuni ad pugnam processerant: cuius initium de industria ad multam diem fuerat à Romanis extractum. Castra in quæ prius seruatim ordinibus, deinde etiã effusa fuga sese receperant, ne continuo caperentur, effusus repente imber effecit. Asdrubal sociorum inconstantiam veritus, ne quod nonnulli continuo fecerunt, cuncti ad Romanos transirent, sequenti nocte silentio motis castris, quantum extendere iter potuit, retro redire constituit. Scipio sequenti luce hostium fuga perspecta, equitatu præmissis, qui nouissimum agmen carperet, distineretque, legionum aduentu hostem penitus conturbauit. Magna cædes

80

De Rebus Hispaniæ.

ædes fuit, vixq; septem millia ex tantis copijs cum Duce in tumulum præru-  
ptum naturaq; loci munitissimum euaserunt. vbi Asdrubale Gadeis elapso,  
Scipioneq; cum copiarum parte Tarracõnem profecto, cum reliquis copijs  
à Syllano obsessi Pœni sunt. Erat inter Pœnos Masinissa relictus, qui Puni-  
cis rebus inclinatis penitus atq; collapsis, ad fortunæ motum se mouere con-  
stituens, clam de transiitione ad Romanos, primùm cum Syllano est colloca-  
tus. Hoc bellum veris initio gestum est: eoque confecto Hispania omnis Pœ-  
nis adæpta in Romanorum ius ditionemq; concessit, quartodecimo anno ex  
quo Annibal Saguntinos violarat, quinto verò ex quo Scipio Hispaniæ Pro-  
consul erat factus.

Alia Scipionis gesta in Hispania. Cap. XXIII.

**B**ELLO in Hispania magna ex parte profligato, Scipio de Afri-  
cæ ipsiusq; ad eò Carthaginis expugnatione cogitans, Masinissa  
primùm in amicitiam accepto, deinde in Africam misso ad soli-  
citãdos populares deducẽdosq; ab amicitia Carthaginis, Sypha-  
cem ipse Regẽ Romanæ reip. cõciliare parat. Missus in eam rem  
est C. Lælius in Africam. Barbarus facturũ se fœdus negare. nisi Duce Rom.  
præsente. Scipio profectus in Africam Sigam peruenit: hodie Aresgol esse pu-  
tatur Malacæ obiecta, vti Plinius ait. Eodem Asdrubal erat studio Regem oc-  
cupandi appulsus: magna Barbari gloria, cum duæ potētissimæ gentes, duq;  
clarissimi Duces eius amicitiam magnò licerent. In eadẽ Romanus Pœnusq;  
mensa cęnarunt, quod mirere amplius, eodem in lecto cubuerunt. Regis id,  
gratiæ voluntatiq; datum. vt de pace ageretur à Scipione impetratum non  
est, absq; conscientia Romani senatus excusante, nihil statui posse. Ergo pro-  
quouenerat, Rege in partes tracto, in Hispaniam redijt. Eius reditu Illiturgis  
& Castulo, quæ vrbes conscientia facinoris dudum in Romanos cõcepti, ma-  
gis quàm spe defensionis in fide Pœnorum perstabãt, breui in Romanorum  
potestatem venerunt. Illiturgi excisa, Castulo est cõseruata. nam minor culpa  
erat, & voluntaria deditio victorum animos flexerat. Deinde Martio alijs vr-  
bibus subigendis occupato, Carthagine P. Cor. Scipio patri patruoq; iusta fu-  
neris faciẽda curauit. Plinius Scipionum rogam Illorci extitisse ait: quem  
Tader seu Bætis, vti alia exemplaria habent, Tugiensi exortus saltu refugit,  
non procul Carthagine, (Lorquinum quidam putant, alij Lorcam.) In eo fu-  
nere volũtariorum gladiatorum ludi editi. In quibus Corbis & Orlua patrue-  
les de Ibæ vrbis principatu ex prouocatione dimicauerunt. Valerius Maximus  
fratres fuisse ait. Conuenit Orluæ ætate minoris peruicaciam morte mulcta-  
tam, minori miseratione quòd viribus confusus adduci non potuit, vt verbis  
potius quàm armis disceptaret. Multæ interea vrbes sese dedebãt Martio. vni  
Astapæ incolæ venia desperata, quòd incursionibus sæpe Romanorũ socios-  
fatigarãt, obstinatis animis obsidionem diu tolerarũt: demũ reliquis in acie  
pugnaq; trucidatis, qui in vrbe remãserant, fœminis & pueris, vt cõuenerat,  
antea iugulatis, atq; igne rebus in foro supposito, suis se gladijs peremerunt.  
hãud

hãud minorẽtã quam Saguntinorum siue obstinationem siue inconstan-  
tiam loci ignobilitas obscurauit. Huius vrbs ruinæ ad Singilim fluuium ex-  
tant, non procul Astigi atque Antequera: vnde constitutum creditur, quod  
octo ab eo loco millibus hodie oppidum Estepæ nomen habet. His rebus  
peractis Lælius & Martius Gadeis dimissi ad spem eius insulæ in fide Pœ-  
norum perstantis, occupandẽ quorũdam perfugarum proditiõne. sefellit eos  
spes, cum Magoni id periculum esset indicatum, Scipionem importuni  
morbi vis occupasset. Cuius fama, vt sit, varijs hominum sermonibus au-  
cta, Mandonius & Indibilis apertẽ à Romanis defecerunt. Delusos se ea  
spe dolebant, qua pulsis Pœnis Hispaniæ regnum sibi pollicebantur, vitio  
mortalitatis facile sperantes quod cupiebant factum. Octo præterea Ro-  
manorum millia, qui ad Sucronem erant, postulatis importunẽ stipen-  
dijs seditionem concitarunt. magna rerum erat turbatio. in spem Mago  
erectus rei Punicæ restituendæ in Hispania, datis ad senatum litteris valida  
auxilia mitti postulabat. Verũm eæ molitiones inanes extiterunt. Scipione  
ẽ morbo recreato, seditionis ardor breui restinctus est: & magnorum mo-  
tuum occasio sublata. Romani milites spe veniæ, & stipendij pollicitatione  
Carthaginem nouam deducti, à Scipione castigati grauissima increpatio-  
ne vniuersi sunt: supplicium penes auctores seditionis stetit. mox in Ilerge-  
tibus, vnius & alterius diei pugna hoste superato exuroque castris, Mando-  
nius & Indibilis Duces & auctores defectionis facta deditiõne ad victoris  
voluntatem recepti sunt, gratia delicti facta, pecunia tantum in stipen-  
dium mulctati. Venerat Gadeis Masinissa cum Numidarum auxilijs ex  
Africa, nondum deficiendi ad Romanos animo patefacto. Eò Scipio Mar-  
tio cum copiarum parte præmissõ proficisci parat. Cuius aduentu cognito  
Masinissa, per speciem finitimos agros populandi in continentem trans-  
mittens, conueniendi occulte Scipionem nactus facultatem, eam amicitiam  
sanciuuit, quæ ad vitæ exitum stetit, & magno adiumento fuit Romanis ad-  
euertendas opes Carthaginis, magnam ipsi gloriã paresque opes attulit. Ma-  
go senatus iussu rebus in Hispania desperatis, auro atque argento omni tum  
publico tum priuato in naues imposito Carthaginem abiit, tentatis Balea-  
ribus, nam ad Romanos defecerant: atque ex minori quàm sine difficultate  
occupauit, duobus funditorum millibus præmissis in Africam. In ea insula  
præcipiti iam autumno cum hyemasset, vrbem sibi cognominem fundasse  
quidam suspicantur. antiquiorem disputant alij, vti superius est demonstra-  
tum. Liceat nonnunquam in rebus tam vetustis hallucinari. Scipio Gadibus  
in fidem receptis, atque Italica prope Hispalim Romanorum municipio fun-  
dato, trium Augustorum patria Traiani, Hadriani, Theodosij, nondum His-  
pania in prouinciam redacta, quinto postquam venerat anno, decem nauibus  
Romã delatus est. senatu idem in æde Bellone foris ciuitatem dato, quãtã res  
in Hispania gestẽ essent, cum explicasset, magnam Patribus & vniuerso popu-  
lo lætitiã commouit, ex quanto periculo euassissent Hispania subdita, quan-  
tum esset profectum verisimè reputantibus. Triumphus datus non est, quo-  
niam ad eam diem ex proconsulatu neminem triumphasse constabat.

F Carthago

**P**ROXIMIS comitijs Coss. creati Cornelius ipse Scipio & P. Licinius Crassus Pont. Max. Sicilia Scipioni designata collega concedente. datum tamen expetenti à senatu, vt si è republica futurū iudicaret in Africam inde traiceret, tametsi eam expeditionem

5 4 9 Q. Fabius Maximus, longa oratione temerariā & plenā periculi fore disputa-  
rat. Fuit is annus ab V. C. quingētesimus quadragesimus nonus. quo anno Ma-  
go quidē è Balearibus soluens in Liguria Genuam euertit: à Lelio autē quem  
Scipio ex Sicilia præmisit in Africā, Pœnorū agri igne ferroq; & abacta præ-  
da vastati. in Hispania Mandonius & Indibilis libertatis recuperādæ studio  
sue regnādi ambitione, rebellandi consiliū ceperunt. Belli initium non in  
Ilergetibus modò, vbi ipsi principatū obtinebant, sed etiam in Aufetanis, vbi  
Vique vrbs nunc sita est, & alijs finitimis locis factū, breuiq; in Sedetanis vt  
Liuus ait (Ceretanos mallē qui post Ilergetes & Aufetanos ad Pyrenēi radi-  
ces fusi sunt) triginta millia pedites, equites quatuor millia sub signis inuēti  
sunt. L. Cor. Lentulus & L. Manlius Acidinus Procōsules, quibus Scipio pro-  
uinciam tradiderat, obuiam Hispanis profecti eos collatis signis superarūt.  
Cæsi sunt ad tredecim millia hostium. reliqua multitudo in proximas sylvas  
euasit. Indibilis in acie occubuit. Mandonius Romanis deditus est ab Hispani-  
20 nis, eius morte rebellionis culpam expiare cupientibus. & Romani Procon-  
sules denunciarant pacis nullam conditionē fore, nisi auctoribus seditionis  
in eorum potestatem redactis. Proximus annus, qui fuit ab V. C. quingentesi-  
5 5 0 mus quinquagesimus, Hispanis quidem quietus fuit tot annorum bellis ex-  
haustis, Carthagini autem funestus, cum Scipio numerosa classe validoque  
exercitu traiecisset in Africā, Quæstore M. Catone qui Censorius est dictus.  
Masinissa continuò cum Numidarum manu ad Romanorum castra desertis  
Pœnis palam venit. Nam Syphax Sophonisbæ amore corruptus, cuius nup-  
tias tandiū affectarat, eas assecutus totus se ad Pœnos contulerat. Belli initio  
Hanno Amilcaris filius superatus acie cæsusq; est. Asdrubal & Syphax, Vtice  
30 obsidionem vt solueret, Scipionem compulerunt. nihil præterea magnæ rei  
in Africa gestū eo anno est. Principio anni sequētis, Gn. Seruilio Cæpione &  
C. Seruilio Gemino Coss. nouis ex Italia Scipio auxilijs cōfirmatus in aciem  
contra Asdrubalem & Syphacem progeffus Pœnos aliquot prælijs victos  
binis etiam castris exiit. In his prælijs quadraginta hominū millia è Pœno-  
rum exercitu cæsa sunt. In eo numero Celtiberi quatuor millia Syphacis sti-  
pendia facientes. Massæfulorū prouincia, quæ à Syphace fuerat intercepta,  
Masinisse restituta est. Syphax ipse cum in paterno auitoq; regno bellū repa-  
raret, Lælij Masinissæq; ductu acie victus & captus est. Regia Syphacis Cyr-  
tha in potestātē redacta. Sophonisbā ibidem repertā Masinissa cōtinuò nup-  
40 tijs in prociectu factis cū vxorē adoptasset, vt sunt in libidinē effusi Mauri,  
castigatus eam ob causam à Scipione verbis, eam veneno sustulit. Rebus des-  
peratis Annibal decreto senatus in Africā reuocatur. Mago qui cum classe ve-  
niebat, ex veteri vulnere, quod in Insubribus acceperat, & maris iactatione in  
Sardinia

Sardinia obiit. Annibalis aduētū de pace agi cœptū. Res videlicet Pœnorū  
in præceptis ibant. Ab vtroq; Duce coram de fœderis cōditionibus disputatū.  
quoniam non conueniebant ad arma denuo est ventū. Pœni supremo prælio  
superati. Annibal tota Africa cedere cōpulsus longinqua fuga se texit. Victis  
pax his tandem conditionibus data est. Vt Carthago suis legibus viueret. Di-  
tionem ijs, quibus ante bellum finibus terminaret. Perfugas, fugitiuos, capti-  
uos redderēt. Naues rostratas ne haberent præter triremes, neq; domitos ele-  
phantos. Decem millia argenti talenta quinquaginta pensionibus repræsen-  
tarent. Hæc vt rata essent, quinquaginta Scipioni obsides eius arbitratu dele-  
10 ctos darent principes ciuitatis. Graues conditiones erant, sed necessariæ tan-  
tissimo tēpore cladibus rep. oppressa. & à Saguntinis capti Carthaginenses qui-  
dam Romam delati venerant, cum auro & argento, quod ad sollicitandū His-  
paniæ quietem ex Africa attulerant. Laudata Saguntinorū in senatu constan-  
tia captiuis retētis pecunia remissa est cultæ fidei pretiū. Hæc anno ab V. C.  
5 5 2 quingētesimo quinquagesimo secundo, perfecta sunt. Quo anno in proximū  
euoluto Cornelius Scipio omnium Imperatorū clarissimus Coss. Gn. Corne-  
lio Lætulo. & P. Aelio Pæto Romæ de victa Carthagine triūphauit. Deceffit  
prope Romā Syphax: quæ vna res ad triumphī splendorem augendū defuit,  
si tantus paulò ante Rex captiuus in pompa duceretur. Ipsi Scipioni Africa  
20 ni cognomen est factum, meritis debita gratia. Sic secundū bellum Punicum  
finem habuit septimodecimo anno ex quo erat inchoatum, omnium grauif-  
simum & maxime anceps, eoque lætissimo omnium exitu terminatum.

*M. Portius Cato Consul venit in Hispaniam. Cap. XXV.*

**D**VOS in Scipionis locū in Hispaniam missos fuisse Proconsules  
monstratum est. Ex ijs L. Cor. Lætulus ad spem triumphī, domi-  
tis Hispanis Romam redijt, sexto postquam venerat anno. Post-  
modum C. Cor. Cetegeus venit in Hispaniam, L. Manlio Acidi-  
30 no collega, ex æquataque potestate duorum, anno ab Vrbe condita quingen-  
tesimo quinquagesimo quarto. Quo tempore Hispani suæ gentis conditionē  
miserati, seroque intelligentes bella, quæ gessissent Romani, non pro ipso-  
rum libertate suscepta esse, sed studio imperij amplificandi: coniuratione  
inter se inita rebellantes in Ceretanis, Cetegei celeritate eorum conatibus  
præoccupatis ad quindecim millia cæsi sunt in acie. Sequenti anno Cete-  
go & Acidino imperio abrogato successores dati Cor. Lentulus, L. Sterti-  
nius. quo & tertio anno nihil accidit illustrius in Hispania, quàm duas in ea  
ex vna præfecturas factas iussu senatus: Vterioris Lusitaniæ & Bæticæ fini-  
bus terminatæ, atque Citerioris, cuius ambitu reliqua Hispania contine-  
40 batur. ij fines non semel commutati in vtraque præfectura, cognoscenda  
antiquitate nonnullam pariunt difficultatem. In Græcia bellum eadem  
tempestate cum Philippo Macedone gerebatur: & M. Portius Cato Sardi-  
niam cum imperio gubernabat. Itaque anno ab Vrbe condita quingente-  
5 5 7 simo quinquagesimo septimo, Gn. Sempronio Tuditano Hispania Cite-  
rior

rior sorte destinata, M. Heluio Vltior. Cōtra hos quia militi veterano missione cōcessa infirmiores & iniuriæ opportuni fore visi sunt, Hispani varijs in locis rebellant, Ducibus præcipuis Colca, atq; Luscinone. Cum rebellū parte in Citeriori Hispania ausus Tuditanus dimicare insignē cladem accepit, exercitu cæso, atq; ipse met fauciato & paucis post diebus extincto, ex animi dolore vulneris acerbitate aucta. Ea res Romæ nunciata non maiorem molestiam quàm curam attulit, formidantibus bellum quod maiori mole renascebatur in Hispania, non scissis studijs vt antea pro Romanis & aduersus Romanos, neque ad pellendū sinibus Pœnum, sed pro veteri belli gloria, pro recuperanda libertate ab vniuersa gente susceptum. Missi in Hispaniam anno 10  
 558 ab Vrbe condita quingētesimo quinquagesimo octauo, in Vltiorē quidem Q. Fab. Buteo, in Citeriorē autē Q. Minutius Thermus circumagēte se anno ex prouincia discesserunt haud magno opere pretio, nisi quod à Thermo scribunt duodecim Hispanorum millia ad Turbam urbem acie fuisse trucidata. Crescente itaque cura Patribus Coss. L. Valerius Flaccus & M. Portius Cato, Hispaniam Citeriorē sortiri iussi sunt anno ab Vrbe condita quingētesimo 10  
 559 quinquagesimo nono. quod ad eam diem non erat factum, vt Cōsul in Hispaniam iret, magnitudo periculi suasis. Sortitione facta, Cato missus est, cū duabus legionibus & viginti quinque longis nauibus. & nihilominus P. Manlius Citeriorem Hispaniam ex prætura obtinere iussus est, Vltiorem App. Cl. 20  
 Nero. Hoc apparatu Cato velis è portu Lunæ explicatis emensus sinum Gallicum, oram Hispaniæ tenuit: & ad Rhodopē circumacta classe, ex eius urbis arce pulso Hispanorum præsidio, Emporias delatus, ab eius ciuitatis parte benigne acceptus est, quā Græci è Phocæa profecti obtinebāt, & Massiliensium exemplo in fide Romanorum perstabāt. Erat enim ea vrbs in duas partes diuisa muro interiecto. mari vicinam angustiolem spacijs, ac vix ambitu quadringentos colligentem passus Græcorum natio obtinebat è Phocæa profecta, vti est antea demonstratum. latiorelem habitabant Hispani tria millia circulo colligentem. Qua parte muro dirempti inter se erant vnica porta patebat ad alteros. custode per diem adhibito, noctu non minus tertia Græcorū 30  
 ciuium parte in muris excubabat: ijsque tantum eo die ad maritima commercia prodire datum erat. Qua disciplinæ diligentia in tanta paucitate libertatem ad Catonis aduētum illibatā conseruarant. Hispani Romanū imperium respuebant, confisi numero atque finitimis auxilijs. Cato positus ad eam urbē castris redemptores Romam dimisit, naues Massiliam: illos quoniam mature segetes erant alendo ex præda milite, classē vt spes redditus adempta nisi parua victoria milites acueret. Eodem tempore Heluius ex Vltiori Hispania venit in castra, Cætibersis magno numero, qui obuiam prodierant, trucidatis ex itinere, atque Illiturgi, quoniā nouo conatu defecerat, denuo expugnata ijs copijs, quas præsidij causa à successore acceperat. Venerunt præterea 40  
 à Belistage Ilergetum Regulo legati auxilia postulatam aduersus iniurias, quæ ab Hispanis rebellibus inferebantur. vastatis agris ægrè à mœnibus vim hostium arceri. fore nisi maturè opem ipse tulisset pereundum omnibus, nulla grauiori culpa quam fidei erga Romanos susceptæ cultæque constantè.

stantè. Quinq; militum millia depellendo periculo fore satis. Adhæc Cato cupere se quidem ait socijs opitulari. quæ ad amicitiam populi Romani attulissent, ea ab hoste eripi molestum esse. cæterum copiarum paucitate prohiberi ne continuo subsidio esset, ne distractis viribus, hostibus esset impar: qui ad obsidionem Emporitanorum soluendam magno numero festinare, iamque affore nunciabantur. fidei præmia debere eos euentu belli expectare. tantisper modo sustentarent hostiumq; iniurias aut arcerent, aut tolerarent, maioribus commodis sanaturi parta victoria. Legati eo responso accepto vehementius rem vrgerè. ad genua Consulis prouolui. infimis precibus postulare, ne in tanto discrimine rerum suarum à socijs deserantur. Tum Cato 10  
 ancipiti cura distractus, cum intelligeret plerunque bellorum euentus magis opinione hominum nisi quam vera virtute constare, ad artes conuersus die postero auxilia pollicetur legatis. tertia copiarum parte in naues continuo imposita auxilij mittēdi simulatione, eos in patriam præcurrere iubet, & suorum animos auxiliorum spe confirmare. Copiæ tamen post legatorum profectiōem reuocata. nam Hispanorum exercitus in conspectum venerat, & quam primū prælio decernere Consul habebat in animo. De 20  
 tertia vigilia copijs omnibus è castris eductis, atque in alteram castrorum hostilium partem traductis, tres dubia luce cohortes, hostium vallo succedere reuulsi. Barbari repentina re commoti, miratique primū à tergo apparere Romanos, qui pridie à fronte erant: deinde quoniam pro portis valloque ad pugnam hostis prouocabat irritati, nullo ordine nec certo imperio portis omnibus erumpunt, cedentesque Romanos, nam vt ita facerent moniti erant, dispalati insequuntur. Eum impetum Romani certe equites non ferentes in fugam versi legiones etiam conturbant primū, deinde acie restituta promotaque, hostium audacia compressa est, & æquo vtrinque discrimine pugnatum aliquandiu. Erat legio in subsidijs à Catone ad omnes casus parata. ex hac cohortes aliquot in pugnam recentes inductæ hostem in fronte atque in sinistro cornu laborantem loco pepulerunt. in fugam 30  
 versum atque in castra compulsū castris exuerunt. In pugna fugaque supra quadraginta Hispanorum millia cecidisse scribunt. Sequenti nocte modica quiete sumpta milites ad vastandos Emporitanorum agros educti sunt. consternati eo incommodo ciues exemplō defensione desperata portas Vitori aperuerunt, parati imperata facere, rebusque omnibus iuuare. in fidem acceptis Cato omnem humanitatem exhibuit, præsidio militari impune dimisso, quod ex finitimis constabat. Secundū eam victoriam vniuersa citra Iberū prouincia pacata Tarraconem itum est. Bergistani Cos. profectiōem ad occasionem tumultuandi vertentes pari celeritate ad officium retracti sunt. Venia tunc data denuo rebellantibus negata est. vniuersi sub corona in seruitutem venditi. crudele exemplū: sed ceteri eo supplicio castigati retenti à defectione sunt. Bergua nunc oppidum est non procul Osca, quidam malunt Bergistanos tenuisse loca, vbi nunc Turulis seu Tiruela est. Turdetani in extrema Hispania & ipsi rebellantes à Manlio Citerioris Hispaniæ Præ- 40  
 tore suis & Neronis copijs superati erant. in hos quoniam aduocatis Cel-

tiberis bellum reparare dicebantur, priusquam Consul moueret, oppida omnia citra Iberum armis exuere constituit. Continenda in officio gente remedium vniuersos conturbauit. quidam etiam manus sibi attulerunt, quibus arma vita potiora erant. Sic mutato decreto ad certam diem dimissis in omnes partes legatis cunctæ eo tractu vrbes mœnibus nudatæ sunt. Consilio patrato, atque Turdetanorum motibus interea à Manlio compressis, pari celeritate Seguntiam contendit, vbi Celtiberorum impedimenta erant, ingens præda. Verum eius vrbs capiendæ spe, contra quam cogitaret, delectus Numantiam abiit auctore Gellio. Cis Iberum demum Ceretanis, Aufetanis, & Suessetanis in fidem ex deditioe acceptis, Lacetanos regionis lōginitate & locorū asperitate confisos armaq; mouentes domuit. Pacata per hunc modum Hispania vniuersa, auctoq; vectigali publico, ex argenti ferrique secturis, nouis creatis missisq; in eas prouincias Prætoribus, Cos. Romani reuocatus, splendido triumpho in urbem inuectus est. in quo argenti infecti signatique centum quadraginta octo millia pondo, Oscensis auri, quingenta quadraginta illata. Militi septuageni æris in capita donati, equiti triplicatū. Domitæ Hispaniæ Cato per totam vitam patrociniū suscepit: eamq; ab iniuria tutatus est. Et est magnis viris innatū, qualis Cato fuit, post contentionem in supplices & prostratos humanitatem suscipere, iram misericordia mutare. Ex voto ad Emporias nuncupato ædiculam Romæ post bienniū extruxit, vt in Liuij codicibus est, et Victor affirmat, de regionibus Urbis Romæ, Victoriæ Virgini. monetæ expressa Catonis facie magno effosæ numero, Victoriæ victrici habent.

*Varij Prætores veniunt in Hispaniam, Cap. XXVI.*

**L**VRES deinceps Prætores missi sunt in Hispaniam. quorū nomina adscribere visum est, temporibus neq; accurate designatis, neque penitus prætermisissis. Primi in hoc numero sunt Sex. Digtius murali corona clarus in expugnatione nouæ Carthaginis, P. Cornelius Scipio Nasica, Cn. Scipionis filius. decreto senatus Romanorum sanctissimus. Post hos vno tēpore vtranque Hispaniam rexerunt. M. Fuluius Nobilior, cuius virtute Toletum in ditionem Romanorum venit & C. Flaminius. Huic prorogato imperio, Fuluius successor est datus L. AEmilius Paulus, is cui ob deuictum Regem Perseum, Macedonico cognomen postea fuit. Deinde L. Plautius Hypsæus in Citeriorem Hispaniam Prætor venit. in Vltiorem L. Bebio Diuite in Liguribus cæso, cui ea prouincia designata fuerat, P. Iunius Brutus. Horum decurso præturæ tempore L. Manlius Acidinus Citeriorem Hispaniam, Vltiorem C. Catinius toto biennio tenuerunt. Acidino atque Catino successores dati sunt C. Calphurnius Piso, & L. Quinctius Crispinus anno ab Vrbe condita quingentesimo sexagesimo octauo. quo anno Catinius nondum successore in prouinciam delato, in Lusitania occubuit prælio ad Astam facto. Piso & Calphurnius biennio prouincia gesta, de victis Lusitanis Celtiberisque Romæ triumpharunt. Successores dati A. Terentius Varro Citerioris, Vltioris Sempronius

Sempronius Longus. Secundum hos P. Manlius Vltioris Hispaniæ, qui Consul M. Catone eandem prouinciam ex prætura gubernarat. Citerioris Q. Fuluius Flaccus. Ab hoc Celtiberi in Carpetanis insigni prælio victi sunt ad Eburam oppidum, quod Ptolemæo oppidum Libora est. Biennium hi Hispaniam rexerunt. quo tempore exacto, noui Prætores Roma, missi Vltioris Hispaniæ L. Posthumius Albinus, Citerioris Ti. Sempronius Gracchus Gracchorum pater ex Cornelia filia Scipionis maioris, alteriusque Corneliæ matri cognominis: quæ nupsit Scipioni minori, cui etiam Africani nomen fuit. Sempronij Prætoris virtute multæ in Hispania victoriæ partæ, Numantiaque primū in Romanum fœdus venit. Præterea quibus nunc locis Agreda supra Soriam cernitur, Gracchurris, quæ antea Illurcis vocabatur, de Gracchi nomine sic dicta est. instaurauit nimirum illam, aut ædificijs & regionum amplitudine illustrauit. Monetæ Gracchurris percuso nomine in Hispania visuntur: Albini multo maiori numero. Anno ab Vrbe condita quingentesimo septuagesimo septimo M. Titinius Gurius Citerioris Hispaniæ Prætor fuit, Vltioris Q. Fonteius. Hi tribus annis res in prouincia gesserunt: quarto qui Prætores venerint non satis constat: tamen si Ap. Claudium Centhonem scribant victis Celtiberis ouationem Romæ meruisse anno quingentesimo octogesimo. annum quidam ex hoc numero demunt. Omnino per idem tempus Hispaniæ Prætores fuerunt Vltioris quidem Seruilius Cæpio, Citerioris autem Furius Philo. Successere M. Macienus & Gn. Fabius Buteo. Verum Buteone in itinere ex iactatione maris Malsiliæ defuncto, iussu senatus inter Prætores priores fortitione facta Furius in prouincia permansit Citerioris Hispaniæ pro defuncto Buteone vicarius. Annus quingentesimus octogessimus secundus Prætores Hispaniæ dedit Citeriori M. Iunium, Vltiori Sp. Lucretium. Eo anno circumacto vtriusque Hispaniæ præfectura in vnum collata, atque L. Canuleio demandata est. Hoc priusquam in prouinciam iret, iudice ab Hispanorum legatis quidam è prioribus Prætoribus repetundarum postulati, absoluti iudicio sunt more suscepto, vt in cæteros seueri Romani Patres sibi mutuo parcerent, qua inuidia passim flagrabant. Id modò leniendis prouincialium animis datam, ne frumentum venderetur à magistratu Romano pretij æstimatione facta: ne vicefimam vectigalis genus redimere cogerebantur Hispani ex Prætoris voluntate. Additum ne publicani vectigalia licerent: redigendæ è vectigalibus pecuniæ oppidis cura potestasque esset. Noua legatione impetratum etiam est, vt ex militibus Romanis & matribus Hispanis stuprogeniti, quos Hybridæ vulgus vocabat, & seruorum conditione erant, agris donarentur. Si quos ex ea multitudine hominum amplius quatuor millium, Canuleius Prætor manumittendos iudicaret, eos Carteiam deduceret coloniæ iure & nomine addito. Sic ea ciuitas prima Romanorum colonia in Hispania fuit, Carteiaque ex eo Libertinorum colonia dicta est. Canuleio successor M. Marcellus anno ab Vrbe condita quingentesimo octogesimo quinto Cordubam fundauit urbem in Bætica nobilem, magnorum ingeniorum matrem. Strabo à M. Marcello Cordubam fundatam ait. quod dictum de hoc

tempore interpretari commodius arbitror, quam cum post aliquot annos Cos. Hispaniam repetijt. Silius Annibalis ætate Cordubæ mentionem facit, quod si verum est, ex eo M. Marcellus eam laudem tulit, quod eam urbem ædificiorum elegantia & maiestate exornatam municipij iure donavit. coniecturæ neque certæ neque prorsus inanes. Successit Fonteius Balbus. Et rursus Hispania in duas præturas tributa, Gn. Fulvius & C. Licinius Nerua.

Quo tempore Iudas Machabæus Iudæorm Dux clarissimus in anticitiam venit populi Romani, armis in Asiam prolatis ingenti gloria parva, sed & auctis immensum vectigalibus potētissimi secturis in Hispania auri & argenti, vt fama ferebat, occupatis. Atque hoc loco Prætorum Hispaniæ enumeratio resistat, si ulterius procedatur molesta magis quam ex usu futura.

Neque verò licet corruptis antiquis monumentis historiam continuare locis omnibus perpetuam: ne conuenit quidem rerum Romanarum adipe amplius annales Hispaniæ infercire quasi per se graciles, rimas explere rudere.

Libri Secundi Finis.

HISTORIÆ

HISTORIAE

DE REBUS HISPANIAE.

LIBER TERTIVS.

Belli Numantini initium, Cap. I.



ELLV M diuturnum atque atrox anno ab Vrbe condita sexcentesimo primo in Hispania natum est, prælio euentu varium, successu Hispanis tandem exitiale. Horum motuum principes auctores Numantini extiterunt, imperij videlicet grauitate fessi & Romanorum iniurijs exacerbati. Numantia formido ac terror populi Rom. gloria decusque Hispaniæ in extremo Celtiberiæ ad Septentrionē angulo sita fuit, atque in Aeuacis. quatuor amplius milibus supra Soriam ad Garai pontem, nō procul ab ortu Durij fluminis eius urbis vestigia mostrantur. Natura loci quam arte munitior fuit in cliuo posita molli quidem ascensu, aditu tamen difficili, quōd tribus ex partibus montibus ambiatur, vno tantum latere in planiciem desinente, prouentu fertilē & secundum Teram amnem duodecim millia, quousque in Durium influit protensam. Lacedæmonum instituto nec mœnibus munita erat, nec turribus circumuallata, & ad gregum pascendorum commoditatem regionibus aliquanto latior, quam vt perpetuo muro includi posset. arce tantū munita erat, vnde læssenti hosti repugnare soliti erant: in eamque fortunas omnes in belli discrimine conferre: ciuium numero modico, vnde quatuor pugnatorū millia prodibant in aciem (alij hunc numerum duplicatum ponunt) genere vitæ & omnium rerum patientia durati. multum audaciæ ad bella suscipienda inerat, multum prudentiæ bellis administrandis. Iungerat Sempronius Gracchus, quo tempore res gessit in Citeriore Hispania, cum Numantiniis fœdus, his legibus. Oppida & arces ne ædificantur, neu muniuntur absque conscientia Romani senatus. Vectigal penditor quibus oppidis & quantum esset imperatum. Castra Romana sequuntur, quoties essent ad signa vocati. Erat præterea in Aeuacis (Appianus in extrema Celtiberia inter Belos collocat, fortassis quibus nunc locis Vxama sita est) Segeda vrbs quadraginta stadiorum ambitu. Hæc vrbs atque eius exēplo Tithij finitimi nouorum motuum cupiditate cum finitimis populis fœdus inire, mœniaq; instaurare, nihilque eorum prætermittere, quæ ad propulsandum bellum fore ex usu iudicarent. Vetitum a Romano senatu in opere progredi cum esset, & tributa ex fœdere imperata, iussumque Romana castra sequi, quorum ætas idonea erat ad induenda arma: aliam ex alia neccentes moræ causam facere recusarūt. Hinc




belli eius prima occasio extitit, quo Numantia implicata est Segedæ vicina, & cum illa armis foedereque contra Romanos sociata. Nam Romani ne prima negligendo malum serperet, continuò arma expedienda fore iudicauerunt. Erat eodem tempore in Lusitania natum Romanis bellum cum Cessarone, qui restituendæ pristinæ libertatis curam susceperat vniuersæ prouinciæ voluntate, Africani cuiusdam vicarius atque successor: qui non ita pridem contra Romanos rebellarat, & in expugnatione cuiusdam vrbs ictu lapidis fuerat occisus. Hi motus Romæ nunciati magnam curam iniecerunt Patribus, atque ita vt L. Mummio Vltioris Hispaniæ Prætore destinato, in Citeriorem Hispaniam propter indomitos Celtiberorum animos, cum exercitu Consulari Consulem alterum amandandum iudicarent: atque insolita festinatione Consules, qui sub finem Decembris creari, atque dimidiato Martio magistratum inire consueverant, nouo exemplo iusserunt, quod in morem ab hoc initio deinceps abiit, ipsis Ianuarij Kalendis Consulatum auspicari. Itaque Q. Fuluius Nobilior Consul in Hispaniam destinatur adiuncto valido supplemento militari. Segedani contra minime ignari tantum belli apparatus ad eorum perniciem comparari, vrbs munitioni, cum nondum perfecta esset, difissi, filios & vxores apud Aeuaces deposuerunt. ipsi se ad bellum compararunt Caro copiarum Duce creato, qui magnum in re militari vsum habebat. Is operæpretij faciendi & sancienda auctoritatis à præclaro initio cupiditate ex Consulibus Copijs, quæ triginta millium numerum efficiebant, insidijs in transitu positus sex millia cecidit, cæteros in fugam compulit. quos dum auidius insequitur à Romanorum equitatu, qui in postremo veniebat agmine, non minori suorum numero trucidato occisus est. Accidit hoc prælium tertio Kalendis Septembris, quo die Romani Vulcanalia celebrabant, tanta vtriusque exercitus siue formidine, siue calamitate, vt vtrique à pugna nisi necessario temperarent deinceps. Eadem Aeuaces nocte Numantia, quo frequentes conueniunt, nam vicinis locis prælium erat commissum, in Cari locum Haracum & Leuconem substituerunt. Numantinis priuatim Copijs Lintheo cum potestate præfectus. Consul castra tertio post conflictum die ad quartum ab vrbe Numantia lapide posita sunt. in his decem Elephanti erant & quingenti Numidæ equites à Masinissa recens ex Africa auxilio missi. Ex Consulibus prouocatione prælio commissæ Celtiberi primum, cum in ipso ardore pugnae laxatis Romanorum ordinibus Elephanti essent inducti, noua re commotis atque perterritis, tum hominibus, tum equis, in fugam versi atq; in vrbe compulsi sunt. Romanos insequentes atque Consul hortatu conantes in vrbs munitionem euadere Elephanti perturbauit magno lapide comminuto capite, vique dolores, vt sit, in furorem actus. Nam tum ipse, tum reliqui eius exemplo Elephanti in suos conuersi, vt est anceps hoc genus animalium, ordines dissiparunt, obuiosque prostrauerunt. Ea res Numantinos prouocauit, vt denuo eruptione facta vrgerent Romanos, qui quatuor millibus suorum occisis in castra compulsi sunt. ex Celtiberis duo hominum millia in vtroque conflictu ceciderunt. Ad Axeniam eius tractus Emporium, quam vrbe Consul secundum id prælium tentauit, non minore

minore nec ignominia nec clade repulsus est. his rebus renunciatis atque perspectis Ocilis vrbs, in quam Romani, pecuniam, impedimenta & bellica instrumenta contulerant, Celtiberis se adiunxit. Nam plerunque fides ex fortuna pendet, & blanda ac sepe fallax libertatis spes multorum animos capit. Ea re Consul territus veritusq; vt hoc exemplum ad alias vrbes pertineret, munitis prope Numantiam castris copias in Hybernis continuit. Annonæ angustia atque frigoris vi maxima, multos fames & cæli inclementia consumpsit. Atque hæc in Citeriori Hispania. in Vltiori vero à Mummio Prætore per idem tempus pugnatum vario euentu, exitu tandem optimo. Nam in prima pugna, cum Lusitanos victos & terga vertentes auidius nulloque ordine sequerentur Romani, Cessaron confirmatis suorum animis in hostes conuersus victoriam extorsit è manibus. Decem Romanorum millia trucidata, castraque vtraque expugnata, tum sua quibus exuti fuerant, tum hostium quos extrema pugna superarunt. capta spolia Romanorum virtutis ostentanda causa à Lusitanis per vniuersam ferme Hispaniam circumlata. Hos Mummus aliquanto tempore suorum animis confirmatis, quos ad quinque millia locis munitis continuerat, pompam circumducentes de hoste superato, & futuri securos repete impetu facto cecidit. in ea pugna complura signa eorum quæ erant amissa recepta sunt. In Cessaronis locum (nam forte in eo conflictu periit) Canthenus susceptus, ad Cuncos qui siti erant in ea Bæticæ parte, vbi Niebla cernitur, cum Cunistorgim vrbe, quæ in fide Romanorum erat suæ ditionis fecisset, ad fretum Gaditanum progressus est. vnde exercitus parte in Africam abeunte, cui præ animorum fastu Hispaniæ fines angusti erant, reliqui Lusitani à Mummio Prætore, qui aucto suorum numero nouem millia militum sub signa contraxerat, aliquot prælijs fatigati cæsiq; ac tandem noua eius gentis manu cæsa, ne vno quidem superstiti, qui tristem nuncium princeps deferret in patriam, ad officium demum reuocarunt animos. Pro his rebus Mummio sequenti anno qui annus ab Vrbe condita fuit sexcentus secundus, Romæ triumphus decretus est. In Fuluij locum eius calamitate nunciata M. Claudius Marcellus Consul missus est cum valido supplemento peditum octo millium, equitum quingentorum. Vltior Hispania M. Atilio Prætori commendata. Marcellus cum omnibus copijs in Hispaniam appulsus primo quoque tempore Ocili vrbe impugnandam sibi sumpsit, vt cuius noxa præcipua extiterat, princeps pœnas daret. conseruata tamen est deditio mature facta, tametsi admisisse videbatur, vt extrema inferreretur patereturque mala. obsides tantum imperati, & triginta talentorum auri multa indicta. Prope erat vrbs Nertobriga, atque quantum ex Ptolemæi descriptionibus suspicari licet non procul Turiasone atq; Bilbili. Inde legati ad Consulem de deditioe missi sunt. centum tantum equites imperati primum: deinde quoniam ex ea vrbe quidam postremum Romanorum agmen atque impedimenta latronum more inuaserant, haudquaquam à Consule excusatione recepta quasi priuata fecissent auctoritate, centum obsidibus sub corona venditis, vrbs ipsa obsidione cincta atque impugnata est. Missi denuo de pace legati Lupi exuias in hasta gentis instituto præferentes. Debere cum

sue superior noxa communis fuisset siue priuata, illato damno esse contentum. Satis iam penarum datum, agris vastatis, ædificijs incensis, ciuium suorum vendita libertate. Miserorum animos salutis desperatione, amplius irritandos non esse: quæ vires aduersus victores sepe suppeditare consuevit: neque minima animalcula perire inulta. Consul vllam Nertobrigis priuatim pacis conditionem fore negat, nisi Arcuacibus, Belis, Tithijs, vnde initium extiterat rebellandi, eodem foedere comprehensis. Non recusabant gentes illæ pacisci, modo Gracchi id contingeret foedere reuocato. Consulem ad ea, quæ petebantur propensum, focij atque confederati dehortati sunt, iniuriam fore prædicantes, qui toties defecissent, & magnas clades intulissent tum Romanis tum præcipue finitimis Hispanis, qui in populi Romani fide essent, cum ijs antiquum foedus iustaurari. Consulis animo cura in vtrinq; partem suspensa atque distracta, quodam induciarum genere facta, vtrique eo concedente legatos Romam miserunt, vt quasi in re presenti Patres statuerent atq; decernerent, vtrum ex vsu fore iudicaretur populi Romani. Peruenerat interea Fuluius Nobilior Romam: quo eius gentis perfidiam atque iniurias commemorate in senatu, re infecta legati iussi sunt, in Hispaniam redire, atque à Marcello Consule responsum expectare. Ea denunciatione facta, qua haud obscure belli denunciatio continebatur, de supplemento Hispaniensis exercitus actum totius Hispaniæ perdomandæ destinata voluntate. Ex omnibus ergo legionibus euocati quoniam respondere sponte recusabant eam militiam formidantes, nouo exemplo fortibus deligi ex omni copia placuit, qui necessario irent in Hispaniam.

*P. Cor. Scipio legatus venit in Hispaniam Cap. II.*



INTEREA M. Atilius in diuersa Hispaniæ parte Lusitanis male multatis in ditionem plerasque redegerat ex ditione ciuitates, anno sequenti appetente: quo Consul L. Licinius Lucullus Citeriorem Hispaniam sortito suscepit administrandam, Vltiori ex prætura Serg. Galba. P. Cor. Scipio Minor cui excisæ Carthaginis laus seruabatur, legatus venit in Hispaniam viginti quatuor natus annos, cupidus nauandi operam reip. in eo bello, à quo cæteri milites abhorrebant maxime. Sunt qui scribant Lucullo in Hispaniam appulso Scipionem traicisse in Africam, ab eo ad Masinissam missum, vt pro iure veteris amicitia Elephantos submitti impetraret. Nobis M. Ciceronis auctoritas potior sit, Manlio Consule id demum factum fuisse affirmantis. Gracchorum is sororè connubio iunctam habuit, neptim Scipionis Africani ex Cornelia eius filia, fueratque à Scipionis filio in filiam adoptatus. Paulum AEmilium natura patrem habuit Scipionis Africani leuirum nulla præterea cum Scipionum familia communione sanguinis. AEmiliani cognomen à patre tulit. Cæterum dum Luculli aduentus expectatur, Marcellus confecti eius belli laudem affectans copias ex Hybernis quam primum reuocat. Nertobriga quinq; Arcuacum millibus intra urbem admissis Consulis conatus occupat.

Numantia

Numantia arma corripit. In hanc urbem Marcellus, quoniam belli caput habebatur, arma expedienda primum fore arbitratus ad quintum lapidæ castra ponit. Verum cum à Lintheuone agi de pace captum esset Numantinorum Duce, ea tandem lege à Marcello foedus est factum si Numantini Belos, Tithios, & Arcuaces desererent. Eo destitutos præsidio sperabat breui in potestatem esse venturos. Inanem eam spem non fuisse rerum euentus probauit. continuo ij populi deditioe facta, in fidem accepti sunt obsidibus datis, atq; talentis sexcentis, vt Strabo auctor est. Lucullus in prouinciam appulsus Cæltiberorum bello pacato, nocedi, cupidus certusque, in Carpetanos profectus, indè traiccto Tago in Vacceis Cauciam urbem impugnare constituit, ijs locis sitam vbi nunc Coca oppidum situm est, vindex vt videri voluit Carpetanorum quos à Cauciensibus violatos esse accusabat. fames aurum agebat præcipitem tenui inter Romanos censu, dirum in Præfectis & Ducibus malum. Ij inuito cum Consule certamine, cum in urbem repulsi essent, deditioe facta in fidem accepti sunt. obsides imperati, atque equites auxiliares, præterea centum argenti talenta. Huius foederis simulatione expetente Consule præsidium Romanorum in urbem admissum. à quibus, vt conuenerat, ad tubæ signum ciues calamitosi nullo discrimine neque sexus neque ætatis oppressi incogitantes cessique sunt, perfidia plusquam Punica, barbara inhumanitas.

Finitimi populi hoc immanitatis exemplo cautiore, neque mœnibus confisi, neque Romanorum fidei credentes in syluas rupibus horridas & inaccesos montes se, suos, suaque contulerunt, igne corruptis quæ comportari non poterant. Lucullus quem inopia auarum, auaritia crudelè efficiebat, eius prædæ spe depulsus, ad Intercatiam penetrauit. Erat ea urbs medio circiter itinere sita quo Vallisoletto Asturicam itur. Positis iuxta castris ciues ad deditioem inuitati, an ea fide responderunt recipere dedititios & supplices vellet, qua Caucienses paulò ante? Hoc responso Consul irritatus acie pro castris explicata obsessos ad pugnam inuitabat, quam illi omni ratione deuitare præiudicatum habebant mœnibus & munitione atque comeatu, quem in multos dies parauerant (tametsi præter urbanam multitudinem ex vicinis locis in eam urbem cõfugerant pedites equitesq; magno numero) certi libertatem tueri. Leuia modo prælia fuere euentu haud memorabili. Illud est ad memoriam insigne: Hispanum quendam Regulum vasto corpore & viribus magnis singulari à Scipione certamine superatum fuisse: cum quo identidem pro castris ad pugnam prouocante nullus Romanorum ausus fuerat manus conferere. Annonæ angustia maxime laborabatur in castris, famemque vulgo milites frumento hordeoque cocto, & nonnulla venatione tolerabant. salis inopia grauius premebantur. His rebus & ex aquarum subtilitate, vt in regione montana, plerosque milites disenteria cœperat fatigare. Vna expugnandæ urbis spes animos sustentabat. Itaque comportata materia bellicæ machinæ perfectæ erant, quibus quassati muri parte magna prostrata, milites in urbem conantur euadere. Primus Scipio per stragem lapidum & rudera fastigium occupauit: eoque merito pro concione postea laudatus & murali corona donatus est. tametsi egregia oppidanorum virtute repulsi

sepulsi Romani atq; vrbis aditu prohibiti sunt, non paucis præ festinatione in vicina palude suffocatis. Muri pars collapsa sequenti nocte obsessorum diligentia instaurata est, coactusque esset Consul re infecta ab obsidione discedere, ni fames obsessorum animos ad deditiōem impulisset. Actum ergo de fœdere interprete atque amittente Scipione, cui maior quam Consuli fides est habita. Pacis conditiones moderatæ fuerunt. Decem millia fagorum, certus iumentorū numerus & obsides imperati, pecunię videlicet nec copia, nec cupiditate: cum Montani homines agrorum cultu & pascendo pecore vitam sustentarent. Motis ex ea vrbe castris Palentiaque frustra tentata Consulem ad fretum vsque Gaditanum peruenisse ex Plinij testimonio nonnulli suspicantur, portentosæ magnitudinis Polypi caput oblatum Lucullo ijs in locis fuisse affirmantis, inde in Lusitaniam populabundum irrupisse. Atque hæc Lucullus. Sergius vero Galba, cui ex prætura Vltiorem Hispaniam obuenisse est demonstratum, in Bætica res gerebat aduersus Lusitanos, qui populi Romani socios direptionibus fatigabant. Ijs cum militem longo itinere fatigatum obijcere non dubitasset, magna clade accepta, & septem suorum millibus amissis, fuga ipse cum reliquis copijs Carmenam euasit, vt Appianus est auctor. nos Carmonam esse arbitramur urbem ea ætate totius prouincię longe firmissimam, quæ prope Cuneos sita erat. vbi Prætor reparatis collectisq; vndique viribus hyemasse continuo fertur, indeque ignominia delenda cupiditate in Lusitaniam irrupisse, eiusque prouincię agros atq; oppida omni iniuria vexasse. Ad quem cum Lusitanorum legati de pace venissent humanissimis verbis & oratione, cuius erat egregius artifex, & in præcipuis suæ ætatis oratoribus à Cicerone numeratur, gentis defectione excusata: fatalem necessitatem, regionis sterilitatem sepe tumultuandi occasionem afferre: proinde suis denunciarent, se in animo habere agros ad habitandum colendumque genti tribuere multò commodiores, vnde vitam sine maleficio & finitimorum iniuria perpetuò deinceps propagarent. Dies dicta, quo die tripartitò ad eum venirent. illi haudquaquam in beneuolentiæ simulatione fraude subesse rati homines minime mali, imperata cum fecissent, armis exuti atque ad vnum cæsi sunt. Prædæ pars militi concessa, pars à Prætoze retenta, vnde Romanorum ditissimus euasisse creditur.

*Viriatum bellum, Cap. III.*



MNINO hac Galbæ immanitate irritatis prouincialium animis magis quam territis Viriatum bellum natum est: vt sunt alia ex alijs mala nexa aptaq;, & calamitatis finem alterius initium excipit illo plerunque grauius. sane Viriatum bellum totis quatuordecim annis vario extentu Romanorū potentiam fatigauit.

Natione quidem Lusitanus fuit loco humili, nam pascendis initio gregibus operam dedit, militia bonus, cuius rudimenta posuerat publicis itineribus obsidendis cum peculiari latronum manu. Vnde cum multi ad eum confluerent, quæ cū in ære alieno essent aut alioqui flagitijs infames: quæ belli malis fatigati

fatigati, more militum armauit, in signa turmasq; distribuit. iusto propemodum exercitu conflato finitimos ac Romanorum præsertim socios, qua parte Anas influit in mare, fatigare cœperat. Hunc M. Vettilius, qui anno ab Vrbe condita sexcentesimo quarto, Galbæ successor est datus, sibi exterminandum sumpsit. Viriatus contra pugnae discrimen vitare & ad fretum Gaditanū locis natura munitis se tenere, vbi cum obsessus à Prætoze famis malo cœpisset laborare, missis ad Vettilium legatis tentata concordia spes, si modò agri concederentur ad habitandum Viriati militibus, pollicentibus in populi Romani futuros potestate. Eam voluntatem, cum Prætor se æquum eorum postulatis præberet, Viriati oratione retractarunt disputantis quanto cum periculo credituri essent Romanis salutem libertatemque, in quibus hominum nihil esset præter speciem & humanæ linguæ sonum. Quod si nulla exempla extarent Galbæ immanitatem documento esse debere, ne blandis Prætoris Romani verbis inducerentur in fraudem. se potius Ducem sequerentur, suisque auspicijs bellum administrarent. Consilio cunctis probato atque Romanis pugnae simulatione deceptis, obiecto in prima acie equitatu primùm in vicinas sylvas pedites euasere: deinde cuncti Tribolam urbem peruenerunt, quò Viriatus bellum transferre cogitabat. Prope eam urbem Romani in insidias præcipitantes ad quatuor millia cum Vettilio ipso cæsi sunt, reliqui cum ex fuga Tartessum tenuissent, & Celtiberorum auxilijs confirmati denuo certaminis aleam subiissent vniuersi in pugna ceciderunt. in Vettilij locum Plaucius Prætor in Hispaniam Vltiorem venit anno ab Vrbe condita sexcentesimo quinto. Qui Viriati cum in conspectum venisset Turdetaniæ Carpetaniæque agros populantis, eo fugam simulante quatuor Romanorum millia insequendi studio longius prouecta, circumuenta cæsaque sunt. Prætor abolenda magis infamiæ cupidine quam victoriæ spe hostis vestigia secutus ad Veneris montem, quo ille transmissio Tago se receperat, non minori accepta clade, nec minori suorum numero amisso in fuga præsidium ponere compulsus est, atque ita vt media ætate virtuti diffusus vrbibus munitis non secus atque in Hibernis copias contineret, maiore mœnium quam virtutis fiducia. Hæc pugna in Lusitania propeque Eboram commissa putatur, argumento sepulcri, quod in ea hodie vrbe extat hac inscriptione.

L. SILO. SABINVS. BELLO. CONTRA. VIRIATVM. IN. EBOR. PROV. LVSIT. AGRO. MULTITVDINE. TELOR. CONFOSVS. AD. C. PLAVT. PRAET. DELATVS. HVMERIS. MIL. H. SEP. E. PEC. MEA. M. F. I. IN. QVO. NEMIN. VELIM. MEQVM. NEC. SERV. NEC. LIB. INSERTI. SI. SECVS. FIET. VELIM. OSSVA. QVORVMQV. NO. SEPVLCR. MEO. ERVI. SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

Hæc inscriptio omnium antiquissima est earum, quæ hoc tempore Romano-  
rum in Hispania extant. Dum hæc in provincia gerantur, Galba Romæ reus  
postulatus violatæ Lusitanis fidei, vnde in ea mala constabat fuisse præcipita-  
tum, accusationem euasit, quamuis L. Scribonio Libone tribuno plebis & M.  
Catone virgentibus, pecuniæ præsidio tutus, quod sibi certissimum in His-  
pania parauerat aduersus eam tempestatem. Claudius Vnimanus ab Vrbe  
6 0 6 condita anno sexcentesimo sexto, Prætor contra Viriatum missus in Hispa-  
niam ab eo victus cæsusque est, exercitu magna ex parte capto. fasces & ma-  
gistratus insignia in Lusitaniæ montibus constituta trophæi instar, tanta  
deinceps Romanorum consternatione, Hispanorum audacia, vt trecenti 10  
Lusitani non dubitarent cum mille Romanis dimicare, & plures quàm pro  
numero trucidarent. Accidit præterea vt à pedite vno plures Romani equi-  
tes fugarètur attoniti & pauidi, quòd ex ipsorū numero vnus equo traiccto  
ipsius equitis caput momento amputasset. sequenti anno ab Vrbe cōdita sex  
6 0 7 centesimo septimo C. Nigridius in demortui locum missus nihilo meliori  
euentu cum Viriato ad Viseum urbem pugnavit, vbi sepulcrum L. AEmi-  
lij in ea pugna occisi scribunt extare. Fuit is annus non tam rebus Hispa-  
niæ insignis quàm P. Cornelij Scipionis consulatu, & Carthagine penitus  
excisa, vnde illi Africani nomen, quod ab auo poterat hæreditarium habe-  
re. Per hæc tempora C. Lælium, eum qui Romæ sapiens est cognominatus 20  
Ciceronis testimonio, venisse in Hispaniam constat, primumque Romano-  
rum Viriati ferociam comprimere cœpisse. nimirum bellicam virtutem ex  
multarum rerum vsu collecta prudentia subleuando illustriorem effecit. Om-  
nino ab Vrbe condita anno sexcentesimo nono Q. Fabius Maximus AEmi-  
lianus Scipionis frater germanus a deo consulatu missus est contra Viria-  
tum. Ex senatusconsulto alterum Consulem proficisci in Hispaniam ne-  
cesse erat, de eius belli euentu suspensis Patrum populique animis. Et quo-  
niam veterani militis copia non erat, tyronum atque sociorum latini no-  
minis delectu habito, quindecim millia pedites, equites duo millia in pro-  
uinciam vecti Orsonam, vt Appianus ait, peruenerunt, eam quæ in Bæti- 30  
ca hodie Ossuna vulgari lingua dicitur. vbi exercendo milite aliquantum  
temporis datum. Gadibus, quæ insula non procul ea vrbe iacet, Herculi  
à Consule sacrificia instaurata, vota que pro victoria nuncupata. Viriatus  
contrà belli apparatu, quod in eius perniciem meditabantur Romani, per-  
fecto, neque eodem proficisci dubitauit: & primo aduentu Romani exer-  
citus lignatores cæcidit, trucidatis etiam militibus qui ad eorum præsidium  
vnà missi erant. Deinde Consuli Gadibus reuerso in castra, tametsi Viria-  
tus ad prælium prouocabat lacessebatque, tumultuario tantum certamine ex-  
periri placuit quantum virtutis in suis esset quantum in hoste: vniuersæ  
pugnæ necessitatem omni ratione vitare, dum mora suorum animos à ter- 40  
rore confirmaret, hostemque vinci posse monstraret. Demum vniuersæ  
pugnæ copia facta Viriatus superatus acie atque in fugam compulsus est.  
Romanorum copiæ autumnò iam in hyemem præcipitante Cordubam in  
hiberna deductæ. Viriatus autem locis natura munitis se tenere, &  
quoniam

quoniam militum corpora durata habebat, omnem cæli & aeris iniuriam  
perferre. Areuaces, Belos, & Tithios ad bellum sollicitare pro communi sa-  
lute, pro patriæ libertate, quæ pridem sua virtute renascens, ni maturè ipsi  
vires sociarent, in periculum rursus vocabatur. Ab hoc initio his populis  
ad rebellandum inductis, Numantinum bellum denuò exarsit, vt suo loco  
commemorabimus, Viriati rebus prius explicatis. Vnà cum Fabio AEmi-  
liano, cuius auspicijs hæc in Hispania gesta sunt, L. Hostilius Mancinus te-  
nuit consulatum. Hunc Consulem venisse etiam in Hispaniam atque Calæ-  
cos prælio superasse Anconitani inscriptiones declarant. cui auctori quan-  
ta fides habenda sit aliorum iudicium esto: à nonnullis sanè eruditis viris  
fabularum artifex egregius, & insignis mendaciorum confarcinator fuisse  
putatur.

*Q. Cæcilij Metelli gesta in Hispania Cap. III.*

**E**QVENTI anno, qui ab Vrbe condita fuit sexcentessimus 6 1 0  
decimus, duobus Consulibus Ser. Sulpitio Galba, & L. Aurelio  
Cotta de Hispaniæ provincia, quam diuisis Patrum studijs sibi  
20 vterque deposcebat contendentibus: Scipio in senatu rogatus  
sententiam, neutrum è republica videri respondit, alter inquit  
nihil habet, alteri nihil est satis. æque malam in imperio iudicabat scilicet  
inopiam atque auaritiam. illa iniuriæ necessitatem propemodum affert:  
hæc certam nocendi voluntatem. Itaque Popilius Prætor missus est, cui  
Plinius scribit Viriatum (nempe prælio aliquo insigni victum) vrbes tra-  
didisse, quæ in eius erant potestate. Post Popilium Q. Cæcilius Metel-  
lus, cui à deuicta Macedonia Macedonici cognomen fuit, Consul crea-  
tus anno ab Vrbe condita sexcentesimo vndecimo venit in Citeriorem 6 1 1  
Hispaniam ad comprimendos Celtiberorum motus, qui Viriati diligen-  
tia & hortatu cœperant excitari. Quintius quidam cum Viriato ipso bel-  
lum gessit: an à Consule Legatus, an Romæ Prætor destinatus incertum. Sa-  
nè à Viriato, quem ad Veneris montem prope Eboram in Lusitania acie  
superarat, maiori accepta clade, cum hostis vires reparasset repulsus est,  
atque autumnì tempore quasi in hibernis copias intra Cordubam conti-  
nere coactus: hostis iniuriæ opportunis tum socijs tum Romanis, qui in  
vrbiū vicinarum præsijs relictis erant. Metellus verò Celtiberis ad offi-  
cium pertractis, nam Areuaces vicisse Plinius est aucto, in sequentem annū,  
qui fuit ab V. C. sexcentessimus duodecimus, imperio prorogato in Citeriori 6 1 2  
Hispaniæ res gessit. Q. Fabius Seruilianus Fabij AEmiliani ex adoptione fra-  
ter, in Hispaniâ vltiorem Consul venit cōtra Viriatum valido supplemento  
40 adiuncto, in quo decem & octo millia pedites erant, equites mille quingenti: à  
Micipsa Masinissæ filio elephantibus decem ex Africa auxilio missi, equites tre-  
ceti. Has copias Viriatus in Bætica ex syluarū latebris inopinatò progressus  
in castra compulsas, neq; noctu neq; per diem iurisdictionibus fatigare atq; la-  
cessere

cessere destitit, donec Vticam peruentum est Bæticiæ urbem. Eo loco anno-  
 næ angustia compulsus suorum manum in Lusitaniam reduxit. Consul ea  
 molestia liber, in Cuneis Curionem & Apuleium prædonum Duces deu-  
 cit, & nonnullas ijs in locis vrbes, quæ validis à Viriato præsidijs teneban-  
 tur, vi cepit. Captiui quingenti interfecti, quorum erat noxa maior: cæteri  
 sub corona venditi, ad decem capitum millia. Dum ea æstate in Vltiori  
 Hispania hæc gesta sunt, haud leue decus Metellus quæsiuit Celtiberis do-  
 mitis, captisque in eo tractu Contrebia, Versobriga, atque Centobriga vr-  
 bibus. quo tempore ad Contrebiã fallendi studio per diuersa loca nullo  
 vt videbatur ordine neq; militari disciplina cum exercitum versaret, iden-  
 tidem mutatis castris, caussam à Centurione rogatus vocem illam emisit, ma-  
 gno & prudenti Duce dignam: Tunicam, inquit, comburerem si meorum  
 consiliorum esse consciam putarem. Hæc rectè. illud perperam. ante Q.  
 Pompeij aduentum in prouinciam, quem successorem datum nunciatum  
 erat, militibus ante legitimum tempus vacatione concessa, publicis horreis  
 neglectis, atque elephantis detracto pabulo, aut mortuis prorsus, aut præ-  
 macie inutilibus, vires Romanas debilitauit. tantum plerunque in magnis  
 ingenijs obrectatio valet, inuidiaque. Sed harum rerum merito tamen, re-  
 deunti triumphus Romæ denegatus est: alioqui debitus ob rerum gestarum  
 amplitudinem. Ergo Q. Pompeius Cos. in Citeriorem Hispaniam venit,  
 anno ab Vrbe condita sexcentesimo tertio decimo. quo tempore Seruilius  
 in Vltiori Hispania, nimirum imperio prorogato, Canobam prædonum  
 Ducem se dedentem in fidem accepit. Viriatum Baciæ urbis obsidionem  
 soluere, & in fuga salutem ponere coegit. Hostis fuga, multa eo tractu oppi-  
 da, abiecta defensionis spe, deditioem fecere. Summæ diligentia discipli-  
 næ seueritas adiuncta, omnibus Canobæ socijs, & quingentis præterea  
 captiuis quoniam Romanorum castra fidemque deseruerant, amputatæ ma-  
 nus. magnitudine supplicij terrere alios sperabat. Sed ex ea re tamen pro-  
 uincialium animis magis irritatis, quam territis, magna rerum commutatio  
 facta est. Erat Eritana vrbs in fide Viriati. in eam à Romanis obsessam no-  
 ctu is deceptis vigilijs sese intulit, & sequenti luce in hostes inopinantes im-  
 petu facto, cæsos in fugam compulit. Ijdem cum ex fuga locum non satis  
 munitum tenuissent, essetq; omnibus pereundum, venisse tempus ratus hone-  
 stis conditionibus pasciscendi cunctos conseruauit foedere facto: ex quo Vi-  
 riatu quidem amicus populi Romani vocatus est: eius autem militibus &  
 confœderatis, quæ occupauerant obtinebantque, omnia concessa. Hoc fœ-  
 dere, quo Romani imperij maiestas sugillata est, Q. Seruilius Cæpio, qui Ro-  
 mam a fratre Seruiliano nuncius missus erat, accusando identidem atque vi-  
 tuperando, in sequentem annum, qui fuit ab Vrbe condita sexcetesimus quar-  
 tus decimus, adeptus consulatum in Vltiorem Hispaniam venit, iussus à se-  
 natu fœdus cum Viriato quamprimum violare abrumpereque, quasi imperij  
 maiestate indignum, neque publico consensu factum. Quo minus arbitror  
 Romæ fuisse probatum, quamuis Appiano contra affirmante.

Viriatu

## Viriatu occisus. Cap. V.



VINTVS Pompeius ijs incōmodis impeditus, quæ à Metel-  
 lo inuidia erant allata, neq; præterito anno, neq; præsentis ma-  
 gna parte (nam biennium Citeriorem Hispaniã tenuit) aliquid  
 memorabile gessit: & prouincia pacata bellorū erat materia su-  
 blata. Seruilius autē in Bætica ad Arsam urbem Viriatum fuga-  
 tum in Carpetaniam vsque secutus est: vbi is tanquam ad pugnam explica-  
 ta acie, atque equitatu in primo agmine collocato, hoste distento pugnae ex-  
 pectatione in proximas syluas montesque peditatu dilapso, eodem equita-  
 tum qua consueuerat celeritate subductum incolumem seruauit. Cos. & di-  
 micandi & consequendi hostem spe depulsus in Vectones & Galæcos pe-  
 netrare constituit, vbi scelerum licentia erat, & cædibus atque latrocinijs  
 cuncta miscebantur. Ad eum Viriatu & belli diuturnitate fessus, & socio-  
 rum fidei diffusus magis quam Romanorum metu, tres de pace legatos mi-  
 sit. Hos Consul benigne acceptos, & officiosis in præsens delinitos mune-  
 ribus, atque magnis in posterum promissis oneratos, hortatur suadetque  
 vt Viriatum incautum opprimant: seque militia tam exercita, patriam  
 tot malis eripiant. Illi vt sunt infidæ prauorum hominum societates, facile  
 inducunt in animum sui Ducis capite incolumitatem redimere. sic datis pa-  
 lam à Consule de pace mādatis discedunt, Viriatumq; spe fœderis delusum,  
 incautumque noctu in strato dormientem opprimunt, virum meliori fortuna  
 dignum. Qui ex obscuro tenuique loco animi magnitudine tot annis Ro-  
 manos bello fatigauit, neque aduersis rebus fractus neque secundis incau-  
 tus. cum armis petitus varia fortuna pugnasset, dolo suorum cecidit, libera-  
 tor propemodum Hispaniæ: & qui non primordia populi Romani la-  
 cesserit, sicut alij Duces, sed florentissimi imperij maiestatem. Funus se-  
 quenti luce deprehenso facinore magis caritate suorum quam apparatu ce-  
 lebre fuit. hastis concursum inter milites est, & multæ pecudes mactatæ.  
 parricidæ Romam elapsi, cum à Patribus facinoris præmium postulassent,  
 responsum: nunquam senatui Populoque Romano placuisse Ducem à mi-  
 litibus trucidari. Sunt enim proditores inuisi, etiam ijs quos anteponunt:  
 & pœnas sæpe dant, vnde præmium sperabant. Successit Viriato Tantalus,  
 impar industria, virtute, auctoritateque. breui deditioe facta cum suis om-  
 nibus in Consulis fidem receptus est. His & cæteris Lusitanis arma detracta,  
 & agri dati sunt, vt terræ cultu distenti, & rei familiaris tenuitate oppressi,  
 rebellandi penitus abijcerent siue cogitationem siue facultatem.

## Numantinum bellum renascitur. Cap. VI.



NNO eodem ab Vrbe condita sexcentesimo quartodeci-  
 mo, nimirum Olympiadis centesimæ sexagesimæ anno primo,  
 graue malum Hispaniæ, Numantiæ denuò arma mota bellumq;  
 hac occasione maiore mole est renatum. Erat Celtiberi sub Ro-  
 manum

manum iugum missi Metelli virtute, soli Numantini & Termestini (triginta sex passuum millibus ab vrbe Numantia ad Occasum siti erant, quo hunc loco sacrarium Virginis matris cernitur Tiermes nomine) superioris fœderis beneficio libertate incolumi socij & amici populi Romani vocati erant. Q. Pompeius ne otio penitus marcescere nihilque agere videretur, harum vrbium libertatem opprimere cogitabat. Honesta causa quærenda erat, optima visa est Segedanos (hi in Belis erant Numantinis finitimi, hodieque Seges oppidum est Soriam inter & Vxamam) ad Viriatum auxilijs missis, Romani imperij maiestatem violasse: & cum suæ munitioni diffiderent siue supplicij metu, siue aliqua alia de causa, à Numantinis mœnibus fuisse receptos. benignitas crimini data. Missi Numantia qui Pompeio factum excusarent, cum ignominia repulsi. Errore cognito, Segedanorum patrocinio & amicitia, ne Romanos offenderent renunciantes, cum nouis Legatis Pompeium de fœdere instaurando, quod cum Graccho factum erat, appellassent, Numantinis cum Romanis vllam fœderis conditionem fore nisi positis armis, Pompeius negauit. Ergo bellum necessario susceptum est, vt armis tuerentur arma, quæ hostis per iniuriam vnâ cum libertate extorta de manibus cupiebat. Delectu habito, octo millia pedites, equites duo millia inuenti. exiguus numerus, verum viuida virtus, hostiumque multitudini non omnino impar. His copijs Megara magno vsu Dux cum potestate præfectus. Pompeij castra breui prope Numantiam posita, in quibus pedites triginta millia erant, equites duo millia. Hos Numantini è vicinis collibus identidem irruptionibus fatigare. Dispalatos locis omnibus carpere, vniuersæ pugnae discrimen vitare, cum signa Romanorum inferebantur locorum notitia periculum deuitantes, totiusque certaminis aleam subire detrectantes. Pompeius irritò in Numantinos conatu Termentiam tentare constituit, vnde non minore cum ignominia & maiori aliquantò clade repulsus est. Intra diem vnum triplici Termestinorum eruptione in præruptos montes copias subducere coactus. vnde se præcipites multi dederunt, ingenti formidine animis præoccupatis: atque ita vt noctem in aranis excubarent. Die postero collatis signis dimicatum: neutro victoria inclinante pugnantibus nox diremit. Pugnatum rursus fuisset, ni Pompeius sequenti nocte Manliam vrbem petiuisset. id signum percussus fuit, viresque & animos suorum mora interiecta reparare cupientis. Manlia Romanis dedita, quæ Numantino præsidio tenebatur (hodie Mallen esse creditur) Termestini etiam repetita eius vrbis expugnatione ad ditio-nem accessere. Reliqui erant Numantini. in quos priusquam moueret, in Sedetanis, vbi nunc Cæsaraugusta sita est, Tanginum prædonum Ducem cum suorum manu oppressit. Inde copiæ retractæ Numantiam, & quoniam obsidio ducebatur, Durij cursum, quo cômteatus in vrbem veheretur corriuare conati Romani, Numantinorum eruptione mulctati & ab opere desistere coacti sunt. His incommodis atq; Tribuno militum cum suis omnibus trucidato, qui frumentatoribus præsidio veniebat, Pompeius territus, iniquissimo

iniquissimo anni tempore insuetum ei cælo militem in castris continuit. Sic magna exercitus parte aut ex morbo consumpta, aut Numantinorum irruptionibus cæsa, consilium mutare quidem coactus, adulta hyeme reliquas copias in vicinas lociorum ciuitates in hiberna deduxit: ad primam autem veris signa, anni ab V. C. sexcentesimo quintidecimo, dum M. Popilij Lenatis Consulis expectatur aduentus, cui ea prouincia erat designata, cum Numantinis pax facta Pompeio interpellate, iudicij metu ob res male gestas, an successoris obtrectatione, ne suo periculo alienæ gloriæ seruisse videretur. Numantini belli diuturnitate fessi & ex agrorum intermisso cultu annona fructibus laborantes rem confectam cupiebant. De pacis conditionibus arcano agi placuit, quoniâ ignominiosæ erant Romanis. Omnino ne ijs subscriberet Pompeius morbum simulauit. In vulgus Numantinis mulctæ nomine triginta talenta imperata iactatum, ad tuendam Romanij imperij & nominis maiestatem confictum prudentiores existimabant. Satis constat Popilij Cos. aduëtu de eo fœdere disceptatum fuisse. Pompeio negante vllam à se cum Numantinis pacem factam, illis testimonio primorū è Romano exercitu contra confirmantibus, vtrique ad Romanum senatum à Cos. reiecti. libido amplius quàm æquitas Romæ valuit. inter varias Patrum sententias illa obtinuit, quæ Numantinis denuo bellum denunciabat.

*Mancini fœdus cum Romanis. Cap. VII.*

**I**NTER EA Popilius Cos, Lusonibus, qui Numantinis erant finitimi, nullo operæ pretio tentatis, in alterum annum ab Vrbe condita sexcentesimo sextumdecimo, imperio prorogato à Numantinis ipse quidem victus & fugatus est. D. autem Bruto, cui Consuli eodem anno Vltior Hispania erat destinata, Viriati veterani milites concessa venia atque agris ad habitandum Valentiam condiderunt. Edetanorum Valentiam quidam putant, viris valentem atque armis: resistunt alij cum in Citeriori Hispania sita sit, & Valentiam Alicantaræ potius credunt propter locorum vicinitatem, aut quæ supra veterem Lusitaniam à Minio flumine nomen habet, Tudæ obiecta. cui nos opinioni accedebamus. Proximo anno ab Vrbe condita sexcentesimo septimodecimo Bruto imperium prorogatum est. C. Hostilius Mancinus Consul in Citeriorem Hispaniam destinatus, castris ad Numantiam positus sæpe acie victus, atque animo fractus, tandem Vaccæorum & Cantabrorum aduentu nunciato, qui auxilio Numantinis veniebant, veritus vt par esset vtriusque, noctu per occultam tesseram profectioe denunciata in pacata discessit, atque in loca munita, qua parte non traditur, certe vbi Fuluius Nobilior ante aliquot annos statua habuerat. in vrbe non ante biduum hostium discessus cognitus est, cum festos dies ciues agerent nulla armorum cura. Accidit vt vnus virginis coniugium duo iuuenes ambirent. Orta ex amoris contentione audacia conuenit, vti in hostium castra egressis, qui

prior hostis occisi dextram retulisset, ei præmium optatæ nuptiæ essent. Nullo in hoste inuento, castra esse vacua renunciarunt, curriculo in urbem regressi. Reliqui nuncio læti Romanos eisdem vestigijs consecuti, priusquam munitione castrorum esset perfecta, commutata belli ratione à quibus obsessi fuerant eosdem obsidere cœperunt. Cos. salute desperata ad sancendum fœdus animum adiecit. quo ex fœdere quoniam Numantinis libertas manebat incolumis, socijque atque amici vocabantur, post tot iniurias, Romani imperij gloria obscurari videbatur, cum vnius vrbs virtuti cœderet imperium orbis terrarum. Fœdere necessario magis quam honesto sanciendo Tiberij Gracchi gratia atque auctoritas ob memoriam videlicet Sempronij patris multum contulisse creditur, Romana castra secuti, flectēdis ad misericordiam Numantinorum animis, periculo procurando. Verum Romæ ijs rebus nunciatis, continuo Mancino in Urbem reuocato, A. Emilius Lepidus in collegæ locum substitutus est belli Dux, vindex iniuriæ. Aduersus eas molitiones missi etiã Numantia Legati cum fœderis tabulis, si minus senatui probassent, iussi exercitum postulare vt dederent, nimirum fœderis pacisque specie ab exitio conseruatum. Re in senatu agitata, cum neque fœderis ignominiam pati vellent, & æqua Numantinos petere iudicarent, Mancinum dedi mandarunt, violati fœderis religione satis se exolui eius calamitate existimantes. Tiberio Graccho venia data, fœderis auctori atque interpreti, quoniam alieno imperio noxaque peccasse iudicabant. sororij Scipionis id gratiæ & auctoritati datum vulgò interpretabantur procliui ad credendum peiora persuasione homines. Atque hæc Romæ.

*C. Mancinus Numantinis deditur. Cap. VIII.*

**I**N HISPANIA autem M. Lepidus nondum perspecta sententia senatus Vaccæos, quasi superiore bello Numantinis opem tulissent, annonaque iuuassent, bello aggressus, atque eorum agris igne ferroque deformatis, Palentiam etiam obsidione tentauit. tamen Roma monitus erat, ne Hispanos bello lacefferet, fero agrestique ingenio homines, haud impune sepe fuisse irritatos. Mancini ignominia Patribus curam incusserat, animos Hispanis fecerat, quod minus dubitarēt bellum vltro illatum strenue defendere. Ergo ciuium virtute Romanæ copiarum multitate, atque annonæ angustia in castris vigente noctu silentio profectioe denunciata, neque militari cœclamatis vasis, reductæ ex copiarum tanta trepidatione & Palentinorum audacia, qui postero die discessu hostium nunciato, vestigijs abeuntium tergisque instabant, vt non minus sex millibus Romani ceciderint, magna ex ea re Romani populi indignatione. Omnino Lepidus in Urbem reuocatus, continuo priuati habitu reus postulatus, & iudicum sententijs rei male gestæ damnatus est. Hæc incōmoda D. Bruti virtus per idem tempus in Vltiori Hispania compensabat Calæcorum atque Lusitanorum motibus pacatis, atque Labricanis, qui in eo tractu sæpe rebellarant, ad deditiōem compulsis, ea lege, vt perfugis redditis, armis ipsi positis cuncti ad eum ex vrbe prodirent. Id cum

cum esset factum, circumuentos ab exercitu perfidia verbis modò castigata, vltimi supplicij metu perfusos conseruauit. multa tantum nomine pecunia imperata, armaque & belli subsidia, quibus ad perniciem abutebantur, sublata. D. Bruto ex his rebus Calæici nomen est factum. Atque hæc Mancini & Lepidi consulatu. Nam sequenti anno, qui fuit ab Vrbe condita sexcentisimus octauusdecimus, Bruto imperium quidem prorogatum est: P. autem Furio Philoni Cos. dedendi Mancini Numantinis atque Citerioris Hispaniæ administrandæ cura demadata est. Eam Consulis expeditionē, vnde non maior gloria quam commodum sperabatur, Q. Metellum & Q. Pompeium opibus & auctoritate principes impedire conatos, Furius audacia confidētiaque, memorabili Legatos declaratos, se in Hispaniã sequi iussit. Eò vbi ventum est, castris ad Numantiam positis Mancinum nudato corpore, reuinctisque post tergum manibus, quod solenne erat Duce Romano hostibus dedendo, summo mane ad Numantiæ portas constituunt. Verum inter hostes & amicos destitutus diem totum, nocte iubentibus auspicijs in castra relatus est qua, in re tali cæremonia cōsueuerant. Numantini violatæ fidei religionem satis expiari negabant Ducis deditiōe, & exercitu seruato, qui fœderis simulatione euaserat. Constat in ea re Romanos magis vtilitatem secutos, quam honestatis & æquitatis leges. Quid præterea rerum in Hispania Furius gesserit clam est, nisi quod sequenti anno, ab Vrbe condita sexcentesimo nonodecimo, Bruto in tertium annum imperio prorogato, Q. Calpurnius Piso Consul, Hispaniæ Citerioris prouincia designata, male cum Numantinis pugnavit, exercitus parte amissa, reliquis in magnas angustias reductis: cum Romani Hispanorum conspectum non ferrent, & vi quadam abdita continuo fugam præcipitarent, non secus ac visis canibus cerui. Plerique ex eo metu violatæ fidei religiones captabant. Re Hispani neque vsu armorum eo tempore, neque virtute, neque audacia cœcedebant Romanis. Non enim, vti antea, rari dispersique, vagis incursum pugnare, sed longæ militiæ vsu edocti erant Romanorum instituto signa sequi, aciem subsidijs firmare, Ducum imperia audire: disciplina militari qua rudi vti cōsueuerant, in artis perpetuæ præcepta conformata.

*Scipio Cos. creatus venit in Hispaniam Cap. IX.*

**R**E aduersæ ex Hispania nunciatæ magnam pro eo, ac par erat, sollicitudinem iniecere Romano senatui populoque. Ad extremum illud decurritur, P. Cornelius Scipio, cui ab excisa Carthagine Africani cognomen erat, legis venia concessa vetantis Cōsulatum ante decennium repetere ex quo quis Consul fuisset, in Hispaniã Consul mittitur, anno ab Vrbe condita sexcentesimo vigesimo. D. Bruto (sic credimus) in Vltiorem Hispaniam rursus prorogatum imperium est. Scipionem ex nobilitate Romana, & ijs qui à Regibus missi erant, quatuor millia iuuenes sunt securi, ac nisi senatusconsulto veritum fuisset, idem reliqui Patritij fecissent, cunctis auidissimè nomina dantibus, tanta erat cupiditas eo Duce arma suscipiendi. Ex his iuuenibus cohortem Scipio instituit, quam Philonida

dixit, mutua coniunctionis nomen validissimum rebus gerendis inter milites à mutua amicitia præsidium scilicet sanxit. Copiæ Hispanienses soluta disciplina militari, otio luxuque torpentes, atque temporum licentia eneruatæ salutari seueritate erant sanandæ. Ergo Scipio M. Buteone legato in Italia relicto supplemente hendi causa, ipse primo quoque tempore profectus in prouinciam, breui, castigato exercitu operæ pretium fecit. duo millia scortorum abiere. calorum, lixarum, institorum non minor numerus, neque minus in libidinem & turpitudinem corruptus. Sic turpi atque tetri odoris sentina exhausta, militum erecta atque recreata virtus, contempta ante, coepit esse formidabilis. Vegetâdis corporibus additum, ut singuli milites triginta dierum frumentum, septenos vallos muniendis castris, suis ipsi humeris portarent. Ea seueritate disciplinæ mutandisque sæpe castris vigor breui redijt in corpora & animos. nulla re magis licentia coercita, quam Imperatoris exemplo. Parendi necessitatem omnes auersamur, facile exemplo iubetur. Itaque primus Scipio in opere versari, postremus abscedere. Multum contulit ad disciplinam instaurandam C. Marij diligentia eius, qui postea ab his initijs in summum Ducem euasit. Inter hæc anni tempore in æstatem extracto, castra in Numantinos mota sunt, eorum agri longè lateque vastati. Militem ex superiorum rerum memoria nondum terrore discusso, vniuersæ pugnae obijci nollebat. Inde excursiones in Vaccæos populabundus fecit, Palentinorum finibus præsertim infensus propter acceptæ nuper cladis Lepido Cos. memoriam. Quo loco Rutilij Rufi temeritate præcipiti, in vniuersæ pugnae necessitatem ferme deductus est, longius studio prouecti Palentinorum conatus comprimendi, qui locis omnibus se ostentantes molesti erant. Ijs enim de industria cedentibus, in insidias inducebatur: cum ex tumultu Scipio periculo animaduerso, signa repente inferri iubet, equitatumque bipartito insidiarum latebris circumuentis, atque leui cum hoste prælio commisso, socios periculo, in quod se induebant, eripere. Ea in expeditione Scipio euersæ Luculli perfidia Cauiciæ spectaculo commotus, voce præconis denunciauit vectigalium immunitatem, si qui vellent urbem eam instaurare, in eaque fortunarum & vitæ domicilium constituere. Atque hæc per æstatem gesta sunt, qua præcipitante atque adeo in hyemem inclinata, copiæ incolumes Numantiam reductæ, positaque ad eam urbem castra. vnde tota hyeme variæ manus præde causa dimissæ vicinos agros depopulatæ sunt. In his manus vna prædantium periculo proxima Scipionis diligentia euasit. Erat pagus magna ex parte palude circumfusa, qui pagus hodie Henar vicinæ paludis coniectura esse putatur. prope eum pagum loca prærupta erant, & insidijs tendendis apta. in his Numantini occultati Romanos milites vagos & prædæ maiori ex parte intentos ferme oppresserant, ni Scipio (nam non procul erant castra) suorum periculo cognito, continuoque signo receptui dato, milites à præda ad signa reuocasset, milleque equitibus præmissis, ipse cum copiarum robore secutus esset. Numantini dum pari certamine res gesta est, magnum hostium numerum sustinuerunt: verum legionum signis appropinquatibus terga dederunt, magno miraculo Romanorum, qui à multo tempore Numantinos auersos non

non viderant. Atque hæc Scipionis consulatu gesta sunt. quo tempore Iugurtha venit in castra Romanorum, Masinissæ nepos ex filio Manastabale, missus à Micipsa patruo cum decem elephantis & valida equitum ac peditum manu, cupiente non modò Romanos auxilijs iuuare, sed etiam Iugurthæ caput periculis obiectare, vnde filijs suis periculum imminere sagax & prudens considerabat. consilio euentus defuit.

*Numantia excisa. Cap. X.*

10 **V**BLIO Mutio Scauola & L. Calpurnio Pisone Coss. nimirum anno ab Vrbe condita sexcentesimo vigesimo primo, Numantia funditus excisa est, Scipioni imperio prorogato. Is enim hyeme transacta atque leuibus prælijs suorum animis à metu quem conceperant confirmatis, Numantiæ obsidionem premere cõstituens, ex vnis bina castra fecit. Alteris Q. Fabius maximus eius frater præfectus est, in alteris ipse curabat. tametsi alij quadripartitum castrorum numerum faciunt: ac ne de copiarum numero satis conueniunt, alijs sexaginta millia, alijs quadraginta affirmantibus. Numantini tot antea victorijs elati quamuis numero vincebantur (qui plurimos octo millia fuisse pugnatorum dicunt, qui paucissimos quatuor) suis in aciem productis, nõ dubitabant vniuersi certaminis aleam subire, pereundi aut perdendi proposito, ut obsidionis diurnæ scilicet incommoda vitarent. Scipioni in consilio detrectandi certaminis peristare animus erat, cum consideraret Ducis partes esse non magis audacia quam consilio, & arte, & patientia bellum profligare. neque committendum putabat, desperato hominum generi ciues & milites obiectare. Itaque urbem circumvallare cõstituit, ad coercendam obsessorum audaciam & impetum reprimendum: noua autem auxilia bellicæ subsidia foederatis ciuitatibus imperare. Circūducta fossa noui generis agger erectus est decem pedes altitudinis, latitudinis quinque, ex trabibus terraque compactus, atque turribus ex interuallo perpetui muri similitudine. Durio tantum flumine in urbem patebat aditus: sed dispositæ in vtraque ripa cohortes intercludentes, commeandi facultate prohibebant. Quam diligentiam nonnunquam obsessi eludebant procul hostium conspectu subeuntes aquam, occultoque natatu in partem alteram euadentes vrinandi peritia: alij nauiculas vel remis incitantes, vel secundis à puppi ventis celeritate tela coniecta vitabant. atque per hunc modum nonnihil commeatus in urbem inferebatur. Verum hoc qualecunque solamen noua diligentia impeditum est, binis vtrinque castellis extructis, atque trabibus iuncto flumine, vnde clauis prælongi atque acuminati extabant. Nec Numantini desistebant in vigilias excubiasque Romanorum impetum facere, vnde aliorum superuentu facile in urbem reijciébatur. Nam à cæde de industria temperabant, ut citius consumpto à multitudine commeatu ad annonæ supremam difficultatem redigerentur, atque deditiois necessitatem. Vnus Rhetogenes Carauinus ab animi virtute opem in his difficultatibus petendam iudicans, cum quatuor alijs noctu, qua parte Romanorum



manorum munitiones infirmiores erant, & minor custodia adhibebatur, scalis admotis, atque vigilijs occisis in Arcuaces euasit. vbi concilio Principum gentisque conuocato, pro veteri amicitia & propinquitatis iure obtestatus petijt ne Numantiam, quæ eatenus gentis commune propugnaculum fuerat, & iniquitate fortunæ arteque obsidentium magis quam vera virtute proxima exitio erat, negligendo, hosti vindictæ studio inflammato iniuriarum memori diripiendam, euertendam, excindendam relinquerent. Quin, inquit, dum vires integræ sunt, & Romanus tot cladibus castigatus certamè horret, & ad artes cōuersus nobilissimam ciuitatem opprimere cogitat, iunctis viribus iugum seruitutis depellitis, & communem patriæ pestem de finibus exturbatis? An expectatis dum contagionis vis vestram ciuitatem opprimat? Accensa flamma proxima quæq; vastante cunctis pereundum cogitate. An Romanorum ambitionem & rapacitatem ignoratis? quos nulla sæpe de causa vidistis audistisque ex alijs proferendi imperij cupiditate totius Hispaniæ fortunis libertatique insidiari. At fœderis fiducia retinet. quòd nisi multa exempla recenti memoria & ante oculos extarent Romanorum perfidiæ, auaritiæ, crudelitatis: Cauici nuper exitium, & nunc Numantinorum cum Mancino fœdus violatum, satis docere potuit, nihil ei genti sanctum esse præ libidine dominandi. Videte ne priuatæ tranquillitati communem salutem posthabentes modò, quàm Numantiæ præsidio stare ne ipsi quidem ignoratis, vtraque prodidisse aliquando, vrinam vanum vaticinium sit, frustra queramini. Agite dum opportunum est, dum res salua: ad patriæ salutem procurandam animos & cogitationem referre. arma viresque sociate: hostemq; securum, vtrisque copijs à tergo & à frõte circumuentum aut opprimite aut fugate. in nostro periculo vniuersæ gentis fortunam, libertatem, salutem verti putate. Huic orationi cum vim addidisset lacrymarum, & ad terram prouolutus singulorum genua prensaret, multorum flexerat animos. Vicit tamen sententia non esse Romanos irritandos. additumque Numantinos quamprimum suis finibus pellendos videri, ne fraudi esset aliquando in eorum conuentu eam legationem auditam. Quid Rhetogenes deinceps fecerit clam est. constat tamen Lucie vrbis iuuentutem, quæ ad quartum ab vrbe Numantia lapidem sita erat, ad ferendam opem excitam, Scipionis diligentia compressam: & quadringentis iuuenibus eius iussu dextras amputatas, vt cæteris documento essent Romanæ seueritatis. Numantini ergo auxilijs desperatis, & ex diuturna obsidione fame fracti, necessariò ad deditio- nis consilium flexerunt animos. Missa ea de causa ad Scipionem legatio. Eius legationis princeps Alurus facta eum conueniendi potestate in hunc modum allocutus fertur. Qui sint Numantini ciues, qua fide, qua constantia, explicare longa oratione non attinet. Nam & ipse longo vsu expertus es, & miseros non decet suarum laudum commemoratio. Illud dicam, tibi gloriosum fore Numantinorum animos fregisse: neque nobis ignominiosum prorsus, quòdo ita in fati erat, à tanto Imperatore superari. Quod præsentis fortunæ est, & obsidionis mala cogunt, victos nos esse fatemur: modò prænitentiam quàm exitium malis. Neq; veniam petimus, tametsi nullibi melius benefi-

beneficium collocaris, sed supplicium moderatum. Quòd si salutem negas, neque pugne copiam facis: omnia prius experiri, ac occumbere, si res ferat, nostris potius quam alienis dextris, quod virorum fortium supremum officium est, certum habemus. Tu quid fama sit in præsens & ad posteros locutura etiam atque etiam considera. Ex hac oratione Scipio infractos gentis animos miratus, in tam afflictæ fortuna ac penitus desperata dignitatis memores atque constantiæ: Legatis tamen nullam fore spem salutis, nullam pacis conditionem respondit, nisi in deditioe ad victoris arbitrium. Eo responso Numantini acti in furorem Legatis violatis, in quibus quid culpæ erat? sed furente multitudine, vera dixisse sæpe exitium attulit, spe salutis & pugne abiecta, quod reliquum erat, multa cælia (potus genus erat ex frumento) hausta ebrij in Romanorum munitiones irruunt, & vallo superato obuios tãdiu prosternunt, donec summissis vndique Romanorum auxilijs in urbem reiecti sunt. Secundum hunc conflictum, suorum qui ceciderunt corporibus famem dies aliquot tolerasse tradunt: deinde fugæ spem tentatam laud meliori successu. Ad extremum rebus omnibus desperatis memorabili facinore se suosq; omnes aut epoto veneno noxio, aut adacto in viscera ferro peremerunt. Fuere qui ex prouocatione certarent, nihilo meliori conditione victoris, quàm victi pyra accensa, in quam qui cadebant continuò iactabantur, sequebantur qui occiderant. ad hunc modum anno & tribus mensibus exactis ex quo Scipio venit in Hispaniam, excisa Numantia est ciuibus ad vnum nullo discrimine sexus vel ætatis pertinaci obstinatione deletis. Appianus vrbe capta viuos aliquot in victoris potestatem venisse scribit: sed aliorum auctorum opinio resistit. Constat Numantiam ciuium concordia stetitisse, labefactatam discordia: & victam victoriæ palmam victori eripuisse. ædificia, quæ incēdij à ciuibus iniecti furorem euaserant, Scipionis iussu euerfa sunt. Numantinorum agri finitimis populis distributi. His rebus perfectis Scipio, & Hispaniæ pace fundata, Romam ad triumphum redijt Numantini cognomento auctus. cum D. Iunius Brutus paulò ante de Calæcis deuictis ac domitis triumphum in urbem egisset, Calæici cognomine parto, vt paulò ante dictum est.

*Gesta in Hispania post bellum Numantinum. Cap. XII.*

**A**X C E P E R E tempora bello vacua, præcipua tranquillitate insignia: misique duodecim legati varias Hispaniæ partes pro attributa cuique portione gubernarunt diu. Nam Baleares, qui piraticam exercentes vicina maria & littora infestabāt, Q. Cæcilij Metelli Consulij virtute domiti, & ad tranquillitatem reuocati sunt anno ab Vrbe condita sexcentesimo trigesimo primo. vnde ei Balearici nomen factum. Quo tempore Marius, cum Vltiorem Hispaniam ex Prætura gubernaret, sublatis latrocinijs, quorum licentiâ ex superioribus temporibus perturbatione orta erat, itinera aperuit, leges, iudicia, atque pacem in prouinciâ reuocauit: & post duodecim annos rebus denuo in ea prouinciâ turbatis,

turbatis Calpurnius Piso primum, deinde Sulpitius Galba eius Galbæ filius, qui res in Lusitania gesserat, prouincialium motus pacarunt. Pisonis nomine multæ monetæ & passim percussæ hoc tempore reperiuntur in Hispania. Pace Pisonis & Galbæ virtute reuocata, rursus decem Legatis prouincia cōmendata est, quo tempore Cimbrorum ex ora Septentrionali sese in Romani imperij prouincias rapidi, torrentis instar numerosa multitudo effundēs, & curlu victoriarum maximo, in Hispaniam delata: in Galliam atq; Italiam Romanorum & prouincialium virtute redire compulsæ est, anno ab Vrbe condita sexcentesimo quadragesimo quinto. Quo anno Q. Seruilius Cæpio Lusitanos, quo ex magistratu incertum, sed Lusitanos tamen prælio superauit: & tribus post annis eiusdem Cæpionis consulatu Lusitani maiori reddita quàm acceperant clade Romanos vlti sunt. Fuit is annus ab Vrbe condita sexcentesimo quadragesimo octauus, Marci Tullij Ciceronis ortu, quam vlla alia re gesta insignior. Arpini natus est, matre Heluia, patre equestris ordinis, & ex regio Volscorum sanguine. qui rem Romanam non minus in toga quàm reliqui Principes reipublicæ, ferro illustrarunt. Post alterum biennium, anno ab Vrbe condita sexcentesimo quinquagesimo, denuo Cimbrum Teutonibus confusi Celtiberorum virtute ex Hispania, in quam prouinciam irruerant, rursus in Galliam reiecti sunt: & Lusitanorum motus L. Cornelij Dolabellæ virtute & diligentia compressi, cum eam prouinciam ex proconsulatu gubernaret, anno ab Vrbe condita sexcentesimo quinquagesimo quinto, Lusitanorum motus Celtiberorum bellum sequenti anno excepit. cuius comprimendi studio quoniam maiori mole coortum est, T. Didius Consul venit in Hispaniam. Collata vtrinque castra, directæ acies & pari vtrinque spe pugnatum nec diuerso successu, nam exæquata vtrinque clade pugnantibus nox diremit. Verum Consul arte continuo Romanorum, qui ceciderant, corporibus tumularis, postera luce Hispani perterriti, quasi multo plures ex ipsorum numero essent trucidati quàm ex Romanis, victoria desperata deditioem fecerunt, ijs conditionibus, quas victores Romani præscripsissent. ex Areuacis eo prælio & totius belli progressu viginti millia ceciderunt. Termestini veteri vrbe excisa, cuius fiducia quoniam locorum natura munitissima erat, sæpe rebellarant, in planiciem translati per vicusque distracti sunt, prohibiti in vrbis formam coalescere, oppida mœnibus aut aliqua munitione firmare. Prædonum manus latrocinijs assueta per fidem fœderis ad Cōsulem vocata cum filijs & vxoribus ad vnum trucidata: cum spes non esset ingenium mutaturam gentem alienis laboribus raptoque viuere assuetam. Quod factum ira senatui Romano non probauit, vt triumphus nihilominus pro rebus gestis concessus fuerit. In eo bello Q. Sertorius Tribunus militum fuit, magnamque laudem peperit seruato ad Castulonem Romano præsidio, quod Castulonenses ad omnem recuperandæ libertatis occasionem intenti communicato cum Gyrifenis (Giennenses fuisse quidam putant) consilio, noctu parabant trucidare, cum se Romani milites indulgentius poculis inuitassent hibernorum tempore, atque ex ea re opportuni iniuriæ fore viderentur. Nam Sertorius Castulonensium tumultu exci-

tatus,

ratus forasque ciuitatem se proripiens, aucto suorum numero, quos fuga seruabat; suorumque cædem vltus, curriculo ad Gyrifenos aduolans, vestium aspectu delusos, quas milites cum Castulonensibus occisis mutarant, gratulatum prodeuntes magno numero cæcidit. reliqui deditioe facta sub corona venditi. Atque hæc tum hoc anno, tum quatuor sequentibus in Hispania Citeriori gesta sunt: ex quanto tempore Didius eam prouinciam gubernauit. Nam in vteriore Hispaniam P. Licinius Crassus consulatum adeptus venit, ab Vrbe condita anno sexcentesimo quinquagesimo septimo: atque re in prouincia bene gesta, sexto demum anno triumphauit. omnino ex Hispaniæ præfectura eas copias parauit, quæ M. Crassum filium inter Romanos maxime nobilitarunt, Romanorum aliquando ditissimum. & Antonius Nebrifensis affirmat viam totius Hispaniæ nobilissimam Salmantica Emeritam vsq; (vulgò Argentea via nuncupatur) a Crasso fuisse contritam, columnarum quas toto eo itinere, Crassi inciso nomine se vidisse testatur, indicio haud probabili, cum eæ columnæ modò non inueniantur. Vidisse se fortasse putauit, quod nusquam erat, quod antiquarijs sæpe accidit. Quo tempore Crassus in Hispania fuit noui Celtiberorum motus Fuluij Flacci opera ductus; compositi sunt, anno ab Vrbe condita sexcentesimo sexagesimo, & Italia belibus cœperat æstare, C. Mario, atque Cinna republica occupata nobilitatem Romanam, quæ Syllæ partes sequebatur proscribentibus. In his M. Crassus patre & fratre cæsis in vltimam Hispaniam aufugit, vbi multæ clientelæ erant, & magna prouincialium studia tum paternis, tum suis meritis, qui patrem in Hispaniam fuerat secutus quæsitæ: conspectu tamen hominum vitato (nam fides plerumque ex fortuna pendet, & pleræque ciuitates Hispaniæ in Marij potestate erant) in specum se abdidit mari vicinum, in prædio viri principis, cui nomen erat Vibio Pacieco, arctissima benevolentia coniancti. Nullus seruus vnus est paucis, qui eius fugam erant profecuti, Pacieco denunciauit quo loco res Crassi essent: atque pro iure amicitia, eius nomine postulauit, ne herum in eo discrimine desereret. Is tempus venisse gaudens amicitia qualicumque officio declarandæ, quo res occultior esset ipse Crassi congressu abstinens, quod tempori dandum erat, seruo mandat quotidie in vicina speluncæ rupe commeatum deponere, quem ex vrbe accepisset, vetito periscrutarari quorsum id fieret, mortis denunciatione si mandata violaret, si exequeretur fideliter promissa libertate. Ea diligentia atque cura Crassus seruatus, Marij Cinnæque morte denunciata, ex latebris prodiens facile multas in Hispania vrbes, quæ propensa in Syllam voluntate erant, in partes attraxit. Malaca etiam à milite direpta, Crasso inuito, vt videri voluit & per totam vitam præ se tulit: annuente, vt militum voluntates redimeret aliena calamitate, ex Hispania in Africam traiecit, vbi Syllæ partes præcipue vigeabant. Porro specus Crassi latebris illustris, præter Heracleam & Arundam hodie monstratur, Ximenæ oppido vicinus, signis omnibus conuenientibus, quæ ex Plutarchi lectione colliguntur. & Paciecorum familiam non minus nobilem quàm amplam fuisse ea tempestate in Hispania veterum auctorum monimenta

menta satis declarant. Ad quam qui familiam nostra ætate opibus, gratia, & auctoritate in Carpetanis facile principem referunt, sola ex nomine ducta coniectura nituntur, nec repudianda semper, nec satis constanti. Recentiora procerum genera in vetera eiusdem nominis infundere receptum: quæ magna est historiæ labes, veritatis iniuria.

*Bellum Sertorij inchoatur. Cap. XIII.*

**X** BELLIS civilibus nouum in Hispania bellum natum est, quod à paruis initijs potentiam Romanam nouem annis exercuit, varia sæpe fortuna, exitu tandem Romanis prospero. Q. Sertorius eius belli incitator extitit, natione quidem Italus, obscuro loco Nursij oppido prope Romam natus: cæterum virtutis specimen in Hispania dederat, ut est superius demonstratum, & Marij deinde ac Cinnæ partes secutus in Italia, alterum in eo bello oculum amisit. à Sylla tandem, cum rerum esset potitus Cinna & Mario deuictis, proscriptus cum multis alijs, mortis discrimine adactus, & quoniam in ea rerum perturbatione id habiturum iudicabat, quod primus occupasset: ubi militum atque prouinciæ studia erant, in Hispaniam venit. Iulio Salinatori Pyrenæi angustias obsidendi cum legionis præsidio cura demandata, aduersus Syllæ conatus. Ipse in interiori prouincia magnos delectus habere, & subsidia vndique comparare ad retinendam Hispaniæ possessionem. Verum Sertorij conatus G. Annij aduentu & celeritate præoccupati sunt, Pyrenæi præsidio disiecto Salinatoris morte, quem à Gaio subornatus Calpurnius Lanarius per fidem amicitiae proditorie sustulit. Sertorius suorum numero & virtute discessit, veritusque acie contra Gaij copias dimicare, Carthagine traiecit in Africam: ubi varia & aduersa sæpe fortuna iactatus, Hispaniæ vicinam Ebusum cepit cum sua peculiari classe, & Piratarum ex Asia lembis adiutus, qui forte mari vagabantur. Inde depulsus, & de Fortunatis cogitans (sunt qui eò traiecit scribant, declinadæ videlicet hostilis sæuitiæ necessitate) à Lusitanis aduocatus est. Nam Romanorum imperio fessi erant, & recuperandæ libertatis cupiditate flagrabat. Oblatam Sertorius occasionem hostes de totius Hispaniæ possessione pellendi arbitratus, continuo in Lusitaniam venit, non magis disciplina militari instructus, quam pacis artibus. ingenij facilitate, comitate morum, atque vectigalibus moderandis prouinciæ vniuersæ studia excitauit. Ad formam præterea Romanæ reipublicæ senatu lecto ex Hispaniæ proceribus, iisdem magistratuum nominibus quibus Roma utebatur, Romanæ maiestatis imaginem quandam representabat. his ad consilium adhibitis imperij summa penes Sertorium erat militare præsidium ex ijs legit, qui Romani nominis essent, quorum voluntatibus magis fidebat, propter communem originem. & quia fallere non poterant difficili ad hostium gratiam aditu maximè fidos fore iudicabat. Harum rerum fama non Vltioris modò Hispaniæ imperium, sed etiam Citerioris

ris voluntatem adiunxit, vnum esse Sertorium cunctis iudicantibus, per quem Hispanorum potentia Romanorum gloriam obscuraret, factum tyrannidemque deprimeret. quæ ille studia ut diuturna essent, arte prouidebat, sapientiæ professoribus ex Italia aduocatis, atque litterario gymnasio Oscæ constituto, ad quod filij procerum mitti curabat, cunctas nationes non magis armis quam sapientiæ studijs illustrari, dicatans, neque fas esse ea laude concedere Romanis, quos rebus cæteris exæquarent. Atque hæc palam iactabantur: ex arcano datæ fidei obsides comparabat nulla offensione prouincialium. Ad has artes accedebat religionis simulatio, qua vna re vulgi animi maxime capiuntur, cerua candida Dianæ dono, uti iactabat, ad aurem adhibita, vnde aslucta erat cibum capere, quoties aut litteræ essent allatæ, aut de rebus magnis in senatu consultabatur, quasi nutu numinis arcanos euentus & consilij summam infusurraret. Itaque Sertorij monetæ reperiuntur in Hispania cerua expressa altera ex parte. Eboræ in Lusitania duo lapides indicio hodieque sunt, multum in ea vrbe Sertorium fuisse, ciuesque Eboracenses præcipuis & frequentibus beneficijs ornasse. Geminam Oscam in Hispania fuisse, alteram in Ilergetibus, in Bæticiæ parte alteram, ex Plinio & Ptolemæo constat. In vtra erudiendam iuuentutem Hispanicam Sertorius curauerit, dubitatur: multis tamen eam laudem ad Citeriorem Oscam ablegantibus, nobis locorum vicinitas persuadet in Bæstetanis esse: ab vtraque certe vetus appellatio conseruatur leui mutatione facta. Duxerat ex Africa cum primùm in Lusitaniam venit Romani nominis duo millia & sexcentos, atque huic numero septingentos Afros adiunxerat: in Hispania verò pedites quatuor millia, septingenti equites accessere. cum his copijs Cota primùm nauali prælio non procul Melaria, quæ ad freti fauces sita est superato, deinde ad Bætici Didio Præore profligato, atque duobus hostium millibus cæsis ex eius exercitu, imperij auctoritatem vehementer sanxit: hostibus timorem incussit reputantibus Hispaniæ potentiam ductoris consilio, quo eatenus caruisset, adiutam magnas allaturam difficultates Romano nomini, cladesque priusquam ad officium penitus reuocari posset.

*Metellus & Pompeius veniunt in Hispaniam. Cap. XIII.*

**A** RES Syllam mouit ut anno ab Vrbe condita sexcentesimo septuagesimo quarto, altero suo consulatu Q. Metellum collegam cognomento Pium ob patrem lacrymis ab exilio liberatum, mitteret contra Sertorium in Hispaniam. Huic adiunctus L. Domitius Prætor, quem Plutarchus Toranium vocat cognomento videlicet Domitijs familiari, in ipso Prouinciæ aditu ad Pyrenæi montis radices ab Hirtuleio Sertorij Duce victis fuisque copijs cæsus est. Quæ res Manium Galliæ Narbonensis Proconsulem in Hispaniam attraxit haud meliori quam Domitius euentu: nisi quod acie ab Hirtuleio superato Ilerdæ munitione, in quam se contulit, seruatus est. Sane Metellus in Bætica

Bætica, in quam cum exercitu penetrare ausus fuerat à Sertorio sæpe victus & virtute suorum diffidens, locis munitis se tenere coactus est, neque totius dimicationis copiam ferocienti hosti facere. Lacobrigam tantum, quæ vrbs in extrema Lusitania ad promontorium Sacrum sita est, Sertorij copijs aliò atque aliò dilapsis, repentina obsidione opprimere cogitavit. irritus conatus fuit. Afri & Hispani proposito à Sertorio præmio deceptis Romanorum vigilijs, duo millia vires aquæ ad obsessos intulerunt, cuius inopia maximè laborabant: aquæductibus corruptis, atque vno tantum puteo maligne aquam suppeditante. Itaque Romani cum quinque dierum frumentum allatum esset, inopia commeatus coacti sunt obsidionem sol-  
 10 uere, Sertorio cum subitaria manu locis omnibus fatigante. Nec impar Hispanus Romano militi erat, quem Sertorius ordines seruare, atque imperia agnoscere, signaque sequi docuerat: solitum alioqui rarum dispersumque pugnare, magno primùm impetu facto, si premeretur pedem referre assuetum. Multum in eam rem contulere, Romanorum arma mortuis detracta, quibus Hispani armati erant. Harum rerum fama, cum non modò tota Hispania vagata esset, sed etiam in Asiam peruenisset: Mithridates altero bello, quod gessit cum Romanis, Sertorium missis Legatis ad foedus inuitauit, classis & pecuniæ pollicitatione, vt vires populi Romani distraheret. Ijs Legatis senatu dato, quo maior esset auctoritas concessum postulanti-  
 20 bus, vt M. Marium cum aliquanto comitatu secum deferrent, cuius operam suis rebus Rex potentissimus imprimis vtilem fore iudicabat, si suas copias per cum Romana disciplina militare docuisset. In eo Asiæ bello Aulus Mæuius Laceranus Luculli signa securus, egregiam operam Romanæ reipublicæ nauauit, vt lapis indicat altero ab vrbe Aufetana stadio in loco publico constitutus, eius iussu cum redux esset in patriam. Verùm ad Sertorium redeamus. qui hostibus L. Lollij res gerentis in Gallia aduentu confirmatis, prælij discrimen, quod antea vltro appetebat, detrectare cœpit, satis habens leuibus prælijs atque incursionibus tumultuarijs hostem fatigare. quo belli & consiliorum tenore biennio extracto Gn. Pompeius exæquata cum  
 30 Metello potestate atq; ipso per litteras exoptante, nam aliter Pompeius venturum negarat, in Hispaniam missus est, Magni cognomento aut iam parto, aut vt alij scribunt ex Sertorio superato quæsiuit. Tertullianus indicat, & Cassiodorus ait, id cognomen conciliaffe theatrum, quod è lapide Romæ primus Pompeius extruxit: nam antea scæna ex materia facta, & subitarijs gradibus utebantur. Quæstor adiunctus L. Casius Longinus de quo sermo est rediturus. Magnis ergo in Gallia difficultatibus superatis, cum Pompeius in Hispaniam penetrasset, ad Metellum se contulit, non prius cum hoste dimicare certus, quam vires essent collatæ. Sertorius eodem tēpore Lauronam obsidione premebat nouis & ipse auctus copijs, quas Marcus Perpenna ex  
 40 Sardinia deduxerat. Nam A. Emilius Lepidus Consul, cum à senatus auctoritate defecisset, Italia pulsus atq; Sardinia occupata, breui ex morbo migravit è vita. Robur exercitus à M. Perpenna in Hispaniam deductum, Sertorio se adiunxit, siue eius sponte siue defectione militum, nam vtrunque ab auctoribus

etoribus proditur, cum in diuersa Hispaniæ parte bellum gerere atq; imperium constituere in animo haberet. Ad Sertorium necessitate se contulit. Lauronem periti antiquitatis Lyriam esse arbitrantur ad Sucronem sitam in agro Valentino, sedecim ab ea vrbe millibus passuum. Eò Metellus & Pompeius iunctis viribus ac paribus auspicijs profecti obsidionis soluendæ studio cum castra prope posuissent, nullum aliud operæpretium fecerunt, nisi quòd in tumultuario certamine dum pabulatoribus opem ferunt, decem Romanorum millia Sertorij insidijs circumuenta ceciderunt, atque in his Pompeij legatus D. Lælius. Obsessi defensione desperata ad deditonem  
 10 compulsi cum incolumi salute res etiã educere iussi essent, vrbs incendio est absumpta in vtriusque Ducis Romani oculis, ad ostentationem videlicet virtutis magis, quam fauendi voluntate. Orosius discessisse Pompeium ait priusquam Lauro in Sertorij potestatem venisset: & ciues partim trucidatos, partim direpta vrbe in seruitutem abactos. addit præterea, in Romanorum castris triginta millia pedites, equites mille fuisse: in Sertorij pedites duplicato numero, equites octo millia. Proximo anno, qui fuit ab Vrbe condita sexcentessimus septuagesimus septimus, veris principio bellum vtrunque  
 6 7 7 instauratum. Metellus ac Pompeius ex Citeriori Hispania atque Pyrenæis montibus, ad quæ loca in hiberna secesserant, Sertorius ex Lusitania digressi. à Pompeio Segeda expugnata est. Metellus prope Italicam signis cum Hirtuleio collatis, viginti hostium millia cecidit: Dux ipse fuga seruatus est, tanta ex ea victoria Metelli lætitia, fastuque, vt picta veste in conuiujs vteretur: venientique passim in vrbibus thure quasi Deo supplicaretur, populis in assentationem effusis. addebantur ludi, atque triumpho perlimilis pompa. Sunt qui huius victoriæ monimētum esse credant è duobus Guifandi tauris lapideis, alterum hac inscriptione: Q. Cæcilio Metello Consuli. II. victori. numero non ad consulatum sed ad victoriam duplicem relato. Pompeius Segeda capta, hostem ad Sucronem nactus, præliq; dimicare ausus, periculo proximus fuit. verùm prælium inclinatum penitus Metelli aduentu restitutum est, sine quo ne aliquid de victoriæ laude decederet pugna fuerat inchoata. discessum dubia victoria pariq; vtrinq; iactura facta.

*Sertorius victus & occisus. Cap. XV.*



**S**ECUNDVM hoc prælium Sertorius in luctu esse, & publico abstinere, ceruam qua plurimùm utebatur ab hostibus interceptam cogitans, tristi videlicet omine rerum futurarum. & cum deinde repente apparuisset, lætitia animi reuocata, luctuque abiecto, bellum instaurauit. Ad Turiam  
 40 fluuium denuò dimicatum (decurrit per agrum Valentinum, & hodie Guadalauiar nuncupatur) totis vtrunque viribus summa animorum contentione & corporum conatu. victoria cæso dissipatoq; Sertorij exercitu penes Pompeium stetit. Hirtuleius cum fratre eiusdem nominis, & Herennius, qui Sertorij partes sequebatur trucidati sunt. In ipso ardore pugne à Pom-

peiano milite frater obruncatus est, ut sunt ancipites & calamitosi etiam in ipsa victoria bellorum ciuiliū casus. Detracta casside agnitum cum instructæ pyræ imposuisset, voce flebili precatus manes placatos parricidij veniam per errorem facti: quoniam mutare non licebat, eadem vindicare dextra certus, gladio quo fratrem occiderat in viscera adacto super defuncti corpus occubuit. re vulgata indignatio vtriusque partis subsecuta est & seuisissimi belli execratio. Amisso Sertorius exercitu intra Calagurrim se continuit, dum nouis delectibus vires colligeret. Intra eam urbem à Pompeio obsessus, cum eruptionem fecisset, tria suorum millia amisit. inde ad copias fuga elapsus est, quæ suorum diligentia magno numero erant collectæ: quarum virtute confusus Romanos aggredi atque dimicationis copiam facere ausus in hiberna copias deducere coegit. Metellus superatis Pyrenæi iugis ad eius montis radices, Pompeius in Vaccæis hibernarunt. Erat Sertorio mite ac tractabile ingenium nisi naturam suspicio corruperet: qua stimulatus Romanorum animos penitus alienauit, Celtiberorum præsidio usus: & ut timorem seuitia consequitur, nonnullis è suorum numero trucidatis. Ab eo gradu pueros Hispanorum, quos studij causa Oscam missos fuisse docuimus, partem occidit, partem in seruitutem vendidit: atque ex ea re, quod vnum præsidium reliquum erat, prouinciæ studia atque voluntates penitus conturbauit. exæcat nimirum animos fortuna siue Deus ubi vim suam exerere vult. Omnino Sertorius, qui suorum beneuolentia nitabatur, ab hoc initio in præceps ruere cœpit. Et Metellus multas vrbes veris principio expugnauit. Pompeius à Palentiæ obsidione Sertorij aduentu discedere compulsus est: deinde viribus reparatis Sertorioque in extremam Hispaniam cedere coacto, ad promontorium Hemeroscopeum, quod prope Dianium promontorium iacet & hodie à S. Martino nomen habet, tumultuario certamine pugnatum est haud memorando in alterutram partem euentu, cum vniuersi certaminis aleam imminutis vtrinque copijs subire vtraque pars detrectaret. Res Sertorij magis suorum odio quam Romanorum virtute inclinatas, ut nunquam calamitas in vno gradu resistit, eius mors penitus conturbauit. Perpennæ coniuratione Antoniique, qui proximus assidebat, pugione in conuiuiuo Oscæ trucidatus est. Coniuratione paulo ante ex parte detecta, quidam ex coniuratis supplicio affecti sunt, alios fuga seruauit, alios sociorum silentium texit, qui ne proderentur facinus accelerarunt. Sic periit Sertorius, quem Hispani Romanum Annibalem vocare soliti erant. nullam prolem reliquit: tamen iuuenis quidam deinde se Sertorij filium esse simulauit propter oris similitudinem facili ad fallendum fide. anno quantum coniectura conijcere licet ab Vrbe condita sexcentesimo octogesimo primo, cæsus est magnis Imperatoribus veris virtutibus, militari scientia, ciuilique prudentia merito cœquandus, si primis vltima contexuisset, nec egregiam indolem seuitiæ ignominia scedasset. Sertorij illa vox fuit: Malle se ceruorum exercitum duce Leone, quam leonum duce ceruorum illa: Periculis obeundis periti Ducis partes esse priusquam ingrederetur

deretur discrimen, considerare de exitu. Concordiæ militaris symbolum equi caudam proposuisse fertur, crinibus singulis facile conuulsis, omnibus inuictis. Belli necessitatem salutis discrimen imposuit. tranquillitatis tamen cupidior fuit: cum Romæ postremum locum occupare mallet: ut ipse præ se ferebat, quam in exilio principem. Corpus eius Eboræ sepulcrum esse traditur lapidis indicio, quem eruendis templi D. Ludouici fundamentis inuentum esse affirmatur haud satis idoneo auctore. Sed contractum tamen lapidem, & in eo incisa subiecta verba aiunt.

10

SERTOR. LVSIT. DVX. IN EXTREM.  
ORB. PLAGA. D. IMMORT. VOVET.  
ANIM. BVSTO. CORPVS. QVI TIBI  
SALO. TETHI. SERVATVS. QVO  
LOCO. CIRCA. EBOR. RO. COS.  
COP. Q. IPS. CAECIDERAT. OLIM  
H. EREX. S. CIRCVMVENTAM.  
DOLO. VMB. ELYSIVM. DIRIGE.  
DIVA. D.

20

S. T. T. L.

AVLICVS. P.

Quæ inscriptio cum paucis alijs sumpta est ex commentarijs Ambrosij Moralis viri in historia nostræ gentis, sed eruenda Hispaniæ antiquitate imprimis diligentis & accurati. ad auctorem gratia redeat fidesque: nobis his rebus amplius examinandis otium non erat.

30

*Pompeius pacat Hispaniam, Cap. XVI.*

SERTORII cæde vulgata magnus suorum gemitus consecutus est: magnaue inuidia atque indignatio in Perpennam excitata. resignatis testamenti tabulis, quibus cum inter alios hæredem scripserat, & priuatim imperij successorem designabat, vehementius aucta est: cum amicitiam perfidia, beneficium maleficio compensasse cum dolore & gemitu reputarent. Quos ille multis in præsentem blandimentis & donis, maioribusque in posterum pollicitis mitigauit. timor præsertim Romanorum, qui concordiæ vinculum maximum est, compefcuit animos: nam ad Pompeij impetus sustinendos, qui Metello Romam profecto factionis reliquias dissipare parabat, Duce aliquo opus habebant: neque melior Perpenna occurrebat Sertorij etiam iudicio atque suffragio. Itaque Perpenna belli administrandi cura suscepta Pompeioque, continuo obuiam facto, cum non minus suorum virtute

40

H 2 quam

quàm fide diffideret, in consilio certaminis detrectandi initio perstitit: dein  
 de in insidias hostium artè præcipitatus facile victus est: copijsque partim  
 cæsis, partim dissipatis ex latebris ipse, cum se intra dumeta condidisset, ex-  
 tractus atque eius rogatu clementiæ Romanæ spe quamuis ad Pompeium  
 deductus, eius iussu continuo interfectus est. præcipiti ira an ne proditis  
 defectionis conscijs maiori seuitia grassari necesse esset: nam eo consilio  
 litteras Romanorum ad Sertorium, quibus in Italiam reuocabatur, igne  
 cremarat. Omnino Sertorio & Perpenna sublati breui vniuersa Hispania  
 ad officium reuocata est. Oscenses, Valentini, & Termestini deditionem  
 secundum hanc victoriam fecerunt. Vxamam imperata facere  
 recusantem Pompeius ipse expugnatam solo æquauit. Calagurris ab Afranio  
 post diurnam obsidionem, qua ciues consumpto comætu filiorum & vxorum  
 carnibus famem tolerarunt, vnde prouerbio facto famem Calagurritana  
 nobilitata est, cum venisset tandem in potestatem ipsa quidem euerfa est,  
 ciues autem qui supererant ad vnum trucidati. Ijs exemplis reliquæ  
 vrbes & oppida castigata iugum imperij Romanorum breui omnes accepere:  
 multaue bello peracto trophæa à Pompeio in Pyrenæi montis iugis  
 excitata, commemoratione urbium atque oppidorum, quæ eius belli  
 progressu in ditionem venerant amplius octingentorum in sola Vltiori  
 Hispania, atque ea Galliz parte vnde in Hispaniam transmiserat.  
 Horum trophæorum vestigia circuli ferrei esse creduntur plumbo liquato  
 affixi rupibus decem amplius pedum ambitu, in Andorre & Altauaca  
 Pyrenæi montis vallibus ad hunc vsque diem extantes. fornicum  
 triumphalium coniectura huic opinioni fauet: vbi eius formæ circulos  
 nonnunquam trophæis sustentandis erectos fuisse Emeritæ præsertim  
 consideramus. In Vasconibus condendæ vrbes nouæ & cognomento  
 suo appellandæ gloriam aucupatus Pompeionem fundauit (ex eo quidam  
 Pompeiopolim vocant, Strabo certe Pompeionem quasi Pompeiopolim  
 dictam ait) Nauarræ hodie metropolim. Romam tandem profectus  
 vnâ cum Metello de domita Hispania triumphauit, anno ab Vrbe  
 condita sexcentesimo octogesimo tertio, quo tempore nonnulli poætæ  
 Cordubenses Romæ vixerunt crassum, vt Cicero scribit, sonantes non  
 magis nationis culpa quam temporum vitio. Sane ijs Metellus multum &  
 familiariter utebatur, eosque fortassis ex Hispania decedens secum in  
 urbem deduxerat.

*C. Julius Cæsar venit in Hispaniam. Cap. XVII.*

**A**NNVM circiter ab Vrbe condita sexcentessimum octogessimum  
 quintum, Iulius Cæsar Quæstoris munere in Hispaniam venit Antistio  
 Prætori socius. Plutarchus Tuberoni ait, vitata, vt putamus lectio-  
 ne pro Turpione, Antistiorum videlicet cognomento vsitato. Omnino  
 populi Romani mandato conuentus

conuentus iure dicundo cum inuiseret, vt quid de rerum statu videretur,  
 senatui referret, Gadeis delatus propter eius insulæ celebritatem, in  
 Herculis templo ad visam Alexandri Macedonis statuam ingemuisse fertur:  
 quod ea ætate, qua Alexander orbem terrarum armis subegisset, nul-  
 lum rerum ab ipso gestarum monumentum extaret. Ea æmulatione incita-  
 tus & somnio in Vrbe erectus, quo matri stuprum offere sibi videbatur,  
 (& vates orbis imperium atque Urbis ex eo denunciabant,) ad captandas  
 nouas spes missione ante tempus impetrata in Urbem fuit reuocatus. Cæ-  
 sare digresso atque ab Vrbe condita anno sexcentesimo octogesimo nono.  
 Gn. Calphurnius Piso, qui cum extraordinaria potestate res gerebat in  
 Hispania Citeriori, noctu à quibusdam equitibus Hispanis obtruncatus  
 est, scelerum vindicta, an in Pompeij gratiam: qui opprimendi Pisonis  
 omnes artes quærebat, eoque auctore per speciem honoris erat in  
 Hispaniam amandatus. Quadriennio exacto atque ab Vrbe condita anno  
 sexcentesimo nonagesimo tertio, Consulibus M. Pupio Pifone, & M. Valerio  
 Messala: qui annus ante Christi Dei ortum salutarem octauus & sexagesimus  
 præcisè fuit, Cæsar rursus in Hispaniam Prætor venit, atque initio  
 Herminiorum montium accolæ Durio & Minio annibus circumfluos,  
 quoniam ex ijs locis variæ prædonum manus Lusitanæ & Bæticæ oram  
 latrocinijs infestabant, locorum notitia & munitione confisæ, cum spon-  
 te detrectarent, malo compulsi in loca plana domicilia transferre. Præ-  
 terea ijs finitimi cum exemplo seueritatis castigati Durio transmissis nouas  
 sedes populariter petere constituerunt, à Cæsare occupata fuga, victi prælio  
 atque domi sunt. Multæ Lusitanorum vrbes & oppida direpta, multæ ex  
 deditione venerunt in potestatem. Herminij quoniam ab imperio rebella-  
 bant, denuo bello petiti, victique acie atque ex fuga in vicinam littoris  
 insulam compulsi sunt: ex earum fortasse numero quæ Baionæ obiectæ ab ea  
 vrbe vulgò nomen habent, antiquis Albianum & Lancia, communi  
 nomine Cincizæ erant, quod hodie etiam nomen retinent. Ad eorum homi-  
 num stirpem delendam missus est à Cæsare Dux cum copiarum parte, cuius  
 nomen non proditur, factum Dion tradit, in milites in terram expositos,  
 ipso Duce maris æstu excensione prohibito, Herminij facto impetu  
 facile vniuersos trucidarunt. in eo discrimine P. Sceux virtus enituit,  
 qui antisso clypeo, multisque vulneribus debilitatus, natatu ad classem  
 euasit. Cæsar eius ignominie vindicandæ studio maiori classe compara-  
 ta, cum ipsemet in insulam transmisisset, breui hostes & minori virtute  
 & comæatus inopia laborantes afflixit atque peremit. Inde in Calæcie  
 littore Brigantinus portus (Gorugnam hodie vocant) pari celeritate est  
 occupatus deditione ciuium, nauium magnitudinem, immensum inflata  
 carbasa, malorumque proceritatem cum admiratione formidantium ab  
 insolenti spectaculo: cum modicis ipsi lembis vti soliti essent carina ex leui  
 materia compacta, reliquo corpore ex viminibus contexto corijsque sti-  
 pato: ne videlicet aqua peruij essent. Cæsare Prætorie prouincia optimis  
 institutis temperata est, ac nominatim Gaditanis ex leges datæ atque

fancitæ quas ipsi petijissent. denique modus versuris impositus, vnde debitori tertia fructuum pars cederet, reliqua creditor perciperet, quæ vsuris annumeratis de capite detraheret. His rebus perfectis Romam redijt ad comitia neque expectato successore, & triumpho honore, qui sponte à senatu deferebatur, repudiato, spe videlicet & studio consulatus obtinendi. Equinum pullum ex prouincia deduxit pedum vnguibus in plures diductis partes, vnde aruspices orbis etiam imperium portendi pronunciabant. viuo solus ipse vsus est cum nullum alium dorso admitteret: mortuo statua Romæ ad Veneris posita eius iussu recepta vanitate.

*Initium belli civilis in Hispania, Cap. XVIII.*



**M** Cæsar Gallia magna ex parte domita aduersus Vocontios & Tharusates (hos coniectura est fuisse incolas vrbs Turfæ in prouincia Auscitana, Aquitanie parte Hispaniæ Citeriori vicina) Crassum misisset: ab ijs gentibus Hispani finitimi aduocati magna multitudine Pyrenæi iuga superarunt.

Orosius quinquaginta millia Cantabros affirmat iussisse in Galliam: & constat eorum potissimum virtute bellum fuisse gestum, Ducibus ex eo numero creatis qui ex Sertorij disciplina Romanæ militiæ artes edocti magnum in re militari vsum habebant. successus aduersus fuit. ex Hispanorum numero triginta octo millia cecidisse feruntur. Strabo auctor est Crassum mari in Casiterides insulas delatum Cronio promontorio obiectas, insulanos pacis artibus & tranquillitati deditos, nulla difficultate sub imperium misisse. Excepit anno ab Vrbe condita sexcentesimo nonagesimo nono, proconsulatus Q. Cæcilij, qui biennium Hispaniam gubernauit, & ad Cluniam vbi Romanorum conuentus iure dicundo erat, & cuius vrbs ruinæ hodie extant non procul Vxama propeque Corugnam, à Vaccæis insigni prælio superatus magnam iniecit solitudinem senatui populoque Romano. prorsus vt Gn. Pompeio cui gratia & auctoritas magna erat in prouincia & multæ prouincialium clientelæ superiori tempore adiunctæ, res Hispaniæ in quinquennium commendarent anno ab Vrbe condita septingentesimo primo. Cæterum cum Iuliæ nuptijs, quæ Cæsaris filia erat, delinitus totusque vxorius factus in Hispaniam proficisci recusaret, tres Legatos prouinciæ præfecit Petreium, Afranium, & M. Varronem. Afranius Citeriorem Hispaniam tribus legionibus obtinere iussus est. Varro eum Hispaniæ Vterioris tractum qui Marianis montibus & Ana flumine continetur. Petreio reliqua Bætica & Lusitania atque Vætones cum duabus legionibus commendata. Quibus præsidijs quasi fræno prouincialium ferocia cohibita Hispaniæ quidem res, aut tranquillæ aut modicè laesitæ fuerunt. Ex Italia autem noui atque exitialis belli occasio nata: cuius flamma Hispanos etiam peruasit. Defuncta Iulia, quo vno vinculo Cæsaris & Pompeij voluntates astrictæ fuerant, noua

noua similtas exorta totum imperium Romanum diuisis inter vtrunque studijs traxit in partes. Regnandi inexhausta auiditas, & incommunicabilis natura potestatis fatalis mali extitit caussa: dum Cæsar neminem præferri patitur, Pompeius exæquari aliquem auctoritate detrectat. Sane Cæsar Gallia domita, atque Britannia terrarum vltima semel & iterum tentata, æquum postulare videbatur vt legis venia concessa absentem daretur petere consulatum. Id graue senatui Romano visum est arma tenentem, vnde gradus fieret ad reipublicæ libertatem opprimendam, summum & maximum ambire magistratum. & erant plerique senatores infecti partibus & in Pompeij fauorem inclinabant. Itaque ad illud extremum atque vltimum senatusconsultum decursum est, quo nisi rebus desperatis discessum esse nunquam antea constabat. Darent operam Consules Prætores, Tribuni plebis, quique Consules essent ad vrbe, ne quid reipublica detrimenti caperet. Eo senatusconsulto quoniam bellum continebatur, nisi Cæsar qui decennium Galliam tenuerat, ad certam diem copias dimisisset: is re cognita Rubicone fluuio vbi prouincia terminabatur, cum exercitu traducto Romam festinare constituit. Pompeius hostis voluntate perspecta & Consules Claudius Marcellus, & Cornelius Lentulus nondum copijs ad resistendum comparatis ex vrbe dissiugiunt anno ab Vrbe condita septingentesimo quinto. Brundisium in extremo Italiæ angulo sitam elapsi, inde in Macedoniam transmittunt. vt quoniam de Italia & Occidente desperarent, Orientis viribus publicam libertatem tuerentur. Bibulius tamen Rufus a Pompeio, in Hispaniam legatus eius verbis Afranio, Petreio, atque Varroni imperauit, vt collatis in vnum viribus supremoque conatu Cæsarem prouinciæ delegatæ aditu prohiberent. Itaque Varroni Vterioris Hispaniæ cura commendata Afranius & Petreius additis ad præsidiarias copias ex Celtiberia & Cantabria octoginta Cetratorum cohortibus, Ilerdam belli sedem deligunt castris positis citra Sicoris ripam. Ilerda enim in colle arduo sita est, obiecto ad septentrionem tumulo vnde tormentis petatur ad munitionis nonnullam iniuriam. Orientale latus Sicori alluitur, qui fluuius paulo inferius Cingæ confusus non magno interuallo in Iberum euoluitur. Cæsar Pompeio ex Italia pulso atque rebus vrbanis ex sententia compositis Hispaniæ petendæ studio, dum ad Mafsiliam, quæ portas clauserat, moram trahit, cum tribus legionibus Fabium præmittit in Hispaniam. Is Pompeianorum præsidio superato Pyrenæi angustias transgressus atque Ilerdam delatus in hostium conspectu castra posuit Sicori transmissis. Lucanus ex licentia poetica flumen inter vtraque castra interiectum fuisse ait. subsecutæ sunt aliæ legiones & auxilia: sex millia pedites, equites tria millia & par numerus euocatorum ex Gallia nominatim. Nam fama prodierat Pompeium per Africam in Hispaniam festinare, venturumque primoquoque tempore, quod omnino facere debuit, sicque rerum periti suspicabantur, vt nobilissima prouincia retenta reliquum bellum maiori robore meliorique spe administraret.

*Pompeiani à Cæsare in Hispania victi. Cap. XIX.*

**A**ESAR Masilia relicta, tandem in Hispaniam delatus, cum Ilerdam in castra peruenisset, bellum cum Pompeianis varia fortuna gestum est: leuia sæpe prælia fuerunt meliora ferentibus Cæsarianis. deinde pluuiarum copia atque niue veris tepore in montibus liquata, Sicoris vehementer auetus duos pontes, quibus Cæsariani supra Ilerdam factis pabulatum frumentatumq; prodire consueuerant, disiecit, Cinga ex altera parte non minorem aquarum molem tra-  
 hente. sic locorum angustijs cohibitis Cæsarianis, magna rerum commutatio facta est, magnaue commeatus inopia in castris esse coeperat. Quibus re-  
 bus Pompeianorum litteris, rumore, famaue, vt fit, magnificentius Romam atque in alias prouincias perlatis, quasi hoste profligato magnæ gratulationes factæ, multique dubiæ catenus atque suspensæ ex fortuna fidei ad Pompeium tanquam re diiudicata profecti sunt: ne videlicet postremi ad eius partes minori gratia accederent? Verum hæc omnis Pompeianorum lætitia atque spes male fundata breui luxuriauit vanaue euasit. Cæsaris diligentia viginti duobus supra Ilerdam millibus, Sicori ponte constrato commeatus inuectus in castra affatim, & noua auxilia quæ ad Cæsarem denuò veniebant ex Gallia periculo liberata. multæ præterea Hispaniæ Citerioris vrbes Cæsari sese adiunxerunt: Calagurris cognomento Nalica, Osca, Tarraco, Ausetani, Lacetani, Ilurgauonenses. Quibus rebus & quoniam Sicori in plures riuos diducto, ne tanto circuitu pontem petere esset necesse, Pompeiani metuebant, ne à Cæsaris equitatu, qua parte copiarum ipsi inferiores erant, commeatus facultas intercluderetur, fugæ consilium captant. Urbano ponte Sicorim transmittentes, aliquanto circuitu ad Octogesam, quod hodie oppidum Mequinenfa esse creditur, viginti ab Ilerda millibus Ibero superato in Interiora Celtiberiæ penetrare certi, Cæsaris celeritate atque diligētia præoccupatis montium angustijs, qua omnino illis transeundum erat, ad deditio-  
 nis necessitatem sine sanguine deducti sunt. Cæsar omni ratione in detrectandæ pugnæ consilio perstitit, ne quod futurum prouidebat tanto vtrinque effuso Romanorum sanguine imperij vires suasque ipsius debilitaret. Deditum militem sine multa conseruauit, vltro etiam missione tam exercitiæ & diuturnæ militiæ concessa (& eas legiones cūstabat in pacata prouincia contra ipsum comparatas) insuper si quid amisissent rerum suarum, quod penes ipsius milites esset, pretio de suo persoluto pristinis dominis reddi mandauit. Sed vt est prona hominum in deterius persuasio, non defuere qui crederent prodatam pecunia Hispaniam: prorsus vt Afranio qui continuò ad Pompeium nauigauit (nam de Petreio nihil est proditum) ad Pharsaliam Cato Faonius obijceret: ecquid pugnare recusaret contra mercatorem, qui pretio ab ipso prouincias esset mercatus? Varro quem in Vltiori Hispania relictum fuisse est demonstratum, initio amicitia cum Cæsare simulata medium se gesserat: deinde Cæsaris angustijs ad Ilerdam nunciatis persona detracta. hostilia palam moliri, bellum cōparare, copias cōscribere, triremes Gadibus & Hispali ædificare.

ædificare. Ad eas res perficiendas pecunia grauissime imperata, ipsum etiam Herculis Gaditanum templum, quod sanctitatis opinione celeberrimum erat, thesauris expilauit. Verum Petreio & Afranio ad Ilerdam superatis, ipsaque Cæsaris celeritate præoccupatus, militumque magna ex parte defectione ad Hispalim desertus necessariò deditioem fecit: saluteq; concessa naues, pecuniam, frumentum, in victoris tradidit potestatem. Qui conuentu prius omnium ciuitatum Cordubæ habito & reipublicæ statu fundato, cum spolia inde mota thesaurique in Gaditanum templum essent relata, Gaditanis omnibus pro eximia voluntate, qua impositum à Varrone præsidium vltro depulerat, ciuitatem dedit. Q. Cassium Longinum cum quatuor legionibus in Hispania Vltiore reliquit. Erat is eo anno Tribunus plebis, & rerū Hispaniæ magnum vsum habebat Gn. Pompeio Proconsule Quæstor in ea prouincia. Rebus sic ordinatis Cæsar mari quidem Tarraconem, terra autem inde in Galliam profectus, Romam cum peruenisset, Lepidum à quo Prætor Dictator erat dictus, in Citeriorem Hispaniam cum potestate amandauit: annoque sequenti qui fuit ab Vrbe condita septingentesimus sextus, Pompeium prius prælio Pharsalico vicit, deinde in Aegypto eo cæsore Regem Ptolemæum interfectorem illato bello superauit.

*Longini res gesta in Hispania. Cap. XX.*

**I**NTEREA nouis bellis mota Vltior Hispania Longini auaritia atque immanitate: quam olim ob causam Pompeio res gerente prouincialium coniuratione salutis periculum adierat vulnere inflicto. verum à Cæsare iussus in Africam trajicere aduersus Iubam Regē, qui Pompeij partes sequebatur, huius expeditionis prætextu tum imperandis tributis, tum plerisque facultate manendi in Hispania pretio vendita magnam pecuniam compilauit. scædum latrocinium peculatumque. Ea re multorum animis exacerbatis in eius salutem cōiuratio facta, L. Recilio & Annio Scapula eius coniurationis principibus. Minutius Silo specie libelli supplicis offerēdi primus vulnus infixit, cæteri ad terram deictum nouis vulneribus deformarūt. Verum militari præsidio accurrēte Silo quidem captus est, Longinus à Succolantibus in lectū deductus, cum vulnera leuia essent, mortem euasit. De Silone quæstiones tormentis habitæ multiq; coniurationis socij eius indicio perierunt: quosdam fuga seruauit, aut captos pecuniæ vis maxima supplicio eripuit. Auaritia in Longini animo cæteros affectus, tametsi deprauatissimi erant, superabat. Interim à Cæsare allatis litteris victum esse Pompeium renunciatum: & nihilominus prætextu expeditionis Africanæ copijs ad fretum Gaditanū missis, cum ipse conualuisset, classē inuisenda Hispalim profectus audit, magnam terrestris exercitus partem defecisse Thorio Italicensi Duce creato. Is quoniam continuò Cordubam petiturus credebatur, M. Marcellus Quæstor ad continēdas in officio ciuium voluntates urbemq; tuendam præmissus, breui & ipse à Longini auctoritate deficiens cū vniuersa ciuitate Thorio se adiunxit: eoq; concedente, quoniam



potiori auctoritate erat, belli administrandi præcipuam curam suscepit. Longinus cum omnia infesta videret, & castris in cōspectu hostium citra Bærim ad Cordubam positus suorum virtute & voluntate diffideret, Vliam concessit oppidum loci natura munitum. Nam in colle arduo positum est, & hodie Montis maioris nomen habere putatur vigesimo ab vrbe Corduba lapide. Ad eius collis radices castris positus, hostium superuentu, cum certamen detrectaret, perpetuo aggere & fossa circumuallatus est. Aduocarat Longinus Bogudem Regem ex Mauritania, atq; ex Citeriori Hispania M. Lepidum, vt quam primum rebus inclinatis opem ferrent: si Cæsaris auctoritatem in provincia saluam cuperent. Bogud prior cum accurrisset, & Hispanorum qui Longino fauebant, delectu auctus aliquoties cum Marcello pugnasset præliorum euentu vario, non potuit obsidionem dissipare. Lepido aduenienti cuncta sine difficultate cesserunt, Marcello controuersie arbitrium ad eum deferente. Longino idem facere detrectanti, conscientia scelerum an Lepidi gratiam præoccupatam à Marcello arbitranti, discedendi quò vellet facultas est data. Itaque Marcellus & Lepidus Cordubam profecti sunt. Longinus Trebonij successoris aduentu renunciato ad Malacam classe conscensa aduersis tempestatibus non procul Iberi ostijs cum vniuersa pecunia, quam scelere & rapina pararat, facto naufragio periit. Consequenti anno qui fuit ab Vrbe condita septingentesimus octauus, Lepido quidem triumphus concessus, Hispaniæ videlicet motibus inter Longinum & Marcellum pacatis: Marcellus autem defectionis culpam exilij poena luit, haud diuturni venia a Cæsare facile impetrata, diuersusque ab eo M. Marcello pro quo conseruato Cæsari gratiæ à Cicerone eleganti imprimis oratione sunt actæ. Quæmadmodum non idem Longinus est, quem subiecta alteri è lapideis tauris Guisandi inscriptio continet his verbis: Longinus Prisco Cætonio fieri curauit.

*Bellum aduersus filios Pompeij inchoatum in Hispania. Cap. XXI.*

**R**A T Hispania diuisa studijs inter Cæsare & Pompeium: & pleræque vrbes ad Scipionem in Africam, cuius post interfectum Pompeium præcipua inter Pompeianos auctoritas erat, missis legatis postularunt se vt in fidem tutelamque reciperet. Missus ex Africa Gn. Pompeius è filijs Pompeij natu maior Balearibus ex itinere occupatis atque Ebulo, in ea Insula affecta valetudine aliquandiu moram traxit. Interea Annius Scapula, nimirum is qui contra Longinum conspirauit & Q. Aponius Aulo Trebonio Proconsule tota prouincia pulso vsque ad Pompeij aduentum Pompeianas partes sustentarunt. nec multo post non modo Gn. Pompeius è morbo recreatus sed etiam bello Africane Cæsaris virtute profligato Scipioneque & Catone voluntaria morte sublatis Sex. Pompeius Gneij frater, Actius Varus, & Labienus cū exercitus & classis reliquijs venerunt in Hispaniã. Gneius tota prouincia obita multas vrbes, quauis quâ voluntate sub ditionem misit atque in his Cordubam in potestatem redegit: vbi Sexto fratre relicto Vliam obsedit Q. Pedio & Q. Fabio Maximo.

Cæsaris

Cæsaris legatis certamen detrectantibus, sustentantibusque vsque ad Cæsaris aduentum. Nam is quatuor triumphos dum agit in vrbem atq; reipublicæ perturbatæ statum componit, venire distulit vsque ad sequentis anni initium, qui fuit ad Vrbe condita septingentesimus nonus: cum Roma profectus discessus moram celeritate compensare studens septimodecimo die Saguntum & post decem alios dies Obulcum peruenit (hoc hodie oppidum Porcuna vocatur propter Cordubam & Giennium situm). Interea ad fretum Gaditanum à Didio classi pro Cæsare præfecto & Varo Pompeianorum partium prælium nauale commissum. Exæquato vtrunque damno & pari periculo, Varus in Carteiæ portum se intulit portus faucibus obiecto ferreæ catenæ claustro. id signum percussus fuit, & aliquanto maioris acceptæ cladis. Cordubenses veteri studio, & nouo periculo prouocati clam per legatos necessitatem excusantes, noctu vrbem capi posse docent Pompeianorum vigilijs deceptis. Vliam etiam missi legati obsidionis angustias & moræ periculum nisi succurreretur declarant. Cæsare ancipiti cura distracto, Vliam quidem L. Iunius Paciecus cum sex cohortibus missus turbidæ noctis beneficio & Pompeij mandatis simuladus per medios hostes in oppidum cum penetrasset, oppidanis cum spe defensionis animos etiam inflammauit. Hunc quidam suspicantur eum Iunium esse, cuius opera forti & fideli Cæsar in Gallia vsus ad Ambiorigem legatum non semel de pace misit. Cæsar ergo iussis Pedio & Fabio Legatis ad certam diem sibi cum copijs præsto esse, ad Cordubam castra ponit, tanta ex ea re Sexti formidine, vt Gneium ab Vliæ obsidione, quæ ferme in potestatem venerat, per litteras & nuncios reuocaret. Verum Gneio, tamen si prope castra locarat, in detrectandi certaminis consilio durante Cæsar morbo tentatus atque grauatus, Corduba noctu per occultam tesseram profectio ne denunciata, Atteguam versus castra mouet. Comitiali morbo, cui fuit obnoxius, Cæsarem primum Cordubæ tentatum Plutarchus auctor est: & in ea vrbe constat platanum seuisse antiquorum litteris celebratam. vtrunque forsalsis cum superiori tempore res gereret in Hispania. Attegua sextodecimo ab vrbe Corduba lapide sita erat, quo nunc loco ruinæ tantum extant Tebæ veteris nomine. In id oppidum Pompeiani frumentum, pecuniam, & bellicum instrumentum magna ex parte contulerant: quo Cæsar confidebat aut oppugnando defendendoque, Pompeianos ad pugnam elicere, aut capto multum virium & auctoritatis detrahere. Gneius iisdem rationibus Cæsaris itinere explorato & detrectadæ tamen totius pugne certus ad Castra Posthumiana & Attubim (hæc hodie oppida Castrum fluminis, & Spegium sunt) copijs promotis se tenere locorum munitione confisus: deinde trans flumen Salsum Atteguæ vicinum (hodie Guadaxòx vocatur) castra ponere. Sed cum leuibus prælijs fortuna tentata incommodum esset acceptum, desperata oppidi defensione, Cordubam quidē ipse repetijt: ex oppido autem missi sunt ad Cæsarem de deditioe faciendâ legati vano conatu, cum pacis leges afferrent quas à victoribus dici, accipi à victis æquius fore Cæsar prædicabat. Exacerbatis responso militibus in eos, qui ad Cæsaris foedus erant propensi sæuitum est. In quo Numasij Flacci Præfecti factum prætereundum non est propter eius nefariam

## De Rebus Hispaniæ.

nefariam ac singularem crudelitatem. Omnes eius oppidi ciues Cæsari stude-  
 tes peremptos e muris præcipitavit, fœminas etiam citatis nominibus viro-  
 rum, qui in Cæsaris castris erant. præterea in ipsarum brachijs liberos truci-  
 davit, infantes alios in oculis parentum humo tegi, aut pilis excipi iussit. au-  
 ditu intolerabilis quàm feræ truculentior rabies. Nihil ea sæuitia profe-  
 ctum. Ad vndecimum Kalen. Martij Attegua venit in potestatem ab op-  
 pidanis deditioe facta ad Cæsaris voluntatem. oppidanos conseruatos,  
 atque Numatij immanitatem vindicatam, etsi historiæ sileant verisimile est.  
 Attubi deinde incensa, atque multis eo tractu oppidis aut vi aut voluntate  
 subiugatis, Mundam Cæsaris castra promotam. Erat ea vrbs Pompeianarum  
 partium in edito colle viginti millibus Malaca desita, modico præterfluen-  
 te amne, quem lata planicies excipit amœnitate & vbertate præcipua,  
 olim nobilis ciuitas, nunc exiguum oppidum antiquo retento nomine. Ad  
 eam urbem supremo vtrinque conatu pugnatum est. Cæsar suorum nu-  
 mero & virtute potior erat, Gneius loci natura confusus atque loco supe-  
 riori, in vicino colle castris collocatis. Explicantur vtrinque acies: nec ma-  
 iori mole vnquam concursum est nec magis ambiguo Marte. sinistra  
 vtrinque cornua superata in fugamque conuersa. prælium varium, anceps,  
 atrox fuit, multum effunditur sanguinis, sternitur cadaueribus campus.  
 Aduentu Cæsaris, cum se in pedes coniecisset & arrepto militari clypeo  
 inter primos pugnaret multis à fuga suamet manu retentis, prælium lo-  
 cis omnibus restitutum & victoria parata est. Triginta millia pedites è Pom-  
 peianis ceciderunt, equites tria millia: in his Varus & Labienus. tredecim  
 legionum aquilæ captæ. è Cæsarianis mille milites, & in his promptis-  
 simus quisque desiderati sunt. quingenti vulnerati. victoriæ præcipua laus  
 penes Bogudem Regem stetit, (nam is & Bochius Afri Reges Cæsaris partes  
 adiuuabant) Pompeianorum castris, quæ modico præsidio tenebantur, in  
 ipso prælij ardore occupatis. quò cum se Labienus raptim proripuisset,  
 cæteri fugam interpretantes abiecta victoriæ spe hosti terga dederunt. Pug-  
 natum est septimo decimo die Martij, quo die Romæ Bacchanalia cele-  
 brabant. & harum rerum curiosi notabant, eodem ante annos quatuor die à  
 Pompeio Italia deserta in Græciam fuisse traiectum. Cum Cæsar de hoc  
 prælio loqueretur, sæpe se pro gloria, ea die pro vita pugnasse dicebat.

*Cæsar Romam reuertitur, Cap. XXII.*

NEIVS postquam ad Mundam male pugnatum erat, cum  
 vulnere in humero accepto Carteiam fuga euasisset, ciuium vo-  
 luntate diffusus & cedendi in Citeriorem Hispaniam consilio,  
 vbi magnæ clientelæ erant & multorum propensæ voluntates,  
 classem conscendit, quam ad omnes casus paratam habebat: ve-  
 rum ex iactatione maris vulnere recrudescente quarto post die in littus des-  
 cendens cum lectica gestatus latebras captaret, fugientis vestigia insequen-  
 tibus mari quidem Didio, terra autem Cæsonio Cæsaris iussu, intra specum  
 vbi

vbi se condiderat comprehensus obruncatusque est. Florus pugnasse affirmat  
 & prope Lauronam cecidisse, quod hodie oppidum Lyria siue Laurigi  
 esse creditur. Eius naues à Didio partim captæ partim incensæ. Sextus fra-  
 ter ad nuncium aduersi prælij, cum de Cordubæ defensione sine exercitu  
 desperaret, & ijs locis nihil tutum fore putaret, cunctis eo propensis  
 humani ingenij vitio quo fortunam videbant inclinasse, procul in Cite-  
 riorem Hispaniam abiit. Scapula ex prælio Cordubam rediens volunta-  
 riam mortem sibi conscivit seruorum ferro post funereas epulas, cum se so-  
 lito liberius inuississet. Cæsar Q. Fabio ad Mundæ obsidionem relicto cum  
 10 parte exercitus, Corduba per vim expugnata in aduersæ factionis ciues  
 grassatus viginti duo millia trucidauit. Mox eius vrbs statu composito  
 pridie Idus Aprilis, cum Hispalim peteret, Gneij caput allatum est, tan-  
 tis rebus admiranda celeritate intra breue tempus peractis atque conse-  
 ctis. & est bello ciuili factum magis quam consulto opus, nihilque festi-  
 natione saluarium. Pari felicitate Hispalis venit in potestatem, & Pom-  
 peianis deinde tumultuantibus rursus ad officium reuocata, ad quartum  
 Idus Augusti vt in vetustis Kalendarijs Romanis annotatur. Hispalis  
 exemplo, tum alia eo tractu oppida deditioem fecerunt, tum Alta vrbs olim  
 quidem octo millibus Cæsariano disita ad Lectim fluuium, nunc autem  
 20 vastus locus antiquam tantum appellationem retinet. Q. Fabius Mun-  
 da aliquot mensium obsidione tesa atque expugnata Vrlonem, hodie  
 Ossunam, præterea redegit in potestatem, vi an voluntate incertum no-  
 nimentis vetustatis vitiatum. Omnino Cæsar Hispaniæ vniuersæ mori-  
 bus compressis & reipublicæ statu composito, cum tributis imperandis,  
 atque multis publice & priuatum indicendis, honoribusque & magistra-  
 tibus venalibus ingentem pecuniam corrasisset, ac ne à templo quidem  
 Herculis Gaditano, cui superiori tempore pepercerat, manus abstinuisset,  
 dona auro & argento graua abstulit minori cura religionis inter pro-  
 pera. euoluta ætate atque præcipiti autumno ex Hispania discedens Ro-  
 30 mam Octobri mense peruenit. reous gerendis in Hispania præfecit: in Vite-  
 riore quidem Asinium Pollionem eum, cuius filij Satorini ortum Virgilius  
 Sibyllæ carmine celebrauit: in Citeriori autem M. Lepidum, adiuncta præ-  
 terea Narbonensi Gallia. Quo ex tempore quidam coniectura potius quam  
 certa ratione suspicantur Cordubæ coloniæ Patritiæ nomen & honorem  
 accessisse. Constat tamen Augusti imperio, vt monetæ indicant, eam  
 appellationem habuisse. Sane multis oppidis & urbibus, tota Hispania in  
 victoris assentationem effusa, nomina facta Attubi claritatis Iuliæ, Eboræ  
 in Lusitania libertatis Iuliæ. Calagurris cognomento Nafsica Iuliæ appella-  
 tionem accepit. Sexi ex hoc tempore Firmium Iulium nūcupatum. Illiurgis  
 40 forum Iulium. Emporitani demum veteri dissidio Græcorum & Hispano-  
 rum sublato in Romanos mores, linguam & iura concessere coloniæ nomi-  
 ne & honore aucti Extant huius belli monumenta pluribus in Hispania lo-  
 cis & Eboræ in Carpetanis muri parte ex aduersum D. Petri hæc incisa  
 sunt verba. Gn. Pompeio Magni Pom. F. nam cetera vetustate corrupta sunt.

*Cæsare*

*Cæsare occiso noui motus in Hispania. Cap. XXIII.*

7 1 0 **A**ESAR in senatu tribus & viginti vulneribus à coniu-  
 ratis in eius necem, Romæ confossus est Martij Idibus sequentis  
 anni, qui fuit ab Vrbe condita septingentesimus decimus. vnde  
 de Octauiani Augusti successoris, imperij annos quidam nu-  
 merant, plerique proximo anno faciunt cum decimo Kalen-  
 Octobris in C. Vibij Pansa locum auctore Dione Consul est subrogatus  
 ætatis lege soluta. In Hispania Pollio, qui latrocinijs sublati montium 10  
 Marianorum, vbi præcipua licentia grassabantur, itinera aperuerat, stu-  
 dio renascentis in republica libertatis, in Cordubensi conuentu professus  
 se in senatus potestate futurum, aliquam fessis rebus lucem polliceri vi-  
 sus est. ni Sex. Pompeius temporum perturbatione ad occasionem factio-  
 nis instaurandæ vsus, se è latebris proripuisse, vbi se eatenus inter Lace-  
 tanos continuerat. Itaque eius gentis delectu habito, & nouis indies au-  
 xilijs firmior, cum legione vna Carthaginem delatus in eo tractu Vergim  
 (hæc hodie Vera aut Vergia esse creditur) cum expugnasset, magna rerum  
 & animorum commutatio facta est, Pompeianorum factione resurgente,  
 & maiores colligente vires, quæ paulo ante extincta esse videbatur. Nam 20  
 pari felicitate Bætica omnis accessit Pollione insigni prælio superato.  
 Magno ad victoriam adiumento (vt parui sæpe casus magnarum rerum  
 momentum afferunt) Pollionis paludamentum fuit, fortè in ipso conflictu  
 cadens an proiectum latendi studio. eo enim à militibus perspecto, qui  
 integri Pompeianorum impetum sustinebant, Ducem sublatum putan-  
 tibus animi conciderunt. Eos motus & prouinciæ ad Pompeium propen-  
 sas voluntates Lepidi aduentus compescuit sanauitque, Sexto persuaso vt  
 pecunia, quam in Hispania pararat, comportata, ad paternam amplitudi-  
 nem & hæreditatem libertatis beneficio concessam Hispania deserta in Vr-  
 bem festinaret. Et erant res non minus in Italia turbatæ, M. Anto- 30  
 nio, qui anno superiori consulatum tenuerat, opprimente libertatem.  
 cui Romanus senatus exitiali consilio Octavianum obiecerat Iulix nepo-  
 tem, quæ Cæsaris soror erat. Is Pompeiorum bello posteriori auunculum  
 in Hispaniam secutus prima militiæ rudimenta in ea prouincia posuerat  
 vix decem & octo natus annos. & bello profligato Athenas concesserat ex-  
 colendi ingenij litteris & humanitate cupidus. Vnde Cæsaris morte nunciata  
 in Urbem reuocatus, multorum studijs ob Cæsaris memoriam adiutus  
 M. Antonium, qui ad Mutinam D. Brutum Consulem designatum obsidio-  
 ne premebat collatis signis superauit: atque Galliam ex fuga petere com-  
 pulsit. Ibi M. Lepido conciliato & per eum Octauiano in fœdus attra- 40  
 cto Triumuiratus constitutus est imperij nempe prouincijs trifariam di-  
 uisis. Lepido Gallia Narbonensis & Hispania omnis concessa. Anto-  
 nio reliqua Gallia. Italiam, Africam, Siciliam atque Sardiniam Octa-  
 uianus obtinuit. nam Orientis prouincias Cæsius & Brutus præcipui  
 Cæsaris

Cæsaris interfectores occuparant. excepit carnificina plerisque ciuibus &  
 Senatoribus Romanis proscriptis. in hoc numero Cicero sexaginta tres na-  
 tus annos Popilij Tribuni militum ferro occubuit, quem ipse in iudicio de-  
 fenderat de parricidio postulatam.

*Era ratio. Cap. XXIII.*

10 **P**PRESSA rursus ad hunc modum Romæ Urbis libertate,  
 post confectum Octauiani diligentia bellum Perusinum, noua  
 prouinciarum inter Triumuiros partitio facta est, anno ab Vrbe  
 condita septingentesimo quartodecimo: Hispaniaque omnis in 7 1 4  
 Octauiani ius ditionemque concessit, Coss. Gn. Domitio Calui-  
 no & C. Asinio Pollione. Quo ex anno Hispani cœperunt annorum nume-  
 rum & computationem inchoare, eam quam Eram Domini, aut Eram  
 Cæsaris dicere consueuerunt, tum in historia, actionum formulis, atque  
 prisca conuentuum ecclesiasticorum actis: tum priuatim in sermone fami-  
 liari. Adiunguntur nonnunquam anni à Christi ortu salutari, octo & tri-  
 ginta annorum à priori computandi ratione interuallo discrepantes pau-  
 20 cioresque. Ita annus Christi primus Eræ Cæsaris nonus & trigessimus fuit.  
 Nam quod Ioannes Margaritus Gerundensis Antistes sex & viginti annis  
 tantum ante Christi ortum Eram Cæsaris auspiciatur, in eo quid secutus  
 fuerit facilius est conijcere, quam certa aliqua ratione pronunciare, cum  
 aliorum omnium opinio resistat. & forte AEgyptiorum computationem,  
 de qua mox sermo recurret, cum Hispanica confudit similitudine fal-  
 sus, quoniam ea etiam gens ab Augusti imperio annos numerare cœpit.  
 Huius supputationis & causam & nomen declarare promptum non est,  
 in tanta sententiarum & iudiciorum hac de re varietate. Auctores nume-  
 ro & auctoritate petiores, & doctrinæ opinione clari, atque in hoc nume-  
 30 ro Dion, hoc ipso anno affirmant post bellum Perusinum L. Antonio  
 deuicto M. Antonij fratre, nouam prouinciarum partitionem inter Trium-  
 uiros factam: & oppressa penitus atque conuulsa Romanæ reipublicæ li-  
 bertate, vt paulo ante dictum est, Hispaniæ imperium M. Lepido collega  
 concedente, cui in priori partitione obuenerat, Octauio Cæsari celsisse,  
 Lepido Africam. Vnde quod Antiochenos secutos fuisse memoriæ pro-  
 ditum est, idemque AEgyptios sublati post vndecim annos Cleopatra vsur-  
 passe, vt ab Augusti imperio annorum numerum & rationem inchoarent:  
 idem sibi faciendum esse iudicauit Hispania, pro ingenio mortalium no-  
 40 ui Principis obsequio delimita & in aduentationem elusa. Hæc de His-  
 panicæ computationis initio. De Eræ voce pauca. Eræ Lucillio & Cice-  
 ronij ea capita rationarij sunt, vnde dati & accepti vniuersa summa con-  
 flatur. inde traducta vox est ad librorum capita, & legum numerum desi-  
 gnandum. quod in Isidori libris & Gotthicis legibus non vno loco fa-  
 ctitatum obseruamus. Ab hoc initio extensa amplius eius vocis signifi-  
 catione,

catione, summam quanque rationem temporis, atque adeo promiscuè tempus quodcunque numerumque Eræ nomine designare, atque intelligere cœperunt homines præsertim Hispani, tum Latino sermone, tum maximè lingua vulgari, quæ ex Romana proculdubio nominis argumento, atque ex vocum affinitate certissima coniectura manauit. Hildericus etiam Gallus æqualis Isidoro, Eras dierum dixit pro numeris dierum. & inter astrologos Eras nonnulli vocarunt tempora seu fundamenta illa & positionem astrorum (vnde rationes temporum deriuantur) ad quæ cælestium corporum motus reuocantur dirigunturq;. Errant ergo quicumque ex Isidori testimonio atq; auctoritate, qui cæteros in errorem induxit, Eram putarunt ab ære dictam: quod eo anno, vnde tota hæc supputatio inchoatur, Cæsar Augustus primùm tota Romana ditione tributum imperasset cunctis mortalibus relatis in ærarios. nam neque scribendæ eius vocis ratio cum ea notatione consentit, neque eo anno, vnde Eram Cæsaris inchoamus, nouum vestigal imperatum prouincijs inuenimus. Sane hæc supputandi ratio, anno salutis millesimo trecentesimo octogesimo tertio Segobiæ, vbi conuentus Principum habitus Ioanne eius nomine primo Castellæ Rege, antiquata est, atque ad Christi ortum reuocata. quod paulò ante fecerant Valentini, Lusitani non multo post imitati sunt, exemplo aliarum prouinciarum. vti Iustiniani Imperatoris ætate Dionysius Abbas Romanus sublatis alijs supputandi rationibus excogitasse primus, atque inuexisse in rempublicam Christianam memoratur. Prorsus Domitij Galuini & Asinij Pollionis Cons. Cornelius Balbus Gaditanus Consul susceptus est. quod ante eam diem constabat nullo externo homini contigisse, vt Romæ consulatum obtineret. Erat Cornelius Balbus alterius Cornelij Balbi propinquus, quem Gn. Pompeius Sertorij bello peracto in Urbem secum ex Hispania deduxerat. Præterea Domitius Caluinus post quinquennium, annoq; ante Christi ortum tertio & trigesimo, gesta Hispania ex proconsulatu de victis Ceretanis ad Pyrenæi montis radices, vbi nunc Cerdania sita est, Romæ triumphauit. Rebus mox inter Triumuiros turbatis, nouis motibus Hispania est implicata. Etenim post Iulij Cæsaris necem renascēte Romanæ reip. libertate Sex. Pompeius in patriam postliminio redux Romanæ classi præfectus, denuo à Triumuiris oppressa republica Siciliam occupat. vnde Octauij & Lepidi armis cum depulsus esset, eius insulæ possessione atq; adeo totius Africæ Lepido ad Messanam à suis deserto atq; in ordinem redacto Octauius auctus tot prouincijs occupatis quasi victoriæ præmiū Antonij collegæ, qui Orientis prouincias obtinebat, animum exulcerauit. Ab his initijs re ad bellum deducta, & Antonio ad Actium superato, Octauius solus rerum potitus est, anno ante Christum natum vigesimo octauo. & qui à patre Octauius, ab auunculo Cæsar dictus erat, à senatu Augustus est salutat, pace restituta, quasi de cælo lapsus, & supra homines visus. Id nomen Sex. Pacuius Tribunus plebis consecrauit, hoc est, viuenti diuinos honores decreuit, more ex Hispania translato, vt Dion auctor est. Huius belli ciuilis progressu Bogud Mauritanæ Rex ex Africa transmisit in Hispaniam, M. Antonij

M. Antonij videlicet partes sectatus. vnde non minori accepto quàm illato detrimento repulsus est. Nec multò post, octauo nimirum Augusti consulatu, atque anno ante Christum natum vigesimo quinto, viam publicam Corduba Astigim ipsūque Oceani litus lapidibus constratam esse indicio est columna ex marmore subuiridi, quæ hodie Cordubæ in cœnobio Franciscanorum visitur, Augusti nomine inciso, & miliarium centum viginti vnus numero expresso, ex quanto spatio Corduba distat à mari, his verbis.

IMP. CAESAR. DIVI.  
F. AVGVSTVS. COS.  
VIII. TRIB. POTES.  
XXI. PONT. MAX. A.  
BAETE. ET. IANO.  
AVGVSTO. AD:  
OCEANVM.  
CXXI.

CONSTANTIAE.  
AETERNITATI.  
QVE. AVGVST.

Hoc Iani templum, vbi nunc est Corduba, fuisse creditur, pacis fundatæ æternum monumentum ab Augusto constitutum. Verum hæc coniecturæ sunt. Exceperunt Cantabrorum, Asturum, atque Vaccæorum morus Statilij Tauri diligentia & virtute compositi, fortassis cum legatus esset C. Norbani, quem de Hispania per hæc tempora triumphasse constat. Vnde Cantabrici belli initium sumunt, qui ex Orosij auctoritate toto quinquennio durasse aiunt. Omnino forma antiqua Hispaniæ gubernandæ commutata per hæc tempora, in locum Prætorum & Proconsulum Legati consulares missi sunt exemplo aliarum prouinciarum. argumento sunt veteres lapides in quibus consularis vox expressa cernitur. Ad hæc diuisis inter senatum & Augustum eius voluntate imperij prouincijs, Bætica tantum in Hispania senatui celsit: vnde Vltior Hispania deinceps duos magistratus habuit, in Bætica vnum, alterum in Lusitania. Hispani pace imperio reddita, cum multæ Romanorum coloniæ tota Hispania constitutæ essent, in mores & linguam Romanam veteribus paulatim antiquatis abierunt, auctore Strabone.



**R**E B V S ad hunc modum stantibus, quiescebat Hispania bellis  
 fessa, viris, opibus, & fama florens: cum nouum bellum opinione  
 maius, diuturnum, atque atrox, exortum est, initio à Cantabris fa-  
 cto, gente eatenus non planè à Romanis domita sub imperiumque;  
 mita propter animorum ferociam ijs hominibus innatam præ cæteris His-  
 paniæ nationibus: & quoniam locis asperis, & inaccessis montibus habitant,  
 laborum sunt patientissimi, procul à cultu atque humanitate reliquæ Hispa-  
 niæ. Cantabris Autrigones ad Ortum, ad Occasum Lungones finitimos Pto-  
 lemæus quidem facit: ad Septentriones Oceano Cantabrico, ad Meridiem  
 Iberi fontibus terminat angustis finibus, neque Pyrenæi montis iuga attingen-  
 tes. præcipua oppida Iuliobriga, Vellicaque. Ab alijs appellatione, ut fit, inerrã-  
 te extensaque, Cantabriæ, vicinos populos ad fines Aquitaniæ Pyrenæo mon-  
 te terminatæ, eo nomine comprehensos, haud leuia argumenta sunt, uti alio  
 loco est demonstratum. & bello Cantabrico locorum & oppidorum nomi-  
 na, ad quæ id bellum gestum est, extra angustos illos fines fuisse Cantabros  
 extensos satis declarant, uti locis competentibus est indicandum. Agre-  
 sti homines ingenio, moribus sine more, pecuniæ nullo vsu. aurum atque  
 argentum propitius an infensus Deus negauerit, dubitatur. Mulieribus iuxta  
 ac viris robar est corporis. capitum integumenta in varias species confor-  
 mata: neque ijs absimilia, quibus scæminæ in Cantabria vtuntur nostra æta-  
 te. Agros ipsæ exercere: a partu viris ministrare consueuerunt, earum vice  
 decumbentibus: quem morem ad nostram ætatem in Brasilia retineri fa-  
 ma fert, & multorum testimonia confirmant. Choreas pedibus, & digitorum  
 sonitu, crotalisque plaudere, virgines elocare dote ab sponso data, veneno  
 parato vim allatam morte euadere, constanti homines ingenio, & aduersus  
 mala peruicaci. cuius rei magna documenta huius belli tempore extiterunt.  
 Ergo ij Asturibus & Calæcis ad arma excitis, finitimos Vaccæorum agros,  
 qui in Romani imperij fide erant, illato bello vastantes, magnam non tan-  
 tum prouincialibus formidinem incusserunt, sed & ipsi Augusto curam,  
 ne ab ijs initijs maiori mole bellum existeret, quàm ut facile restingui pos-  
 set. Omnino Illyrico & Pannonia, vbi motus erant, neglectis, veniendum  
 sibi in Hispaniam iudicauit: Iani templi valuis reclusis, quæ paulò ante fue-  
 rant obseratæ, tertio nimirum ex quo tempore Romanæ Urbis fundamen-  
 ta iacta erant. semel enim Numinæ regno, iterum peracto primo bello  
 Punico, id templum clausum fuerat: demum M. Antonio ad Actium su-  
 perato nauali prælio: nam toties Romanorum arma quieuerant. Augu-  
 sti aduentu nouis delectibus numerosus exercitus conflatus est. Roma-  
 norum castra ad Segisamam posita: quod hodie oppidum Beisama esse  
 creditur in Guipuscoa, præter Azpeitiam & Tolosam. Copijs trifari-  
 am diuisis vno tempore totus ille tractus militibus occupatus est,  
 haud latissimus spatijs. Cantabri diffisi viribus, aduersus eam tempe-  
 statem locis præruptis se tenere: in quæ fortunas, vxores, & filios  
 contu-

contulerant: inde eruptione pugnare: neque totius certaminis facere ho-  
 sti potestatem. bellum ducebatur, & opinione diuturnius futurum erat.  
 Augustus moræ tædio, & ex locorum asperitate, aerisque intemperie, atræ  
 bilis morbo tentatus, Tarraconem redijt, belli gerendi cura Legatis de-  
 mandata. C. Antistius, & P. Firmius Calæcos impugnandos sibi sumpse-  
 runt: P. Carisius Astures, haud minori ferocia quàm Cantabri, neque mo-  
 ribus multum discrepantibus. Imperij summa ad M. Agrippam redibat.  
 præcipua tum apud Imperatorem gratia, & eiusdem postmodum gene-  
 rum, Iulia vxore Augusti filia. Is rei frumentariæ inopiam, qua propter  
 10 locorum sterilitatem anguste vtiebantur, nauibus ex mari Britannico, &  
 Armorico contractis, subleuandam curauit. Simul ea classe Cantabriam  
 à mari obsedit: ne fugæ facultas miseris esset, comparandivè aliunde com-  
 meatus. His Cantabri circumuenti malis, & suprema annonæ angustia  
 laborantes, prælij fortunam tentare ausi ad Vellicam (quæ Victoria Vel-  
 lica esse quibusdam creditur, sed regionum interualla arguunt) primo im-  
 petu cæsi, disiectique Romanorum virtute sunt. ut quibus temerè collectis,  
 non castra, non Ducem agnoscentibus, neque in victoria decus esset, neque  
 in fuga flagitium: sibi quisque Dux adhortatorque erat, & magis despera-  
 tione animorum, quàm vincendi spe percellabantur. Ab Oceani litore  
 20 Hirnius mons (Latini Vinnium dicunt) in subline erigitur arduo ascen-  
 su, Segisamæ proximus, tantaque altitudine, ut è fastigio in Cantabriæ,  
 atque Galliæ littora despectus sit. Eius montis vicinitas & asperitas multis  
 eò confugientibus saluti fuit. Sed Romani tamen conscendere non sperã-  
 tes, veritique cum locorum iniquitate, & desperato hominum genere vnã  
 pugnare, præsidijs atque operibus circumuallarunt: eòque calamitosam  
 gentem redegerunt, ut cum illi omnem seruiendi conditionem recusarent  
 malis ferocios facti, & hi turpe ducere ab inermi hominum genere  
 ludibrio haberi populi Romani maiestatem, plerosque fames consum-  
 pserit: quidam etiam sibi ipsis attulerint manus, turpi vita mortem potio-  
 30 rem existimantes; Aracillum (quod oppidum infra Beisamam est, & Arre-  
 xil hodie vocatur) post longam obsidionem à Romanis expugnatum, ex-  
 cisumque est. Dum hæc in Cantabria geruntur, Antistius & Firmius Ca-  
 læcos bello vexabant, & Meduliæ montis fastigio obfesso, vbi se magno  
 numero hostes tenebat, circumducta fossa quindecim millium spatio, vi-  
 ctoriæ salutisque spe omni sublata, non minori quàm Cantabri obstinatio-  
 ne, alij ferro, alij ex tilia potionem temperata (quæ arbor venenata est) sibi  
 mortem conscuere. Meduliam montem, non nemo Menduriam nostra æta-  
 te esse ait, in Cantabria nobilem præruptumque: si credi par est, Calæcos  
 proprijs finibus relictis, in alienis cum Romanis conseruissè manus. Oro-  
 40 lius certe Medulium montem, ad quem Calæci confugerunt, Minio flumi-  
 ni imminere ait. Astures haud meliori fortuna bellum administrabant,  
 quod Carisij ductu gerebatur: castris enim ij positis ad Asturam annem,  
 vnde regioni nomen, cum diuisis trifariam copijs Romanos securos oppri-  
 mere cogitarent, à Tregecinis socijs ac confederatis prodito cõsilio, inopi-

nantes ipsi oppressi à Carisio sunt. Fuga qui potuerunt euadere, Lanciam ijs locis sitam urbem, vbi nunc Ouetum cernitur, se receperunt: quoniam armis non successerat, mœnium munitione bellum defendere cogitantes. diu obsidio tenuit: nostros desperatio agebat præcipites, acre in periculo telum. Romanis turpe videbatur, nisi agresti hominum genere profligato cessare. Victa tamen diuturnis malis gentis constantia, vrbe dedita, leges & magistratus acceperunt, exemplo Cantabrorum, atque Calæcorum in formam prouinciæ ea regione redacta. Et Augustus bello confecto in Cantabriam rediens, multitudinem conseruatam, ne locorum asperitate confisi imperata deinceps facere recusarent, ex præruptis locis deductam, in planicie domicilia collocare mandauit. Obsidum certus numerus imperatus, multique sub corona venditi, quorum maior noxa erat, animus præfractior. His rebus Romæ renunciatis, supplicationes habitæ ad omnia puluinaria, triumphusque Augusto decretus est, ob domitam penitus Hispaniam, multo quàm antea clariori, anno centesimo nonagesimo octauo, ex quo primum Gn. Cæpione Caluo Consule Romanorum arma in Hispaniam sunt illata: quantum tempus nulla subigenda Romani imperij prouincia consumptum fuisse constabat. Triumphus quidem quamuis vitro delatum honorem Augustus repudiavit, ludi tamen in castris commisi M. Marcelli, & Tiberij Neronis, qui bello Cantabrico Tribunus militum fuerat, ductu. Romæ Iani templum quarto clausum est, quasi pacata penitus Hispania, diuturnam imperio tranquillitatem, rebus suis securitatem Augusto Imperatore pollicito. Emeritæ militiæ milites in Vectonibus extremaque Lusitania collocati, colonia constituta Augustæ Emeritæ nomine, præterfluente Ana flumine in paucis nobilissimo. Quæ ciuitas prisca temporibus frequentia, amplitudine, copijs, auctoritate, tum ciuili, tum sacra cum præcipuis Hispaniæ urbibus de principatu certabat, Lusitaniæ caput: vnde & Magnæ Emeritæ nomen tulit. Rasis Arabs effusis ingenij copijs, multa ac pene incredibilia de eius vrbe magnificentia, elegantiaque prædicat, à Mauris euersam affirmans, quo tempore imperio subdiderunt Hispaniam. Eius coloniæ deducendæ constituendæque curam Carisio demandatam, indicio est moneta, altera ex parte Augusti, altera Carisij atque Emeritæ nominibus expressis. Et passim reperiuntur monete P. Carisij nomine in Hispania. Dion perpetuò T. Carisium vocat, fortassis librariorum incuria, voce deprauata. Ea Augusti aduentus, ac confecti belli monumenta fuerunt. Accessere alia. ad Iberi ripam, quo loco Salduba oppidum olim situm erat, colonia Cæsaraugusta fundata est. Præterea Pax Augusta in extrema Lusitania, quam hodie urbem corrupta voce Badajoz vulgus nuncupat, ad fines Portugalix Episcopi sede & sua vetustate nobilem. Bracaræ ex hoc tempore Augustæ nomen est additum. Augustobriga in Celtiberis condita, vbi nunc pagus est Murus nomine, Agræ proximus ad quartum lapidem. tum altera eodem nomine, non procul templo Guadalupeo: quibus in locis Pedrosus pagus cernitur, antiqui-

antiquitatis vestigia non obscura retinens. Aræ demum Sextianæ, Melæ, Plinij & Ptolemæi litteris celebratæ, atque in honorem Augusti in Asturibus constitutæ in peninsula pyramidum forma, cochlea ab imo ad summum pertinente quibusdam creditæ sunt, huius belli monumenta fuisse (vestigia earum, ad oppidum Gegionem ab Oueto viginti millibus passuum extare affirmant) coniectura neque contemnenda prorsus, neque prorsus constanti, cum alij Aras Sextianas à Sexto Apuleio excitatas malint; eo quem ante paucos annos de Hispania triumphasse paulò superius dictum est. Augusto Tarracone moram trahente, tum octauus & nonus consulatus est datus, tum legati Indorum, atque Scytharum venerunt, de pace interpellatum, quem de fama notum reuereri, atque amare cœperant, quæ maxima gloria fuit. Ex ea vrbe Romam profectus quinto anno ex quo id bellum cœptum erat, præsidij causâ ex cohorte Calagurritana milites Hispanos, quos fidissimos erat expertus, secum deduxit. Eius discessu Cantabri & Astures inquietum hominum genus, nondumque superioribus malis fracti, denuo rebellandi consilio inter se communicato, bellum instaurarunt, non minori quàm antea conatu. Vana est sine viribus audacia. L. AEmilij, & P. Carisij virtute primum, deinde C. Furnij dexteritate, magna eorum parte consumpta, cæteri domiti sunt. Seruitutis odio, & Romanorum crudelitatem plerique veriti, sibi mortem conscuerunt, tanta animorum rabie, vt matres ne in hostium potestatem capti venirent, filios peremerint: puer quidam patris iussu, cum matremque, ac fratres captiuos vinculisque adstrictos, ferro necauerit. Læti alij cum in manus hostium venissent, cantantesque crucem subirent, gloriosum existimantes pro libertate vitam finire. pars etiam victorum iussu in seruitutem abstracti, ex composito heris occisis, montiumque iugis occupatis, latronum in morem finitimos populos ad belli societatem excitare non desistebant. Ad hos motus M. Agrippa Augusti gener, è Gallia, vbi res gerebat, in Hispaniam necessario euocatus, non semel cum obstinato hominum genere aduersa prælij fortuna confluit. Legionem penesquam accepti detrimenti maior culpa erat, integram ignominia notauit Augustæ nomine, quo vocabatur, detracto. Eo supplicio cæteris cautiorebus, victor tandem eos motus penitus pacauit. Cæsi omnes qui arma gestare poterant, reliquæ multitudini in planiciem domicilia transferre iussæ, arma etiam detracta sunt. Sic rebellandi denuo sublata facultate, ægre, sed quieuerunt tandem. Pro his rebus oblatum à senatu triumphum honorem, Augusti soceri exemplo repudiavit: & Romam reuersus in campi Martij porticu Hispaniæ regiones describendas curauit, Bæticæ mensuris haud factis ad veritatem directis. auctor est Plinius. Hæc in Hispania. Romæ Cornelius Balbus Gaditanus, is quem Consulem fuisse diximus, de Garamâtibus triumphauit, primus externi sanguinis cum honorem adeptus, priuatorum postremus. nam republica ad vnus potestatem reuocata, Imperatores tantum, aut Imperatorum propinqui, Romæ consequenti tempore de victis gentibus triumpharunt. & triumphorum apparatus ab sano initio in insaniam

vix magnis imperijs tolerabilem venerat. Cæteris eius honoris vicaria triumphalia ornamenta concessa: trabea, laurea, sella curulis, eburneus baculus. Sunt qui post hoc tempus novos Cantabrorum motus extitisse confirmant, legatosque venia impetranda, factoque excusando Romam missos per Italiæ vrbes dissipatos reditus in patriam spe sublata, sibi ad vnum attulisse manus. In tam rudibus ingenijs, tantaque ferocia, nonnulli Hispani extiterunt, humanitatis studijs clari, atque præstantes. C. Iulius Higinus Augusti libertus, & Porcius Latro magnam laudem ex artis oratoriæ professione consecutus, Senecæ familiaris, eius qui philosophus dictus

est, patri, Romæ clari habiti sunt: patriumque Hispaniæ forum eruditionis nomine illustrarunt. Volumina quæ Higinum nomine circumferuntur, plerique ad Higinum alterum natione Alexandrinum ablegant: refistit Suetonius, eundem hominem à quibusdam Alexandrinum ab alijs Hispanum credi confirmans, quos ipse sequitur, & Augusti bibliothecæ curam habuisse demã-

datam ait, liberto Iulio Modesto in studijs, atque doctrina

vestigia patroni secuto, Ouidio poeta in primis familiarissimi.

Libri Tertij Finis.

HISTO-

# HISTORIAE DE REBUS HISPANIAE. LIBER QVARTVS.

*Christi Dei ortus. Cap. I.*



D FELICISSIMA tempora ventum est: quibus Dei filius, ut erat necesse iuxta vaticinia Prophetarum, se hominibus in carne monstravit homo factus. & noua luce inuecta vagos atque errantes in viam salutis induxit, sublatam iustitiam restituit, morteque sua delictis humani generis procuratis, Deo patri æternum sanctumque templum fundavit cælestis exemplum: quod appellatur Ecclesia. Huius templi cultores & partes pij sunt, quicumque toto orbe suscepta Christiana sacra sincera fide atque constanti conseruant. Eo cultu suscipiendo quoniam inter primas gentes Hispania numeratur, quid egerit perpessaque sit primis Ecclesiæ temporibus, commemorare suscepti officij ratio postulat. Nouamque nobilissimæ prouinciæ formam designare verbis informareque: atque ad Romanorum Imperatorum res gestas, quoniam penes illos nostrarum rerum potestas erat, piorum hominum conatus atque certamina idoneis locis adiungere conabimur, triumphos laureasque martyrum, qui pro religione sanguinem vitamque profuderunt felices & generosæ animæ maiori tamen breuitate, ne ultra iusti voluminis modum crescat opus, attingere potius quam explicare est animus. Adesto de cælo alma lux, nostris conatibus faue: linguæ infantiam diuina sapientia meliori stylo mutato. tuorum laudibus ut par oratio contingat, benignus facito tuo numine, & parentis castissimæ atque integerrimæ Virginis precibus flexus. Natus est Christus Dei filius ad octauum kal. Ianuarij, anno ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo, Augusti imperij anno quadragesimo secundo, Coss. Octauio Augusto XIII. & M. Plautio Siluano. Ex hoc annorum numero quidam annum detrahunt, biennium alij. ac ne Coss. nominibus designandis auctores omnes cõsentiant. ne Augustini quidem ætate. Nos aliorum sententijs consideratis, quod maiori fide & auctoritate niti videbatur, id sumus secuti: lector ex suo iudicio, & ex aliorum libris quid probaturus sit, maiori diligentia statuet. Ergo hæc missa facimus. In Hispania quid deinde rerum gestum sit ignoratur. nisi quod præcipuum est, cunctis prouincijs sub vnus imperium reuocatis, opima pace quieuisse Hispanos bellis fessos: quæ nexa ex alijs alia aptaque tandiu vigerant. & pacis auctor æternæ, ut pacem aut inueniret aut faceret, æquum erat. Pauca qui-

dem Augusto & Tiberio Imperatoribus in Hispania contigerunt: nonnulla tamen continuanda magis narratione idonea, quam ad memoriam præcipua. Vnus Dion absque vlla temporum designatione Corocotam aut prædonum Ducem in Hispania (nam ex priori bellorum licentia multis atrocinijs infesta erat, & variæ latrohum manus tota prouincia vagabantur) cum vestigijs omnibus ad necem quæreretur, vltro ad Imperatorem venisse: eaque ex re non veniam modò impetrasse, sed & auri pondus cui-cunque ipsum peremisset præmium propositum. Obijt Augustus Nolæ, anno Christi quintodecimo, quartodecimo kal. Septembris, septuaginta sex annos natus, diebus quinque & triginta minus, omnium Imperatorum Romanorum primus: & si spectentur humana, felicissimus. vindicatis enim adoptiui patris interfectores, Sex.que Pompeio in Sicilia victo, ac M. Lepido collega in ordinem redacto, M. Antonium non multò post ad Actium superauit. Solus quatuor & quadraginta annos imperium tenuit. ob egregia bello paceque opera pater patriæ salutatus est. Urbem quam lateritiam accepisset, marmoream se effecisse dictitabat. Successorem reliquit Germanico Cæsare & Germanici filijs prætermisis, qui meliori iure nitebantur, vxoris Liuiæ victus blanditijs Tiberium Neronem priuiguum suum. Hic rem Romanam viginti duobus annis, mensibus sex, & diebus aliquot inter bonum & malum alternante ingenio gessit: initio quidem compressa indole: promiscua verò deinde libidine, immani crudelitate & avaritiæ sordibus gloriam superiorem fœdauit. Vulgò Callipides dictus est. (quod animal cursitare quidem, neque vltra cubiti mensuram procedere fama est) cum quotannis profectiorem pararet, & vrbe non excedere, haberet præiudicatum. Hoc Imperatore ex Hispania ad Germanicum, qui in extrema Gallia res gerebat, & rerum necessariarum difficultate laborabat, arma, equique missi cum pecunia, quam ille repudiavit, cæteris rebus contentus, gratias prouincialibus agens pro tam propensa in rempublicam voluntate. Accidit hoc altero imperij Tiberij anno. quo ex Citeriori Hispania legatis venia petentibus data est, templi in memoriam Augusti Tarracone exædificandi. quo exemplo Vltior Hispania aucta assentatione, quod Asianis concessum erat, Tiberij & Liuiæ matris nominibus, atque ad eam diem factum non esse constabat, vt viuentibus templa ponerentur, per legatos postularunt. Verùm Imperatore Asiæ concessam facultatem pertæso excusanteque, quod petebant denegatum. Modestiæ quæsitæ laus est. Cantabriæ nouis motibus per idem tempus æstuantibus, & finitimos direptionibus, & atrocinijs fatiganti, Romani præsidij tota prouincia dispositis, frænos iniecerunt. Præterea militum Romanorum, qui in his præsidij erant vsu pristina feritate posita gēs ad humanitatem reuocata ea est. Gn. Piso Hispaniæ paulò ante non magis gubernator, quam expilator, Germanico Antiochiæ ad Orontem veneno, vt creditum est, sublato, iudicij metu Romæ sibi manus attulit: ex conscientia digna metuens an furentis populi inuidiam semper ad credendum deteriora procliuis non ferens. Vibius Serenus Vltiore Hispania ex proconsulatu gubernata à suomet filio, quod grauissimum

vide-

videbatur, lege repetundarum accusatus, atque conuictus, Amorgam relegatus est, A Egæi maris insulam vnam ex Cycladibus. L. Piso Citerioris Hispaniæ Prætor, cum nouis atque grauissimis tributis imperandis prouincialium odia commouisset, Termestino in agro ferro confossus est. tanti facinoris patratore Termestinus agricola equi indicio, quem defatigatum reliquerat, inuestigatus & comprehensus, nullis tormentis adigi potuit, vt socios proderet, cum se coniurationis socios habuisse, non negaret. omnino ne doloris impotentia constantiam mentis egregiæ mutaret, die postero tormentis instauratis, inter carnificum manus elapsus, capite ad rupem illiso expirauit. tantum in agresti pectore potuit secreti amicitiaque fides. anno Christi vigesimo sexto id accidit in Hispania. Romæ sexto post anno Iunius Gallio Senecæ frater, eius qui philosophus est dictus, Tiberij iussu in exilium missus est, non alia grauiori de causa, quam quòd eo inconsulto retulisset ad Senatum prætorianos emeritos videri cohonestandos sublimiori loco in theatro ludis spectandis. Sext. Marius & ipse natione Hispanus, homo copiosus adeo vt vicinas ædes domino apud se retento intra biduum diruerit, atque succedente facti pœnitentia instaurarit, stupri Romæ, quasi filia quam habebat eximia oris venustate vitium attulisset, reus postulatus, atque iudicio conuictus, è rupe Tarpeia præceps datus est, filia etiam perempta. fama tenuit diuitias illi exitio fuisse, ex multorum exemplo fide probabili: & quoniam in eas continuò Imperator inuolauit, cum ætatis inclinatione præceps in avaritiam peiorque. Cæde Christi à Iudæis Tiberio Imperatore iniquissime patrata, religio infixæ animis neque vindicata opportune agebat scilicet præcipitem. Vita is sanctissime peracta, atq; vt Deū decuit, ad octauum kal. Aprilis ætatis anno trigesimo quarto in crucem actus est. Eum innocentia, doctrinæ, & beneficiorum ab hominibus fructum tulit. Sceleris immanitatem saxa tacito doloris sensu in partes distracta, concussa terra, Sol ipse collectis contractisque radijs testata sunt. Nec mora vt ipse prædixerat, & vti necesse erat, die tertia patefacto sepulcro, in quod fuerat illatus, perterritisque terræmotu custodibus, integer ac viuus egressus est. Miraculum omnibus seculis inauditum, numinis argumentum præclarum. Christi reditum ad vitam, ante postremum imperij Tiberij annum Phoenix visa, vt Dion & Plinius testantur, orbi significasse à quibusdam certe credita est.

*Caius & Claudius Imperatores. Cap. II.*

**I**BERIVS defunctus est septimodecimo kal. Aprilis, ætatis anno septuagesimo octauo, qui annus ab ortu Christi trigesimus octauus fuit, Gn. Acerronio Proculo, C. Porcio Nigro Consulibus. Caius Germanici filius à calceis militaribus cognomento Caligula infania tantum per totam vitam & fœdo vitæ exitu nobilis per exquisita scelera nefariasq; libidines, annos tres, menses decem, dies



dies octo, imperium tenuit, à Chætea cohortis prætoriæ Tribuno ferro peremptus est. A Emilius Regulus Cordubensis pari animo fortuna non eadem, tantum facinus aggressus coniuratione detecta perierat. Caligulæ imperio Agrippa (Herodes à Luca in Actis Apostolorum vocatur) è vinculis eductus, in quæ fuerat Tiberij iussu coniectus, cum inter pocula visus esset Caligulæ imperium optare, ad regnum Ituræ euectus est, Philippi patris recens defuncti Tetrarchia regio nomine mutata. Alter patruus Herodes Galilææ Tetrarcha, qui Ioannem interfecit, & Hierosolymæ affuit, quo tempore Christus in crucem est actus, dum Agrippæ nouum honorem inuideret, Romanque ea de causâ contendit: de proditione per litteras ab æmulo accusatus, Lugdunum in Galliam relegatus est, vt plerique arbitrantur Iosephi testimonio nixi in Antiquitatum libris, cum alio loco Imperatoris acerbiter aufugisse confirmet, atque in Hispania exilij comite Herodiade vitam turpissimam pari exitu terminasse. Omnino Caio sublato Claudius eius patruus è latebris, in quas se metu mortis condiderat, ad imperium extractus est, eius seculi anno quadragesimo secundo, senatu nequicquam ad spem recuperandæ libertatis erecto. Agrippa Rex, qui Romam venerat, multum contulisse fertur nouo imperio confirmando. vnde maiori ditioe auctus est. Noui Imperatoris tanta socordia fuit cum vitijs alijs coniuncta, vt Messalina vxor in eius ferme oculis Silio cuidam homini principi publice nupserit. Ea vix tadem sublata, Agrippinam patris Germanici & Agrippinæ filiam Augusti proneptim, vxorem duxit, lege lata vt id cunctis liceret: contra quam veteri iure Romano cautum erat, ne fratrum filia nuberet patris. Senecam prius in Corsicam relegauit, deinde Romam vltro aduocauit, vt Domitij priuigni tum vndecim annos nati pueritiam litteris & honestate formaret: quem Britannico filio ad imperij successione præferre habebat præiudicatum pessimo consilio vxorius factus. annis ferme quatuordecim imperium tenuit. quo tempore in Hispania nati, Pomponius Mela, patria Mellaria, & Turanius Gracula, eruditionis nomine Romæ floruerunt. atque horum æqualis L. Moderatus Columella Gaditanus patria: cuius de re rustica commentaria extant. Cornelius præterea & Clodius Turinus oratores, de quibus Seneca meminit in Declamationibus. tum Porcius Latro, de quo paulo ante mentio facta est, in hoc genere admirandus: quem orationis initio vehementius conturbari solitum esse, quàm aut ætas, aut vsus postularer, Quintilianus est auctor. Eusebius ex febre quartana obiisse ait. Extat eius in L. Catilinam declamatio. Sextilius Hena Cordubensis his omnibus paulo senior Romæ vixit, inæqualitate orationis crassum aliquid sonantis nobilior, quàm condendis versibus clarus. Drusillanus Rotundus Claudij Imperatoris libertus per hæc tempora Citeriorem Hispaniam gubernauit, dispensatoris nomine, Bæticiam Vmbonius Silio. Simul Christianæ religionis fundamenta ponebantur. Iacobus Zebedæi filius cognomento Maior, Iudæa atque Samaria obitis in Hispaniam venit, auctore Isidoro. nouaque in ea prouincia Euangelij luce propagata Cæsaraugustæ Virginis Matris nomine eius monitu templum constructum est, vt persuasio hominum ab antiquo

quo per manus ducta confirmat: nobis receptas opiniones mouere non erat animus, sed ex Hispania tamen Hierosolymam cum reuertisset, quam ob causam incertum, in ea vrbe ab Herode Agrippa regnum Iudæorum recens à Claudio acceptum grato initio cupiens auspicari, interfectus est, anno salutis quadragesimo secundo, octauo kalendas Aprilis, quando per eos dies Iudæi Azyma celebrarunt, tempus à Luca Iacobi cædi designatum. Corpus à discipulis sublatum, nauique impositum, ad Iriam Flauiam in extrema Calæcia (ei oppido hodie Padrone nomen est) constitit, ad octauum kal. Augusti. Vnde quo anno incertum, sed trigesimo tamen Decembris die Compostellam migravit. secundi & tertij diei memoria anniuersaria celebritate tota præsertim Hispania colitur. nam mense Martio, quo tempore occisus est, ieiunij Christiani squalore situq; occupatis omnibus, luctum lætitia mutare non est Patribus visum. Annum circiter octingentesimum, Rege Alfonso, qui dictus est Castus, sacrum corpus diu obliuione obrutum, cælesti indicio est inuentum, cultumque templo dicato, vt eo loco explicatur. Aucta religio est, cum paulo post Ramiro Regi ad Clauigium de innumera barbarorum multitudine victoriam concessit, & Christianos grauissimo tributo liberauit, ex quo centum lectissimas virgines quotannis Mauris tradere soliti erant. Vnde cœptum est sub conflictum in bellis nomen eius, patrociniūq; implorare: & voti rea Hispania facta est ex singulis iugeris pendendi modium frumēti quotannis D. Iacobi templo Compostellano. Morem hunc sæpe alternantem Romani Pontifices, sæpe etiam restituerunt datis diplomatis. Paucos se discipulos D. Iacobo adiunxisse, quo tempore fuit in Hispania, fama est. qui plurimos nouem numerant, Petrum Eboræ in Lusitania Episcopum, pro quo nonnulli Thesiphontem substituunt Præsulem Bergitanum, quæ vrbs non procul Almeria sita erat: Cæcilium Eliberritanum: Eufrasium Illiturgitanum: Secundum Abulensem: Indaletium Vrcitanum, Verga oppidum esse creditur in Vasconum cōfinibus: Torquatium Accitanum, id est, Guidixensem: Hesichium Carthesanum non procul Asturica: Athanasium demum, & Theodorum, sacri sepulcri (sic fama fert) custodes. quorum ibi sepulcra dextra, leuaque mostrantur. Sunt qui hos omnes Roma à Petro & Paulo Apostolis amandatos in Hispaniam putant, gratia Euangelij promulgandi. Prorsus, qui historiam ante quingentos ferme annos scripsit Pelagius Ouetensis Episcopus, Iacobi discipulos facit Calocerū, Basilium, Pium, Grisogonum, Theodorum, Athanasium, & Maximum. Nos, quoniam rerum antiquitas certam scriptioni derogat fidem, liberum lectori iudicium de tota hac re relinquamus.

## Domitius Nero. Cap. III.

40



LAVDIVS Imperator veneno sublatus est, salutis anno quinquagesimo quinto. Cædis minister Halotus spado explorare Principis epulas gustu solitus, aut Agrippina vxor malis artibus ambitiosa imperium Domitio Neroni filio suo parans, ipsi

ipsi imprimis exitiale. Tenuit imperium quatuordecim annis. quinquennio  
 sub initia Princeps optimus iudicio etiam Traiani Imperatoris habitus est,  
 in omnia deinde vitiorum genera velut fera è cauea emissã maior factus de-  
 generauit. Crudelitati cætera vitia concedebant: prorsus vt matrem, cui stu-  
 prum prius attulerat, amitam, vxores duas, & Senecam magistrum occide-  
 rit: tum Lucanum poetam ex Mela Senecæ fratre natum. Fœdam carnifici-  
 nam. exquisitam turpitudinem audi. Flammeo nuptiali sumpto, iuueni pu-  
 blicè nupsit. spadonem ipse duxit, quem in fœminam arte exsecandum cu-  
 rarat. Histrionem sæpe egit in theatro. Urbem Romam per ludum incendit:  
 eius inuidiæ declinandæ cupiditate primus Romanorum Imperatorum, vn-  
 decimo imperij anno Christianos, quasi Urbem ipsi incendiissent, modis om-  
 nibus vexauit. Imperij diuitias profundere solitus, quem vnum pecuniæ fru-  
 ctum esse dicebat, in alienas fortunas audivissime inuolabat, diuersissimis vi-  
 tijs, ac cõtrarijs prodigus de publico, priuatim auarus. Neronis imperio tum  
 Apollonius Tyaneus magicis artibus clarus, cum omnes prouincias iustra-  
 ret, in Hispaniam venit: tum Paulus Apostolus Romæ è vinculis liberatus,  
 vt ipse se in votis habere ad Romanos scripsit, & magnorum virorum au-  
 ctoritate confirmatur, Rufum Cyrenæi Simonis filium Alexandri fratrem,  
 Dertusanis Episcopũ reliquissè fertur. Sergium autem Paulum, eum quem in  
 Cypro insula Christo pepererat, ecclesiæ Narbonensi præfecissè Beda, Vsuar-  
 dusque testantur. Sunt qui Hierotheum cognomento Diuinum Dionysij  
 Areopagitæ magistrum scribant, ex Hispania vbi ortus erat, & vbi republi-  
 cam moderabatur, rebus gerendis præfectus idoneusque, à Paulo Apostolo  
 deductum peregrinationis comitem. quam opinionem refellunt alij, Athe-  
 nis natum confirmantes magnorum virorum auctoritate. Nam Petrum ip-  
 sum in Hispaniam venissè, vt Metaphrastes est auctor, à sanioribus repudia-  
 tur. Misit tamen Saturninum in Galliam primum Tolosanis Episcopum. à  
 Saturnini successore Honorato natione Cantabro Firminus patre Firmo na-  
 tus, Euangelij causa in interiorem Galliam amadatus Andegauis primum,  
 deinde Bellouaci, ac demum Ambianis Euangelium annunciauit. vbi quo-  
 niam primus Episcopus eius vrbs habitus est, & pro pietate sanguinem pro-  
 fudit, eius memoria colitur templo dicato Firmini pueritiam Honestus Sa-  
 turnini presbyter eius iussu, cum in Hispaniam penetrasset, & Pompelone,  
 vbi Firminus est ortus, veram pietatem docuisset, litteris & honestate infor-  
 mauit. verum hæc aliquanto post. Citeriorem Hispaniam Ser. Sulpitius  
 Galba octo annos gubernarat, cum in affecta atque præcipiti senectute, nam  
 septuagesimum annum ætatis superabat, imperium contra Domitium Ne-  
 ronem hac occasione occupauit. Iulius Vindex Galliæ Narbonensis mode-  
 rator Neronis immanitatem pertæsus, litteris sæpe Galbam, in quo auctori-  
 tas inerat, prouocauit ad capeßendũ imperium. Quod cum ille facere recu-  
 sare, ipse palam à Domitij auctoritate defecit. Eius defectione Galba pro-  
 uocatus Carthagine noua in conuentu procerum, quos ex tota Hispania cõ-  
 uocandos curarat, causas exposuit, ob quas sibi licere, ac verò necessarium fo-  
 re iudicaret, contra Neronem rebellare, immane orbis atque imperij prodi-  
 gium,

gium, qua meliori hostia quàm suomet sanguine procuratum iri? Afflicta  
 atque iacenti communi parenti ferrent opem priusquam omnes prouinciæ  
 communi incendio flagrant. Nobilitatem Romanam propemodum ex-  
 tinctam vnus hominis (si hominem dicere fas est, & non belluam potius  
 immanem) sæuitia & crudelitate multis familijs absumptis. Earum exem-  
 plum in singulorum capita recidere posse. Innocentiam & morum probita-  
 tem nulli præsidio esse. non ratione agi, sed vim, & libidinem dominari. Si  
 proprio periculo non mouerentur, saltem respicerent filios, pro quorum sa-  
 lute sæpe vel ipsæ belluæ quodam naturæ sensu in gladios flammisque in-  
 currerent. Et aderat ad augendum dolorem infans, quem nullo ætatis res-  
 10 ctu Domitius in Baleares relegarat. Hanc orationem omnium qui aderant  
 clamor excepit, Galbam Augustum salutantium. Ille ab innata modestia im-  
 perio recusato, Ducem se populi Romani senatusq; Legatum contra Nero-  
 nem fore professus est. Multum contulit ad eius conatus cõfirmandos Otho  
 Syluius Lusitaniæ moderator. Coniunctis is viribus, atq; eius consilio pro-  
 bato argentum, aurumque priuatim in stipendium militi libenter confla-  
 uit: dignus immortalis laude si odio tyrannidis id studium suscepisset, & nõ  
 potius priuatæ vindictæ cupiditate inductus. Incitabat ignominia dolor  
 cum vxore Poppea Sabina Domitij amoribus occupata, quam interfecta etiã  
 20 Octauia Claudij filia duxit, per speciem honoris esset in Lusitaniã extremam  
 amadatus. Pro his rebus, & quoniam ingenij dexteritate valebat apud nouũ  
 Imperatorem proximum gratiæ locum secundum Iunium Galbæ Legatum  
 obtinuit, maiori populi fauore, cum vtrò inopes subleuaret, Iunius fauores  
 Principis vendere solitus prouincialium voluntates magna ex parte alic-  
 nasset. Iulius quidem Vindex in Gallia, vbi prior rebellarat, acie victus sibi  
 manus attulit. Virginus Rufus victor memorabili modestia non sibi impe-  
 rium sed patriæ asseruit. Quod exprimi olim moriens mandauit, hoc disti-  
 cho in sepulcrum inciso.

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam

Imperium asseruit non sibi sed patriæ.

30 Galba Vindicis exemplo casuque tantum non desperatis rebus Cluniam se  
 recepit (vrbs huius nomen in Plutarcho & Suetonio vitiatum esse antiquæ  
 monetæ indicio sunt, quæ passim occurrunt in Hispania). Verum Neronis  
 cæde nunciata recreatus est. erectus enim senatus ad meliorem spem Iulij  
 Vindicis in Gallia primum, deinde Galbæ in Hispania defectionis fama,  
 Neronem hostem iudicauit. sic à suis desertus, in Phaontis liberti suburba-  
 no, quo latendi spe se contulerat, salute desperata sceleratas manus sibi attu-  
 lit, secundo & trigesimo ætatis anno. Fama tenuit inter Christianos præfer-  
 tum, ex vulnere conualuissè, Antichristumque olim futurum. In ipso sanè Cæ-  
 40 sarum progenies à stirpe defecit tot annis in imperio continuata. Occisus  
 est Consule Silio Italico, salutis anno sexagesimo nono. Silium plerique His-  
 panum faciunt. Crinitus Romæ natum ait, ex Hispania oriundum. à Giral-  
 do vtrunque repudiatur: & in Pelignis patria Italica (vnde errori occasio)  
 natum arbitratur. Secundum bellum Punicum Heroico carmine scripsit  
 senex

senex, in Campaniæ secessu reipublicæ cura abdicata. Huius æqualis Seneca Tragicus quoto gradu Senecam Philosophum cognatione attigerit, clam est, fuisse propinquum ducta ex nomine coniectura plerisque persuasit. Vnius tragœdiæ Quintilianus meminit Senecæ Philosophi nomine vulgatæ. Ad Galbam redeamus. Qui nuncio de Neronis casu continuo Romam abiit, legione ex Hispanorum delectu cõflata: atque præsidio munitus, quod ex euocatorum cohorte constabat. Deduxit præterea ex Hispania Fabium Quintilianum patria Calagurritanum, artis oratoriæ professione clarissimum. Eius oratorias institutiones ante sexcentos annos amissas Poggius Florentinus Cõcilij Constantiensis tempore in quodam eius urbis monasterio inuentas, luci publicoq; restituit. Adiunctas operi declamationes Quintiliani nomine, stylus ipse alterius esse manifeste arguit. Ergo Galba Romæ septimo imperij mense Prætorianorum armis occubuit. alienatæ militum volûtates erant donatiui ingêtis, vt animis cõceperant, frustrata spe. Seueri mores malo fuerunt, quibus impar ea ætas erat, cum diceret se militem legere, nõ emere. Militari inuidiæ atq; alienationi faces subdidit Otho Syluius Pisonis inuidia, quem à sene Principe successorem designatum dolebat, quasi præmia sibi debita alter occupasset. Itaque lætica in castra vectus continuo Imperator salutatur. Potestas scelere quæ sita stabilis non fuit. occisis Galba, Pisonem, atque T. Iunio. reipublicam occupauit tenuitq; dies tantum quinque & nonaginta. Legiones Germanicæ Hispaniensis exercitus æmulatione incitatæ, licereque sibi iudicantes reipublicæ Imperatorem dare, A. Vitellium Augustum consalutarunt. Gallia in partes accessit locis vicina: Hispaniam nuntiantem Otho vt in officio retineret, Bæticæ præfecturæ primus Romanorum Imperatorum Mauritaniam Tingitanam contribuit. sic factum vt à conuentu Gaditano deinceps iura peteret, & in Gothorum ditone ea Africæ pars esset, quo tempore Hispaniam tenuerunt. L. Albinus Mauritanicæ Præfectus Othonis partibus fauens, cum freto transmissis de Hispania cogitaret, vnde venerat repulsus est, Cluij Rufi virtute à Galba relicti cum potestate in Hispania, & ad Vitellium iam mutatione temporum respicientis. Otho tot malis vnâ circumuentus, & ad Bebricum Veronam inter & Cremonam situm vicum victis suis Brixelli oppido, vbi substiterat, sibi manus attulit, auersus à cõsilijs belli atrocis & lugubris victis iuxta ac victoribus, annos natus triginta octo. Vitellius suorum victoria cognita, ex Gallia, vbi se tenuerat, in Italiam maturauit. Urbemque paludatus ingressus, circumfusis militum legionibus, quasi de victa patria triumphum ageret, multorum inuidiam commouit. His initijs progressus responderunt, ætatem actam turpissimè pergebat maioribus probis fœdare. Quæ res Orientis legionibus nouum Imperatorem creandi occasionem suppeditauit, consilio euentuque felicioribus.

*Flauij Vespasiani, & filiorum imperium.  
Caput. III.*

FLAVIAE



FLAVIAE gentis auctor Fla. Vespasianus Claudio Imperatore Britannica expeditione defunctus: Vecta etiam insula, quæ Galliam inter & Britanniam iacet, cursu victoriarum maximo subiugata, & nuper ex secessu, in quem se condiderat temporum tædio, euocatus missusq; in Syriam, penultimo Neronis anno aduersus Iudæos magna obstinatione tumultuantes, tota ferme prouincia subiugata Imperator est ab exercitu salutatus. multum contulit Mutianus Syriæ Præfectus auctor impulsorque imperij capeffendi, eoque persuaso legionibus in eius verba sacramento adactis. Secundum Mutianum Tiberius Alexander Aegyptum, cui præerat, traduxit in partes. Antonius Primus ardentior omnibus in Italiam ductis copijs Vespasiani imperium cõfirmavit, insigni de hostibus victoria parta. Ergo Vitellianis ad Veronam prælio victis, ipsoque Vitellio Romæ interfecto nono imperij mense, ætatis anno septimo & quinquagesimo, Vespasianus Tito filio in Iudæa relicto vt belli reliquias conficeret, ipse in Aegyptum profectus, atque Alexandria soluens, anno salutis septuagesimo secundo, secundis tempestatibus in Italiam venit: summaque senatus & populi voluntate reipublicæ cura suscepta, res communes inclinatas atque præcipites à casu sustinuit: totoque decennio tanta virtute & prudentia imperium rexit, vt in eo præter religionem nihil ferme desiderari possit. Auariciam, quæ ad virtutum iniuriam accessisse videbatur, ærarij calamitas ex superiorum temporum perturbatione excusat, magnaq; ædificia constituta, & in his Romæ templum Pacis, atque amphitheatrum. Præmia eruditioni primus Romanorum Imperatorum proposuit, Latinis Græcisque Rhetoribus annua mercede ad scholas inuitatis. Domita Iudæa, atque vrbe Hierosolyma expugnata euerfaque, cum filio Tito triumphum egit: candelabro, arcaq; aurea, & reliquo sacrorum instrumeto pompæ apparatus exornantibus. Captiuorum Iudæorum partem in Hispaniam ablegatam, Emeritæ sedes ad habitandū accepisse Hebræorum libri testantur: vero an mendacio non disputamus. Verum certe ne Iudæi amplius Hierosolymæ habitarent. Sub initia imperij reipublicæ procellis iactatus, atque studio pacandi Hispaniam, quæ Vitellij factionem mordicus sectabatur, vniuersam Latij iure donauit. In eam per hæc tempora Plinius Quæstor venit. Eius historiam, & libros reliquos Licinius Lartius, & ipse Hispaniæ Citerioris Prætor, tãti fecisse fertur, vt magno paucos eius libellos cuperet comparare. Segobiæ aquæductus structura mirabili, vsque eo vt vulgò iactatum sit dæmonis opera fuisse excitatum, Licinij opus esse creditur. Alij Traiani malunt: neutrum satis idoneis argumentis nixum videtur. Flauio brigâ in Cantabria, quæ vel Bermeus est, vel non procul sita Bilbaus, Flauium Brigantium in Calæcia (hodie Betanzos) atque Iria Flauia: præterea in Bætica Municipium Flauium Axatitanum, hodie Lora: aliaque oppida extant in Hispania, siue à Flauia gente fundata, seu in Principis gratiam veteribus appellatio nibus per hæc tempora permutatis. Non ita pridem in Cantabriæ montibus repertus est lapis hac inscriptione. HIC IACET CORPVS BILELAE SERVÆ IESV CHRISTI. Eum quoniam

niam

niam adiecta est Era centesima quinta, quidam ad hæc tempora referunt, inanique prorsus coniectura Bilelam in cælestium numero haberi volunt. cum ad religionem tuendam magni referat ne leui argumento noua sanctorum nomina cudantur. ineptijs onerare fastos quàm graue malum? Et verisimile est suppresso millenario numero reliquos annos vulgi consuetudine designari. neque Vespasiani tempore mos erat iniectus vt per Eras tempora computarent, neque inscriptionis verba crassum quiddam sonantia, tantam præ se ferunt antiquitatem. Indicio est Vespasiani epistola nostra ætate reperia in ærea lamina Cagneti prope Malacam, quod oppidum Sabora dicebatur.

IMP. CAE. VESPASIANVS. AVG. PONTI-  
FEX. MAXVMVS. TRIBVNICIAE. POTES-  
TATIS. VIII. IMP. XIIX. CONSVL. VIII. PP.  
SALVTEM. DICIT. IIII VIRIS ET DE-  
CVRIONIBVS. SABORENSIVM.

CVM. MVLTIS. DIFFICVLTATIBVS. INFIRMITA-  
TEM. VESTRAM. PREMI. INDIGETIS. PERMIT-  
TO. VOBIS. OPPIDVM. SVB. NOMINE. MEO. VT.  
VOLTIS. IN. PLANVM. EXTRVERE. VECTIGA-  
LIA. QVAE. AB. DIVO. AVG. ACCEPISSE. DIGI-  
TIS. CVSTODIO. SIQVA. NOVA. ADIICERE. VOL-  
TIS. DE. HIS. PROCONSVLEM. ADIRE. DEBEBI-  
TIS. EGO. ENIM. NVLLO. RESPONDENTE. CONS-  
TITVERE. NIL. POSSVM. DECRETVM. VES-  
TRVM. ACCEPI. VIII. KA, AVGVST. LEGATOS.  
DIMISI. IIII. KA. EASDEM. VALETE.

II. VIRI C. CORNELIVS. SEVERVS. ET.  
M. SEPTIMIVS. SEVERVS. PVBLICA. PE-  
CVNIA. IN. AERE. INCIDERVNT.

8 2 Obijt Vespasianus salutis anno octogesimo secundo, ætatis septuagesimo, octauo kal. Iulij, Tito nilio successore felix. nam paternas virtutes ingenij facultate & liberalitate cumulauit: vsque eò vt nefas esse diceret à conspectu Principis quenquam tristem abscedere. Aliquãdo fertur dixisse: Amici diem perdidimus, cum ea die reputaret nulli beneficium collatum. Pro quibus rebus Deliciæ humani generis vulgò est nuncupatus. Eximios eius conatus mors præcidit Idibus Septembris, ætatis anno altero & quadragesimo: bien-  
nium, menses duos, dies viginti imperauit. Quid rerum gestum in Hispania sit non constat. Domita quiescebat, & superioris ætatis incommoda ex bel-  
lis nata pace compensabat: in tres prouincias per hæc tempora diuisa atque tributa, vt est superius obseruatum, Bætica, Lusitania, & Tarraconen-  
sem.

sem. In Bætica octo erant coloniæ Romanæ, municipia totidem, conuen-  
tus iuricundo quatuor, Gaditanus, Hispalensis, Astigitanus, Cordubensis. Lusitania  
colonias quinque habuit, Municipium vnum Olisiponem, quæ & Felicitas Iulia dicta est, conuentus tres, Emeritensem, Pacensem, & Scalabitanum. In Citeriori Hispania coloniæ fuerunt quatuordecim, alij huic numero plu-  
res addunt, municipia tredecim, conuentus septem, Carthaginensis, Tarraco-  
nensis, Cæsaraugustanus, Cluniensis, Asturicensis, Lucensis, & Bracarenensis. Eratq; vsu receptum vt Prætores (id magistratus nomen restitutum erat) cum magistratu abibant, dum successorē expectabant non amplius Proprætores  
10 vocarētur sed Legati. Hæc de Titi imperio: quod vt amplius homines prædicarent Domitiani fratris mores effecerunt. Tito is susceptus à maiorum indole degenerauit Neronibus prior quàm Flauijs, vitiorum omnium turpitudine deformis. Incredibili vanitate nouo exemplo primus vxorem Augustam, se dominum & Deum salutare voluit. Philosophos omnes Vrbe atque Italia prohibuit auctore Suetonio. Philosophos ego Christianæ philosophiæ sectatores arbitror dici ob spectatam morum in omni vita modestiã & probitatem. & Domitianum constat Christianorum nationem modis omnibus vexasse: Ioãnem Apostolum in insulam Pathmum relegauit. Flauium Clemētem paulò ante gesto cōsulatu, eo nomine occidit patruelem suum, nul-  
20 lo propinquitatis respectu. Flauiam Domicillam Clemētis vxorem, & ipsam sanguine iunctam in Pōtiam insulam relegauit: vnde Tarracinam reducta, Traiani iussu intra cubiculum exusta est, vnãq; eius famulæ. M. Acilius Glabrio ante quatuor annos gesto cōsulatu eadem tēpestare periit. Ex ea carnificina maturasse sibi necem Domitianus creditus est. Magna vis fulminum octo cōtinuis mēsis lapsa, Principis capiti minitari visa. Accessit noua inuidia caussa, Domicillæ procurator Stephanus cum interceptarum heræ pecuniarum reus ageretur, inita cōiuratione eum ferro peremit in Palatio, salutis  
anno sexto & nonagesimo. Imperauit annis quindecim, mensibus quinque. 9 6  
Cædes eius molesta fuit militibus, quibus omnia indulgebat: grata populo  
30 vniuerso, cuius inter conuitia corpus occisi populari sandapila asportatum à vespillonibus fuit: grata Patribus, atq; ita vt coacto cōtinuo senatu certatim nomen eius maledictis lacerarent: memoriam extinctam cuperent, Domitiani insignibus tota Vrbe deterfis. Romanorum factum alias prouincias esse imitatas indicio est ad Aquas Flauias in Calæcia (id hodie Chiaues oppidum esse creditur) eius pontis inscriptio, quo Tamaga fluius iungitur, Vespasiani & Titi nominibus integris, Domitiani sublatis: nam trium Imperatorum opus esse creditur. Edicto vetuit nouas in Hispania vineas neglectis præ eo studio segetibus ne frumenti penuria laboraret prouidebatur. Omnino per  
40 hæc tempora Eugenius primus Toletanus Præsul occisus est. missus fuerat in Hispaniam à Dionysio Arcopagita (sic pro constanti traditur) ex Gallia, vbi Euangelium propagabat, & Christi religione in ea prouincia, ac Toleti præsertim fundata, studio Dionysium inuisendi in interiorem Galliam penetrauit, cum à Sisini Præfecti satellitibus comprehensus in vestigio est occisus. Corpus in Marcasum lacum coniectum,  
K Gallia

Gallia demum Christi sacris populariter imbuta, Hercoldus vir primarius diuino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum, tēplo eius nomine dicato coluit, vnde in templum Dionysiacum migravit, & Rege Castellæ Alfonso, qui Imperator est nuncupatus, eius brachium primum Toletum relatum est, Ludouico septimo Galliæ Rege concedente in soceri Regis gratiam, & Raymūdi Toletani Præfulis, nam quo is tēpore Eugenio. III. Romano Pontifice ad Remensem Episcopum cōuentum festinabat ex itinere rem omnem de Hispanorum memoria oblitteratam præfens explorauerat. Reliquum deinde corpus nostra ætate à Carolo. IX. Rege Galliæ, Philippo. II. Hispaniæ Regi datum atq; in urbem Toletum inuectum principali ac vere  
10  
incredibili apparatu ante viginti annos, maiori religione colitur. Sunt qui putent, Philippum quēdam à Clemente in Hispaniam Episcopū amandatum, aut certe Marcellum quem Philippo socium Dionysius adiunxit ex Gallia (vt Michael Syncellus est auctor) Eugenum ipsum fuisse: atque hoc quidem nomen ab ingenita nobilitate manasse, alterum autem à parentibus accepisse. Quod cum affirmant nulla meliori cōiectura nitūtur, quàm quod Eugeniū nulla mentio extet in antiquorum scriptis: Philippus & Marcellus quid rerum in Hispania gesserint, penitus lateat. Domitiani sane imperio M. Valerius Martialis patria Bilbili, vixit Romæ, atq; Martiali æquales C. Canius Gaditanus & Decianus Emeritenfis, omnes condendis carminibus  
20  
clari.

*Nerua, Traianus, atque Hadrianus Imper. Cap. V.*



DOMITIANO sublato C. Nerua senatus suffragio ad imperium euectus, M. Vlpium Traianum belli & pacis artibus clarū patria Italica in Bætica, successorem adoptauit: cum imbecillæ ac præcipiti ætati præsidium quæreret, ne despectui esset male cogitatibus. Huius imperio Ioannes Apostolus ab exilio quo in Pathnum insulam fuerat relegatus, ecclesiæ suæ redditus est actis Domitiani à Nerua rescissis. Imperauit mensibus sedecim. Eo defuncto die suo M. Vlpius Traianus reipublicæ curam suscepit Februario mēse eius anni, qui ab ortu Christi  
30  
fuit nonus & nonagesimus. Conceptam animis hominum spem veris virtutibus exæquauit. Plutarcho præceptore vsus est, cuius extat ad eum epistola sub initia principatus missa, non minus elegans quàm grauis, admonentis quo modo principalem vitam deberet gubernare. Fore si ad virtutis regulā actiones dirigere, atque animum in imperio tenere didicisset, vt non male subditos regeret. Principes non suo tantum, sed etiam præceptorum periculo peccare: quibus malo sæpe fuit alumnos ab eorum disciplina degenerasse. In vtranq; partem sibi ea monitione cauere, si pareret votum adeptus: sin minus orbi testatus non suo illum consilio, & præceptis peccare. Duos  
40  
admirādi operis pontes extruxit, alterum in Germania, quo Danubium iungebatur: in Hispania alterum, cui Alcantaræ hodie nomen est, ea Lusitaniz parte quam Extremaduram dicimus, Tago impositum, multorum populorū stipe collata. Multum apud Traianum gratia & auctoritate valuit Cælius Traianus

tianus fisci procurator, Hadriani pædagogus, Italicæ natus. Azaguz (oppidum est in Bætica D. Iacobi militibus contributum) in arce bini visuntur lapides, quibus Matidiæ & Martiæ sororum Traiani statuz sustinebantur, vt eorum inscriptiones declarant. In Asturibus septimæ legionis milites, quæ & Gemina dicta est, Sublancia deleta quoniam in colle sita erat, octo sub ea passuum millibus urbem posuerūt, Legionem à cōditoribus dictam, exiguo numero ciuium hac tempestate: antiquitate & Regum sede nobilem, quo certe tempore post Maurorum vastationes res Hispaniæ resurgere cœperunt. Imperauit annos decem & nouem, menses sex. Tertio imperij anno bellum  
10  
in Christianam religionem concitatum eo grauius, quo à sanctiore & prudentiori Principe omnium opinione inferebatur, octauo demum anno mirigatum est, Plinij præsertim Iunioris litteris & hortatu tum Bithyniæ Proconsulis, Imperatori renunciantis: Christianam superstitionem, quæ non ciuitates modò sed vicos etiam & agros peruagata esset, cum flagitio omni careret, arte potius quàm vi comprimendam videri. cui Traianus Christianos inquirendos non esse rescripsit, oblatos tamen supplicio subiiciēdos. Ea clade innumeri Christi cultores periere. in his Mantius Eboræ in Lusitania primus Episcopus, in AEmilia quidem natus vt nonnulli perhibent, atque vnus ex septuaginta Christi discipulis. Corpus eius ex vario errore in Astu-  
20  
res, quo tempore Mauri occuparunt Hispaniam, tandem ad Villam nouam sancti Mantij constitit celebri monasterio dicato à Medina, quæ à Riuisicco nomen habet, quatuor passuum millibus. In Selinunte Ciliciæ vrbe obiit Traianus Imperator (vnde deinceps Traianopolis dicta est) cum profligato bello Parthico, atq; cōpositis in Oriente rebus in Urbem maturaret. Defuncti cineribus triumphus decretus est Romæ, quod vni Imperatorū Romanorum cōtigisse satis constat, vt de hostibus mortuus triumpharet. A Eliū Hadrianum sanguine propinquum atq; Italicæ natum (Spartianus Romæ mauult patre cognomine, matre Gaditana, cui Domitiæ Paulinæ nomen fuit) ante designatum, imperij successorem habuit: Plotinæ Augustæ  
30  
gratia, Cælij Tatiani diligentia atque Sabinæ vxoris respectus Traiani ex sorore natæ, multum contulisse videbātur ad conciliandam gratiam, præterea ingenita virtus & multarum artium cognitio. Suscepta reipublicæ cura, inuisendi imperij prouincias studio per Germaniam & Britanniam in Hispaniam progressus est. deinde Africam & Oriētem nudo semper capite, pædibus plerunque adiit. In eo itinere Tarracone vitæ periculum adijisse memoratur. Seruus quidam gladio districto pene oppresserat incogitantem. cuius amentia explorata nullo supplicio medicis curandum tradidit. Hispaniam in sex prouincias tribuit, Bæticiam Lusitaniam, Carthaginēsem, Tarraconensem, Calæciam, atque Mauritaniam Tingitanam, vt Sex. Rufus  
40  
cōsularis testatur. Bæticiæ & Lusitaniz Legati consulares præficiēbantur, vt lapidum inscriptiones, & Codicis Iustiniani leges argumento sunt. quatuor aliz prouinciæ Præsidibus cōtraditæ sunt. Ceionium Cōmodum Verū, eius Veri patrem, qui cum M. Anto. Philosopho imperauit, cum prole careret filiū adoptauit Cæsaris nomine, Augusti penes se appellatione retēta. vnde

more deinceps cōfirmatum est, vt Imperatorum filij successoresq; Cæsares vocarentur. Iudæis Hierosolymæ reædificandæ, Vespasiani lege abrogata, fecit potestatem, non eodem prorsus loco, atque A Eliæ nomine, veteri appellatione mutata. Denuo rebellantibus quod circuncisionē prohiberentur Iouis templo prope nouam urbem exædificato, supremam sub vitæ finem cladem attulit ad Betheram seu Bethorón, quod innumera gentis multitudo se contulerat loci munitione confisa Duce Barcosbano, quem se pro Messia vēditasse Hebræorum libri testatur. Religionem certe Christianam vndecimo imperij anno si alio flagitio vacaret, fraudi esse vetuit. Aristidis & Quadranti apologiæ pro Christianis Imperatori Athenis oblatæ & Sereni Grani Asiæ Proconsulis litteræ vsq; adeo cōciliarant, vt de Christo in Deorum numerum transferēdo cogitasse, tēplaq; per ciuitates sine simulacris (nēpe quæ inter Ethnicos in vsu erant) ædificari mādasse feratur. Romanum imperiū quoniam sua mole laborabat, ad Septentriones Danubij ponte diruto, & ad Orientem Euphrate terminauit. Quibus rebus ingenti gloria parata, molesta valetudine fatigatus, ad Baias vt medicorum manus euaderet, obstinata inedia vitam finiuit. vnum & viginti annos imperauit. Cælium Tatianum, cuius opera imperium erat adeptus, detractis honoribus in ordinem redegit: ac de num occidendum curauit, ad exemplum inconstantiz rerum humanarum, ac præsertim Principum gratiæ leui momento in varias partes agitari solitæ, & maxima officia maleficio compensare. Antinum è cubiculi fordibus scædaq; libidine in Deorum numerum transtulit, templo dicato atq; vrbe eius nomine in Aegypto constituta. Quibus rebus, & quoniam aliquot extabant eius crudelitatis exēpla, superiorem gloriam suggillasse visus est. Hadriani imperio Basilides Gnosticorum sectam in Aegyptum inuexit, Saturninus in Syriam, Trinitatis hypostasēs confundentem, actio: esq; humanas & voluntatem astris fatiq; subdentem, & Christianam iustitiam affirmātem ex sola fide pēdere. Ex Basilidis schola Marcus in Hispaniam profectus erroris semina iecit Agape nobili scemina & Helpidio Rhetore in partes traductis. vnde aliquāto ex interuallo Priscillianus ex consopiti ignis scintillis magnum incendium excitauit, sibi cōciliauit exitium, vt i cōpetenti loco declarabitur.

*Tres Antonini Imperatores. Cap. VI.*



COMMODO Vero defuncto paulò post quàm ab Hadriano fuerat adoptatus: nam erat valetudinarius, nihilque ad memoriam gesserat insigne, in eius locum T. Aelius Antoninus iussu Hadriano mortuo successit, salutis anno centesimo trigesimo nono, totosque duos & viginti annos, menses septem toto Romano imperio pacem conseruauit. Nummæ simillimus, vnde & propter clementiam singularem Pij cognomen inuenit, & pater patriæ salutatus est. In Christianam religionem nihil mouit. mercedes annuas detraxit ijs, vnde nullus fructus expectabatur, quoniam otiosi percipiebant reipublice onera grauiā, nullo vsu. Eius illa vox fuit, quæ fuerat ante Scipionis, Malle se ciuem vnum

vnum seruare, quàm mille hostes perimere. Quid rerum gesserit in Hispania clam est, tametsi eius nomine aliquot inscriptiones extant, quas hoc loco subijcere non arbitror necessarium. Antonino Pio M. Aurelius Antoninus, cognomento Philosophus eius gener successit, salutis anno centesimo sexagesimo secundo, imperij consorte Antonino Vero, eius Veri filio, quem ab Hadriano fuisse adoptatum monstratum est. quod ad eam diem nunquam contigisse satis constat, vt exæquata duorum Imperatorum potestate reipublica gubernaretur. Is postquam carnificinam in religionem Christianam instaurauit, & Persarum motus in Oriente cōposuit, eo bello peracto primus Præfectos prouinciarum Comites nominasse fertur. Extinctus ex morbo est nono imperij anno. Deinde solus Aurelius Antoninus rempublicam gessit, ea probitate, ijs virtutibus, vt exemplum desit. nam eruditionem Philosophi cognomen satis declarat. Bello Marcomannorum (hi hodie Morauj sunt) in summa aquæ penuria Christianorum precibus, eorum qui in legione duodecima militabāt, pluuiam impetrauit, & victoriam procella & fulminibus in aduersos hostes delatis. Iulius Capitolinus Imperatoris precibus numina placata & pluuiam impetratam ait: scriptoribus nostris Dionis testimonium fauet, & ipsæ Imperatoris litteræ, quæ tum Græce tum latine extant: præterea legioni ipsi nomen Fulminatricis additum. Cuius nominis vestigium Tarracone in Citeriori Hispania conseruatur in hortis Ioannis Melgofæ, his verbis concepto epitaphio.

D. M.

IVLIO SECVNDO, QVI VIXIT ANN.  
XXXVIII. M. II. D. X. C. IVLIVS  
IOSCHVS LEG. XII. FVLMINATRI-  
CIS LIBERTO BENEMERENTI FE-  
CIT.

Extat præterea Barcinone in Requesenarum ædibus pro æde Diuorum Iusti & Pastoris testamentum Aurelij imperio conditum, atq; in lapides incisum: ex quo intelligitur vsuram cētessimam esse cum summæ octaua pars annuatim pendebatur, hoc est, centum mensibus summa duplicata. vnde cētessimæ nomen. aut quoniam singulis kalendis quo tēpore vsuram numerari moris erat, centesima summæ pars sceneratori pendebatur. Testamenti verba hæc sunt, quibusdam insolentibus notis in affines, vt erat comdum: atque vt est visum, in litteras explicatis.

L. CAECILIVS. L. F. PAP. OPTATVS. \* 7.  
LEG. VII. G. FEL. ET .7. LEG. XV.  
APOLLIN. MISSVS HONESTA MISSIO-  
NE AB IMP. M. AVR. ANTONINO ET AVR.  
VERO AVG. ATLECTVS AB AVG. IN-  
TER IMMVNES CONSEQVVT. IN HONORES  
AEDILITIOS IIVIR. III. FLAM. ROMAE  
K 3 DIVORVM

\* Centurio  
aut Tribu-  
nus.

## DIVORVM ET AVGVSTORVM.

QVI R. P. BARC. TA. C. DO LEGO, DARI  
QVE VOLO. \* x. VII. D. EX QVORVM VSVRIS  
SEMISSIBVS EDI VOLO QVODANNIS SPE-  
CTAC. PVGILVM DIE III. ID. IVNII VSQVE  
AD x. CCL. ET EADEM DIE EX x. CC. O-  
LEVM INSHIERITECTA PRAESTARI EA CON-  
DITIO NE VOLO, VT LIBERTI MEI, ITEM LI-  
BERTORVM MEORVM, LIBERTARVMQVE  
LIBERTI QVOS HONOR SEVIRATVS CON-  
TIGERIT AB OMNIBVS MVNERIBVS SEVI-  
RATVS EXCVSATI SINT.

QVOD SI QVIS EORVM  
AD MVNERA VOCITVS FVERIT, TVM EA  
x. VII. D. AD REMP. TARRAC. TRANSFERRI  
IVBEO SVB EADEM FORMA SPECTACV-  
LORVM QVOD SS. EST EDENDORVM  
TARRACONE. L. D. D. D.

\* Denarios  
Septem mil  
lia quingen  
tos.

8 Ther-  
mas pu-  
blic. po-  
pulo pre-  
beri te-  
sta.

181 Obijt M. Aurelius Antoninus salutis anno centesimo octogesimo pri-  
mo, sextodecimo kal. Aprilis, cum annos decem & novem imperasset, &  
mensem unum, non magis suis virtutibus, quam domestica calamitate  
nobilis, ob Faustinae uxoris impudicitiam: quam cum neque sanare pos-  
set, neque repudiare induceret in animum, tanti probri dissimulatione  
& patientia imperij maiestatem foedasse visus est. Alioqui utriusque Anto-  
nini memoriam Romae gratam fuisse Septimij Severi lex lata indicio est:  
Antonini appellationem non secus atque Augusti perpetuam Imperato-  
ribus fore deinceps sancientis. Tametsi Aelius Aur. Commodus Ant.  
quem pater imperij consortem declararat, & moriens successorem reliquit,  
maiorum memoriam vitae licentia & perpetua morum turpitudine foeda-  
uit, Augustus nomine, animo foedum viciorum omnium mancipium. Mar-  
tia concubina iniecit carminibus furorem credita est, exitij certe caus-  
sa, cum ex Commodi scheda inter alios se ad necem etiam peti cognovisset,  
cum Narcisso eunucho consilio communicato peremit annos na-  
tum triginta duos, veneno prius praebito, deinde quia lenta tabes erat, gu-  
la fracta. Imperavit annos duodecim, menses octo, dies quindecim. tre-  
centas concubinas, & pari numero exoletos habuisse traditur, eorum  
quos forma conciliasset delectu habito. primusque Romanorum Impe-  
ratorum vendidit pretio magistratus: quod malum quantas reipublicae af-  
fert calamitates, quam graua incommoda? Annius Verum Commo-  
di atavum Iulius Capitolinus facit Hispanum, ex Baeticae municipio  
Succubirano. Sunt qui per haec tempora arbitrantur a Facundo &  
Primitiuo sustentatos pro religione cruciatus fuisse, Attico Calae-  
ciae

10

20

30

40

ciae pro Romanis Praeside ad Cae fluminis ripam, quod ex montibus Astu-  
rum in interiorem Hispaniam delabatur, solenni sacrificio repudiato, ad  
quod totius provinciae milites erant inuitati. Pro qua re militiae hono-  
re detracto, tormentis omnibus excarnificati, ac securi demum percussi  
sunt. Corpora, quibus in locis caesi erant, a Christianis coli coeperunt,  
templo dicato. Postmodum cum in Astures semel, & iterum migrassent,  
quo tempore armata Maurorum impietas per Hispaniam volitabat: Alfon-  
so prius Rege, cui Magni cognomen fuit, deinde Ferdinandi primi aeta-  
te reducta sunt, loco vnde erant amota templo instaurato, adiunctoque  
10 caenobio Benedictino, cui a sancto Facundo nomen est, inter praecipua  
duorum domicilia in Hispania celebri.

## Severi &amp; Caracalla imperia. Cap. VII.



CCISVS est Commodus anno salutis centesimo nonagesi-  
mo tertio. Successit Helvius Pertinax patre libertino, aetate se-  
ptuagenarius. Imperium tenuit menses duos, dies octo & vigin-  
ti. Commodi interfectores eius probitate perspecta, ultro de-  
tulerant principatum. Praetoriani impetu facto in palatium vi-  
20 ta spoliarunt. Disciplinae severitatem reuocari moleste ferebant, prioris tem-  
poris licentia corrupti. Vtriusque linguae facultate, & iuris scientia instructus  
fuit ex disciplina Sulpitij Apollinaris, quo praetore in tenera aetate usus  
erat, cuius periochae in Terentij fabulas extant. Pertinace interfecto Sulpi-  
tianus & Didius Iulianus palam de imperio in praetorianorum castris lici-  
tari. Iulianus vicit, quinque & viginti sestertia in milites singulos auctio-  
natus. Tantae summae cum soluendae non esset, pollicitis quam fide ditior,  
inter militum odia, & populi invidiam destitutus, sexto imperij mense inter-  
fectus est. Septimius Severus, quo agente Iulianus periit, ab Illyrici legioni-  
bus fuerat Imperator renunciatus, Africana Lepti (haec Tripolis est trans  
30 Syrtim minorem) natus. Innatam animo saevitiam bellica fortitudine co-  
pensavit. Iactatum vulgo est, aut nunquam nasci debuisse, aut nunquam mo-  
ri. Praetorianos caesi Pertinacis religione foedatos Roma ad centesimum la-  
pidem relegavit, armis vestibusque detractis. Pescenium Nigrum imperij  
aemulum in Oriente domuit. quo in itinere Byzantium portas claudentem  
euertit. Albinum in Gallia superavit, cum qui Milesias fabulas Aristidis  
exemplo scripsisse traditur, omni impuritate foedas. Parthi bis domiti. Re-  
bus urbanis pristinus splendor restitutus est. Britanni pacati, atq; ad ar-  
cendas Scotorum incursiones a mari ad mare, qua parte castigatis littori-  
bus eius insulae latera maxime coarctantur, perpetuum vallum duci cura-  
40 uit. In ea expeditione defunctus est Eboraci, cum decem & septem an-  
nos imperasset, menses octo, dies tres. Eius illa extrema vox fuit: Se im-  
perium, quod turbatum accepisset, pacatum filijs relinquere: firmum si  
bonis, si malis haud diuturnum. tum illa: Omnia fui, & nihil expedit. In  
Christianos nono imperij anno cum saevire coepisset, Felix presbyter, For-  
tunatus,

tunatus, & Archilocus Diaconi Valentiaë occubuerunt in Hispania. Tameſi nonnulli Archilleum legi pro Archiloco malunt, in alteraque Valentia peremptos fuiſſe, quæ in Gallia Lugdunenſi ſita eſt, ab Irenæo Lugdunenſi Epifcopo Euangelij promulgandi gratia proculdubio amandatos. locorum vicinitas opiniononi ſuffragatur, Hispania longinqua. Prorſus Seuero defuncto, Aurelius Antoninus Baſſianus eius filius, cui veſtis Gallica populo donata Caracallæ nomen fecit, imperium tenuit annis ſex, menſibus duobus, diebus quinque. Getam fratrem imperij conſortem à patre teſtamento dignam ſuſtulit. Publica ex eo noui principatus inuidia nouo facinore aucta. Iuliam nouercam Getæ matrem connubio ſibi iunxit. Occiſi fratris partibus ſtudentes ſublatis, Sammonicus Serenus Medicus, cuius multa ſcripta ferebantur eruditione præcipua, Iurecõſultus Papinianus: nulla hic iuſtiori de cauſſa, quàm quodd iure fratrem ceſum ad ſenatũ defendere recuſaſſet, facilius eſſe dicens parricidium facere, quàm excuſare. Noua fraude, ſimulatione coniugij cum Artapani Parthorum Regis filia incautos hoſtes ad Carras oppreſſit. Læticia diuturna non fuit. Martialis ferro dum ventrem leuat confoſſus eſt, annos natus tres & quadraginta. ſupra corpus exanime Iulia nouerca coniuxque cum Antiochiam eſſet, vbi illa morabatur, delatum, ferro in viſcera adacto occubuit. Tragœdias referre videor. ſed in reliqua amentia Alexandrum Magnum, quem imitatione exprimere ſtudebat, detorto etiam in læuam capite re præſentari fertur. Succelſit Opelius Macrinus prætorij Præfectus, quo auctore cædes facta erat, Audentio concedente, cui à milite imperium deſerebatur, vno Auguſti nomine, nulla præterea re nobilis, neq; in vita priuata neque in principali. Breue imperium fuit. Meſæ arte (hæc Iuliæ ſoror erat) ſubornatis legionibus Chalcedone periijt ipſe & filius Diadumenus, eius ſeculi anno ducentefimo nonodecimo, ſeptimo Idus Iunij, cum imperaſſet menſibus tredecim, diebus octo & viginti.

*Heliogabali & Alexandri imperia. Caput. VIII.*



**A**URELIUS Antoninus Varius Solis in Phœnicia Sacerdos, vnde illi cognomen Heliogabali, Caracallæ filius fuit ex Soemi genitus Meſæ filia. Vt Auguſtus ſalutaretur, formæ dignitas iuuit imperio digna, fallax ſepe indicium compoſiti animi, Caracallæ patris memoria militibus grata, quibus omnia largiebatur, & Meſæ auix artes exercitu in partes tracto. Imperauit annos tres, menſes nouem, dies quatuor, vitæ turpitudine & fœdo vitæ exitu infamis. libidinis promiſcuae auidus patiensq; : prorſus vt in muliebrem ſexum ſe exſecari tentarit. Romani imperij probrum & humani generis portentum, Prætoriani milites ipſiusmet ſanguine procurarunt, decem & octo annos natum ferro peremerunt, ſexto Idus Martij, anno ducentefimo vigefimo tertio. In veſte hoſerica primus Romanorum Imperatorum viſus eſt, cum antea ſubſerica in vſu eſſet. Bombycinæ telæ ea ætate exæquato auri pondere conſtabant. Ab Heliogabalo inſtitutum traditur in vindemia

miã à ſeruis heros iocularibus & diſterijs lacerari. Heliogabali vitia ſucceſſor & cõſobrinus Seuerus Alexander veris virtutibus exæquauit, magnus futurus Imperator ſi vita longior contigiſſet. More à Chriſtianiſ mutuo neminem muneribus publicis præficiat niſi proclamatum. Honores & magiſtratus vendidit nunquam: cum diceret, qui emit, vendat idem neceſſe eſt. Noſtris æquum ſe præbuit. Chriſti imagine in præcipuo larario atque inter Deorum ſigna collocata. Neminem ad familiaritatem ac ne ad ſalutationem quidem admittere ſolitus erat, niſi integra probitatis fama ærarij inopiam ex curioſis ſuperuacaneisque artibus veſtigari excogitato ſubleuata. Cum Parthicam expeditionem contra Artaxerxem Perſarum regnum longo ex interuallo reuocantem feliciter obijſſet, belli impetu in Germaniam conuerſo, Maximini proditione & inſidijs occubuit, ætatis anno nono & vigefimo, cum annos tredecim, dies nouem, imperium magna æquitate gubernafſet. In reliqua clementia illud paulò acerbius videatur, quod Turinum Veironium fumos, id eſt, ficta Imperatoris reſponſa vendere ſolitum, fumo necauit. Vipiano Tyrio Iureconſulto multum & familiariter vſus eſt, ſacri ſcrinij Magiſtro: eiusque præceptis vitam & mores conformauit. Eundem in militari furore purpura textit. Horum Imperatorum ætate, quid in Hispania ſit geſtum, latet. Extat tamen Accitanæ baſis ſtatue Mammæ Alexandri Imperatoris matri poſita. quæ quoniam Chriſtianiſ ſacris imbuta fuiſſe creditur, & Origene familiariter uſa eſt, inſcriptionis verba ſubiiciantur.

IVLIAE MAMMÆAE AVG. MATRI  
IMP. CAESARIS MARCI AVRELII  
SEVERI ALEXANDRI PII. F. AVG.  
M. CASTRORVM. COL. IVL. GEM.  
ACCITANA DEVOT. NVMINI.  
M. Q. EIVS.

Fuit Mammea ex Iuliæ Auguſtæ Meſæ ſorore nata, Soemis ſoror germana. ex Soemi & Caracalla furto conceptus eſt Heliogabalus. ex Mammæ & Marcelli iuſtis nuptijs Seuerus Alexander. Quo tempore Anterus Põntifex Romanam eccleſiam rexit, & ad Epifcopos Bæticæ & Toletanæ prouinciae litteras dedit, fas eſſe negans Epifcopos priuati commodi cauſſa ab vna in aliam eccleſiam migrare.

*Maximinus, Gordianus, Philippus, Imperatores. Cap. IX.*



**M**AXIMINUS Thrax, ex obſcuro genere natus, parentibus Mecca Gottho, & Ababa natione Alana, vt Symmachus ait, nulla re alia fuit nobilis niſi vaſti corporis viribus, & celeritate tanta, vt equi curſum adæquaret: vnde ad omnes militiæ

K 5 honores



honesto gradu facto, Alexandro Severo occiso humanæ salutis anno ducentesimo trigesimo sexto, rempublicam occupavit biennium, & menses aliquot. Imperij initio Germanorum motibus compositis, Gordianum Africæ Præsidentem ab exercitu Imperatorem salutatum, subsecutam approbationem senatus, cum Sirmium esset allatum ubi bellum in Sarmatas parabat, Romam conuerso itinere, vindictæ studio ardens, dum in Aquileiæ obsidione moram trahit, nouo nuncio allatum est: Gordiano & filio cognomine in Africa sublati, Albinum, & Pupienum, senatus suffragio novos Imperatores fuisse factos, magis desperata venia, quam quod satis esset, animi ad Maximinū vindicandum. Eo nuncio milites exiit, facto in prætorium impetu, Maximinum trucidarunt: respublica & Christianorum natio magno periculo metuque liberatæ. Bellum enim in Christi sectatores concitabat, ac præsertim ecclesiarum Præsides præcipuo odio susceperat exagitandos. Maximus & socij hoc tempore pro religione sanguinem profudisse memorantur, ad Bufragani montis specum, à Tarracone viginti quatuor millibus passuum. Vnde is ad necem extractus est, eo loco templo dicato colitur. & fortassis Maximus hic est, quem ciues Tarraconenses vulgò Sanctum Magi nuncupare soliti sunt. Balbino & Pupieno intra primum imperij annum prætorianorum furore sublati, Gordianus primi Gordiani nepos, ac vix quindecim annos natus, cum antea Cæsar esset & imperij successor designatus, rempublicam cœpit administrare. Mithriæ focii auspicijs Persico bello confecto, quo tempore summa pollicebatur: Iulij Philippi prætorij Præfecti fraude perijt, sexto imperij anno. Extant Gordiani ad focerum litteræ, quibus principalem vitam, domesticorum præsertim, fraudibus obnoxiam esse conqueritur auribus Principis multis insidiantibus, ipso suis oculis res singulas considerare non valente. Sanè nullius rei grauior apud Principes penuria est, quam veritatis: cui quis locus sit inter cōtinuos assentationis plausus omnes aulæ partes personantis? Ea sublata Principes cæcis ignorantis tenebris oppressos offendere passim quis miretur? aut quis non doleat, sine luce esse, quos Deus in fastigio collocauit: vt vitæ humanæ duces essent, & humanis erroribus succurrerent opera, consilio, auctoritate? Vna medicinæ faciendæ via est, à magnis hominibus monstrata, à paucis arrepta: si ad alios ministros aulæ procuratorem, amanuenses, assēclas, vir aliquis spectata prudentia & probitate accersatur si opus sit magno: cui facultas sit renunciandi Principi non vera modò, sed quæcunque de ipso fama loquetur, inanes etiam vulgi rumores & vanos. Dolorem sæpe necesse est faciat, sed ferendus est tamen, vt maxime importunus interpellator accedat, vtilitatis, sanitatisque spe eam molestiam compensante. Et sunt veritatis radices amaræ, fructus suauissimus. Verùm nunquam impetrabimus: Principum delictæ quantæ sunt non ignoramus, vitæ licentiam præcipuam imperij fructum arbitrantium. voces ad gratiam loquentium suauissimæ sunt: veritatis species horrida, ingrata oculis atque auribus. non est tamen desperandum fortasse non canimus surdis. Erunt quibus veritas placeat, & monstratum salutis iter publicæ priuatæque, videant, & sequantur: atque intelligant, non eos qui carpunt mores,

res vitamque rectorum perniciem afferre, sed eos qui auribus loquuntur grata, quorum est infinitus numerus in aulis Principum maior, certa pestis quia blanda. Ad Imperatorum numerum reuocanda oratio est. Sublati innocentis iuuenis merces imperium fuit. M. Iulius Philippus natione Arabs, obscuro genere, militari laude clarus rempublicam occupauit anno Christi ducentesimo quadragesimo quinto: tenuitque vitra quinque annos. Icto is sub initia cum Persis foedere, ex quo Mesopotamiam hosti concessit, Romani imperij maiestatem obscurasse visus est. Romam reuersus annum secularem clausit, maiori quam vnquam lætitiæ significatione & ludorum apparatu, nimirum ab Vrbe condita millesimum. Contra Gothos Thraciam vastantes Marino Duci missis, ab exercitu imperium est delatum, cæteraque Augustis deferri solita, à Decio in Mœsia colatis signis ablatum cum vita. Ipse oppressi tyranni præmium ab exercitu compulsus imperium datum constanter tutatus est, Philippo, qui obuiam armatus progrediebatur Veronæ in militari seditione trucidato. Cognominis patri filius, quem septennem imperij cōsortem fecerat, eo ingenio vt nunquam risisse ferant, Romæ ad nuncium de patris nece est occisus. Origenis ad Philippum litteræ Hieronymi ætate extabant. Christianis nimirum sacris initiatum, ac non nisi sceleris suscepti prius pœna exoluta à Fabiano Pontifice ad mysteria admissum, qui afferrent auctores habeo antiquos & graues. resistunt alij hanc laudem Constantino Magno tribuentes, vt primus Romanorum Imperatorum Christi Dei agnouerit maiestatem. Philippi thesauris ecclesiam fuisse locupletatam nonnulli suspicantur, mores deprauati simulasse potius quam impleisse Christiani hominis officium declarant. Gn. Meisius Decius, cum salutis anno ducentesimo quinquagesimo imperium occupasset, religionem Christianam sæuissime exagitare cœpit Philippi odio, vt creditum est: disciplinam ecclesiasticam multis modis collapsam externo bello astringere, atque reuocare diuinum numen parabat. In eo Christophorum martyrem occubuisse Nicephorus auctor est. A Getis seu Gothis (ipsum enim fuisse putantur) Mœsiam Thraciamque vastantibus, primo prælio victor, in secundo conflictu occisus est, ipse & filius cognominis, cum biennium rempublicam gubernasset. Trebonianus Gallus, cuius pericia circumuentus fuerat, imperium deferente exercitu tenuit annum semestremque, facto cum Gothis victoribus foedere, ex quo tributum annuum illis pendere est pactus. Ea ex re cum de spectui esse cœpisset, & Gothos rursus tumultuantes, A Emilianus natione Afer, atque in Mauritania Tingitana natus, ingenti prælio superasset, imperium arripuit, Galloque in acie cæso, nam obuiam prodierat, quatuor tantum menses tenuit, nulla præterea re gesta ad memoriam insigni, prorsus vt in nullo Augustorum numero sit.

*Valerianus, Gallienus, Claudius, Aurelianus, Imperatores.*  
Caput. X.



**L**ICINIUS Valerianus ætate septuagenarius erat cum in Gallia contra AEmilianum legionum conspiratione factus est Imperator, anno ducentesimo quinquagesimo quarto, non alia de causa in fastigio rerum positus, nisi ut grauiori casu præcipitaret. Longæua sæpe vita calamitatibus est obnoxia, vertentique fortunæ tribuit quos secundis rebus honestarat. Septimo imperij anno in Persarum bello victus, & captus calamitosam seruitutem amplius annum tolerauit, Gallieno filio, quem imperij consortem fecerat, nihil minus quam de liberando patre, aut imperij maiestate cogitante: Persarum, Gotthorum, & Germanorum bello non magis quassati, quam intestina triginta tyrannorum ambitione. Iam dudum res publica mole sua cœperat laborare. In his Posthumus Gallia occupata Francos auxiliares primus aduocauit, gentem eatenus ignotam in historia Romana. Lollianus Gallieni iussu Posthumo superato cæsoque, se pro illo vicarium substituit cum filio eiusdem nominis, cuius esse putantur declamationes Quintiliani nomen præferentes. Tetricus Hispaniam tenuit, in quam Germanica natio per Galliam infusa totis duodecim annis vrbes & agros igne ferroque vastauit. Orientis prouincias Odenatus Palmerinus, eoque defuncto Zenobia vxor ad Aurelianum vsq; Imperatorem, maiori quam pro sexu animo tutata est. Gallieni vxor fuit Cornelia Salonina, Decij Herennia Sallustia, ut lapides in Hispania non vno loco reperti declarant. Per hæc tempora Lucius Pontifex Romanam ecclesiam gubernabat, cuius extant litteræ ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ. In his Episcoporum concilia sæpe haberi hortatur. Metropolitanis quid iuris sit in finitimas ecclesias declarat. hæreticorum vsu interdicit: facitque animos ad perferendas eorum temporum graues & diurnas calamitates. Lucio successit Stephanus, quo Pontifice Hispaniæ Præsules in conuentu communicato cõsilio duos Episcopos Martialem Emeritensem & Basilidem Asturicensem loco mouerunt, lege de libellaticis postulatos atque conuictos. Libellatici erant, qui syngrapha religionem deserebant: qui impio se cultu contaminabant, ij Sacrificati vocabantur, ut Cypriani epistolæ declarant. Basilides Romam delatus Stephani Pontificis auctoritate absolutus est. nimirum ad ecclesiæ caput confugit, vnde iura sacra prodire moris erat, mutari aliorum decreta perperam facta. Hispani tamen sacerdotes ea re offensi Cyprianum Carthaginensem Felice & Sabino Episcopis ad eum legatis de tota re admonent. Negat is cum alijs Episcopis consilio communicato homines desertæ fidei reos debere ad pristinos honores redire. imposita pro modo culpæ poena recipi fas quidẽ esse, sed sacerdotali tamẽ honore atq; functione detractis. Id Cornelij Pontificis decreto sancitum. Stephanum in tanta longinquitate videri in fraudem inductum. Itaque Sixtus. I I. Stephani successor, litteris fortassis hac ipsa de causa monuit Episcopos Hispaniæ: Patrum decreta cõuellenda non esse, neque ante legitimam cognitionem Episcopos loco mouendos videri, neque absque conscientia Romani Pontificis. iuste ab eo reponi, quæ per iniultitiam essent ablata. Atque hi sane tres Romani Pontifices eius belli procella consumpti sunt, quam Valerianus Imperator cum initio

initio visus esset in religionem Christianam bene animatus, concirauit. Perijt etiam Romæ Laurentius Diaconus, Olcæ in Hispania natus, Orentio & Patientia parentibus, quos Olcenses in cælestium numero habent. Sixtus. I I. priusquam esset Pontifex, Euangelij euulgandi causa delatus in Hispaniam, Laurentium Vincentiumque comites secum deulerat Romam rediens. Inerat in Laurentio indoles animique constantia, quam perferendis grauissimis cruciatibus ne datam Christo fidem proderet, satis declarauit. salutis anno ducentesimo quinquagesimo nono, tum ipse, tum Sixtus sunt trucidati. Errant qui Decij imperio accidisse aiunt. Errant qui Decium Cæsarem Valeriani nepotem ex auctoritate Trebellij Polliionis arguto cõmento affingunt, magis quam ex fide Laurætium peremisse, minuti scriptores securitate maxima. Sed eodem prorsus anno, Fulco & Basso Coss. Fruetuosus primus Tarraconensis Præsul, Augurius & Eulogius Diaconi in ea vrbe non minori cõstantia illatam pro vera pietate mortem tolerarunt. AEmiliani Præsidis miles, ac filia ætate paruula a milite ad cõsiderandum excitata, sanctorum animas continuo sublimes in aera ferri viderunt, ut Prudentius est auctor. Horum exuuiæ, qua causa & tempore incertum, sed in Ligures tamen migrarunt, seruanturque non procul Genua vrbe in Benedictinorum cœnobio. Consequenti anno Dionysius in Sixti locum Romanus Pontifex factus est. Aureolum, qui in Illyrico rebellat & Mediolanum in potestatem redegerat, Gallienus intra eam vrbe[m] obsidebat, cum suorum coniuratione periijt, salutis anno ducentesimo sexagesimo nono, ex quo primum imperare cœperat anno quintodecimo. Periijt etiam minor frater Valerianus, quem consortem imperij dixerat. Vacuam rectore rempublicam Flauius Claudius occupauit. Anno proximo idem cum Paterno Consul fuit. Quibus Coss. Dionysius Pontifex ad Seuerum Cordubensem Episcopum litteras dedit, uti Romanæ ecclesiæ exemplo populum in parccias tribuat mandans. Verum Claudius nouus Imperator cæso Aureolo, cum Gothos deinde & Germanos armis domuisset, Tetricum qui Hispaniam & Galliam obtinebat, an Zenobiam bello peteret incertus Sirmij morbo oppressus est, magno reipublicæ incommodo, neque minori luctu. Annum, menses decem, dies quindecim imperauit. Constantij Cæsaris magnus auunculus fuit, nam ex fratris Crispi filia & Eutropio gentis Dardanæ, Constantius est natus Magni Constantini pater. Claudij morte renunciata Quintilius alter Claudij frater, cui a senatu erat imperium delatum, rerum mole oppressus sibi mortem consciuit, septimodecimo die ex quo Augustus erat saluatus. magnum imperij ludibrium. Erat allatum militari suffragatione. L. Domitium Aurelianum Imperatorem esse renunciatum, viribus & auctoritate potioem. Qui inter optimos Principes locum habere potuit, ni bellicam gloriam ingenij sæuitia fœdasset, atque Christianæ nationis odio grauisimo. Dacis enim domitis, quibus duæ Mœsiæ ad habitandum datæ sunt, tyrannis toto imperio, quæ vi, quæ voluntate ad officium redactis, Zenobiam ad Palmyram vrbe[m] captam, cum fugeret ad Persas camelis quos dromadas vocant, Romam in triumpho pompa egit ciuium oculis,

gratissimum simul & miserabile spectaculum exhibens, mirantium in fo-  
mineo pectore virile robur atque animum malis inuictum. Eum triumphū  
ex veteri more Romanorum Imperatorum postremus instaurasse Aurelia-  
nus memoratur. Deinde Oriente repetito, in Persas dum bellum parat, He-  
racleam inter & Byzantium Mnesthei familiaris fraude perijt. Annos qua-  
tuor, menses vndecim, dies septem rempublicam gubernauit. Aureliam ad  
Ligerim & Genuam ad lacum Lemani in Gallia condidisse, qui affir-  
ment auctores habeo. Narcissus Gerundæ in Hispaniæ Galliæque confini-  
bus, postquam Alpinis gentibus Euangelium annunciarat, occisus pro re-  
ligione est, tum ipse, tum Felix Diaconus. alterum eodem nomine ea vrbs  
præcipua religione celebrare cōsuevit (ne nominum similitudo fallat) alio  
tempore neci datum. Extant Eutychni Pontificis Romani superiori an-  
no in Felicis occisi locum cooptati litteræ ad Ioannem atque alios Bæticæ  
2 7 6 Episcopos, Aureliano & Marcellino Coss. hoc est, salutis anno ducentesimo  
septuagesimo sexto. In ijs propriè de Dei filio homine facto differitur ad-  
uersus Hæreticos in Hispania nouis opinionibus religionis synceritatem  
commaculantes.

*Quidam alij Imperatores. Caput. XI.*



MORTE Aureliani sex mensium interregnum tenuit. no-  
uo ad eam diem certamine inter exercitum & senatum, vtrique  
ad alteros noui Imperatoris creandi potestatem arbitriumque  
ablegabant. victi tandem Patres modestia militari Clau. Tacit-  
um Augustum crearunt. Præcipiti ætate annos natus octo &  
septuaginta, non diu rebus præfuit. cum rempublicam tenuisset menses sex,  
dies viginti, Tharsi defunctus est. Florianus frater successor tertio deinde  
mense dissectis vltro venis sibi mortem consciiuit. conscientia imbecillita-  
tis incitauit, metusque M. Aurelio Probo à legionibus in Oriente Impera-  
tore salutato, natione quidem Dalmata, obscuritatem tamen generis belli &  
pacis artibus præclare compensante, vsque adeo vt Probi nomen nisi à pa-  
tribus accepisset, veris virtutibus parare potuisset. Germanos Galliam, Sar-  
matas Illyricum vastantes domuit. Narseo Persarum Regi leges dedit. Vā-  
dalis & Gotthis in imperij prouincias magno numero dilapsis agri in  
Thracia dati. E duobus imperij æmulis Saturninum in Aegypto Probi  
metu an gratia ipsiusmet milites peremerunt, Bonosum ad Rhenum acie  
victum ad laqueum adegit. Galliæ & Hispaniæ vineas ferendi facultas ple-  
na concessa, Domitiani Imperatoris interdicto abrogato. Perijt in Illyrico  
in seditione militari, cum Persas denuo tumultuantes bello repetere matu-  
raret, postquam annis quinque & mensibus quatuor imperarat. Seuerior dis-  
ciplina militum odium conciliat, & quoniam sublatis hostibus aliquan-  
do negarat exercitu amplius opus fore. Successit exercitus suffragio M. Au-  
relius Carus, salutis anno ducentesimo octogesimo secundo. nonnulli Dal-  
matam, alij Gallum faciunt, ipsius litteræ Romanum. E duobus filijs quos  
continuò

continuò imperij consortes renunciauit, Carinum quidem in Gallia atque  
Hispania rempublicam curare mandauit, Numerianum autem secum con-  
tra Persas duxit. Eo in itinere Babylas Antiochenus Episcopus lege per-  
duellionis postulatus capite pœnas dedit. Numerianum siue cupiditate co-  
gnoscendi nostra, erat enim omni liberali disciplina excultus, siue vt reli-  
gioni conuitium faceret, Christianis sacris interessè volentem templi aditu  
prohibuisse crimen erat. facinus alioqui dignum immortalis laude. Omni-  
no bello Persico profligato Carus quidem ad Tygridis ripam fulmine ta-  
ctus est altero imperij anno ineunte. Numerianum autem paulò post in le-  
ctica qua gestabatur, cum ex oculis laboraret, socer Arrius Aper interficien-  
10 dum curauit, imperandi ambitione affinitatis iure violato. Hunc Diocletia-  
nus ab exercitu Imperator salutatus, gladio transuerberauit, illud sub ictum  
ipsum effatus: Gaude Aper magni AENEÆ dextera cadis. Carinum bellū cō-  
parantem totius imperij obtinendi studio & spe, prælio superatum cæcidit.  
Quo tempore in Citeriori Hispania M. Aurelius res gerebat pro Romanis  
vt nonnullæ lapidum inscriptiones declarant: vnde illud etiam perspicitur  
Imperatores (quod antea etiam factitatum inscriptio Romæ in fronte Pan-  
theonis indicio est) per hæc tempora non Consulis modò nomen, sed &  
Proconsulis vsurpare consueuisse. Eius rei argumento vnam è multis inscri-  
20 ptionem adscribi visum est, Sagunti conseruaram in foro rerum venialium  
his verbis.

IMP. M. AVR. CARINO.  
NOBILISSIMO. CAES. PIO.  
FELICI. INVICTO. AVG.  
PONT. MAXIMO. TRIB.  
POT. P. P. COS.  
PROCOS.

Præterea quod in reliquis prouincijs ab Antonini Philosophi imperio vsi-  
tatum erat, vt Romani gubernatores Comites vocarentur, idem deinceps  
inuectum obseruatumque in Hispania. Tamen exacto magistratus tempo-  
re dum successorum aduentus expectabatur Legati Cæsarei, vtroque tempo-  
re Præfides vt dicerentur in more positum obseruamus.

*Diocletianus & Maximianus Imperatores. Cap. XII.*



DIOCLETIANVM ex libertino sanguine natum Dal-  
matia dedit Imperatorem, salutis anno ducentesimo octogesi-  
mo quarto: cum optimis comparandum, ni tam multo Chri-  
stianorum sanguine manus scedasset. Imperij anno altero Ma-  
ximianum Herculeum principatus consortem dixit. paulò post  
Galerium Maximinum & Constantium Chlorum Cæsares creauit. Galerio  
Valeria

Valeria Diocletiani filia vxor data, Constantio Theodora Maximiani priuigna, Helenam Britanni Regis filiam, vnde Constantinus, cui res gestæ & religionis amor Magni cognomen pepererūt, natus erat, repudiare coacto. Ergo Diocletianus Aegypti, Maximianus Africæ, Constantius Britannicæ motus pacarunt, euentu vario, successu demum omnes prospero. Galerium apud Persas re male gesta Diocletianus in Mesopotamia, quò domita Aegyptio processerat, ignominie causa pedibus ante Carpentum currere mille passus coegit, victorem paulò post triumpho persimili pompa obuius accepit. præmio & poena cõtinentur res humanæ: hæc ignauiam arcet, spe præmij industria alitur. Romam pacatis imperij prouincijs cum rediisset, octauo decimo imperij anno bellum quod in Christianam religionem ante octo annos concitarat sæuisimum crudelioribus edictis exacerbauit anno Christi tercetesimo tertio, nimirum Coss. Diocletiano. VIII. & Maximiano. VII. vt Augustinus est auctor. templa Christianorum euerti, libros sacros exuri, Christianos homines infames haberi, & publicis honoribus arceri imperatum. additum deinde vt ecclesiarum præfecti interficerentur. Hoc bello Romæ Caius Põtifex & Gabinus frater, atq; huius filia Susanna trucidati. Iusta & Rufina Hispali lege violatæ religionis postulatæ, quòd Salambonæ, hoc est, Veneris statuam ad terram affixissent. Marcellus Ceturio patria Legionensis, Tingi in Mauritania iussu Agricolæ Prætorij Præfecti, cuius in Codicibus Theodosij & Iustiniani mentio extat. abiecti cinguli, quod militiæ erat insigne, studio religionis, crimen obijciebatur. Huius Centurionis duodecim filij memorantur pro vera religione graues cruciatus mortemq; tolerasse: tametsi non eodem omnes tempore, neque loco vno. Claudium, Lupercium, Victorianum, Emeterium & Celedonium, Seruandum & Germanum, Acisclum & Victoriam in hoc numero qui reponant auctores habeo. Faustum, Ianuarium, & Martialem adiungunt alij. Marinam præterea, cuius extat templum ab Aquis Sextijs octo millibus passuum, eo loci atq; per hæc tempora occubuisse nonnulli suspicantur. Atque hæc priusquam Datianus à Diocletiano missus veniret in Hispaniam, atq; impiæ immanitatis vestigia tota prouincia impressa reliquisset. Cùm furor impius ab extrema Hispania exorsus, qua Pyrenæi iugis determinatur à Gallia, breui interuallo ad Austrum Occasumque vniuersam prouinciam peruasit. Finium meta Pacem Iuliam inter & Eboram ad pagum Oreolam Datianum totius Hispaniæ Præsidem fuisse declarat in hæc verba.

D D. N N.  
 A E T E R N. I M P P.  
 C. A V R. V A L E R  
 I O. I O V I O. D I O  
 C L E T I A N O. E T  
 M. A V R. V A L E R I  
 O. E R C V L E O  
 P I I S. F E L. S E M P E R. A V G G.

TERMINVS

TERMINVS. INTER  
 PACENS. ET. EBORENS.  
 CVRANTE. P. DATIANO.  
 V. P. PRAESIDE. H. H.  
 N. M. Q. EORVM  
 DEVOTISSIMO.

HEINC. PACENSES.

- 10 Prorsus Datiani scuitia Felix & Cucufatus in Africa quidem nati, cæterum in Hispaniam appulsi studio Christiani nominis amplificandi, Felix Gerunda, Cucufatus Barcinone occisi sunt. vbi etiam Eulalia interfecta est ab Emeritensi diuersa. CæsarAugustam appulsus Engratiam (Prudentius Engratim vocat) cum Ruscinonem ad sponsum properaret ab extrema vsque Lusitania trucidauit, & cum ea decem & octo comites itineris. Ad hæc innumera ciuium multitudo neci data. Corpora exulta vnà cum sceleratorum hominum corporibus, ne videlicet à Christianis colerentur, vt erat in more positum. Cineres in massas conglobati discretique ab alijs, massa candida dicti sunt. Quod in Africa trecentis alijs martyribus in calcem ardentem iactatis, quo die cæsus est Cyprianus, contigisse Prudentius est auctor, vt eorum cineres dicerentur massa candida. Valerius eius vrbis Episcopus, & Vincentius Diaconus Valentiam ad dicendam causam missi, si quo modo itineris longinqui labore & spatio temporis mentem mutarent. Valerius exilio mulctatus tantum ad mōtes, qui Ginga flumine alluuntur, vitæ reliquum exegit. Datianus fortassis præcipiti eius ætati dandum iudicauit, ne maiores subire cruciatus cogereur. Vincentium autem cum neq; de sententia decederet, neq; libros sacros proderet, quod qui fecissent ab eo crimine traditores per ea tempora coeperunt vocari: consumptis omnibus cruciatibus ferri ignisq; peremit. Corpus eius ex promontorio Sacro, quò fuerat delatum metu Maurorum Hispaniam vniuersam vastantium (vnde illi promontorio D. Vincetij nomen) Alfonso primo Rege Lusitaniæ Olisiponem migravit, eius prouinciæ urbem primariam, vti alio loco est explicandum. Compluti Iustus & Pastor vix dum infantie annos egressi occubuerunt in campo Laudabili, vbi progressu tēporis augustum templum eorum nominibus excitatum est, inciytum ministrorum numero eruditioneque. corpora ex vario errore ob Maurorum infestationem, anno tandem humanæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Philippo. I I. Hispaniæ Rege agente, Osca Cōplutum relata atq; in eodem loco vbi sanguinem profuderat collocata. Emeritæ Eulalia quatuordecim annos nata, & Iulia socia trucidatæ. Tolci Leocadia virgo cruciatuū metu & pedore carceris exanimata perijt. In Gothicis precibus inter confessores, in Romanis inter martyres ponitur, haud magno quidē discrimine. Leocadiæ corpus in Hætoniæ mōtibus Benedictini socij in S. Gisleni mōstrabant, Hispaniæ an alterius incertū: Hispani, vt credamus inclināt animus. Iniqui iudices cur simus in nostra causa?

L Nam

Nam quo hæc tēpore commentabamur, Philippus. I I. Hispaniæ Rex post-  
liminio patriæ reddidit, incredibili hominum concursu plausuque ad sex-  
tum kal. Maij, anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo, insitæ  
pietatis monumentum præclarum omnibus sæculis.

*Quo loco sita sit Elbora. Cap. XIII.*



**I**OLETO relicta Datianus Elboram abiit. In eo oppido Vin-  
centius alter comprehensus, verbisque Præsidis castigatus, cum  
de constantia animi nihil mutaret, dato euadendi spatio Abulæ 10  
profugus pro religione occubuit, ipse sororesque eius Sabina &  
Christera, fugæ auctores & comites. Hæc in confesso sunt: illud  
dubium, qua in Hispaniæ regione Elbora sita sit. quo nūc nomine excisa an  
superstes, vicina Toletu, an disita procul: inter viros præcipuæ eruditionis  
opinionem, magnis animis, parique contentione disceptata quæstio. Lusitani  
ferè gentilem suum Vincentium fuisse contendunt, Eboræ natum, vrbe in  
ea gente nobili antiquaq; resistunt alij, atq; Elboram in Carpetanis sitam  
fuisse confirmant: nostraq; ætate Talaueram vulgò dici persuadent Illis ma-  
ior nominum similitudo fauet antiqui recentisq; ducta per manus opinio,  
vetustatis monumenta: lapis quem vestigio consistens Vincentius ceræ in- 20  
star emolliuisse fertur: ædes paternæ ad hunc diem iisdem vestigijs conser-  
uata, cultaq; Quæ si leuia putantur, negemus omnia, comburamus annales,  
susceptas à populis Diuorum religiones euertamus, quiduis potius quam à  
suscepta semel sententia nos dimoueri patiamur. Hæc sunt in hanc partem  
argumenta valida atque præclara: quis neget? quis non videat? In alteram  
partem plura. Urbium Toleti, vnde Datianus discessit, & Abulæ vbi fugien-  
tes Martyres insecutus neci dedit, vicinitas, Eboræ longinqua: vnde reuer-  
sum Præsidem, quis credat, vno iuvene mactando? aut quî contendens Emer-  
itam Eboram deuiam, atque supra centum millia vltius positam prius  
adiit? Verùm de tota itineris ratione præstabit ex libris ecclesiasticis exi- 30  
miæ vetustatis D. Leocadiæ vitam mortemq; adscribere. Braulio Cæsar-  
augustanus Episcopus auctor. sic multorum opinio est. In temporibus, in-  
quit, illis, dum post corporeum Saluatoris aduentum & pro redemptione  
nostra sanguinis eius effusionem, ab inferis descensionem, à mortuis resurre-  
ctionem, in cælum ascensionem, Euangelica eruditio sensim atq; gradatim  
Apostolorum doctrina in omnem terram resulsisset: serò tandem Hispaniæ  
finibus innotueratq; rara fides, & ideo magna quia rara. Delubra verò gē-  
tilium in omni loco sacrilega effusione sanguinum taurorum hircorumque  
fumabant: & quia nonnullæ ciuitates, oppida, vici, castella, sine Faunorum  
monstrorumque imaginibus ex auro argenteo & omni metallo nō erant, 40  
colebantur propterea in effigie dæmones, & fides in Christo pullulans in-  
ter tantas rabies paganorum palpitabat. Conuenticula verò nominis Chri-  
sti secretissimis & abditissimis locis à paucis & perfectis ingrediebantur  
peragēda. & quātum crescebat Christiani nominis dignitas, tantum deficie-  
bat

bat execranda calamitas. Ita fiebat, vt in nonnullas vrbes perfectæ fidei  
flagrarent incendia, vt non iam per latebras occulendo, sed publicè eccle-  
siæ Sacerdotibus, & omni præpollerent clero. Quæ fama non solum to-  
tam Italiam sed & Byzantium peragravit: quæ cauila fecit vt impijsimum  
Datianum Præsidem impijsimi Diocletianus & Maximianus Imperato-  
res ad euertendam magis quam ad gubernandam destinarent Hispaniam.  
Primum namque Galliam vt lupus cruentus intrauit, ibique exsatiatus  
sanguine Martyrum, cadauera crapularus ructans, Hispaniam aggressus  
est: Felicem, Cucufatem, Eulaliam, & alios quorum nomina longum est  
scribere, grauissimis tormentis afficiens, Deo animas consecrauit inno-  
cuas. ac post inde Cæsaraugustam, quasi leo frendens arripuit. Quanta  
ibi ludibria? quantaque verbera? quot cruces? quot effusiones sangui-  
num operatus fuit? Si humana lingua taceat, ipsa quæ polluta est Chri-  
stianorum sanguinibus terra loqueretur, & quod nullus exceptus sit, qui  
bustali situ non teneat reditiuos ac florentissimos cineres Martyrum lo-  
cus. Inde alacri profectu Complutensem ingreditur ciuitatem. protinus  
pro cruore lac truncatis corporibus fundens, geminas margaritas in dia-  
demate nostri Regis affigendas, & innocentiae dignitate velut auro con-  
spicuas, Iustum & Pastorem à terra cælo per feram impietatem pius Do-  
minus suscepit. Deinde veniens Toletanam urbem ingressus, cœpit saga-  
ci indagacione perquirere sanctorum membra: ibique reperit Deo dica-  
tam sanctam Leocadiam, genere nobilissimam, nobiliori tamen proposi-  
to mentis ornatam, quæ non diebus non noctibus peruigili cura ab ora-  
tione cessabat. Qui cum eam præsentari suis conspectibus præcepisset,  
ita affatus est: Cur te leuis & vana deludit circumuentio, vt de tam præ-  
claro genere nata, derelinquens cæremonias Deorum nostrorum, nescio  
cui Christo te præferas seruituram? Cui beata Leocadia cum grandi au-  
dacia ita ad hæc respondit: Non me tua suasio à proposito Christi, cui  
me integram voui reuocat, non illusio verborum tuorum, nec blandimen-  
ta natalium, quibus me suades, retrahet à seruitute, vel à promissione Do-  
mini mei Iesu Christi, qui nos pretioso suo sanguine redimens, magnam  
induit libertatem. Fremens itaque Datianus præcepit militibus arctissi-  
mis vinculis beatam Leocadiam colligatam in carcerem trudi, cogitans  
qualibus tormentis vel pœnis eam posset affligere. Itaque Elboram in-  
gressus, officium omne præmonet, vt indagacione percurrentes, Chri-  
stianos quoscunque inuenissent, eius tribunalibus præsentarent: statimque  
reperit adolescentem quendam nomine Vincentium, cuius meritum  
nomini committebatur suo, comprehensum eius conspectibus sistunt.  
Quem cum Sabina & Christeta eius sororibus in Abulensem ciuita-  
tem persequens, digna Christo munera consecrauit. Profectusque ab  
Abula, Emeritensem ingressus ciuitatem, illico tribunal sibi præpara-  
ri præcepit, multoque sanctorum crudeliter sanguine fuso transmisit  
ad Deum: inter quos sanctam Eulaliam multis cruciatibus, multisque ver-  
beribus afflictam igne applicato Domino consecrauit. Cùmque in Tolera-  
nam

nam urbem ad beatam Leocadiam percurrisset fama, genibus in oratione positus in eodem loco, quo retrusa tenebatur, confessionis oratione completa, suum Domino commendavit spiritum: qui Martyres & Confessores suos coronavit in pace, cui est honor & gloria, virtus & potestas in secula seculorum amen. Itaque Braulio, seu quivis alius, rem ut gesta est litteris commendavit, Datianique iter complexus est: Abulam Elbora fugisse Martyres secutum Præsidentem iisdem vestigijs affirmat, nimirum Talavera profectos, uti locorum vicinitas fidem facit. quod municipium Elboram dictum Lucas Tudensis ait, nulla diligentia, nulloque iudicio dices. esto, tamen non insulso neque inerudito ingenio fuisse, editi ab eo libri arguunt. Certè Ptolemæus Liboram vocat proxima Iluribida, sita quondam ubi nunc ager est nomine Loruiga (sic putamus) quatuor disitis passuum millibus trans Tagum: atque exaduersum loci ubi Aluerchius confunditur Tago, ex Abulensibus montibus manans. Livijs Eburam urbem in Carpetanis ponit, nobilemque in paucis pugnam ad eam commissam Romanos inter & Celtiberos ait, Q. Fulvius Flacco Citeriorem Hispaniam ex prætura obtinente, ijs notis designato loco, quas in suburbanum eius oppidi agrum convenire omnes, quibus hæc considerare studium fuit, persuasum habent. Sed ipsa elegantis historici verba, ex libro quadragesimo subiicimus: Magnum, inquit, bellum ea ætate coortum in Hispania Citeriore. Ad quinque & triginta millia hominum, quantum nunquam fermè antea Celtiberi comparauerant. Q. Fulvius Flaccus eam obtinebat prouinciam: is quia armare iuventutem Celtiberos audierat, & ipse quanta poterat à socijs auxilia contraxerat: sed nequaquam numero militum hostem æquabat. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, & castra locavit ad oppidum Eburam, modico præsidio in vrbe posito. Paucis post diebus, Celtiberi millia duo fermè inde sub colle posuerunt castra: quos ubi adesse Prætor Romanus sensit, M. Fulvium fratrem cum duabus turmis sociorum equitum ad castra hostium speculatum misit, quam proximè succedere ad vallum iussit, ut videret quanta essent, pugna abstineret, reciperetque sese si hostium equitatum exeuntem vidisset. Ita ut præceptum erat fecit. per dies aliquot nihil ultra motum, quam ut hæc duæ turmæ ostenderentur, dein subducerentur, ubi equitatus hostium castris procurrisset. Postremo & Celtiberi omnibus simul peditum equitumque copijs castris egressi, acie directa medio fermè spatio inter bina castra constitunt. Campus erat planus omnis, & aptus pugnae: ibi steterunt Hispani hostem expectantes. Romanus intra vallum suos continuit per quatrimum continuum, & illi eodem loco aciem instructam tenuerunt: ab Romanis nihil motum. Inde quiescere in castris Celtiberi, quia pugnae copia non fiebat. Equites tantum in stationem egrediebantur, ut parati essent si quid ab hoste moueretur. Pone castra utriusque pabulatum & lignatum ibant, neutri alteros impediunt. Prætor Romanus ubi satis tot dierum quiete credidit spem factam hosti, nihil se priorem moturum, L. Acilium cum ala sinistra, & sex millibus prouincialium auxiliorum circum-

ire

ire montem iubet, qui ab tergo hostibus erat. inde ubi clamorem audisset, decurrere ad castra eorum. Nocte profecti sunt, ne possent conspici. Flaccus luce prima C. Scribonium Præfectum socium ad vallum hostium cum equitibus extraordinarijs sinistrae alæ mittit: quos ubi & propius accedere, & plures quam soliti erant Celtiberi conspexerunt, omnis equitatus effunditur castris simul, & peditibus signum ad exeundum datur. Scribonius, uti præceptum erat, ubi primum fremitum equestrium audiuit, auertit equos, & castra repetit, eo effusius sequi hostes. primo equites mox & peditum acies aderat, haud dubia spe castra eo die se oppugnuros. quingentos passus non amplius à vallo aberant. Itaque ubi Flaccus satis abstractus eos a præsidio castrorum suorum ratus est, intra vallum exercitu instructo, tribus partibus simul erumpit, clamore non tantum ad ardorem pugnae excitandum sublato, sed etiam ut qui in montibus erant exaudirent. Nec morati sunt quin decurrerent, sicut imperatum erat ad castra, ubi quingentorum armatorum non amplius relictum erat præsidium. Quos cum & paucitas sua & multitudo hostium, & improvisa res terruisset, prope sine certamine capiuntur castra. castris, quæ pars maximè à pugnantibus conspici poterat, iniecit Acilius ignem. postremi Celtiberorum qui in acie erant, primi flammam cospexere. deinde per totam aciem vulgatum est castra amissa esse, & tum cum maximè arderent, unde illis terror, inde Romanis animus creuit. iam clamor suorum vincientium accidebat, iam ardentia hostium castra apparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati sunt. Cæterum posteaquam receptus pulsus nullus erat, nec usquam nisi in certamine spes, pertinacius de integro capeffunt pugnam. Acie media urgebantur acriter à quinta legione. Aduersus laeuum cornu, in quo sui generis prouincialia auxilia intruxissent Romanos cernebant, cum maiori fiducia intulerunt signa. Iam prope erat ut sinistrum cornu pelleretur Romanis, ni septima legio successisset, simul ab oppido Eburam, qui in præsidio relictus erat, in medio ardore pugnae aduenerunt: & Acilius ab tergo erat. Diu in medio caesi Celtiberi, qui supererant in omnes passim partes capeffunt fugam. Hactenus Livijs. Ergo manifestum efficitur, oppidum de quo instituta disputatio est, Ptolemæo Liboram esse ex regionum interuallis, mensuraque: Eburam Romanis, certè fuisse in Carpetanis constat. Ex ijs vocibus Elboram factam quis miretur? quis dubitet? nisi qui nominibus commutandis vim antiquitatis ignorat. Monumenta vetustatis nihil moror: quanta in his rebus vanitas sit, quanta commenta vulgi, multis exemplis docere promptum erat. Sed & ijs propria monumenta Elbora Carpetanorum opponit: Vincentij ædes, ubi nunc D. Ioannis & Lucrae nominibus xenodochium est. forum quod à vicino templo sancti Stephani vocabatur, ubi incolæ persuadent Vincentium ad tribunal Præsidis saxo vestigium impressisse. in vicinis montibus, quae Abulam itur, antrum in rupibus specie horrida trium fratrum latera omnibus circum populis nobile: in montis cacumine fugæ monumentum arx, & templum Vincentij nomine inclitum olim non religionis modo opinione, sed & amplis possessionibus locus editus, &

L 3 proceris

proceris arboribus amœnus augebat maiestatem. fama est olim Templarijs militibus attributum fuisse, nunc Abbatia magis quam re alia insignis est, quæ in Toletani templi sacerdotijs numeratur: tamen is locus Abulensis Episcopi ditione comprehenditur. Hæc sunt partis aduersæ præsidia. quæ verbosior fuit, an verior, sincero animo lector diiudicet: si quid nostrum testimonium iuuat, sic nos certe putabamus. De Elboræ Episcopis in Toletanis Patrum concilijs frequens mentio extat, & monetæ Gotthorum imperio Elboræ nomine percussæ visuntur ex auro non probo: uti Gotthorum omnes. Hæc ad utram urbem referenda sint, non laboramus. sine certis argumentis in alteram partem pronunciare non constituimus. libenterque Episcopi sedem Lusitanis relinquimus Emeritæ contributam, uti Constantini Magni & Vvambæ Regis diuisiones Episcopatum argumento sunt. Neque negamus Eboram urbem ea Gotthorum ætate Elboram etiam fuisse pari licentia vocitatum.

*Descriptio Elboræ. Cap. XIII.*



**D**AVTEM municipium, quo nullum pro incolarum numero Hispania lautius præstantiusque habet, & Ptolemæo Libora, Eburya Liurio vocatur, Gotthorum ætate Elbora, nonnullis etiam Talabrica est, sed hos vocum Talaueræ & Talabricæ similitudo cum multis in errorem misit. Nos his commentarijs, ut erit commodum, eo oppido designando promiscuè his vocibus utemur, ne nominum multitudo fallat. Ad confines Carpetanorum Vectonum & veteris Lusitanie situm est, loco plano, in valle quatuor ea parte passuum millibus lata, superius latiori, quam plures amnes interfecant: inter alios princeps Tagus ab arenis voluentibus aurum celeberrimus fama, latissimo alveo multisque receptis aquis amplissimus, eius oppidi mœnia ad Austrum alluit, quæ sunt opere firmissimo, angusto ambitu omnino septendecim turribus horrida, quas Extrarias vocant quod æquis interuallis singulæ iusti instar propugnaculi exterius protendantur. Minorum turrium maior est numerus, sub quibus humilior murus altiore firmè ex omnibus partibus ambit. Hæc mœnia, quibus nulla ex antiquis in Hispania comparari possunt altitudine, latitudine, & totius operis firmitate, quo sine tempore constructa in ambiguo est Romanorum imperio vixit persuasum habet, structuræ laudibus antiquitatem adijciantes. Refellunt alij ex forma operis cæmentitijs ex parietibus ferè compacti: & lapides cum litteris Romanis nullo ordine, sed ut casus dabat in eo muro visuntur. Ergo rudiori seculo Gotthis aut Mauris rerum potentibus, ea mœnia fuisse constructa fateamur necesse est. Gotthorum ætate nonnulli affirmant, nobis recentior structura videbatur esse. Videbitur fortasse etiam alijs, si cum parte Toletani muri ab Vvamba Rege constructi, ea mœnia conferantur, eam speciem multis partibus præbentia, ut recentiori memoria extructa fuisse appareat. Quod Rasis Arabs confirmat, à Mauris opus perfectum, nostrorum

rum incurisionibus accendis, Arabum anno tercentesimo vigesimo quinto, nimirum salutis anno nongentesimo trigesimo septimo. Ipsa Mauri scriptoris verba Latine facta subiicimus. In Toleti, inquit, agro quo nullus est latior, multa oppida & arces sunt, atque in earum arcium numero Talauera à Grecis condita supra Tagum: deinde propugnaculum uti imperium alternabat Mauros inter & Christianos. Murus est magna altitudine & firmitate, excelsæ turres. Maurorum anno tercentesimo vigesimo quinto, Miramamolinus Mahomadis filius diuortio in municipio factus, arcem ædificari madauit, ubi Præfetti essent. Hanc ego arcem, totum eum murorum ambitum interpretabar, qui latiores in Italia Galliaque viderim: nam minorem arcem, quæ intra hunc ambitum ad fluuium est rudiori opere, & maiori ex parte labefactata, satis constat ab Alfonso Imperatore fuisse posteriori tempore constitutam eueris priuatis ædibus, de qua re Toleti in Clementino virginum collegio tabulæ monstrantur factæ ipsis compensationis pro ædibus quæ ea parte sunt ablata. Sed ab ea arce tamen murus alter deducitur minori firmitate, nempe plurimum ex formaceis parietibus, magnoque flexu priorem murum complectens circulo firmè totum, nisi qua parte flumen alluit. Huic tertius commissus est murus, suburbium amplum cingens ad Solis occasum torrente interfluente à reliquo oppido diremptum, cui Portinæ nomen est, aquis hyemalibus sæpe exundanti, magna vicinarum ædium strage aliquando. Hunc murum ingruente bello factum puto opere subitario: nam cum recentissimus sit, multis partibus est euerfus, rara ut vestigia extant. Intra hunc murum agricolæ continentur. Intra alterum opifices, mercatores, & maior ciuium pars est, forumque rerum venalium, annonæ copia & lautitijs cum quolibet Hispaniæ certas. Minori ambitu firmiori, structura murus nobilium domicilia habet, quorum pro oppidi modo nullibi aut maior numerus est aut amplior census. Cæteris tenuis firmè fortuna otio deditis à commercio abhorrentibus, patrijque soli bona & natiuas opes ignorantibus. Ea parte collegium Canonicorum est, coniunctumque Hieronymianum monasterium à Tenorio Toletano Pontifice Canonicis constructum domicilium: quod cum illi recusat communi mensa viuere, ne temerè susceptus labor esset, ij monachi asciti sunt, amplissimis prædijs attributis, quæ Ioânæ matris cuius sepulcrum in æde maxima monstratur, quæ Calderonis fisco addictis ob cæsum magistratum, aut ex eius testamento. vnde ij monachi, se & inopes magno numero alunt, certum in annonæ difficultate perfugium. Vniuersum oppidum in octo tribus diuisum est, parœcias nos vocamus. Præterea decem cœnobia, virorum septem, tria virginum sacrarum numerantur. In quibus opibus quidem Hieronymianum principem locum occupat: structuræ autem elegantiæ Dominicanum: quod Gasias Loaysa ex Dominicano monacho Cardinalis Hispalensisque Præsul constituit monumentum præclarum, municeps noster claris maioribus egregius ipse primus familiarum opum conditor. Franciscanum Ferdinandus Talauera in eo oppido etiam natus, primus Granatæ Pontifex extruxit, re & nomine vir sanctus, obscuro quauis genere nouus homo. Extra oppidum ipsa militari via, qua Toletum

itur, templum satis amplum est Virginis Matris nomine, sanctum omnibus circa populis: prope compascuus ager læta pascua habens, frequensque lucus proceris populis, vlmisque confitus. Miracula non pauca tribuuntur Virginis peruerusto signo, vnde loci religio propagata est. Contributus oppido ager vniuersus, latissimus in paucis, præsertim vltra fluuium supra centum millia passuum protenditur. Latrocinij ea parte prohibēdis, ciuium societas ante annos trecentos constituta est, quam veterem societatem vocant, templo intra mœnia dicato: quod illi cum duabus vrbibus Toletis & Ciuitate Regia commune insigneque est, præ cæteris Hispaniæ ciuitatibus, optimisque redditibus attributis, vnde publici sumptus tolerantur. **Quadrage** **10** circiter oppida, & pagi in eo agro sita à senatu vrbano iura petunt. Frumēti, vini, olei, mellis, lactis, pecoris copia est. Sylæ feras alunt venationi idoneæ: piscium assatim Tagus præbet, horti fontibus hauritque, irrigui præcipua nobilitate. Vicinus vrbis ager humoris satis & pinguedinis habet: quocunque loco moueris humum intra mœnia, atque extra obuius ac paratus humor, atque aqua iugis statim occurrit potui plurimum apta, vnde amœnitas locis omnibus eximia, prouētus magnus. Summa, quidquid alijs ciuitatibus per partes tributum est, id omne in vnum locum larga manu quasi secum ipsa certans natura congegit. Omnium voluptatum copia, iuuenes forma præstiti, ingenio maximo, in tenera ætate eneruantur, corrumpunturque, ea vna **20** iniuria est. meliora in posterum speramus, collegio Societatis Iesu nuper instituto, quod litteris informanda iuuentute, castigandis moribus, in nobilissima eius oppidi regione surgit, impensa Quirogæ Cardinalis Toletani, eius amplitudini non impar futurum, sic auguramur speramusque. Fauere votis quid obstat? Copijs ciues alij, eruditionis laude, præclaris editis bello paceque facinoribus ornabunt, vti sæpe faciunt, patriam: à nobis quod nostræ opis fuit, hoc amoris pignus habeat. Neque enim fas fuit, à qua omnia accepimus, & vnde primum spiritum vitæ hausimus, silentio dissimulare eius laudes. Lector, vt speramus pio studio veniam dabit, si tantisper institutæ narrationis breuitatisque cursum inhibuimus, festinatione noua compensaturi tarditatem. **30** Ad hæc tempora & calamitatem Verisimius Maximus, & Julia fratres referuntur Olisipone perempti, Bracaræ Victor, Cordubæ Zoilus & decem & nouem alij, Centonia & Helena prope Burgos, Seguntia Liberata & Quiteria. Alijque quos si sigillatim recensere velimus, neque modum dicendi, neque finem reperiet oratio. Horum omnium martyrum corpora, quibus in locis hoc tempore sint, de quibusdam affirmare promptum est, de plerisque non item, alijs alibi prædicantibus: fortassis in plures partes sacris exuijs distractis variæ opiniones natæ, penes quos pars tantum esset totum habere putantibus. Omnino Eusebius confirmat bestias se vidisse per hæc tempora scruissimas neque fame neque ferro aduersus **40** martyres irritari, tætaque procellæ præbuisse ansam disciplinæ ecclesiasticæ labem. neque dubium est ex his rerum fluctibus in Africa Donati sectam excitatâ. Cæcilianum Carthaginensem Episcopum de gradu deiectum Donatus Numida Lucillæ fœminæ Hispanæ opibus subleuatus quasi libros sacros hostibus

bus tradidisset violatæ religionis postulabat. Eiusdem criminis in Hispania Osius Cordubensis Episcopus accusabatur, de quo iterum sermo recurret. in Cæciliani sane locum Maiorinus prior, deinde Donatus successus est patria Carthaginensis, alterque ab eo, qui primus eius sectæ auctor extitit. Verum hæc aliquanto post.


Constantij & Galerij imperia. Caput. XV.

**10** **D**IOCLETIANVS republica viginti annis gesta, rerum mole fessus, atque ex desperatione Christiani nominis opprimēdi, nouo exemplo imperij insignia cum Mediolani posuisset, idemque eius hortatu Maximianus socius effecisset Nicomediæ, Constantius Chlorus imperium suscepit, salutis anno trecentesimo quarto, tenuitque in Gallia, Britannia, atque Hispania annum, **30** **4** menses decem, dies octo, longiori vita dignissimus, cum ob alias virtutes, tantamque frugalitatem vt fictilibus vteretur, tum ob propensam in Christianorum gentem voluntatem. Obijt Eboraci in Britannia Constantino filio successore felix, quem ex Helena suscepit. nam Theodora Maximiani priuigna Annibalianum peperit Dalmatij patrem & Constantinum alterum, vnde Gallus & Iulianus nati sunt, consequenti tempore Cæsares: præterea filiam vnam nomine Constantiam. Vixit hac ætate in Hispania Prudentius Turiasonensis Episcopus, natus Armentia in Cantabria, episcopali sede olim claræ, nunc redactæ ad casas postquam collegium Canoniorum Alexandri. V. I. Romani Pontificis voluntate Victoriam urbem migravit. Vixit etiam Rufus Festus Auienus, auctore Crinito, in historia Romana nobilis auctor. Suscepit Constantinus à morte patris imperium, anno **30** **6** Christi trecentesimo sexto. quo anno Galerius Maximinus, qui reliquas imperij prouincias Constantio concedente, an priorum Imperatorum voluntate, iam cœperat gubernare, imperij consors Seuerum & Maximinum ex sorore natos, Cæsares dixit. Maximinus Cæsar Orienti Præfectus, Italia & Africa Seueri demandatæ. Ipse sibi Dalmatiam Græciamque retinuit. Anno proximo cum Maxentius Maximiani Herculei filius Romæ imperium occupasset, Seuerus in prælio occubuit. Maxentij pater Maximianus an studio iuuandi filium, an intempestiua ambitione imperij quod abdicarat recuperandi, Romam accurrens, indeque à filio reiectus in Galliam, Constantini generi iussu Massiliae interfectus est: cum hospitij iura & communis mensæ sacra, maleficio atque insidijs compensare pararet. Galerius Licinio in Seueri locum substituto, Maxentijque opprimendi studio inflammatus, cum in Italiam penetrasset, indeque veritus defectionem exercitus Dalmatiam repetisset, & religionem Christianam exagitare cœpisset, ex vlcere in inguine nato defunctus est, quinto anno euoluto ex quo cum Constantini patre cœperat imperare, Melchiade Romano Pontifice. cuius extat epistola ad Marinum, Leontium, Benedictum, cæterosque Hispaniæ Episcopos,



3 1 4 pos, morum exemplo, quæ facillima docendi via est atque imperandi, adhortantis subditos regere, atque inter beatos Apostolos affirmantis in pari electione discretionem fuisse potestatis: datumque Petro ut cæteris emineret. De Confirmationis sacramento nonnihil disputatum. Rubrio & Volusiano Goss. nimirum salutis anno trecentesimo quartodecimo hæ litteræ datæ sunt.

*Constantini Magni imperium. Cap. XVI.*

**R**OMANI, Maxentij tyrannide & improbitate fessi Constantinum ex Gallia aduocandum curarunt. is Mediolani traducto in partes Licinio Constantia sorore in coniugium data, cum aduersus tyrannum iter intenderet Romam appropinquanti, & de belli euentu sollicito, die serena Crucis sacræ signum in cælo hac inscriptione monstratum est: IN HOC SIGNO VINCES. Itaque vexillum Regium (Labarum vocare, & quotidie milites illud adorare soliti erant) in Crucis figuram conformari mādauit, hac forma:  unde Christi nominis litterarum compendium quo Hispani vulgò vtūtur fluxisse suspicātur quidam, lapidis indicio ad Oretum in Hispania Valentiniiani II. imperio excitati extantisque, vbi ea nota Christi nomen manifeste significatur. Crucis virtute Maxentio ad pontem Miluium victo, flumineque haulo, Roma grauissima tyrannide erepta est, religioque Christiana: inquam Maxentio sæuiente multi Christiani perierunt. Dorothea & Sophronia ne stupro, de quo à tyranno appellabantur, pudicitiam fœderent, illa occisa est, hæc sibi vltro mortem intulit: exemplo videlicet Antiochenæ fœminæ sub Diocletiano, quæ eadem de causa parique constantia se & duas filias in subiectum flumen de ponte dedit præcipitem. Per idem tempus Maximinus in Oriente Christianum nomen vastabat multorum sanguine fuso: Catherina virgine Alexandrina, Porphyrio Magistro equitum, Petro Alexandrino Episcopo trucidatis. tanta Christianæ religionis opprimendæ rabie, vt Pilati & Christi acta omnibus ignominiaë causis fœda toto imperio ludimagistros iuberet pueris tradere memoriter ediscenda recitandaque. Obijt abrogatis sub vitæ finem ijs edictis, quæ in Christianos erant promulgata sæuissime, nō tam pietatis studio, quàm Constantini, cuius potentiam indices augeri considerabat, atque Licinij metu, à quo paulò ante in acie fuerat superatus. Hoc sublato neque minori sæuitia, neque exitu lætiori Licinius religionem exagitauit. Verùm in Pannonia semel, deinde in Bithynia prælio victus ad priuatam vitam compulsus primum est, id Constantiæ vxoris precibus datum. deinde occisus, cum res novas moliri cogitaret. dignus ea calamitate, quòd litteras virus publicum appellaret, tam expers earum vt ne nomen quidem suum scribere didicisset: & quoniam impia carnificina inter alios, Sebastiaë quadraginta martyres sustulit, & suauirtute & Basilij oratione nobiles. Per hunc modum respublica à domesticis externisque armis libera, atque ad vnus imperium

perium arbitriumque reuocata, religio Christiana in dies singulos illustrabatur. Constantinus Imperator Romæ postquam à lepræ contagione fuerat liberatus Christiani lauacri virtute (nam Romæ fuisse baptizatum cum Crispo filio, magni auctores affirmant, & indicio est baptisterium eximium ad D. Ioannis Laterani Constantini opus) nostram religionem ex eo tempore cœpit vehementius illustrare. Hanc lucem modico interuallo Arius Alexandrinus presbyter conturbauit, Dei filium Deo patri æqualem esse negans. Luciani quidem martyr is auditor fuit, sed ambitione corruptus in eam ingressus est causam. Alexandrum, Præfulem Alexandrinum factum, ipsius nullam rationem habitam dolebat scilicet ab hoc initio scissa in duas partes Christianorum natio, proxima interitui videbatur esse. multis eruditionis opinione claris, tum Episcopis tum priuatis noua opinio placere, neque præoccupatis ea persuasione animis saniorum cohortationes admittebantur ad aures. Osius Cordubensis Alexandriam ab Imperatore missus vocum Ousias & Hypostaseos discrimen excogitasse primus fertur pacis concilianda (extat Constantini lex in Theodosij Codice ea causa missa ad Osum). Arius concordia desperata Alexandria pulsus breui decessit, Ario altero impietatis hærede. Hunc Imperator & sectatores Nicæam Bithyniæ aduocauit, quò salutis anno trecentesimo vigesimo sexto ex toto orbe Episcopos trecentos decem & octo (in numero Patrum discrepant alij) conuocandos curarat. In eo conuentu Arii placita improbata. Meletius Episcopus de gradu deiectus, quod Petri Alexandrini Episcopi recipiendis lapsis facilitate accusanda Aegypti ecclesias turbasset. Pascha sancitum quo die toto orbe celebrarent. Paphnutij consilio permissum viris sacratis vxores retinere, laxata videlicet in Oriente disciplina ecclesiastica. Præterea Arii libros igni tradere capite sancitum. Et auctorem habeo, qui rationem computandi per indictiones ait in Nicæno cōuentu esse excogitam ab anno salutis trecentesimo tercio decimo, sumpto numerandi principio: quo anno Constantino constabat Crucis signum in cælo fuisse indicatum. Affuit in hoc conuentu Osius (sunt qui præsedisse putent) Siuestri Romani Pontificis vicarius, cum presbyteris Vito & Vincentio Roma legatis. Atque hæc in Oriente. In Hispania autem concilium Eliberrinum est habitum. Erat Eliberris in ea Bæticæ parte sita, vbi nunc Granata. argumento est Granatenfis porta, vicinusque ei vrbis mons, quibus vulgò Eluiræ nomen faciunt. nam qui hoc cōcilium Eliberi affirmant esse habitum ad Pyrenæi montis radices, quam vulgus hodie Colibora vocat, nominum argumento refelluntur: & quoniam in veterum cōcilium fide deprehenditur nullos ex vicina Gallia atque ea Hispaniæ parte conuentui interfuisse: sed ex ijs vrbibus tantum quæ ei Bæticæ parti propinquæ erant. Tamen si Valerius Cæsar Augustanus sexto loco naueratur, septimo Melanthius Toleranus. In huius concilij canonibus virginum Deo sacratarum mentio facta est. menses Iulius & Augustus ieiunij lege soluantur. Vxoribus interdicitur litteras dare, aut accipere in se ijs maritis. Imagines in templorum parietibus depingi vetitum, ne videlicet rectorio decrustato fœdari contingeret.

geret. Extat præterea Metropolitanorum mentio, cum hætenus primæ sedis Episcopi vocarentur. Toletum, Tarraco, Bracara, Emerita, Hispalis, eo honore decoratæ sunt, descriptis cuiusque finibus, ut quidam arbitrantur per hæc tempora atque in iplo Eliberritano conuentu, Constantini iussu: quod quoniam certa fide caret in medio relinquimus. Eam tamen diuisionem Rasis Arabis verbis adiecturi commodiori loco sumus, vetusti auctoris neque contemnenda auctoritate. Et constat Vvambæ Regis ætate atque industria eam distributionem primarum sedium maiori diligentia factam contributis, ac designatis ijs Episcopis, qui ab vnaquaque maiora iura peterent. Sanè exemplo reliquarum imperij prouinciarum Hispanica gubernatio multum ab antiquo immutata est. Byzantio enim in Thracia instaurato (nam à Seuero dirutum erat) Constantinus Romani imperij maiestatem in eam urbem Roma transtulit, in quo grauissimè peccatum est, ut rerum euentus declarauit: Imperatorum corporibus atque animis effœminandis terræ natura & cæli sub quo alebantur conditione, deliciarum copia Martiam Romanorum indolem debilitauit. Quindecim legiones quæ Rhæni Danubijque ripas præsidio obtinere solitæ erant, vnde maius periculum imminebat propter indomitos & barbaros earum gentium animos sublata. in quo quid secutus fuerit Constantinus clam est, & fortassis grauissimo stipendio imperij vectigalia voluit liberare. pro vno quatuor Præfecti prætorij denuo instituti, penes quos bello paceque summa esset auctoritas. duo in Oriente res gerebant: totidem in Occidente. Horum alter Italiæ præfesse cœpit, Galliæ alter contributa Hispania, quam per Vlcianum gubernaret. Ad hos liberum erat, qui vellet à prouinciarum Præfibus prouocare. Erant Comites, quibus in milites ius & potestas tribuebatur: erat Magister scholæ, cui res frumentaria curæ erat, aliaque præterea Magistratum nomina, quæ ut sigillatim referantur non arbitror fore necessarium. His rebus peractis obiit Constantinus Magnus anno Christi trecentesimo trigesimo septimo, cum rempublicam gubernasset annos triginta, menses nouem, dies septem & viginti. neq; in tanto virtutum splendore reprehensione caruit, tum ob Crispum filium occisum. Fausta nouerca (nam ex Mineruina priori Constantini coniuge genitus erat) intentati stupri accusarat falso: quod cum esset exploratum, ipsa etiam capite poenas dedit. tum ob suspicionem violatæ religionis, cum sub vitæ finem in Arium propensior Athanasium Alexandrinum Episcopum insectatus fuerit. Sunt qui putent Nicomediæ ab Eusebio Nicomediensi Ariano homine fuisse baptizatum extrema ætate, cum Christi exemplo in Iordane cuperet. nimirum nominum similitudine decepti ad patrem transtulerunt, quæ Constantio filio tribui æquius est: eius præsertim auctoritate permoti, qui studio Arii sectam illustrandi cæteros in errorem misit. Prorsus has ob causas ecclesia Latina Constantini nomen, quod alioqui tantæ virtutes mereri videbantur, consecrare noluit, quamuis Græcæ ecclesiæ exemplo prouocante Aprilis die vigesimo Constantini nomine diem festum celebrantis.

Con.

**R**ES Constantini Magni filij Constantinus, Constantius, Constantius Cæsar, à patre non vno tempore dicti, mortuo successere. Constantinus ætate maximus Occidentis prouincias trans Alpes accepit, Orientis ætate proximus Constantius, Constantius ætate minimus Italiæ, Africa, atque Illyrico est præfectus. sic pater testamento sanxerat. ex quo Dalmatius etiam Imperatorum patruelis in Oriente Cæsar est constitutus. Hunc Constantius in militari tumultu intra primum annum occidendum curauit, maiores quam pro conditione scilicet spiritus gerentem. Constantinus tertio imperij anno hostium insidijs circumuentus periit ad Aquileiam, quo processerat aduersus Constantem, iniuriam vindicaturus ferro sibi factam iniqua imperij partitione. Sunt qui Constantinum Arianorum opinionibus corruptum esse confirmant. Athanasij restitutio reclamatur eius potissimum hortatu à Constantio fratre facta, cum à patre sub vitæ exitum relegatus esset in Galliam. Denuo exulantem Constantij Augusti metu, synodi Sardicensis, Iulij Romani Pontificis, Constantis Imperatoris auctoritate, atque hortatu ecclesia Alexandrina recepit. Constantinopolitana Paulum eadem de causa relegatum. Synodo Sardicensi Osius Cordubensis totius controuersie præcipuus disceptator, Annianus Castulonensis, Costus Cæsar Augustanus, Domitianus Pacensis, Florentinus Emeritensis, Prætextatus Barcinonensis, ex Hispania interfuerunt, longinqua profectioe suscepta studio reuocandæ pacis. Eam prouinciam cum Constantius appeteret Helenæ occisus est (hodie Helna dicitur in Ruscinonensi tractu) tertio decimo imperij anno. Cædis auctorem Magnentium Galliam Hispaniamque occupantem Constantius, Gallo patruelis Cæsar prius in Oriente designato, collatis in Illyrico ad Murrium signis deuicit. In eo prælio hostes viginti quatuor millia ceciderunt, Constantij copijs millia ferme triginta. Ea strage imperij vires penitus sunt debilitatæ. tyrannus Lugduni, quo se ex fuga contulerat, rebus desperatis mortem sibi consciiuit: eiusq; exemplo Decentius frater, quem Cæsarem renunciarat. Itaq; cunctis prouincijs denuo sub vnus imperium reuocatis Sirmij in Illyrico Episcoporum conuentus habitus est aduersus Photinum eius urbis Episcopum, Christum Deum esse negantem. In eo conuentu binæ fidei formulæ de scripto cœceptæ sunt, vocis Homusij vsurpatione pacis studio vetantes. tertiam, quæ vulgò circumfertur, Marcus Arethuse Præsul Arii opinionibus imbutus euulgauit. Ijs fidei formulis suscipiendis Osius Cordubensis venerandam caniciem sigillasse fertur, valde carè æstimans pauculos vitæ annos quot illa ætas recipiebat. Synodus Mediolanensis Constantij opera, cum Romam proficisci pararet, habita: opera Paulini Treuerensis Dionysij Mediolanensis, Eusebij Vercellensis, Luciferi Calaritani re infecta dissipata est. Athanasium à morte Constantis rursus exulantem damnari non ferebant. Ijs ergo in exilium

exilium actis, Romæ à Constantio Liberius etiam Pontifex relegatus est, Felice substituto. Arimini numerosus Episcoporum conuentus (nam supra quadringentos confluerant) instauratus. In eo Arianorum fraude, ac præsertim Valentis & Ursacii, quorum præcipua erat apud Imperatorem auctoritas, Episcopis circumuentis vox Homousij antiquata est. Synodi Sirmiensis exemplo, quasi voce tantum sublata sententijs conspirantibus. Verum cum Arii sectatores eam sectam anathematis ignominia notari non ferrent, fraude detecta ingemuit orbis se repente Arianum factum. liceat Hieronymi verbis uti. Itaque Seleuciæ Episcopi numero centum sexaginta sex, Homousij voce expuncta reliqua Concilij Nicæni decreta retinenda censuerunt. Verum hæc aliquanto post, ad Osium redeamus, quem affirmant Potamio Olisiponensi Episcopo insectando, quasi Arianus esset ab Imperatore ex Hispania, quo se contulerat otij causa in Italiam ad dicendam causam reuocatum, an suppliciorum metu, an non satis sui compotem Ariminensis Synodi fraudibus consensisse: reducem in Hispaniam à Gregorio Eliberrino Episcopo execratione deuinctum, dirisque deuotum, Cordubæ quò à Clementino Vicario Gregorius Osio postulante fuerat vocatus, ore scædato atque distorto repente ad ipsa tribunalia, ubi præsens uterque disceptabat, corruisse in terram & succolantibus famulis domum relatum breui animam exhalasse, haudquaquam mète ad sanitatem reuocata, ad inconstantiam rerum humanarum exemplum & ludibrium singulare. Gallum Cæsarem Imperator pridem in Oriente interficiendum curarat, homo natura suspicax, & qui multorum criminationibus faciles præberet aures. Galli fratrem Iulianum ex monasterio detractum paulò post Cæsarem dixit, Helena sorore connubio iuncta. Alemanorum motibus Galliam vastantium compescendis, quod facere eius ductu cogitabat, opus erat auctoritate. Ipse bellum Persicum animo agitabat. Eo tempore rursus Athanasius Principis furorem vereri, rursus latebras captare coactus, vsque ad obitum Constantij. Re enim male gesta in bello Persico, Iulianoque Lutetiæ Imperatori salutato dum obuiam progreditur, Antiochiæ baptismo (nam tandiu distulerat, aut fortè ab Arianis ut in more erat rebaptizatus est) Arianorum ritu procuratus obiit anno huius seculi trecentesimo sexagesimo primo, ad tertium Nonas Nouembris. Imperium tenuit annis quinque & viginti, mensibus quinque, diebus quinque. Quo tempore in Hispania contigit, ut pueris lumen sub noctem inferentibus, atque pro more (vnde manauit ut illatis luminibus inter se salutent in Hispania) dicentibus, Vincamus, Vincamus, Romanus quidam verba puerorum crudeliter interpretatus, districto gladio hospitem cum omni familia iugularit: Ammianus Marcellinus auctor, nulla loci aut personarum designatione. Florebat in ea prouincia eruditionis laude Clemens Prudentius Calagurritanus patria, à militia & foro cum ætate ad pangenda sacra carmina traductus, atque multorum martyrum laudes celebrandas, qui cum Christo regnant in cælo: tum Pacianus Barcinonensis Episcopus Nouatianos scriptis exagitabat. Paciani filius Dexter fuit Hieronymi

Hieronymi familiaritate nobilis, cui librum de Scriptoribus Ecclesiasticis dicauit. Præterea Iuuenus Presbyter his senior Christi actiones luculento carmine celebrabat.

*Iulianus & Iouianus. Cap. XVIII.*

**I**ULIANVM, quem Constantius insectabatur viuens, moriens successorem testamento reliquit, summo virum ingenio, atque præcipua eruditione: meritòque magnis Imperatoribus exæquandum si veram pietatem, qua à teneris annis imbutus erat, ad extremam spiritum retinisset: neque se ætate confirmata Libanio præceptori corrupendum tradidisset, religione deserta, vnde Apostatæ cognomen inuenit. Augustus factus studio cunctorum animos demerendi, catholicos quidem ab exilio reuocauit, vno dempto Athanasio, quem quò à Constantij morte suam ecclesiam repetisset, latebras denuo metu mortis captare compulit. Templi Hierosolymitani instaurandi copia Iudæi facta, erumpente ex ipsis fundamentis igne cessarunt. Græcæ superstitionis cultoribus datum Deorum templa, quæ erant à Constantino Magno clausa frequentare. In Christianos ex insidijs potius quàm aperto Marte grassatum, intercluso ad publicos honores aditu, sapientiæ atque eloquentiæ addiscendæ sublata facultate, in Græcorum scholis. Ea ex re Christianorum ingenia excitata: ac præsertim Apollinarij duo soluta astrictaque numeris oratione, non paucos libros euulgarunt. His initijs exitus consentaneus fuit. Persico bello suscepto cum initio prospere successisset, interfectus est. Cædis auctor ignoratur. quidam sagitta dixerunt in incertum emissa, vel à suis vel ab aduersarijs. Alij à Mercurio Martyre, hastæ indicio in eius sepulcro repertæ perfusæ sanguine. ex diuina planè voluntate magnoque reipublicæ Christianæ commodo & gaudio, ætatis anno altero & trigésimo. Imperauit anno, mensibus septem, diebus septem & viginti. Post mortem Iuliani Fl. Iouianus oblatum vltro ab exercitu imperii, initio quidem recusauit, professus se religione prohiberi Christianum hominem non Christianis imperare: deinde vniuersis Christianos se esse clamantibus, eorum votis acquieuit. Imperio suscepto, exercitum Iuliani temeritate in supremum discrimen adductum, foedere cum Persis factò, necessario magis, quam honesto, liberauit. Honores Christianis redditi, ecclesijs vestigalia: exules atque in his Athanasius reuocati. Quibus initijs noua lux prorum nationi affulsisse videbatur, procella sedata, cum in Galatiæ Bithyniæque confinibus carbonum nouique cubiculi vapore interclusa anima, defunctus est ætatis anno quadragésimo. Menses septem, dies duos & viginti rempublicam tenuit, & poena capitis sanxit sacratæ Virginis pudicitiam etiam coniugij prætextu attentare.

*Valen-*



**L**A V I V S Valentinianus patria Pannonius, Gratiano patre, Iouiano successit: militari suffragio factus Imperator, à frænararia quidem arte, ob præualidi corporis vires, atque exactam prudentiam per omnes militiæ gradus, prætorij præfecturam consecutus. Cæterum religionis Christianæ cultor eximius, qui Iuliano Imperatore, militiæ cingulum abdicarat, religionis studio, & ad idolorum templum ædituo ob aspersam fortunam aquam lultralem in eiusdem oculis alapam infregerat. Simili studio factus Imperator Romanos ciues in partes scissos, atque de Pontificis electione tumultuantes compescuit, Vrscino ad Episcopatum Neapolitanum ablegato, qui seditionis extitit causa. nam Liberio Romano Episcopo defuncto, pars festinatis comitijs Vrscinum in defuncti locum subrogarat, pars potior & sanior Damasum. Hic natione Hispanus fuit, an Egita vrbe in Lusitanæ parte ea natus, quæ Durio & Minio comprehenditur, & hodie Guimaranes vocatur: an Tarracone, an Madriti in Carpetania auctores in diuersum trahunt. Ergo cum se vterque legibus creatum diceret æmulum vitio, tanta contentione seditio exarsit, vt in basilica Sicinini vno die centum triginta septem homines fuerint occisi, auctore Marcellino eius ætatis historico. Quo loco Põtifices Romanos vehiculis procedere criminatur, & conuiuia eorum regales mensas superare. Hac tempestate sedata, aduersa Damaso factio non quieuit. profus adulterij lege postulatus in Episcoporum conuentu innocentiam tueri compulsus est. Ariminensem synodum adulterinam pronunciauit: nimirum absque conscientia & consensu Romani Pontificis habitam. Auxentius Mediolanensis Episcopus gradu deiectus, quod Arii vesaniam sectaretur. Psalmos alternis in templis decantari adiecto in fine versu Gloria Patri: atque sacrorum initio peccatorum confessionem præmitti sanxit. Duobus templis exædificatis Romæ religionem auxit, altero D. Laurentij nominæ, altero Apostolorum ad Catacumbas via Ardeatina: vbi ipsiusmet matris, atque sororis corpora tumulari curauit, atque perfecit. Hieronymo arcta familiaritate coniunctus fuit ob similitudinem studiorum: nam & Romanorum Pontificum vitas ad suam ætatem eleganti copiosoque volumine complexus est, vnde ex Pontificum vitæ sunt confarcinatæ, quæ Damasi nomine circumferuntur, alioqui indignæ tanta eruditione viro. Obijt cum Christiana sacra annos octodecim, menses duos, dies vndecim gubernasset. Verum hæc aliquanto post: ad res imperij reuocetur oratio. In Oriente Propicio Duce, qui Iuliani propinquus erat, & in Imperatoris nomen inuaserat, magni motus excitati Valentis diligentia, qui à fratre Valentiniano sub initia imperij fuerat socius declaratus, breui compositi sunt æmulo in Phrygia victo, atque suorum prodicione in potestatem redacto. Eodem tempore Valentinianus Germanos domarat, & Saxones (huius gentis hoc loco primùm mentio reperitur in historia Romana) Gotthos ex Thracia, Parthos ex Syria depulit: Scotos in Britannia, Sarmatarum

tarum arma in Pannonia compescuit. Quà ipse, quàm ipsius Ducēs tanta bella profligarunt. Obijt Bregetione in Germania Quadorum bello occupatus quintodecimo kalend. Decembris, anno trecentesimo septuagesimo quinto. Imperium tenuit annos vndecim, menses octo, dies duos & viginti. Duos filios reliquit Gratianum ex priori coniuge nomine Seuera, atque hac superstite ex Iustina Valentinianum. Qua re præsertim cum lege lata duarum vxorum fecisset potestatem, superiorem gloriam fœdauit magna ex parte: & quoniam religionis professionem liberam esse voluit vt Marcellinus est auctor. Interea in Oriente Valens catholicorum ecclesias vexabat. Dominicæ vxoris blanditiæ atque Eudoxi Constantinopol. Episcopi fraudes, à quò Arianorum ritu se baptizari permiserat, à mente deduxerant. vsque eo, dum Edeffæ Catholicorum conuentum immisso in templum milite dissipari curaret. ne faceret Modestus eius vrbis Præfectus deterruit. maior hominum frequentia concurrerat quiduis parata, fœminaque præ studio festinandi ne occasione deesset, necdum satis honeste induta filium infantulum ad non dubiam mortem raptabat. Multi Sacerdotes in quos præcipue iratus erat exilio mulctati. in his Eusebius in Cappadocia Cæsariensis Episcopus vir tam bene meritus de religione, quàm alter Eusebius Cæsariensis Cæsareæ in Palestina Episcopus hiltoriæ ecclesiasticæ scriptor eruditione nobilis fuit. Eusebij Cappadocis successor Basilus minis, & pollicitationibus sollicitatus est, vt a catholica fide deficeret, quas ille constanter repulit, & sua virtute & multorum exemplo incitatus, pro vnica diuinorum dogmatum syllaba mortem oppetere, si res ferrent, paratum se esse palam prædicans. Atque hæc Valentiniano superstite. nam post illius obitum eò amentia prolapsus est Valens, vt magicis incantationibus deditus Iamblichio adiutore (hic Procli magister fuit) nomen successoris inuestigandum curaret. Alphabeti litteræ in terra describebantur, tot frumenti granis per litteras distributis. vate nescio quid obmurmurante, ex quibus litteris Gallus prima grana caperet, ex nomen quod quærebatur designare credebantur: vnde diuinitio per gallum dicebatur. alijs litteras stylo contrectare placebat. Prodicunt sane litteræ Theod. vnde Valenti occasio nata in Theodatos, Theodoros, Theodulos sciuendi. quasi possit humano consilio diuinum labefactari. In ea carnificina Honorius Theodosius Italicæ in Hispania natus atque ex Traiani posteritate occisus est, sub vitæ finem lauacro christiano procuratus, Britannia, atque Africæ moribus compositis clarus: vnde Magistri equitum honorem consecutus erat. Reliquit is ex Thermantia vxore filios duos Theodosium & Honorium. Infuderat se per idem tempus in imperij prouincias Gotthorum numerosa multitudo Frigiderno & Athanarico Ducibus. nato inter eos dissidio, vt in pari potestate fieri amat, partem Valens prætio facto cæcidit. Alijs Athanaricum secutis in fœdus acceptis Mœciam etiam ad habitandum dedit, sed Arianam sectam professis. quo tempore Visilaseius gentis Episcopus Gotthicos characteres excogitasse fertur à Latinis discrepantes, & in Gotthicam linguam

utrunque testamentum transfudisse, Arianae certe sectae suscipiendae genti auctor. Omnino Gotthi denuo tumultuantes, ut erat gens quietis impatiens, in Thraciam inuecti ad Hadrianopolim collatis signis Valentem obuium praelio superatum peremerunt. Mortis genus morte ipsa grauius fuit. Intra casam rusticanam, quo se receperat, iniecto igne cremarunt, nulla relicta prole, quarto anno post Valentiniani obitum: violatae religionis condignum supplicium, atque quod praecipiti temeritate Gratianum fratris filium ad auxilium festinantem noluit expectare spe ferox humanae imbecillitatis immemor. Frigidernus reparatis viribus confusus, Romanorum iniurijs consternatae ad arma genti se Ducem praebuerat.

*Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores. Cap. XX.*



3 7 5 **F**LAUIVM Gratianum pater ante aliquot annos Caesarem dixerat. is mortuo, continuo successit salutis anno trecentesimo septuagesimo quinto: exercitus suffragatione Fl. Valentinianus frater aetate puer adiunctus est exaequata imperij potestate. Mortuo Valente cum Gotthorum arma in Oriente volitarent, ijs comprimendis magno viro & Duce opus erat. Theodosius Italica patria, ab extrema Hispania, quo post caedem patris se receperat, aduocatus vir domi militiaeque clarus & ex multarum rerum tractatione prudentia singulari, Gotthorum audaciam, quae eo usque processerat ut Constantinopolim ipsam obsidione tentarint, armis virtuteque repressit. pax petentibus data, atq; sedes ad habitandum. icti foederis obles, Athanaricus Frigiderni successor in Theodosij venit potestatem. cui rerum gestarum merces Orientis, quod pacauerat, imperium fuit, Gratiano concedente ut Theodosius tertius Augustus accederet, vir ad alias virtutes religionis studio inflammatus. nam Gratiano. V. & Theodosio Consulibus lege sanxit Damasi Romani Pontificis & Petri Alexandrini 30 Episcopi de religione, quae sectarum opinionibus distrahebatur, placita rata haberi. Amphilocheus Iconij in Lycaonia Episcopus, eius legis suasor extitit hac arte. Imperatore salutato, Arcadium patri assidentem imperij nondum consortem insalutatum cum contempsisse visus esset, contemptus causam rogatus, tuo ipsius, inquit, exemplo ita feci, filium Dei ab Arianis contemni aequo ferentis animo. Triennio post Merobaude iterum & Saturnino Consulibus nimirum salutis anno trecentesimo octogesimo tertio: 3 8 3 tum Arcadius imperij consors a patre Theodosio factus est septimodecimo kalend. Februarij: tum Synodus Episcoporum Constantinopoli habita, inter generales secunda. In eo conuentu Meletius Antiochenus Episcopus per quietem Theodosio ostensus ipsi imponere diadema, ab eodem nullo indicante cognitus est, vultu considerato quem videre sibi visus fuerat. Nectarius Senator necdum sacro lauacro procuratus ad Episcopatum Constantinopoli. agente Imperatore euectus est, Gregorio Nazianzeno in patriam

patriam concedente quem magna ciuium pars praelatum cupiebat, eius diligentia haeresi repudiata ad sanitatem perducta. Praeterea qua causa is conuentus potissimum est habitus, haereses omnes reprobatae ac praesertim Macedonij Constantinopol. Episcopi perperam de Spiritu sancto, quem in rerum aliarum ordinem redigebat, sentientis. Acta atque decreta omnia Damaso Romano Pontifice probata: nouumque fidei symbolum. in quo de Spiritu sancto ex patre filioque procedere affirmatum est. sic Synodus Foroiulienfis ait ante octingentos annos habita. Id symbolum Nicano ut substitueretur sacris celebrandis auctor extitit Damasus, qui 10 consequenti anno defunctus est. Interea Maximus & ipse natione Hispanus Britannia, vbi primam rebellauit, Gallia atque Hispania imperio occupatis Gratianum ad Lutetiam obuium factum vicit in pugna, prope Lugdunum etiam Andragatius dolo interfecit: cum imperasset septem annos, menses nouem, dies nouem nulla ex se prole, eam meritis certe laudem, quod primus Imperatorum pontificiam stolam pontificatus insigne ex veteri Romanorum ritu & superstitione, constanter repudiavit. Gratiani vxor Laeta & Socrus Pissamena Romae ad eius vrbis vastationem vixerunt cultu regio. Theodosius publica vectigalia designarat, vnde vitam & solitudinem sustentarent. In Hispania dissidia de religione vigeabant. Priscillianus Gnosticorum sectam excitabat: cuius sectae Hadriani imperio docuimus semina a Marco quodam Aegyptio Basilidis discipulo pridem sparsa. Fuit Priscillianus homo copiosus & generis nobilitate clarus, in ea Hispaniae parte natus, cui Calaeciae nomen est. Inerant praeterea multa animi, & corporis bona: vigilare multum, famem siccumque tolerare. has virtutes non minora vitia foedabant: inquietus animus & turbulentus, atque ex profana scientia mentis elatio. Ingenij dexteritate & accommodatis ad tempus officijs Instantium, & Saluianum Episcopos sectae conciliauit. Hos Idacius Emeritae ciuitatis Praesul Hieronymi laude nobilis Agidini Cordubensis Episcopi monitu exagitandos cum suscepisset, vulnus recruduit: latiusque serpsit malum, quod contrectatum cautius fortassis curationem receperat. Ad illud extremum & vltimum deuentum, ut in conuentu Episcoporum Caesaraugustae habito ea de causa, vtrique in re praesenti disceptarent. Sectarij die dicta cum venire recusassent, anathemati subiecti: Instantius & Saluianus Praesules, a populo Elpidius & Priscillianus & cum his Agidinus Cordubensis Episcopus mutata voluntate ex inimico repente haereticorum socius factus. Ithacio Sossubenfi (sic Seuerus Sulpicius ait) Episcopo sententiae promulgandae cura deman- data, ardenti homini, atque procaci: qui ieiunijs aut lectioni sacrae deditos quasi Priscilliani sectatores palam accusaret. Huius atque Idacij diligentia a 40 Gratiano Imperatore tum superstite impetratum ut haereticos templis, vrbibus, totaque prouincia expelli mandaret. Instantius & Saluianus atque cum his Priscillianus interim Abulensis Praesul sectatorum ope creatus, Romam praesidij causa contententes in Aquitania resistentes, non paucos eo tractu sectae conciliarunt. Romam appulsi Damasi conueniendi po-  
M 2 teltas

testas non est facta: ac ne Ambrosius quidem Mediolani eorum vocibus aures præbuit ad noui dogmatis insolentiam cunctis exhorrentibus. Non remittunt tamen: corrupto officiorum Magistro Macedonio à Gratiano impetratum, vt priori edicto inducto ablatæ ecclesiæ Priscilliano atq; Instantio redderentur: nam Saluianus Romæ diem obierat. ab eo successu Gnosticorum audacia confirmata, Ithacius seditionis lege postulatus atque à Voluentio Vicario ad necem quæsitus, ad Gregorium Præfectum Prætorij in Galliam confugit. Eo parum opis ferente Clementem Maximum adiit, ab eoque Treueri impetratum cognitionem Burdigalæ in Episcoporum conuentu instaurari. eò venire compulsi sunt Priscillianus atque Instantius. à Priscilliano, cum socius gradu deiectus esset, ad Maximum prouocatum: factumque Episcoporum inconstantia vt ad Imperatorem deuolueretur causa, nouo ad eam diem exemplo iudicem prophanum de hæreticis iudicare: cæterum causa Treueri agitata atque urgente Ithacio capitale supplicium Priscillianus subiit, malefici conuictus, atque nocturnos conuentus cum sceminis religionis specie agitasse. Interfecti præterea Felicissimus, & Armenius, tum Latronianus seu Matronianus foedo exitu nobilior quam pangendis carminibus, quamuis in alic Poetarum numero ea ætate. Instantius ultra Britanniam in insulam deportari iussus est, Martino Turonensi nequicquam reclamante, atque hæreticos Episcoporum præsertim accusatione necari fas esse negante. Eam benignitatem fortassis temporis accommodatam nimiam ex parte exitisse, atque si in mores nostros induceretur fore exitialem, dies & usus & maior rerum cognitio declarauit. Prorsus Priscilliano occiso secta non modo non est repressa, sed latius etiam propagata. Cæsarum corpora in Hispaniam delata, à sectatoribus Martyrum instar honorata sunt. Iurare per Priscillianum summa religio putabatur. Ithacius & Idacius anathematis ignominia notati, & solum exilio vertere compulsi sunt: quod ijs agentibus hæretici essent trucidati. Tametsi quo non supplicio digni erant, qui præter vitæ turpitudinem sacræ Triadis personas confundere, coniugia soluere, carnum esum detestari ausi sunt: affirmareque animos ex diuina essentia defluxos ad certamen per septem cælos & genios quosdã gradatim descendentes in nequam Principem incurrere mundi opificem. homines fatalibus stellis subdi: corporis membra duodecim signiferi partibus. Arietem capiti dominari, ceruici Taurum, pectori Geminos, reliquis membris alia. Quo tẽpore Hispania hac agitatione æstuabat, Siricius Romanam ecclesiam gubernabat Damaso substitutus, Prosper Vrsinum vocat. & fortassis qui ante contra Damasum pontificatum inuaserat, defuncto credidit successisse. Extant Siricij litteræ ad Himerium Tarraconensem Episcopum, Arcadio & Bautone Consulibus, mirum salutis anno trecentesimo octogesimo quinto. De baptismo, nuptijs, Deo sacris viris & virginibus, ordinibus sacris multa, vt erat rogatus respondet, cum Episcopis eas prouinciæ Carthaginensis Bæticæ, Lusitaniæ, atq; Cæliciæ mandans cõmunicare. Extat harum litterarum mentio in Concilio Tolitano primo, suppresso auctoris nomine sententia recitata: atq; in libro Isidori de viris

de viris illustribus Hispaniæ Siricij & Himerij nominibus designatis. Omnino ex quo Siricius Pontifex creatus est anno quinto Maximus ad Aquileiam acie victus est, & suis proidentibus captus pœnas capite dedit, Theodosijque virtute Valentinianus iunior in Occidentis imperium restitutus, vnde aufugerat metu tyranni. A præclaro initio expeditio ea suscepta est, cum Stobis in Macedonia Theodosio. II. & Gynegio Consulibus octauo decimo kalend. Iulij, hæretici lege lata conuentus habere aut mysteria extra ecclesiam peragere vetiti essent. Victoria de tyranno ad sextum kalend. Septembris parta est eodem prorsus anno trecentesimo octogesimo octauo. 3 8 8

10 Atque hætenus religiose. Illud crudeliter, quod Thesalonicam urbem cæsis sex hominum millibus deformauit ira præcipiti actus. Butericum copiarum Ducem, aliosq; Principis asseclas in populari seditione interemisse crimen erat tam multo innoxio sanguine luendum scilicet. Ambrosius Mediolanensis Episcopus Imperatorem (nam tunc temporis Mediolani morabatur) venientem templi aditu prohibuit, dirisque deuorum more & ritu christiano pœnam subire hortatus est tanto facinori debitam. Repulsæ dolorem non minori animo tulit Theodosius quam Ambrosius inuisit. Aucta animi constantia post menses aliquot, ipso natalis Christi die Rufini intimi hortatu templum repetentem quasi Præfulis iracundia sedata, non prius admisit quam verbis grauissimis coram castigatum, atque legis promulgandæ conditione, necis sententiam ante trigessimam diem executioni mandari vetantis: vt si quid præcipiti in vindictam libidine decerni contingeret, temporis spatium iracundia remittente mutaret. additumque, ne verbum prius efferret commoto animo, quam alphabeti Græci litteras ex ordine recitasset. Ea res Antiochenis saluti fuit. Ob extraordinaria tributa tumultuantes, Placillæ vxoris Theodosij iam defunctæ statuas euersas, per urbem raptarunt. Fœminæ lectissimæ in Nosocomijs solitæ ægrotis cibos suis manibus ministrare, virumque pristinæ fortunæ commemoratione ad modestiam identidem clementiamque reuocare, illatam contumeliam ne multorum cæde Imperator vindicaret, Ambrosij prudentia effecit, atque missi Antiochia ea de re legati ad Imperatorem placandum. Ijs agentibus lugubre carmen à pueris flebilibus modis decantatum praudenti Imperatori excussit lacrymas, flexitque ad misericordiam iratum animum. Atque hæc in Italia. In Gallia autem Theodosio in Orientem reuerso Valentinianus Arbogastis Comitibus dolo Viennæ suffocatus est. Eugenius necis conscius atque præcipuus suassor ex Grammatico litteratore Imperator est factus salutis anno trecentesimo nonagesimo secundo. Imperij probum ludibriumque Theodosio magnam curam iniecit. vsque eo vt de belli euentu sollicitus, priorum hominum qui in eremo vitam agebant, precibus salutem cõmendaret. Horum ac Ioannis in primis victoriam pollicentis responso lætus, quo mortis denunciatio continebatur tamen priusquam rediret ex Italia, Constantinopoli profectus ad Alpium radices hostem magno atque ancipiti prælio vicit. Ventorum procella in aduersos hostes delata multum contulisse visa est, vt Claudianus scripsit insignis poeta ea ætate

182

## De Rebus Hispaniæ.

atque cum antiquioribus comparandus: christianus religione, an prophana superstitione implicitus incertum. Multum ad victoriam Gotthi contulere supra viginti millia Romana signa secuti post Athanaricum Constantino- poli defunctum nullo ex sua gente Principe Theodosij stipendia facientes. Post pugnam Eugenius à suis interfectus est, Arbogastes sibi manus attulit. commissum est prælium quintodecimo kalend. Octobris anno trecentesimo nonagesimo quarto. Quo anno Honorius Theodosij filius natu minor imperij consors à patre renunciatus est. Proximo anno Theodosius ipse in viuis esse desiit ad sextumdecimum kalend. Februarij Mediolani intercutis morbo ætatis anno quinquagesimo. imperavit annis sedecim, duobus amplius diebus. ex Placilla vxore Arcadium & Honorium reliquit. ex Galla Valentiniani senioris & Iustinæ filia, quam secundis nuptijs sibi copularat, Gallam Placidiam. Defuncti laudes Ambrosius prior, deinde August. dicatis orationibus celebrarunt. Theodosij, idest à Deo dati, nomen, nisi à parentibus accepisset diuino monitu (vt Aurelius victor est auctor) vitæ probitas, religionis studium, domi militiæque res præclaræ gestæ, atque respublica à præcipiti casu sustentata conciliare potuerunt. Religionis amplificandæ studium satis declarauit, veteris superstitionis templis euersis, quæ Constantinus Magnus claudi curarat. vnde innumeræ fraudes in lucem prodierunt, causæ retro statuat reddendis oraculis. miraculo fuit Alexandria in Serapidis templo immortalitatis significatione crucis figura multis expressa locis. Habuit hæc ætas viros insignes litteris atque probitate præclaros: atque in hoc numero, quod quidem Hispaniam attingit, Pontius Paulinus Burdigalensis patria in Hispania Citeriori moram traxit ipse & vxor Tharasia. Barcinone presbyter factus est nullius ecclesiæ ministerio addictus nouo exemplo ac propemodum singulari. Inde gradus factus ad Nolanum Episcopatum, cum ex Hispania in Italiam migrasset. Abundius Auitus presbyter Tarracone natus, Luciani librum de sancti Stephani corporis inuentione latinitate donabat. Licinius Bæticus Hieronymi amicitia atque in Hierosolymitanos pauperes præcipua liberalitate ad memoriam insignis. Desiderius & Riparius Hispani presbyteri Vigilantium Barcinonensem presbyterum Pompelone natum sanctorum qui cum Christo regnant in cælo honorem cultumque vellicantem de scripto impugnabant: vt Hieronymus est auctor nobilis huius ætatis scriptor, atque præcipua tum eruditionis, tum sanctitatis opinione clarus.

*Arcadij & Honorij imperium, Cap. XXI.*

THEODOSIO defuncto eius filij Arcadius in Oriente, in Occidente Honorius Remp. gubernare cœperunt salutis anno trecentesimo nonagesimo quinto, maiori aliquanto religionis studio, morumque probitate quam animorum vigore. His enim rectoribus Romani imperij maiestas, quæ à tenui initio profecta sua magnitudine & mole pridem laborare cœperat, in præcepto

toto impetu abiit, ad exemplum imbecillitatis rerum humanarum. & constat nil esse opera & viribus humanis paratum, quod edax vetustas non consumat, summisque negatum stare diu, nimioque graues sub pondere lapsus, vt nobilis poeta ait: nullaque imperia quantumuis magna diu stare. si foris hostem non habent domi nascitur, vt abdomine impedita corpora quamuis ab externis causis tuta, suis ipsa viribus onerantur, & proprio premuntur pondere. Romanam ecclesiam per hæc tempora Siricius gubernabat, vt dictum iam est. quo defuncto salutis anno trecentesimo nonagesimo octauo, cum tredecim amplius annos Pontifex fuisset, Anastasius successor tribus annis eandem ecclesiam tenuit. Hoc Pontifice in Hispania Synodus Tolitana habita est kal. Septembris ipso anno seculari. Episcopi decem & nouem actis interfuerunt ex varijs Hispaniæ vrbibus conuocati. in his primum locum Patronus occupauit Toletanus Episcopus vt quidam asserunt ex catalogo vetusto, eius ecclesiæ Præfulum ab hoc tempore numerum inchoante: vt alijs visum est Bracarenis, quod in actis Synodi Paterni Bracarensis memoria extet. neutri argumēto satis efficaci. Priscilliani placita nouis decretis exagitare atque conuellere placuit. Episcopi Simphosius & Dictinius atq; Comasius presbyter eiurata secta ecclesiæ conciliati. Dictinium Asturica, cuius vrbis Præful fuit, in cælitum numero habet colitque, nimirum erroris suspicione vel imposita, vel salutaris pœnitentiæ dolore per totam vitam expiata. Extant ad Patres in eo conuētū Innocentij Romani Pōtificis litteræ cum anno consequenti Anastasio successisset. Africam per hæc tempora Gildo cum potestate gubernabat, Rufinus Orientis prouincias, Occidentis Stilico maiori auctoritate quam alij Serena coniuge ex Theodosij fratre nata potens, præterea Honorij focer. Hos Theodosius exitiali, si spectetur euentus consilio, reipublicæ moderatores constituerat, vt filiorum ætatem virtute iuarent, & imperij molem suis ipsi humeris regerent. Verum cum suo potius quam alieno nomine dominari cuperent, & præ ambitione imperandi datæ fidei religio tanti non esset, imperij maiestatem penitus labefactarunt.

Primus Gildo in Africa rebellauit, eoque & Mascescele fratre, cum deinceps imperium inuasissent sublatis: Rufinus neque horum perfidia, neque exitu castigatus Gotthos ad arma excitauit, aliasque nationes barbaras. Ea via erat ad imperium occupandum inuenta, non aspera modò sed fallax. natione Britannus seu Francus Rufinus fuit, magni vsus Dux fide non eadem. Eius fraude detecta cum de medio esset sublatus, quasi fatali perfidia per omnes prouincias ad imperij exitium vagata, Stilico iisdem vestigijs insistens, vt proximo libro repetendum est, atque paulò copiosius explicandum, varias gentes sollicitauit ad sumendum arma. Vandalos gentiles suos & Alanos in imperij prouincias attraxit clam cum illis communicato consilio. Rebus in supremum discrimē adductis scilicet filio Eucherio imperium parabat, Theodosij Magni sobole sublata, versutus iuxta & ingratus. Gotthi imprimis ob negata rursus stipendia Thracia & vicinis prouincijs vastatis in Italiam bipartitò irruperunt. Radagasius Gotthorum Dux alter ex antiquis gentis eius sedibus cum numerosa multitudine Italia Fesulas vsque in Hetruria penetrata

netrata Stiliconis virtute cum copijs omnibus oppressus est. Alaricum Ducem alterum ad Rauennam cum delere potuisset, acie superare satis habuit. Fraus detecta auctori exitialis reipublicæ funesta fuit. Stilico Honorij iussu peremptus anno salutis quadringentesimo octauo, decimo kal. Septembris: post eum Serena vxor Eucheriusque filius. Gotthis ex fœdere in Galliæ finibus sedes erant datæ. Ijs irritandis Stilico Saulum Iudæum ad Alpium radices tendentes iusserat impetu repente facto mulctare. quam ferox gens iniuriam non ferens conuerso itinere vastata Italia ipsum orbis caput Romam post diurnam obsidionem in potestatem redegit, ferro flammaque deformatam, tanta immanitate, vt totius orbis iniurias vlcisci velle viderentur. 10

4 1 0 Capta est Roma salutis anno quadringentesimo decimo, vt præcipua eruditione viri numerant. Paulus Orosius, nisi numeri sunt vitiosi, anno ab Vrbe condita millesimo centesimo sexagesimo quarto irrupisse Alaricum ait Romamque expugnasse, hoc est, anno Christi quadringentesimo duodecimo: quod eius æqualis Prosper Aquitanicus est certe secutus. In ea vrbe Placidia Honorij soror capta Athaulfo nupsit, Alarici sororij sui ad Cosentiam paulò post in Lucanis extincti successori. Is regno gentis suscepto ex fœdere cum Honorio facto ad Pyrenæi radices ex vtraque parte, nimirum in Gallia atque Hispania sedes accipit: vbi fortunarum & vtæ, gens bello assueta domicilia collocaret. Ab hoc principio Gotthis ad vniuersæ Hispaniæ imperium aditus est patefactus. vt proximus liber explicabit. 20 30

Libri Quarti Finis.

HISTO-

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER QUINTVS.

10 Varias gentes in Hispaniam venisse. Cap. I.



10 VLTAS gentes feras & indomitas in Hispaniam per hæc tempora venisse, sequens narratio declarabit, Vandalos, Sueuos, Alanos, atque Silingos. Gotthi in primis ex antiquis sedibus dilapsi, cum orientis occidentisque solis oras sui nominis terrore famaue complessent, atque victricibus armis Italiam vniuersam lustrassent, ad extremum in Hispania constiterunt: in eaque imperij sedem cæteris nationibus quæ pulsas, quæ domitas collocarunt ac tenuerunt annis amplius trecentis. Ex Septentrione omnes has gentes profectas se se in Romani imperij prouincias insudisse quæstionis non est. ab insito corporibus ardore, quem regionis frigus accendit, cibi & potus indulgentia, ad procreandam sobolem fœcunditas maior existit. vnde aucta sæpe multitudine, quo tempore præsertim nondum Christi religione suscepta defultoriæ veneris licentia ad vnas nuptias constricta erat: soli sterilitas niuibus & pruina plurimum rigentis vitæ sustentandæ necessitate cogebat innumera hominum examina in mitiores fertilioresque agros commigrare: Romanos rerum dominos de finibus lacerare: imperij prouincijs ni mature obliteretur cladem exitiumque comparare. Quibus ex regionibus singulæ 30 hæ nationes in Hispaniam commigrarint, quibus moribus, & ingenio essent (nam lingua institutis legibusque discrepasse constat) explicare oratione, atque ita explicare vt inter tot opinionum tenebras verum inuenisse videamur, ardua res est, neque diligentia deesset si via se ostenderet laboranti: nunc coniecturis standum, quando rerum vetustas, & eorum temporum incuria certam scriptioni fidem derogat. Vandalos Plinius in Germania collocat, quibus ferme locis nunc Melburgenses sunt, & Pomerani: tametsi Dion fontes, vnde Albius fluuius deriuatur irrigatque Germaniam, in Vandalicis montibus ponit. Vandalis Burgundiones annumerari debent eorum pars, à Burgis, hoc est, pagis in quos dissipati erant appellatione indita: & cum in Heduis confedisissent, ei Galliæ prouinciæ Burgundiæ nomen fecerunt. Alanos 40 Dacis & Getis finitimos facit Dionysius is, qui luculento carmine orbis terrarum situm Græco sermone descripsit: Marcellinus in Scythia, beatosque ait haberi consueuisse, qui cecidissent in prælio: senio contabescentes aut toruita morte consumptos, contumelijs conuitijsque lacerare, truci homines

M 5 ingenio



ingenio & ad immanitatem procliui: propterea quod à cultu atque humanitate aliarum prouinciarum gens Scythica longissime abest, nihilque importatur ferme eorum, quæ animorū ferociam emollire solent. Silingos venisse in Hispaniam constat, & cum Vandalis confusos in Bætica confedisse nullo suæ gentis Rege peculiari. qua tamen ex Septentrionis regione venerint, incertum est. Salingos Boiorum gentem quidam faciunt, vnde Salingostadium olim in ripa Danubij tertio ab Heligostadio lapide. neque dubium est Francos, qui per hæc tempora Galliam occuparunt, Salios à Sala flumine nuncupatos vt Marcellinus est auctor. ab ijs legem Salicam dictam hæreditates Francorum in sceminas transferri vetantem. Sueuos quondam ad Albim 10 sedes habuisse constans antiquorum opinio est. cæterum Strabo Sueuos ad Danubij etiam ortum ponit, quibus ferme locis nunc Augusta Vindelicorū sita est. Reliqui sunt Gotthi, quorū origo quoniam diutius in Hispania regnarunt, & maiori fama celebrantur, paulo altius eruenda est. Gotthos olim non pauci Getas esse existimarunt, quos Plinius & Herodotus non procul ab Istri ripis ostijsque collocarunt: atque Gog & Magog nominibus in diuinis libris Getas, & Massagetas significari aiunt. quorum opiniones, neq; probare operæpretium est, neque refellere arduum: cum Plinius in Cœlesyriæ vrbi- bus numeret Magog, quam alio nomine Bambycem vocari ait. & plerique quorum sententia potior est & studium eruendæ antiquitatis maius, eam gen- 20 tem ex Scandia (Basiliam antiqui seu Baltiam nominabant) prodijisse affirmant terrarum tractu latissimo supra Germaniam supraque Sarmatiam, ei prouinciæ ad orientem Solem coniuncta, cui Fimmarchiæ nomē est, circumfusis alijs ex partibus mari Baltico atq; Glaciali peninsulæ forma multo longiore spatij, quam lata in Gothiam, Sueciam diuisæ & Nortvegiam cui Lapia coniuncta est. Ad Occasum enim vbi sinus Codanus panditur (incolæ Sconicum vocant) atq; ad eam Scandiæ partem, qua breuissimus in Cimbri- cam Chersonesum Daniamq; traiectus est, minor peninsula maioris pars efficitur, cui Gothiæ nomen est, duobus potissimum nominibus olim diuisa in 30 Ostrogotthos ipsorum lingua, nostra Orientales, & Visigotthos, idest Occidentales. Inter Visigotthos Balthi à maioribus vocitati (ita enim dicuntur apud eos audaces) inter Ostrogotthos Amali ab Amalo summo & Duce & Rege nuncupati, illustriissimæ Regiæque familiæ erant. Reliquam Scandiam perpetui mōtes secant, Suecia ad austrum relicta mitiori cælo: ad Septentriones Nortvegia maiori frigoris scuiti vastatur: vsq; eò vt importatum vinum vi frigoris continuò acescere feratur. quæ res magnam aliquando Pontificibus Romanis ingressit curam, vt diuinæ hostiæ pars vtraque retineretur, perficereturque oppidatim. Sunt Gotthi fere cæsarie barbaq; rutila, colore candidi, vt plerique omnes Germaniæ populi cum quibus affinem sermonem habent, neque multum discrepantem à cæteris gentibus, quas in Hispaniam 40 per hæc tempora ferro penetrasse dictum est, præter Alanos, quos Scythico sermone vsos esse magis ex coniectura probabili, quam certo argumēto licet affirmare. Omnino in vulgarem linguam, qua hoc tempore vitur Hispania ex multarum linguarum colluione conflata, multæ voces ex Gotthorum sermone

sermone deriuarunt, quo in numero hæc sunt. Tripas, Caza, Robar, Yelmo, Moza, Vandera, Harpa, Iuglar, Aluergar, Escanciar, Esfremidor, Cangilon, Camisa, Sauana. Quemadmodum Vandalis aliæ voces acceptæ feruntur. Camara, Gozque, Azafran. Christi sacra ab his omnibus nationibus, aut nunc aut paulò post hæc tempora suscepta sunt populariter. olim superstitioni multiplici seruire solitæ erant: ac Gotthi in primis haudquaquam bella auspiciatò suscipi arbitrabantur nisi humano sanguine exercitu procurato, captis in bello mactatis Marti (cui imprimis addicti prædæ primitias offerre, exuiasq; truncis suspendere soliti erant) neque geri nisi equos prius solenni ritu mactassent, eorumque capita rictu diducto in contis essent prælata. Illud recte: 10 quod humanos animos perpetuos fore ducta ex antiquo per manus opinione habebant persuasum, præmiaque & supplicia à rogo superesse existimabant. Cælo tonante sagittis in sublime eiaculatis numini opitulari, cui vim afferri ac regno deturbari suspicabantur. Maiorum facta ad lyram cantu modisque concelebrabant. Gotthorum insignia leonem erecto in uerboque capite vndanti clypeo impositum fuisse, cæruleo dimidiata ex parte quidam affirmant. alij tres leones ingredientium habitu supra se inuicem Regum Daciæ similitudine. In quo sudandum non est, cum sit præcipue nostrarū partium occa- 20 sionem paulo superius indicatam copiosius explicare, quæ tam multis nationibus & tam barbaris aditum patefecit in Hispaniam. In ea rerum colluione atque imperij Romani ruina Marcus quidam in Britannia à legionibus Imperator est salutatus, neque minori leuitate paulò post de medio sublatus, Gratianusq; substitutus: & hoc intra quartum mensem occiso pari leuitate Constantinus in eius locum subrogatur, nullis rebus gestis insignis sed memoria nominis bene apud eas gentes ominati commendatus, anno quan- 40 tum ex Paulo Orosio conijci licet quadringentesimo vndecimo, Theodosio iuniore Cos. IIII. cum is Arcadio patre ante triennium de functo Orientis imperium gubernaret. Constantini partes magna Galliæ pars atque Hispaniæ secuta est Romani imperij diuturnitate atque grauissimis vectigalibus, quæ 30 indies maiora imperabantur, cunctorum animis exacerbatis. Didymus & Verinianus Honorij propinqui in Hispania in fide perstantes tumultuario collecto exercitu & maiori quam pro viribus animo Pyrenæi aditu Constantinum, qui ex Gallia in Hispaniam festinare nunciabatur, prohibere conati, à Constante tyranni filio, quem pater ex monasterio detractum & Cæsarem dictum præmiserat in Hispaniam, victi acie atq; trucidati sunt, tum ipsi, tum vxores. Theodosius & Lagodius occisorum fratres fugæ beneficio seruari ad Imperatores abierunt Honorium Theodosiumque Arcadij filium diffisi viribus. Constantis exercitus plurimum ex ijs gentibus erat conflatus, quæ 40 cum ex Germania irrupissent in Galliam ob fœdus cum Honorio factū Honoriaci nuncupabantur. Hi Constantis permissū Hispaniam Palentiam vsq; depopulati sunt. nimirum barbari exercitus voluntates aliena calamitate redimebantur. deinde cum reditū ad patrem pararet, Pyrenæi angustijs præfecti sunt: molestè ferentibus Hispanis mercenarium miutem dubiaque adeo fide ipsorum constantiæ prælatū, quibus ducta ex antiquo consuetudine is honor deberi

deberi videbatur. Detractum ut prouinciæ aditus ipsi munirent, querebatur scilicet, foreque, minitabantur, ut breui noui motus existerent, rursusque ad alios dominos Hispania respiceret, contumeliæ dolore faciente animos. Eorum sermones vanos non fuisse, euentus breui declarauit. Honoriaci enim quibus natura fauere cogebat Vandalos, Alanos, Sueuos, & Silingos, quos paulò ante Stilico in Galliam immiserat, ut est paulò ante demonstratū, clam inito fœdere patefacto que aditu, quo catenus erant prohibiti, attraxerunt in Hispaniam. Deserendi Galliam Gotthorum metus causâ fuisse putatur, quibus facta cum Honorio pace ut pares esse possent verebantur. Constantini etiam potentia sollicitabat maximam Gallie partem imperio obtinentis, & ad reliquâ aspirantis. Erat Sueuorum Rex Hermenericus, Alanorum Atace, Vandalorū & Silingorum Gundericus. Horum irruptione grauissimæ calamitates consecutæ sunt: cum barbara immanitate in Hispanorum atque Romanorum fortunas sine discrimine inuolarent, agris & oppidis asferrent vastitatem. unde sæuiente mox fame humanis carnibus passim vitam tolerare non homines modò cogebantur, sed & bestię ea laniena esserata passim in homines irruerant. Famem ut sit pestis lues excepit grauissima. innumeri tota prouincia consumpti superstitum inuidia, cum quauis morte grauiora mala tolerarent. Ergo prouincia magna ex parte habitatoribus vastata barbari in varijs eius regionibus sedes collocarunt. Sueuis & Vandalorum parti Calæcia data est latioribus quam nostra ætate finibus: nam totam Castellam veterem ambitu comprehendebat. Lusitania & Carthaginensis prouincia Alanis obueniunt, demptis Carpetanis & Celtiberis in fide Romanorum persistantibus. Bætica Vādalis & Silingis attributa. Ea partitione facta fœdus in initum cum Romanis: cultusque pristinus & frequentia in prouincię vrbes magna ex parte reuocata est. Hispani nouam seruiendi conditione Romanorum imperio atque acerbitati præferebant. tamen nonnulli veterem libertatem mordicus retinētes barbaricum iugum subire detrectabant, præsertim in Calæcię tractu, ubi Sueuorum imperium erat. Interea Honorius ex Italia Constantium cum valido exercitu in Galliam immiserat contra tyrannum. In Hispania noui motus exorti. Maximo in Citeriori Hispania Imperatore salutato Gerōnius Comes tyranni prioris odio, cuius partes sequebatur, ut alieno nomine regnaret eius defectionis auctor exitit. Itaque Maximo Tarracone relicto cum copijs ipse in Galliam penetrauit: Viennæque ea vrbe capta Constantem Cæsarem nactus de medio sustulit. ne ulterius procederet Constantij aduentus fama deterruit. Reducem in Hispaniam an hominis fortuna despecta, an Honorij demerendi studio, Hispani noctu in ædes impetu facto quamuis egregie pro extrema spe dimicantem iniecto igne peremerunt. Maximus Gerontij opibus, cuius auctoritate stabat, destitutus cum fuga salutem cōsuluisse inglorius ad Orosij ætatem vitam calamitosam propagauit. Dum hæc in Hispania geruntur, Constantij virtute Constantinus tyrannus Arelati & Iulianus eius filius sublatis. neque multo post Iouius & Sebastianus deinceps imperio rebellantes. Galliaque vniuersa ad Honorij ditionem reuocata salutis

4 1 3 anno quadringentesimo tertio decimo. Gotthi tanquam ad vtriusque prouinciæ

uinciæ præsidium Honorij permissu Pyrenæi radices vtrinque, post biennium occuparunt. Ij ex antiquis sedibus ante hæc tempora sæpe dilapsi atque in Romani imperij prouincias impetu facto, virtutis opinionem maximam excitant: vsque eò dum Alexander Macedo gentis indomitæ congressum declinasse, Pyrrhus Epirota exhoruisse, Iulius Cæsar detrectasse crediti sint. auctor Orosius. Huius gentis irruptiones omnes & bella commemorare nostri instituti non est. res gestas narratione explicare sigillatim maius opus quam pro susceptæ narrationis modo. Valente Imperatore, ut est superius demonstratum, Visigothos ex antiquis sedibus deductos in Mœsiæ finibus sedes accepisse ea lege constat, ut Romani imperij stipendia facerent, Christi Dei sacra susciperent. unde ex aliquato interuallo Arii secta, cui Valens addictus erat, magnarum calamitatum & motuum in Hispania exitit causa. Datas sedes ad Arcadij & Honorij imperium tutati in Pannoniam vsque propagarunt, paulò ante quam irrupissent in Italiam Thracia vastata. nimirum Stilico Honorij focer, ut Eucherio filio imperium pararet gentem suo pte ingenio inquietam ad arma excitauit. duxerat Stilico Serenam Honorij fratris Theodosij filiam: ex qua Eucherius, Maria, & Thermantia nati. Eucherio Galla Placidia Imperatorum soror connubio iuncta. Honorius Mariam & Thermantiam deinceps duxit. Mariæ sepulcrum Romæ non ita pridem re-

20 pertum Paulo. III. Pontif. Max. in D. Petri Vaticani gemmæque in eo magni pretij, auri & argenti pondus non exiguum Honorij & Marię nominibus in bulla expressis: uti ex Topographia vrbis Romæ à Marliano edita cognoscere accuratius licet. Sublata igitur vtraque Honorij vxore (quidam Thermantiam ait ab Honorio repudiatam cognita Stiliconis fraude) Stilico quasi fidei vinculis sublatis facinus, quod diu animo coxerat perficere cum maturaret, Vandalos, unde ipsi origo, & Alanos magnis inuitatos præmijs immisit in Galliã. Gotthi eadem arte stipendijs negatis arma corripuerunt. Alarico Rege salutato in defuncti Athanarici locum, Thraciaque & Italia vastatis ipsum orbis caput Romam diuturna obsidione fatigatam in potestatem redegerunt Fl. Vararo & Tertullo Coss. IIII. Nonas Augusti, Honorij fœcordia tanta, cuius partes erant summæ rerum opitulanti, ut renunciantem vrbis Romę calamitatem de Gallo putaret loqui, quem Romam vocare erat solitus & pugnantis paulò ante spectaculo se, ut in more habebat, oblectarat. Gotthorum Duce Alarico in extrema Italia defuncto, Athaulfus successor Gallæ Placidie vxoris, quæ Romæ capta fuerat, blanditijs delinitus & ad pacem procliuis cum Honorio fœdus pepigit. ex quo Gotthorum copię ex Italia deductæ in Galliæ Hispaniæque confinibus confederunt. regni sedes Narbone collocata salutis anno quadringentesimo quintodecimo: unde Galliæ Gotthicæ nomen factum finibus sæpe alternantibus pro vario bellorum successu cum Francis finitimis & Romanis. Atque hac occasione tum aliæ gentes tum Gotthi in Hispaniam venerunt.

*A Gotthis alia nationes barbara in Hispania superantur.*

Cap. II.

ERAT



RAT Hispania in multa regna distracta legibus institutis atque religione discrepantia. Romani & Hispani catholice religioni addicti erant. Gotthi Arianorum peste contaminati. reliquæ nationes barbaræ nondum Christi sacris imbutæ gentili superstitioni seruibant. Vniuersæ ut occupatam ditionem in ea rerum colluione retinere liceret, pro se quæque pacem cum Romanis firmare cupiebant. Godigisco (Gundericum quidam vocant Gisericum Iornandes, id certe falso) Vandalorum Regi in has leges data est. Ut sine veterum incolarum maleficio viuerent in Hispania, neque triginta annorum præscriptionis lege vlllo tempore tuerentur aduersus Romanos, quæ per vim nefasque usurpassent. Quibus verbis indicabatur eam pacem non tam voluntate concessam, quam expressam necessitate: magisque facultatem deesse quam bellandi cupiditatem. Omnino ex eo fœdere inter barbaros nouis suspicionibus natis bellum continuo exarsit. Alani ferocios Vandalos atque Silingos Bætica relicta coegerunt in Calæciam ad Sueuos confugere, ut iunctis cum illis viribus Alanorum audacia repressa sedes suas, vnde erant pulsati recuperarent. Alanorum impetu in Celtiberiam & Carpetaniam conuerso multæ vrbes & oppida detractæ Romanis. Gotthi consequenti anno ex quo in Galliã venerat, in Hispaniã penetrarunt. vbi eorum ope Attalus imperij honorem inane nomen exitialeque primum usurpauit: mox consilij inops & viribus destitutus cum mari euadere tentasset ex fuga retractus à Constantio, qui ea littora validis classibus obtinebat, ad Honorium missus pollice & indice præcisus in Liparam exilij gratia deportatus est. Athaulfus Gotthorum Rex siue suo pte ingenio, siue ex noua affinitate ad pacem quam ad bellum propensior, cum Barcinone constitisset, suorum coniuratione periijt anno salutis quadringentesimo sextodecimo, cum annos amplius quinque regnasset. Vernulfus pusilla statura homuncio, cæterum viuido ingenio & in omnia iura familiaria assuetus, nactus opportunitatem facinoris, Regis latus districto ense transuerberauit. Dobbium Olympiodorus vocat & Athaulfi cede vindicasse heri cede ab eo ante occisi. Sex Athaulfi filios vna cum patre periijisse sepulcri inscriptio carmine concepta declarat, cuius hodie sepulcri pars Barcinone extat. Ei inscriptioni quanta fides sit arroganda, aliorum esto iudicium: nobis recentior visa est, quam pro horum temporum antiquitate. Natum certe ex Athaulfo & Placidia atque in prima ætate defunctum infantem Theodosium, in oratorio pro Barcinone vrbe atque in theca argentea sepultum: alios ex priori coniugio Athaulfi filios de sinu Sigefari Episcopi abstractos neci datos à Sigerico successore: præterea ante eius equum Placidiam cum alijs captiuis longo spatio currere compulsam fuisse (sic sunt rerum vices) Olympiodorus ait. Ergo in Athaulfi locum Sigericus gētis suffragio subrogatus (nam indoles merat belloque & pace spectata virtus, ad hæc in procerò corpore oris dignitas, quãuis crure altero ex equi casu debilitato) cum Athaulfi vestigijs insisteret eatenus, ut ad pacis consilia procliuis videretur, suorum coniuratione ferro occubuit intra primum regni annum, Vvalia substituto inquieto homine atque bellaci. Hunc scribunt sub initia regni instructa classe in Africam

cam transmittere voluisse: siue rerum suarum desperatione, cum vtrinque hostes terrorem incuterent hinc Constantius, inde nationes barbaræ, siue alia quauis de causa ac præsertim Mauritanie accupandæ studio Hispanie contributæ. Dissiecta sane vi tempestatis classe ad freti Gaditani fauces, cum in Oceanum egredi pararet, necessitate in Hispaniam reuocatus cum Constantio fœdus pepigit ea lege: Ut Placidia Athaulfi vxor, quæ Constantio erat à fratre Imperatore pacta redderetur. Nationes barbaras quæ obtinebant Hispaniam Gotthi bello fatigarent. Eius belli progressu quidquid terrarum quaesitum esset ereptumque hostibus, cederet imperio Romano. Ipsi quibus finibus antea, in Gallia atque Hispania ditionem terminarent. Hæc pax facta est, eius seculi anno octauodecimo, auctore Paulo Orosio Presbytero Tarraconensi, Augustini atque Hieronymi familiaritate claro. qui rerum Romanarum historiam perduxit in proximum annum Flauijque ad eum Monaxij & Flauij Plinthæ consulatum. Constantio cum Placidie nuptijs imperij maiestas accessit Honorio concedente. Vvalia ob domitas, ut erat in fœdere, gentes barbaras Aquitanie possessione auctus est, nobilissimo Gallie tractu Garumna flumine & Pyrenæis montibus comprehenso, vbi Tolosa & ad Oceanum Burdigala sitæ sunt. Ex Celtiberia enim, quo Constantius penetrarat rerum Hispaniensium cura, Gotthi noui belli cura suscepta, in Alanos rerum successu ferocientes, neque ijs finibus contentos quos primo aduentu occuparant, atque ad totius Hispanie imperium aspirantes impetu facto, Rege eorum Atace in prælio cum multis suorum trucidato, qui cladi superfuerunt deserta Lusitania in Calæciam aufugere compulerunt, vbi Sueuis confusi gentis & regni nomē penitus amiserunt. Alanque oppidum in Olisiponenli agro, & Alanim in montibus Hispalensibus quidam suspicantur ab Alanis ea nomina accepisse (nam Alanque olim Ierabrica fuit) nulla meliori coniectura, quam appellationum similitudine. Eodem belli impetu Silingi vexati, domitique (cum in Tartesiis campis pugnatū esset) constitutis qui genti iura darent ex Gothorum numero. Horum exemplo Vandali, atque Sueui castigati retenta ditione, in ius concesserunt Romanorum, quorum auspicijs bellum administrabatur, Gothorum periculo, & armis. Negatum tamen vectigalibus, Romani imperij stipendia facere, ne retentis armis rebellandi facultas esset. Vvalia grauisimo bello breui confecto, cum in Galliam concessisset quasi Hispania penitus domita atque pacata, Tolosæ ex morbo defunctus est eius seculi anno nonodecimo, cum tribus annis iura Gotthis dixisset, suumque & gentis nomen tantis rebus gestis magnopere illustrasset.

*Theoreddi Regnum. Cap. III.*

POST Vvalie profectioem in Galliam duæ res incommodæ consecutæ sunt. Constantij Imperatoris mors, cum Hispania Galliaque pacatis in Italiam se contulisset Rhauennæ defunctus est salutis anno quadringentesimo vigesimo primo, Valentiniano infante ex Placidia relicto: quem auunculus Imperator in imperij spem educandum

candum curauit. nationes barbaræ in Hispania resurgere cœperunt atque ditionem & auctoritatem pristinam recuperare. Vandali in primis, quorum erat inter gentes cæteras opinio virtutis singularis, Rege Gunderico Hispaniæ totius imperio spe deuorato, Sueuos (causæ in incerto fuere) sed Sueuos tamen Eruasis montibus se tenere coegerunt, magis locorum munitione fidentes, quam vera virtute. Hos montes Legionem inter & Ouetum Aruas hoc tempore vocari peruetusto monasterio nobiles quidam arbitrantur, & Ptolemæo Narbalos esse. Montium horum quicumque fuerint præsidio Sueui cum nusquam totius dimicationis copiam facerent, Vandali victoriæ spe depulsi instructa classè in Baleares profecti ferro igneque eas insulas deformatarunt. inde in continentem versi Carthaginem Spartariam, quæ paulò ante Alanis crepta in ditione Romanorum erat, solo æquarunt, non totis sexcentis annis decursis ex quo à Pœnis fuerat fundata, imperij Punici arx atque præsidium in Hispania. Secundum hanc cladem ad casus redacta, propter portus nobilitatem consequenti tempore habitari cœpit. nostra ætate vix in ea sexcentæ familiæ numerantur. Omnino ex eo tempore vrbs Carthaginis iura Toletum migrarunt. quod ab antiquo scriptore rerum Hispaniæ affirmatum, nonnulli de Metropolitanæ dignitate interpretantur: alij de conuentu iuridicundo Carthaginensis prouinciæ populis Toletum iura petere coactis, quæ stante Carthagine ab ea vrbe petebantur. argumenta quoniam in neutram partem assensum exprimunt: de tota re liberam lectori iudicium ex aliorum lectione relinquatur. Gundericus Vandalorum Rex excisa Carthagine in Silingos impetu factò, quoniam Romanorum auctoritatem sequebantur, eorum agris vastatis atque Hispali eorundem ditionis vi expugnata atque direpta, cum ad extremum sancti Vincentij in ea vrbe templum opibus & religione nobile simili audacia diripere, atque spoliare pararet, in ipso templi limine extinctus est, violatam religionem diuino numine ipsiusmet Regis morte procurante. Successit Gensericus defuncti ex impari matre frater, alij Guntharim scribunt. Hæc omnia intra eundem annum gesta sunt quo Constantius Imperator obiit. quo tempore Iouino & Maximo imperij nomen occupantibus in Hispania, noui motus excitati Honorium Imperatorem compulerunt nouis delectibus habitis, Castinum rebus gestis ea ætate nobilem contra tyrannos & Vandalos ablegare. Eius virtute Iouinus & Maximus, quoniam exiguo præsidio nitentur, & magis rerum perturbatione quam sua virtute iudebant, breui in potestatem redacti atque perempti sunt. maior rerum moles a Vandalis opponebatur. Itaque Castinus viribus difusus Bonifacium quidem Comitem belli & pacis artibus æque atque Augustini familiaritate nobilem ex Africa, vbi res gerebat, acciuit in Hispaniam. cæterum discordia vt sit inter pari potestate Duces exorta, cum summo periculo tum Hispaniæ tum rerum Romanarum Bonifacius in Africam redijt. Castinus eo præsidio destitutus contra Vandalos nulla re gesta memorabili in Italiam redire compulsus est ipso anno huius seculi vigesimotertio: quo Honorius Imperator rebus humanis exemptus est octauodecimo kalend. Septembris, cum imperasset

annos

annos octo & viginti, menses vndecim, dies decem, non magis constantia religionis quam imperij casu atq; infelicitate nobilis. Corpus in D. Petri Vaticanum tumulatum. Valentinianus eo nomine. III. in defuncti locum est subrogatus ætate puer, atque tantis rebus sustinendis impar. Eam imbecillitatem Flavius Ioannes ad imperij occupandi occasionem vertit. Ioanne post biennium oppresso Bonifacius Aetij æraulatione, quem apud Placidiam gratia & auctoritate plurimum posse dolebat, vindictæ studio & rebus suis cauens Vandalorum Regem Gensericum acciuit in Africam. barbarorū armis Africæ imperium retinere cogitabat, Vandalis parte data, vti erat in fœdere designatum. Vsq; adeo ambitionis labe excæcantur humani animi, vt neque reipublicæ amor, neque fides, neque religionis studium quo erat singulari, hominem alioqui probitatis opinione excellentem à concepto facinore retardarit. Itaq; Gensericus Africæ imperio occupandæ occasionem nō esse præmittendam iudicans, deserta Bætica, atq; spe repudiata totius Hispaniæ, cuius imperium meditari cœperat, armis subiugandæ, cum octoginta Vandalorum millibus mare trāsmisit, huius seculi anno septimo & vigesimo, Hierij & Ardaburij Cons. Silingi remaserunt in Hispania, eaq; potissimum Bæticiæ parte, vbi Hispali sita est. vnde quoniam Vandalis contributi erant, illisq; confusi cōsequenti tēpore Bæticiæ nomen Vandalosiæ appellatione nō iisdem prorsus finibus mutatum est. Vādali in Africa initio quidem iunctis cum Bonifacio viribus magnam eius prouinciæ partem sub imperiū miserunt: deinde tamen orto dissidio, vt est incōmunicabilis natura potestatis, Vandali cōcessa in fœdere Africæ parte haudquaquam cōtenti: & solent homines ad maiora tendere sordentibus primis cum meliora expectātur, Bonifacium viribus inferiorem intra Hipponem obsessum (qua in obsidione Augustinus eius vrbs Episcopus obiit, vir immortalis laude gloriaque dignissimus) expugnata vrbe peremerunt, vniuersamq; propemodum Africam redegerunt in potestatem. Arii opinionibus deprauati venerant (ex Gotthorum fortassis cōmercio.) Ex eo magnis calamitatibus atq; diuturnis Africæ ecclesiæ implicatæ sunt. innumeri mortales perempti ob veræ religionis atq; catholicæ constantiam. In his Arcadius, Probus, Paschasius, Eutychieus cæli sunt, regni Genserici aulæ afflæ: tum Paulillus puer Paschasij & Eutychiei frater germanus in seruitutem contraditus eo consilio, vt sordidi ministerij cui addicebatur tædium de mētis cōstantia deduceret. Fuere hi Martyres natione Hispani: atq; quantū ex Prospero conijci licet anno quadringentesimo trigesimo septimo mortē tolerarūt. Vandalorum discessu Sueuorum potētia vniuersæ Hispaniæ cœpit esse formidabilis Hermenerico gentis Rege. eoq; ex diuturno morbo sublato, salutis anno quadringentesimo quadregesimo, regni anno trigesimo secundo, Rechila filius ardenti ingenio iuuenis vestigijs patris insistens, atque in spem erectus imperij obtinendi Hispaniam vniuersam, ad Singilim fluuium congressum Andebotum ab Imperatore missum in Hispaniam, in prælio victum cæcidit. Ex præda auri & argenti copia ad bellicos sumptus tolerandos. secundum eam victoriā Bætica imperio subacta, Silingis domitis atq; Hispali in potestatem redacta haudquaquam

N

pristi-

pristinam amplitudinem gloriamq; retinēti, cum bellorum iniurijs esset de-  
formata. Mox in Lusitaniam belli impetu cōuersio Emerita expugnata Ala-  
norum reliquiæ penitus oppressæ, deietæq; sunt. Sebastiani strenui Ducis pro  
Romanis discessus in Africam, vbi à Vandalis occisus est auctore Paulo Dia-  
cono, multum contulit ad Sueuorum audaciam confirmandam. Carpetania  
& Carthaginensis prouincia victricibus armis sub imperium missæ, bre-  
ui ex fœdere pacis studio facto ad ius ditionemque Romanorum redierunt.

4 4 8 Obijt Rechila salutis anno quadringētesimo quadragésimo octauo, Reccia-  
rio filio successore, qui primus Sueuorum Regum Christiana sacra suscepit  
Sueuicæ religionis conditor in Hispania. atq; hæc Sueui. Gotthi verò Theo- 10  
doredo Rege Valliæ propinquo atq; successore ditionem in Hispania angu-  
stis finibus terminabant exiguo tractu prouinciæ, vbi nunc Catalauni sunt,  
subdito: opibus tamen atq; militari gloria in Gallia florentes, Romanis cum  
quibus rupto superiori fœdere ex bellis bella ferere soliti erant, terrori esse  
cœperant. Numerosa Theodoredi soboles potētiam augebat. Sex enim filios  
generat, Turismundum, Theodoricum, Fridericum, Euricum, Riccinerum,  
Himericum: filias duas, alteram Genserici filio Hunnerico cōnubio iunctam  
impio homini & immani, qui catholicos in Africa indignis modis vexabat,  
uxorem præcis naribus nulla magna de causa, suspicione tantum inductus  
veneni sibi parati leui scilicet & inani, remisit ad patrem. Altera Reccario 20  
nupsit Sueuorum Regi in Hispania. Irruperant ea tēpestate in Galliam Hun-  
ni Duce Attila, qui Dei flagellum vulgò vocitatus est, siue vltro imperij pro-  
ferendi cupiditate, siue Romanorum arte inducti ad Gotthorum potentiam  
audaciamq; frænandam: siue quod vero proprius est, Genserici Vandali hor-  
tatu Gotthorum arma vindictamq; patrati sceleris formidantis. Hunnorum  
gentem quidam intra Rhipæos mōtes collocant, Marcellinus ad Oceanum  
supra Mæotidem, genus hominū figura truci, victu aspero, neq; igne neq; cō-  
ditis cibis vti solitos, sed radicibus & carnibus inter femora tepefactis: non-  
nunquā equorum sanguine, qui incisis venis manabat, vitam tolerare. Valētis 30  
imperio Gotthos antiquis sedibus expulisse primū proditū est, deinde Ar-  
menia alijsq; Orientis prouincijs vastatis vtranq; Pannoniam sub Honorio  
Gotthis eripuisse. In Gallia vicinisq; locis cum irruptiones fecissent, innatæ  
sæuitiæ vestigia fixere. Hoc demum tēpore Galliam vniuersam imperio sub-  
ijcere parātes, Rhemos nobilissimam urbem direptam incensamq; vastarūt,  
vbi Nicasius ciuitatis Pōtifex securi percussus ab ea gente est, sacros hymnos  
extremis intermoriantibusq; vocibus personans. Deinde Aureliano obseffa  
Gotthos, Francos, atque Romanos impulerunt vt fœdere inter se facto con-  
iunctis viribus communem hostem opprimendum curarent. Theodoredus  
Gotthorum Rex ad incendium, quod vt Aquitaniam inuolueret vereba- 40  
tur, primus accurrens Aureliani obsidione soluta compulit barbarum  
in Catalaunos campos (hi Marochij siue Mauricij etiam dicti sunt To-  
losæ vicini) migrare. Affuit Aetius à Valentiniano militiæ Magister  
creatus, atque Franci Merouei Regis ductu, imperioque. Ijs locis co-  
piæ ad pugnam explicantur. Theodoredus Rex in dextro latere curare  
iussus

iussus, Aetius in sinistro Francis adiunctis. Sangibanus Alanorum Rex eo-  
rum qui in parte Galliæ confederant, vbi Aurelianum est, in medium agmē  
recipitur dubia fide: eoque ne se posset commouere prouidebatur. Cōtra ab  
Attila, Reges, nationesq; aliæ in cornua distributæ. immensa belli lues latē  
patentibus campis diffusa. Ostrogotthi in eo numero eminebant, præcipua  
virtutis opinione, in sinistro latere Visigotthis obiecti. Attila ipse Hunniq;  
in medio agmine substituerunt, truci aspectu cæteris adustiores. Locus decli-  
uis erat, assurgētis collis fastigium qui priores occupassent, magnum operæ  
pretium facturi videbantur. Vtriq; pari consilio, eoque cōtendunt. Occupauere 10  
Romani. Eo incōmodo turbatum militem & de prælij summa metuentem,  
,, Attila hac sententia allocutus fertur: Victores orbis terrarum, domitores gē-  
,, tium verbis accendere opus non est. ne ignavis quidem virtutem oratio ad-  
,, dat. fortibus quales vos estis pugnare ludus est, vlcisci hostes voluptas, vin-  
,, cendi consuetudo in morem transijt. An victas Pannonias, Mœsias, Germa-  
,, niam, Galliam, Mæotidis recessus penetratos obliti estis? Assumite, qui decet  
,, victores animum. Licuit otiosis victoriarum fructum percipere: quia otium  
,, ferre non potuistis primi intulistis bellum. audaciæ maioris argumētum, sit  
,, incitamentum facite. Hic dies orbis terrarum imperium vestra virtute con-  
,, firmabit. Eæ copiæ ex colluione multarum gentium supremo conata con- 20  
flata, an vestrum conspectum ferent milites, oculos, manus? Virtuti disidēt,  
,, eo sublimiorem locum auidissimè occuparunt. At Visigotthos auxiliares  
,, habent. verū quantum id præsidij rebus erit? Si in eos irruitis vno im-  
,, petu Romani delicati emollitiq; voluptatibus quasi cōcisus neruis, nullo im-  
,, pellente cadent. Excitate ergo virtutem: solitos assumite animos: vestram  
,, operam si minus victoria, certè quod Dij auertāt, nobis morte probate. Ma-  
,, gnanimis vel in morte victoria est, vel in victoria salus, præmiaq; à nobis.  
,, non imperium modò sed exēplum expectate. Vos nisi vincitis milites, quis  
,, alius Imperator, quæ castra, quæ prouincia accipiet, omnibus nationibus ir-  
,, ritatis, inuidientibusq; vestræ felicitati? His dictis pugnæ signū datur. Hun- 30  
ni præcipitant impetum: excipiunt aduersarij nihilo minori virtute, suorum  
& ipsi Ducum cohortationibus inflāmati. miscētur agmina: prælium atrox  
fit, his atq; illis rursus exitiabile, supremo conatu, vt par erat, de imperio or-  
bis terrarum certantibus: caesorum tam multo sanguine, vt riuus vicinus ex-  
cessisse ripas memoretur, mēdacio probabili, quoniam ad centum octogin-  
ta virorum millia ceciderunt. Perijt etiam sub initium pugnæ Theodore-  
dus Rex graui ætate, suorum pedibus conculcatus, dum auidius pugnans  
in confertos hostes rapitur. Sunt qui ab Andage Ostrogottho occisum ma-  
lunt. Quod debilitare potuisset, animos auxit. Turismundus & Theodoricus  
occisi filij denso suorum agmine obturbant hostes, feroces atq; præcipientes:  
40 abrupunt ordines atque disijciunt. Attilam quamuis in illa trepidatione  
nullo constantis Ducis, aut fortissimi militis officio prætermisso in fu-  
gam vertunt. Ipsi longius studio prouecti prospectu tenebris adempto,  
in reditu hostium castris temere appropinquantes supremum peri-  
culum adierunt. Turismundus ex equo præcipitatus vulnere in capite  
N 2 accepto

accepto suorum virtute euasit. Hostis spe orbem terrarum complexus, quia non vicisset, pro victo se in castra recepit, si quid grauius accideret, sibi mortem conciscere certus accenso rogo. Carri quibus munita erant castra saluti fuerunt, & noctis tenebræ qua spe pugnam post meridiem inchoarat. A Etius haud minori metu vallo ex equorum cadaueribus clypeisq; facto, noctem totam in armis sustentauit. hostem sequenti luce certamen repetere detrectantem obsedit primum intra castra: deinde cum deleri facile potuisset, haud ægrè passus est è Gallia in Pannonias redire. Multum de tantæ victoriæ oluptate & gratulatione tum barbari fuga diminutum est, tum Theodoredi casu: tamen si Romanis æquè ac Francis gratum accidisse videbatur 10 Regem præpotentem de medio fuisse sublatum. Consultus ab Attila vates Duce hostium cæso victorem fore denunciarat, mentitus in altero, alterius partis vana interpretatione A Etij capiti id minari existimabāt, vt est genus hominum fallax vanumq;. Triduo armorum fragorem iisdem vestigijs auditū, pugnantium clamorem vmbri pertinaci contentione post mortem in pugna perstantibus in Græca Isidori philosophi vita traditur. Occasionem fabulæ videlicet prælij nobilitas præbuit. Pugnatum est, vti Cæsiodorus ait, Martiano Augusto & Clodio Adelphio Coss. eius seculi anno altero & quin 4 5 1 quagesimo, Theodoredi regni anno trigesimo secundo. Huic prælio Sueuorum Regem Recciarium interfuisse nonnulli suspiciantur, ob affinitatem cum 20 Gottho Rege iunctam: certe Vasconibus qui in Romanorum fide ea Hispaniæ parte perstabant, vbi Nauarra sita est, bello tentatis in Galliam transcedit soceri inuisendi studio: & Gotthorum auxilijs auctus in Tarraconensi prouincia Cæsaraugustam eripuit Romanis: Carthaginensem prouinciam & Carpetanos longè latèq; depopulatus foedere cum Romanis icto in ditio-nem patriamq; reuertit: Bæticam, Lusitaniam, atque Calæciam imperio complexus, & ad reliquæ Hispaniæ dominationem aspirans.

*Turismundus & Theodoricus. Cap. IIII.*



**T**HEODOREDI funere in Gotthorum castris procurato, Turismundus in patris locum cooptatus, ne patris vlciscendi studio fugientis Attilæ vestigijs insisteret, A Etij consilium & auctoritas fecit, noui regni statum disputantis stabiliendum videri: ne fratribus, si fortè male cogitarent, rerum nouandarum daretur spatium. cum ex arcano prouideret ne Gotthorum potètia nimium aucta rebus Romanis exitium compararet. A Etij consilio ita Turismundus acquiescendum iudicauit, vt breui regni opibus firmatis Attilam insecutus prælio superasse constet ad Ligerim fluuium, Alanorum partem ijs locis confidentem subijcere imperio parantem. Nobilissima victoria fuit, qua 40 compulsi Hunni Galliæ finibus abscessit. Sed Attilæ dimissi consilium A Etio exitiale fuit. cum enim suppleto exercitu arma in Dalmatiam, Illyricum, atque Italiæ partem vertisse esset nunciatum, qui opprimi in Catalaunis campis potuisset, A Etium Valentinianus occidendum

cidendum curauit perduellionis lege postulatum, salutis anno quadringentesimo quinquagesimo quarto. Quo tempore post Celestinum & Sixtum eo 4 5 4 nomine. III. Leo Romanam ecclesiam gubernabat, verè Magnus sapientiæ atq; eloquētiae laude ad animi dotes eximias, tractandi Principes dexteritatem singularem adiunxit. Attilæ Hunno cum Romanis ceruicibus immineret, retro iter conuertere obuiam factus ad Mincij vada: neq; multò post Genferico Vandalo ne urbem Romam quam ceperat incēdio vastaret persuasit. cælesti virtute celsit barbarus. Verum externa mittatur. Cum Turibio Asturicensi Episcopo in Italia olim vsus habuerat Leo, cum eam prouinciam aliasq; non paucas siue sapientiæ siue religionis studio Turibius peragraret. ex huius litteris Pontifex factus Priscilliani sectam cognouit toties iugulatam denuo renasci, in Calæcia præsertim vbi contagionis malum incubuerat maximè. Malo procurando conuentum Episcoporum Tarraconensium, Carthaginensium, Lusitanorum, atq; Calæcorum conuocandi curam Turibio ipsi per litteras demadat. Conuenere Episcopi vt erat imperatum, Celenis Calæciæ municipio. vbi Priscilliani placita cunctorum suffragio iugulata: rectæque fidei formula de scripto concepta, Baleonio Bracarensi Præfuli destinata est Metropolitanæ iure an etiā Primatis cunctis eo tractu ecclesijs imperantis. Huius formulæ mentio facta est concilio primo Bracarensi: subijciturq; primi concilij Toletani decretis, quasi eius pars, maleque 20 assutus cento errore eius qui cōciliorum volumina primus compilauit. Extat præterea Turibij epistolæ fragmentum aduersus Priscilliani sectam ad duos Episcopos Hispaniæ. vbi secundum salutem: Dolere se ait religionis concordiam, quam reliquæ ecclesiæ tenerēt, in patria labefactari, Episcoporum culpa malum toties cōpressum denuo renasci non satis considerantium. Susceptæ vitæ rationes atq; demandati muneris partes sibi rebus omnibus inferiori loquendi necessitatem imponere. Libros apocryphos, quos hæretici pro diuinis venditabant, reijciendos videri. Thomæ Apostoli acta nō aqua sed oleo affirmantia solitum Thomam baptizare, quod ex eius libri auctoritate Manichæi recipiebant sacramētum, reijciebat Priscillianus. Andreae 30 acta à Manichæis vel conficta vel deprauata. Ioannis gesta à Luceio composita homine nefario. Apostolorum memoriam, quo libro lex vetus penitus conuellbatur, indeq; Manichæos & Priscillianitas hausisse constabat. eius libri deliria affirmat de scripto à se impugnata esse sigillatim. disputationem temporis diuturnitas abstulit. Turibij corpus ad D. Martini de Licuena in Asturibus tumulatum est. à quibusdam etiam Hispaniæ populis ad sextumdecimum kal. Maij festo dicato eius memoria celebratur. Ad Turismundum referatur oratio, quem superbius atque crudelius imperantem, quàm vt libero homines ingenio atque feroci pati possent, Theodoricus & 40 Fridericus fratres perimendum curarunt. Ascalernus in omnia Regis familiaria iura assuetus ex morbo decumbentem ferro oppressit, toto anno circumactò ex quo Gotthis iura dabat. Consequenti mox anno, qui annus à Christi ortu fuit quadringentesimus quinquagesimus quintus, 4 5 5 ad quintumdecimum kal. Aprilis. Valētinianus Imperator Romę interem-

ptus est à Thrasila AEtij milite. species erat vlciscēdi Ducis iniuria sublata, re Maximo subornante tantum facinus suscepit, cum is tyrannidem affectaret, atq; vt fecit Eudoxiam Valētiniani vxorem sibi toro iungere pararet, eius maiestate occiduum imperium occupare satagens, planē ex hoc tēpore collapsum penitus atq; cōuulsū. Nouem enim deinceps tyranni malēq; ominati Imperatores haudquaquam imperij nomine digni sunt habiti. Cum per idem tempus Orientis prouincias Theodosio Iuniorē defuncto Martianus imperio teneret, synodus Episcoporū Chalcedone habita Patrum Cōcilij Nicæni numero duplicato, Dioscori & Eutychetis vāsanās de Christo opiniones iugulauit. Gotthorum gentem Theodoricus prudentia ac moderatōne singulari cōperat gubernare, Princeps optimus, ni religionem Arii placitis, vitæ probitatē fratris germani cæde scēdasset. Sidonius Apollinaris Comit̄is honore à Theodorico decoratus, deinde in Gallia factus Antistes, litteris ad Agricola datis Theodorici virtutes sigillatim commemorat. venusti oris dignitatem: corpus eximia firmitate compactum, neque munditijs cultum, sed virile prorsus, ac militare: iaculandi peritiam: in cibo & potu sobrietatem: solitum à prandio animum curis regni grauem atq; distentum, honestis ludis laxare: & quod Regum proprium est, supplicibus audientis patientiam adhibere singularem: iocis scurrarum inter cōnandum citra cuiusquam morsum sese oblectare. Auito apud se legato à Maximo Augusto, cognita eius cæde persuasit, vt Occidētis imperium inuaderet, opibusq; & auctoritate iuuire: eoq; cōcedente impetrauit vt Gotthico imperio cederet quidquid in Hispania Sueuis ereptum esset, Romanorum ditionem Carpētib; identidem atq; vniuersæ Hispaniæ imperium spe complexis. Inferēdi belli honesta causā querenda erat, affinitatisq; iura violandi. Optimum visum est missā legatione Recciarium modestiē admonere, ne vltro finitimos, vnde nulla iniuria extaret, laceffendo publicum aliarum gētium odium atq; inuidiam concitaret. Regna æquitate cōstitui, ambitione atque immanitate labefactari. Se nisi desineret imperio Romano, cui fidē astrinxerat, & à quo inuitis beneficijs esset prouocatus, deesse officio non posse. Ad hæc Reccarius vt erat elato animo, quem secūdi bellorum successus inflauerant spe vana, breui se Tolosæ affore respondet: vt quantum in vtraque gente virtutis esset periculum faceret, Marte q; arbitro de tota controuersia disceptaret. Eo responso Theodoricus accepto, suorum delectu habito, adiunctisq; Burgundionum & Francorum auxilijs Pyrenæos montes transcendit, atque ad Urbicum flumen Hiberiam præterfluens atque Asturicam in Calæciæ finibus congressum hostem fundit, fugatq;. Ingens in eo prælio Sueuorum cædes facta. Reccarius ipse accepto vulnere cum nihil tutum in Hispania fore crederet, nauis in Africam transmittere parans, vi tempestatum repulsus ad portum Cale, qua parte Durius in Oceanum euoluitur, victoris iussu interfectus est, eius seculi anno quinquagesimo sexto, vt Ado Vienneſis est auctor. Bracara direpta absque vllō ciuium sanguine: & fortassis in ea vrbe Sueuorum regia fuit. Calæciæ secundum id prælium domitæ à Theodorico, Acliulphus ex Vvarnorum gente longè a Gotthici sanguinis

guinis nobilitate præfectus, fide inconstanti. Arma in Lusitaniam versa. Eulaliæ monitu ab Emeritæ direptione temperatum: cum in eius Diuæ tutela res eius vrbs essent. In Bæticam cum copiarum parte Ceurila missus: Nepotianus & Nericus in Calæciam aduersus Acliulphum, qui fidei oblitus in ea prouincia tyrannidem inuaserat. Theodoricum in Galliam, siue otij cupiditas, siue motus alij vocabant, Romanis enim & Maioriano, qui Auito successit, iratus, qua causā incertum, sed infensus tamen, agris oppidisque vastatis, armatus Rhodanum vsque penetrauit, ac Lugdunum in potestatem redactam incendio & direptionibus deformauit. Ceurilæ in Bæticam cum de improuiso celeriusq; omnium opinione ventum esset, incolæ legatis missis nunciarunt, se suæque omnia fidei atque potestati Gotthorum permittere. neque cum reliquis Sueuis consensisse, neque contra Romanos conspirasse. paratos esse obsides dare, imperata facere, oppidis recipere, frumēto alijsq; rebus omnibus iuuare. Itaq; sine sanguine Bætica Gotthorum ditio nis facta est. in Calæcia maiori contentione bellum gerebatur, ac tandem ad Lucum commissa pugna Acliulphus, qui Regis nomen occupauerat, certè à Gotthorum imperio defecerat, cum in potestate venisset capite mulctatus est. Viris sanctis annitentibus, quos Sueui ad Theodoricum miserunt legatos cum infulis & velamentis supplices, venia prouinciæ est impetrata. neque venia tantum delictorum, quam postulabant, sed & ab incredibili animi magnitudine datum collectis naufragij reliquijs Regem è suo numero genteque creare. Ventum in comitia, & cum voluntatibus discreparent, pars Frantam Regem iussit, pars Masdram. intra biennium Masdra suorum ferro occubuit, Remismundus filius successor, anno salutis quadringentesimo sexagesimo, iuxta Isidori computationem, numeris ad veram rationem castigatis, cōedere cum Franta icto, iunctisque cum eo viribus, Lusitaniam ad Romanorum ditionem, quo casu incertum, sed reuocatum tamen, igne ferroque depopulatus, sub iugum imperij mittere prorsus non valuit. Romæ, atque in Italia Ricimer ex Vualix Gotthi Regis filia & Sueuo patre natus, militiæ Magister (summæ id potestatis secundum Imperatores nomen) instituendis destituendisque in ea temporum fece Imperatoribus rem Romanam sursum deorsum versabat. Nam Mæcilio Auito, qui post Maximum imperium tenuerat abdicante, Iulius Valerius Maiorianus successor in Hispaniam delatus, eius prouinciæ motibus pacatis, in portu Carthaginis classem ædificandam instruendamq; curauerat, Vandalos in Africa opprimendi studio. Tantus apparatus Romana classe qua incensa ab hostibus, cum Imperatoris conatus præoccupassent, qua capta euanuit. Maiorianus ipse rei malæ gestæ ignominia deformis, cum in Gallia tamen, Gotthi quæcunq; occupauerant, imperio restituisset, eius prouinciæ statu composito in Italiam reuersus Ricimeris fraude Derthonæ captus, salutis anno quadringentesimo sexagesimo primo, ad Hiram fluuium, septimo Idus Augusti perijt. Vibius Seuerus coniurationis particeps in eius locum subrogatus est Ricimeris ope subleuatus. In ea rerum perturbatione Theodoricus Narbonem pristinæ ditioni adiecit tradēte urbem

Rauennio, quem ipse magnis pollicitis ad defectionem à Seuerio Augusto sollicitarat. Extat huius temporis inscriptio Nebrissæ in ipsa templi fronte supra ianuam his verbis: ALEXANDRIA CLARISSIMA FOEMINA VIXIT ANNOS PLUS MINVS. XXV. RECESSIT IN PACE. X. CAL. IANVA. ERA. D. III. PROBVS FILIVS VIXIT ANNOS. II. MEN. VNV M. Vnde intelligitur Latinæ linguæ elegantiam multum ab antiquo degenerasse. Alpha & Omega cum signo Crucis ea forma, ad quam Constantinum Magnum Labarum conformasse superius est demonstratum, inscriptioni subiecta more eius temporis Christianorum sepulcra distinguebant ab alijs. Romanam ecclesiam per idem tempus Hilarius patria Calaritanus regebat, Leonis Magni successor. Extant Ascanij Tarraconensis Præfulis ad Hilarium litteræ. ex quibus in conuentu Episcoporum, nam forte conuenerant ad eius diem natalem celebrandum, Romæ relatum est: Nundinarium quidem Barcinonensem Episcopum heredem scripsisse fortunarum atque successorem designasse Irenæum adiutorem suum. eius voluntatem atque iudicium principum & populi suffragijs comprobatum. idem Siluanum Calagurritanum Episcopum effecisse, successore designato, verum absque populi voluntate & Metropolitanis consensu. Proinde petere vt Hilarij auctoritate priori electione comprobata, posterior irrita esset. Responsum ab Hilario quoniam nullo modo posset causa Barcinonen. à Calagurritano distingui, ne hæreditarium videretur quod Christi benignitate confertur, & vitæ merita conciliant: vtranque electionem irritam esse, atque more & legibus instaurari debere. litteræ tertio kal. Ianuarij datæ Basilisco & Hermenerico Coss, nimirum salutis anno quadringentesimo sexagesimo quinto. In his litteris Ascanius Tarraco. prouinciæ Metropolitanus dicitur Turiaso, Calagurris, Legio, Barcino, Ciuitatenses (Mi robriga veteribus fuit) locorum quamuis spacijs multum se iunctæ, eius cura continebantur. ad iudicium omnibus eam ecclesijs præfuisse in Hispania quæcunque Romano imperio parebant, & à Romana ecclesia tanquam religionis parente sacra petere solitæ erant, Primatis nomine nondum fortassis in Hispaniam inuecto. sed vnde iura petebantur, & vbi sedes imperij erat, ei vrbi auctoritatē in alias ecclesias datam, quam late fines imperij patebāt, multis coniecturis habemus comprobatum. ad Calæciam reuocetur oratio.

*Theodorici mors & Eurici regnum. Cap. V.*



SEVI nouis bellorum motibus agitati sunt, in Frantiæ defuncti locum factionis suffragijs substituto Frumario. A Emulo Remismundus priusquam vires coalescerent, vniuersam ditionem gentemque Sueuorum armis inuasit, obtinuitque Frumario forte fortuna per idem tempus ex morbo defuncto. tamen Iria Flauia, quæ vrbs in Remismundi fide erat, ab aduersa factione, belli deinde iniuria vastata est, Frumarij morte non satis studijs pacatis. Sueuorum gente

gente sub vnius imperium reuocata, magni delectus tota prouincia habitant. Ijs delectibus numero exercitu conflato Remismundus Lusitaniam inuadit. capta per fraudem Conimbrica, Olisipo urbem dedente Lusidio ciue eius atq; Præfecto venit in potestatem. Romanorum potentia cōtemptu erat: Gotthorum arma timebantur. Legatione missa Theodoricum cōciliare visum est, fidei constantiam polliceri, seq; imperata facere esse paratos profiteri. Nouum vinculum accessit. affinitate inter Reges cōtracta, Theodorici filia Remismundo iuncta coniugio. Annuente postulatis Theodorico, noua nupta in Hispaniam missa est, Salano viro principe deducente, comite Aia-ce homine quidem Gallo, ceterum in Regis gratiam pridem ad Arij sectam traducto. & illud agebatur vt religionis dissidio huius opera sublato, foedus initum diutius staret, Sueuorum gente ad Arij sectam traducta. Quod homo callidus diligenter præstitit, in Remismundi gratiam à Regina insinuatus, & per eum gente lethali veneno vniuersa cōtaminata. Salanus cum nuptijs celebratis in Galliam rediret, Theodoricum inuenit Eurici fraude perijsse salutis anno quadringentesimo sexagesimo septimo. ex quo pari ipse perfidia Thurismundum fratrem obruncandum curarat, anno tertio decimo. Gotthorum regnum Eurico absq; cōtrouersia cecidit. Parricidij merces regnum fuit. Sueuorum potentia sollicitabat: ne Remismundus foci Regis cædem armis vindicaret. simul Lusitaniam Sueuis eripiendæ atq; ad eum Romanis pulsus vniuersæ Hispaniæ imperio occupandæ cura erat. quæ trifariam ea ætate diuisa erat. Calæcia cum Lusitaniam parte Sueuis parebat. Bætica & Catalauni Gotthis. Romanorum imperio Carthaginensis tractus, Carpetani ac ferme reliquæ Hispaniæ prouinciæ tenebantur. Euricus ergo Fl. Leone, qui Orientis prouincias imperio obtinebat, per legatos conciliato, cum validis Gotthorum copijs in extremam Hispaniam penetrauit. atque Lusitaniam prouincia nullo prohibente longè latèq; vastata, copiarum parte præmissa vt Pompeionem & Cæsaraugustam, quæ in fide Romanorum erant, expugnaret: ipse etiam cum robore exercitus in Hispaniam Citeriorem rediēs, Tarraconem (quæ ciuitas in Hispania maximam habebat auctoritatem) post diurnam obsidionem in potestatem redactam solo æquauit. moræ tædium dolorque ad vindictam incitabat. Sic Romanis in Hispania, vniuersa ditione imperioq; spoliatis, quod ferme septingentis annis steterat, præter Calæciam, quæ Sueuis parebat, reliqua Hispania Gotthorum armis subiugata est. atque hæc in Hispania. In Gallia ditionis Gotthicæ fines amplificati hac occasione sunt. Intestinis armis suprema ac pudenda imperij imbecillitate res Italiæ laborabant: vix vt aut suis viribus aut externis auxilijs consisterent. Etenim Vibio Seuerio Imperatore defuncto Flavius Anthemius imperium Occidentis aliquandiu tenuit Ricimeris Patritij opibus sultus, cui præmium operæ fuit noui Augusti filia in matrimonium collocata. Gratia diurna nõ fuit, neque tanta priuati hominis potentia fida esse poterat. Aut pereat aut perdat necesse est qui Principi metum facit, vt tunc accidit. Enata inter socerum & generum simultate ad arma ventum, vrbeq; à Ricimere capta atque direpta Anthemius ipse ferro periit. Res in Olybrium Senatorem transla-



tæ. Ricimerem paucis post diebus mors oppressit, sæuissimis corporis doloribus excruciatum. Cælestem vindictam vulgus interpretabatur ob contempta affinitatis sacra, urbemque deformatam. Olybrium paulò post defunctum Glycerius est subsecutus, nihilo meliori successu. Julius enim Nepos, quem Leo Orientis Augustus Imperatorem renunciarat, eum abdicare coactum Salonam in Dalmatia amandauit Episcopum factum: ne ludibrio priuatus esset, erepti imperij solamen, eiecto sibi paulò post per fugium futurum. Orestis filius Nepote pulso Momyllus Augustus imperium a patre traditum accepit pridie kalendas Nouembris, anno quadringentesimo septuagesimo quinto. Augustulum vulgus dixit, infaustum veteribus nomen atque irridiculum, nobile tamen extincto Occidentis imperio, quod eodem nomine Octavius Augustus æternum fundasse videbatur. Sic vices fortuna mutat, cadunt vrbes, imperiaq; prouinciæ in solitudines vastantur, certissimum in singulorum casibus leuamen. Nobilissimæ vrbes & regna quasi proiecta cadauera iacent. nos quibus vita exiguis spatijs constricta est, si quis nostrum perijt indignabimur? Nimirum homines nos esse natos meminisse fas est, neque superis suam inuidere immortalitatem. Imperauit Augustulus menses nouem, dies viginti quatuor. Odoacer Herulorum Rex barbarus eo amoto Italiam Urbemq; prædæ habuit, tenuitque imperio amplius sedecim annis. Euricus Rex Visigothorum, domita Hispania in Gallia irruperat. ad cætera mala quibus prouinciæ premebatur, hoc quoque nouum accessit. Fatali perfidia ac eius ætatis præcipua Aruandus prior, deinde Seronatus, qui res in Gallia pro Romanis gerebant, sollicitarunt vt imperij prouincias occuparet, in ea temporum labe facili conatu. Accessit Gensericus Vandalus, nauali prælio à Basilisco Leonis imperio ad Siciliam male multatus atque in Africam reiectus, maioris mali metu vtranque Gothorum gentem contra Romanos incitauit magna præmiorum spe. Aruandus quidem & Seronatus proditione detecta capite pœnas dederunt iudicio conuicti. Genserici conatus felicior fuit. Theodemirus Ostrogothorum in Pannonia Rex recepto nuper Theodorico filio, qui diu obses Constantinopoli fuerat, cuique Italiæ imperium fata destinabant, Vindemiro fratri negotium dat vt Italiæ inferat arma per se labanti pronæque in exitum. Verùm is donis à Glycerio Augusto expugnatus relicta Italia in Galliam abiit, atque cum Eurico agros iam, villas, oppida igne ferroque vastante magno prouinciæ terrore damnoque vires iunxit, magnum rebus momentum. Epiphanius Ticinensis Episcopus à Nepote Augusto de pace legatus, vir ea ætate auctoritate præcipua, nihil profecit tamen. Eo digresso Rutheni, Cadurci, Lemouices, Gabalitani Gothorum armis expugnati. Aruernum Aquitaniæ primæ vrbs (hodie Claramontem vocant, non procul eo colle vbi Gergouia fuit) diuturna obsidione victis ciuibus ad deditioem compulit. Propugnabant Sidonius eius vrbs Episcopus castissimis precibus, clarus eruditione, moribus sanctus: Ledicius Comes armis Auiti quondam Augusti filius. Verùm cælestium auribus surdis, vrbsq; mœnibus magna ex parte prostratis, Ledicius certè fu-

gæ consilium cepit. Nepos Augustus ad se vocatum Patritium creauit, virtuti debitum præmium, quamuis infelici. Orestem in Galliam Magistrum militum misit, gente Gotthum: vnde illi ad euerendum Nepotem versis in eum viribus, filiumq; rebus præficiendi opportunitas nata. Sic Euricus nullo impediante imperij fines proferebat in Gallia. Mafsilia, alijsq; vrbus, & omni vsq; ad Rhodanum prouincia occupata regni sedem Arelati collocauit. Tantis victorijs insolentior, cum hostes decissent, arma in religionem vertit Arianæ sectæ, cui erat addictus, amplificandæ studio incensus. Catholici ecclesiarum Episcopi loco mouebantur nullis alijs substitutis. Minores sacerdotes sublatis rectoribus dissipabatur. Tempora redigebantur ad vastitatem, pars situ deformis, pars enatis herbis horrida, quas pecora & iumēta nihil prohibente locorum sanctitate depascebantur, conuulsis valuis atque aditu omnibus promiscuè patefacto hominibus atq; animantibus, nisi quæ forte sepsissent arbuta dumetaq; sponte nata. Sidonius Apollinaris nō vnīs litteris horum temporum calamitatem & malorum sylum deplorauit: vnde hæc petēda sunt ab annalium auctoribus prætermisā. Euricus cum Gotthorum regnum tenuisset annis septendecim, Arelati ex morbo obiit salutis anno quadringentesimo octogesimo tertio. Quo anno Hilarij successor Simplicius Romanus Pontifex defunctus est. Extat Simplicij ad Zenonem Hispalensem Episcopum epistola his verbis sentētiaq;. Plurimorum relatu cōperimus dilectionem tuam seruore Spiritus sancti ita ecclesiæ gubernatorem existere, vt naufragij detrimenta Deo auctore nō sentiat. talibus indicio gloriantes indicijs congruum duximus vicaria sedis nostræ te auctoritate sulciri, cuius vigore munitus Apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos Patrum nullo modo trāscendi permittas quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus diuinus crescere innotuit cultus. Ex his inijs, cum Hispalensi Antistiti Romani deinceps Pontifices vicariam cōcedere potestatem consueuissent, illa auctoritas nata est, quam in reliquas Hispaniæ ecclesias nonnunquam obtinuit, Primatis iure atque auctoritate nondum per hæc tempora ad Toletanam ecclesiam deuoluta. Simplicio Felix successit. cuius extant litteræ ad eundem Zenonem nulla præterea re ad memoriam insignes.

*Alarici regnum. Caput. VI.*

**A**LARICI funere procurato Alaricus filius procerum suffragijs, quibus pater optimis præceptis sub vitæ exitum coram castigatum magnopere commendarat, successor est renunciatus. Alarico Visigothorum Rege res Hispaniæ quietæ erant. Gallia in multa imperia Gotthorum, Francorum, & Burgundionū diuisa diu quiescere non poterat. Theodoricus in Italia Zenonis Imperatoris (is Leoni successerat) permissu Ostrogothorum regnū Odoacre victo caeq; fundauit salutis anno quadringentesimo nonagesimo tertio. Ostrogothorum origo à Radagaisi tempore explicanda. eo enim ad Fesulas pro-

fligato Honorij imperio Stiliconis virtute, oppressi exercitus reliquiæ, qui  
 ex Ostrogotthis constabat varijs iactatæ calibus cum Hunnis vires socia-  
 runt, Attilæq; in prælio Catalaunico militarunt, vti antea dictum est. Verum  
 cum Romani imperij stipēdia facere, quàm barbaris seruire mallent, à Mar-  
 tiano Imperatore in Pannoniæ finibus sedes ad habitandum datæ. Gentis  
 regno paulò post ad Theodemirum deuoluto Theodoricus filius ex impari  
 matre nomine Erelieua septennis vt obsidis loco esset ad Leonem Impera-  
 torem missus, morum comitate & dexteritate ingenij Imperatoris gratiam  
 promeritus, ætate maior venia impetrata ad patrem remissus est: Rex demū  
 à patris morte renunciatus cum ad Zenonem Imperatorem rediisset, quo  
 tēpore Odoacer Herulus Italiæ imperium inuaserat, facile in Italiam trans-  
 mittendi aduersus eum facultate concessa, factaq; potestate, victis profliga-  
 tisq; hostibus, se Italiæ Regem dixit, Roma etiam subdita, vt Casiodori lit-  
 teræ manifestè declarāt, Theodorici nomine scriptæ, cui à secretis erat. No-  
 ui regni vires vndecunq; quæsitis præsidijs confirmandæ erant. optimum  
 visum est, Francos, Burgundiones, & Visigotthos validas ea ætate gētes no-  
 uis affinitatibus conciliare. Itaque Clodouei Franci sacris iam Christianis  
 initiati Audeledam sororem ipse duxit, filias duas ex concubina susceptas,  
 Ostrogottham Alarico Visigottho connubio iunxit, Theudicodam Burgū  
 dioni Gūdibaldo. Vnde totius Occidētis moderator & arbiter exortam in-  
 ter Visigotthos & Francos cōtrouersiam, missis ad vtrosque litteris, quibus  
 minæ admiscebantur, componere conatus est. Franci religionis susceptæ stu-  
 dio Visigotthos Arij vālania pollutos oderant, molestèq; ferebant ad Ala-  
 rici regnum tāquam ad receptaculum perfugere quicumque exules hostesq;  
 Francorum essent: & cum de colloquio actum esset insidias vitæ suæ Clodo-  
 ueus ab Alarico paratas comperisse se cōquerebatur. Finitima regna diu pa-  
 cata esse non poterant. res ad arma spectabat, bellumq; inter duas ferocissi-  
 mas gentes ingenti mole cooriri videbatur. Id ex fama prius, deinde frequē-  
 tibus nuncijs cum Ostrogottho esset exploratum: missa ad vtrunq; legatio-  
 ne, datisq; litteris, conatus est ad concordiam dissidentes animos reuocare.  
 Dolore se, quàm maximum animo capere poterat, confici inquit cum  
 duo sibi carissima capita in certum exitium armari, nunciatum esset, ma-  
 gna atque incredibili hostium vtriusque voluptate, mutuis digladiari odijs  
 lætantium. Vtrunque dum alteri molitur excidium, in salutis periculum  
 ruere, tum suæ, tum subditorum, quorum sæpe periculo maloque Reges pec-  
 cant. Modestia atq; prudentia imperia cōstitui, effræni temeritate labefacta-  
 ri. Bella quæ facile inchoantur luctuoso sæpe exitu terminari. A Equum vi-  
 deri priusquam ad arma veniatur omnem ineundæ concordiaæ viam ratio-  
 nemq; tentare. Animos non magnis de causis eatenus irritatos cōciliari fa-  
 cile: facto acerbiori si concordia esset violata de pace desperandum prius-  
 quam alterutrius regni, quo vtrique florentissimo vtebantur, opes euerse  
 essent, vires conciderent. Sibi pro mutua cognationis iure dedecus vtrinq;  
 atque infamiam conciliari. Quod si neque patrem Alaricus respiceret, neq;  
 Clodoueus fratris amore moueretur: se vt patrem minari, & vt fratrem mo-  
 nere,

nere, cum hostis loco futurum esse, quicumque se à pacis studio alienum præ-  
 beret: neq; præceptis consilioq; hominis amicissimi atq; necessarij obtem-  
 peraret. Alaricus his monitis æquiores aures præbebat, Clodouei animus  
 ferocior, quàm pacis conditionem respuens superbū responsum dedit. Non  
 alio erga Alaricum esse animo, quàm par esset & ipse vellet. Priorem facta  
 iniuria hostibusq; receptis bellum indixisse. Indictum defendere nature iu-  
 ra decusque regium monere. Cum ipse ad pacem, hostis vocaret ad bellum:  
 cupere manum vnam Alarico opponere, alteram inermem Theodorico ipsi  
 præbere, si binas dextras natura dedisset. Hoc respōso Ostrogotthus in Ala-  
 ricum propensior ad totius orbis Reges litteras dedit, quarum exemplum  
 extat. Franci superbiam accusans, in viribus eum atq; immanitate fidere, iu-  
 ri atque æquitati aures obturatas habere. Vnius periculo, quod ad reliquos  
 recidere posset, cūctos moueri par esse. Missis oratoribus Clodoueam ab in-  
 cœpto terrent. Singulorum salutem communi omnium prouidentia con-  
 iunctioneq; contineri. Nihil neq; Theodorici diligentia neque auctoritas  
 profuit quominus ad arma veniretur. In Pietauij agro, decimo ab eavre la-  
 pide in campis Vogladensibus Francorū Gotthorumq; copia conuenerunt.  
 Non animis, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis pars  
 altera hosti cedebat. Simul atq; in conspectum ventum est, acies vtrique ad  
 pugna instructæ. Pugnatum acriter exæquato periculo, pari spe. Nihil Ala-  
 ricus omisit, eorum quæ ab strenuo Duce expectari poterant. Francorum im-  
 petu & impressione acerrima cum sui omni parte cæde ingenti sternerentur,  
 locoq; moti terga verterent, occurfare pauentibus, retinere cadentes: vbi  
 plurimus labor, vnde aliqua spes, consilio, manu, voce iuuare equo & fulgen-  
 tibus armis conspicuus. non in pedum celeritate præsidium, sed in dextris  
 virtuteq; ponendum dictitans. ea tutissima consilia quæ plus haberent pe-  
 riculi. tot gentium victores ab vna gente superari ignominiosum duce-  
 rent. Verum cum vincente pudorem metu, Alarici cohortationes ad aures  
 non admitterentur: tunc ipse postremus in effusa suorum fuga fortunæ ini-  
 quitati cedens Clodouei impetu in primo agmine pugnantis ex equo deie-  
 ctus, cum se attollere conaretur, à Franco pedite confoissus est. Duo Visigot-  
 thorum equites Regis sui casu incitati in vtrunq; Regis Fræci latus infestis  
 hastis diuersi concurrunt. loricæ beneficio & Clodoric iuuenis fortissimi  
 ope periculum declinatū. Alarico cæso Gotthi fuga per proximas ciuitates  
 dissipantur, nulla manu numero, aut viribus insigni. Engolisma, quæ Got-  
 thorum præsidio tenebatur, secundum prælium in Francorum potestatem  
 venit, murorum parte repente cadente ob vetustatem. In Burdigalæ finibus  
 Gotthi qui prælio absuerant, ausi certaminis aleam denuo subire tanta stra-  
 ge strati sunt, vt ab ea clade Arianus campus vulgò nomen habeat, nempe à  
 Gotthorum religione appellatione facta. Burdigala, Velates, Cadurci, Ru-  
 theni ad extremū Aruerni (nam cæso in acie Apollinare Duce Sidonij Ar-  
 uernorum Episcopi propinquo irritati erant) deditioem fecerunt. Ipsi To-  
 losates, vbi Gotthorum regia erat, expugnati. vix quidquam in Gallia reli-  
 ctum Gotthis, quod in Francorum non venerit potestatem. In Gotthorum  
 Regum

Regum thesauris, templi Hierosolymitani vasa & instrumenta sacrerum in Romæ vrbis expugnatione olim capta ab Alarico primo gētis Rege, & per manus ad successores transmissa, aut in castris Vogladentibus aut Tolosæ (nam auctores variant) in Clodouei potestatem redacta sunt. quidam ea vasa Carcasone fuisse ait, eaq; re obsessam à Francis, & Ostrogotthorum aduentu liberatam. Occisus est Alaricus salutis anno quingentesimo sexto, eo minori commiseratione, quod imperium à parricidio auspiciatum, fraudibus & scœuitia cōtinuatum meminerāt annos tres & viginti, quibus gēti imperauit. Hunc primum inter Reges Gotthos leges de scripto sanxisse, promulgasseq; constat, Codice Theodosiano in compendium relato editoq;, tertio Nonas Feb. anno ipso quo cæsus est. Antea institutis more maiorum firmatis vitam bello paceq; gubernare soliti erant. ad Alarici leges cū consequentes Reges plerasque alias adiecissent, illud volumen conflatum est, quod Forum iudicum vulgò ab Hispanis nuncupatur, de quo iterum sermo redibit.

*Gesaleicus, Theodoricus, Amalaricus. Caput. VII.*



**S**VSCEPERAT Alaricus ex vxore quidem Theudicoda, quæ paulò ante decesserat, Amalaricum, ex concubina autē Gesaleicum. Gotthorum proceres Amalarici tum quinquēnis ætate contempta, Gesaleicum collatis suffragijs rebus præfecerūt, non obscuro Ostrogotthi dolore ob prætermissum nepotem.

Itaq; cū Italiam, Siciliam, vicinas Italiæ insulas, Illyricum & Dalmatiam ditione complexus, copias aleret in armis exercitatissimas, octoginta millia militum Duce Ilba Gepidarum Comite in Galliam immisit: tum vt Fræcorum animos victoria insolentes cōpesceret, & Visigothicam regiam prope euerfam fulciret: tum vt occupatum iniuria eius gentis regnum nepoti suo restitueret. Tanti apparatus metu Gesaleicus, & quoniam erepta nuper Narbone à Gundebaldo Burgundionum Rege ad prædam, vt fit, accurrēte nihil in Gallia tutum superesse putabat, Barcinonem se recepit homo ignauus, atq; in crudelitate propensus, qui suis manibus Goericum intra regiam ea in vrbe obruncarat. & necesse est socordes & ignauos in potētium virorum cæde spem salutis ponere flagitioq;. Ilba in Galliam delatus, & Visigothorum reliquis adiutus, victoriam de hoste reportauit. Fræcorum viginti millia in acie ceciderūt. Prouincia Phocænsis ad Ostrogotthos vt nauaræ operæ merces esset, Aquitania ad Visigothos reuocata. Gesaleicus cū Ostrogotthi Narbone præterea recepta Pyrenæos montes transcendere pararet, suarum rerum desperatione, & militum voluntatibus diffusus, neq; ignorans multorum in se odia excitata ob ignauiam & crudelitatem, in Africam nauigauit. Thrasimūdu Vandalarum Rex tametsi Theodorici sororem in cōiugio habebat, profugi hominis fortunam miseratus, an agrè ferens noui regni accessione Theodorici, qui iam dudum esse cœperat formidabilis, potētiam augeri: benigne acceptum, atq; pecunia adiutum vt Theodorici litteræ declarant eam iniuriam cū Vandalo expostulantis, in Galliam remisit. vbi transacto

transacto in latebris anno, cū exercitum pecunia Africana cōparasset, ad duodecimum ab vrbe Barcinonensi lapidem totius certaminis aleam tentare ausus, ab Ilba prælio superatus Gallia ex fuga repetita, breui in ea ex morbo defunctus est, quem concepta animo ægritudo ex re male gesta conciliarat, quarto anno ex quo Rex erat renunciatus, salutis humanæ quingentesimo decimo. Gesaleici morte magnorū motuum materia amputata in Gothicum regnum antiquus splendor cœpit reuocari. Extat Elboræ patrum ætate repperit sepulcrum ex candido marmore hac inscriptione. **LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS PLVS MINVS LXXV. REQVIEVIT IN PACE. IX. CALEN. IVL. ERA. D. XLVIII.** Inscriptioni Crucis figura Alpha & Omega subiecta sunt, ad iudiciū cultæ religionis Christianæ Gesaleico defuncto, quis in eius locum suffectus sit, auctores in diuersum trahunt. pleriq; Theodoricum ipsum Ostrogotthum Visigothorum Regem fuisse deinceps afirman. Episcoporum concilia per hæc tempora in Hispania habita Theodorici nomen præferunt, regni etiam anno designato. Alij malunt Gesaleico Amalaricum successorem datum: regni procurationem tantum penes Theodoricum auum fuisse vnde quoniam ad nutum rempublicam gubernabat, & ad eum opes Hispaniæ & vctigalia regia conferebantur Visigothorum & Ostrogotthorum alendis exercitibus prædiarijs: opinio nata, quæ Theodoricum Regem facit. Nos de tota cōtrouersia iudicium in medio relinquimus lectori in vtranuis partem opinaturo argumētis vtrinq; consideratis. Illud nō placet, quod ab Hispanis scriptoribus affirmatur nullius externi hominis testimonio, venisse Theodoricum in Hispaniam. qui enim tam nobilem profectionem siuissent Casiodorus alijq; singularū Theodorici actionum nobiles scriptores. Omnino ad antiles fabulas ablegandum quamuis a Luca Tudensi afirmatum, Toleti vxorem duxisse ex antiquo Hispanorum sanguine. eius precibus victum veteribus Hispanis reddidisse libertatem. natum ex his nuptijs Seuerianū Leandri & Isidori patrem. quod neq; veritati consentaneum est, neq; cum ratione tēporum conuenit. Theudius prorsus seu Theudis antea Theodorici armiger, & nunc eiusdem beneficio Visigothici regni procurator, pueri teneram ætatem regniq; molem regendam suscepit. vnde illi ad regnū gradus, quod deinceps obtinuit. Eutharicus regia Amalorum familia ortus in spem hæreditatis regniq; Italici a Theodorico ex Hispania accersitus, filiā eius Amalasiuntam vxorem duxit. Erat is Ostrogotthus genere, prælioq; Catalaunico interfuit. Veremundus Turismundi filius ex Amalorū gente ex Scythia ad Theodoricum Valliæ successorem contendit: huius filius Vvitericus, Eutharicus nepos fuit. Hunc cū in Italiam Theodoricus euocasset, iuuenis indole captus, generum sibi ascituit. Nuptiæ regio splendore apparatuq; celebratæ, anno quingentesimo quindodecimo. Quo anno in sequētem euoluto Theodorico & Petro Coss. concilium Tarracon. in Hispania, octauo Idus Nouēb. habitū est. In eo primum mentio monachorū extat inter Hispaniæ monumēta. Diei dominici cultum more ex Hebræis translato, à sabbatho inchoari sancitū. vnde in morem Hispanorum ea obseruatio manauit, vt sabbathi noctem feriatam habeant

habeant. Hæctor Carthaginen. Metropolitanus post Ioānem Tarraconen. & Paulum Emporita. actis Concilij subscribit. Consequenti mox anno, nimirum à Christi ortu quingentesimo septimodecimo, Gerunden. synodus habita est. In ea synodo, more ex Gallia aduecto, vbi Mamercus Viennēsis Episcopus in luporum rabie ciuitate expiāda Litanias commentus est, quotānis in Hispania instaurari sancitum post Pentecostes festum diem, mensq; No uembri. Romanæ ecclesiæ Hormisdæ Pontifex per hæc tēpora gubernator, litteras dedit tum ad Ioānem Episcopum priuatim nimirum Tarracon. duo bus his synodis Præsident, tū ad omnes Hispaniæ Episcopos, singulis saltem annis Episcoporum cōuentus in Metropoli haberi mandans: quibus salutem ecclesiæ contineri veteres habebant pertuasum, ad astringendam disciplinæ seueritatem vitio hominum laxari identidem solitæ. Extant præterea Hormisdæ litteræ ad Salustium Hispalen. Episcopum, ad cōponendas Præsulum controuersias in Vltiori Hispania, Metropolitanorum priuilegijs iureq; conseruato, vicaria ei potestate facta. Vnde & quoniam Amalaricus Visigothorum regiam Hispali plurimum collocavit & fixit. Hispalenses Episcopi auctoritate aucti sunt Primatus æmula. Hormisdæ defuncto Ioāneq; eius nominis primo in Hormisdæ locum pridie Idus Augusti, anni quingentesimi vigesimi tertij, subrogato, conuentus Episcoporum bini habiti sunt, Ilerdæ nimirum & Valentia. In Ilerdensi Abbatis & Archidiaconi mentio facta: nihil præterea ad memoriam insigne. Synodum CæsarAugustanam, quæ vulgò extat in cōciliorum libris, ad hoc tempus quidam referunt, neq; argumento certo, neq; coniectura satis idonea, cum temporis atq; Coss. designatione careat. vetitum tamē in Doctōris nomen inuadere, nisi iure & ordine. Sacras virgines velari ante annum ætatis quadragesimum, Leonis Magni, aliorum Pontificum & cōciliorum decretis in eo instauratis. Obijt Ioannes Pontifex sexto kal. Iuni, salutis anno quingentesimo vigesimo sexto Rhauennæ ex pædore carceris. Theodoricus enim tot domitis gentibus insolentior factus, bellū minasq; in religionem vertit numenq;. Iustinus Augustus Anastasij successor catholicæ religionis studio, quo mirificè flagrabat, Arianos toto Oriēte exules esse sanxerat. Id Iustini edictum Theodoricus, cum vtraque Gotthorum gens sectæ Arianae addicta esset, tam indigne tulit, vt Ioannem Pontificem Roman. Episcopum Rauennatem, & aliquot senatus Principes ad Imperatorem legarit, minas denunciāns nisi abrogaretur: se templa Christiana euerfurum in Italia: vrbe[m] Romam, nomen catholicum deleturum. Ioānes expositis mādatis, cum supremis honoribus, pro eo ac par erat, cohonestatus Augustum coronasset, tametsi edictum abrogari Imperatori persuasit, obita legatione rediens, Theodorici iussu in custodiam cōiectus est, ob habitos honores suspicanti prodendæ Græcis Italiae consilia cōmunicasse, & Augustorum nomini deditum esse. Defunctum Pōtificem ecclesia ipso obitus die annuersarijs sacris festoque dicato in cælitum numero colit. In eadem caussa Symmachus & Boetius viri principes fuere, eisdemq; ob suspiciones, cum ante legatos Constantinopolim hætenus in custodia detinuisset, necari iussit. Diuini numinis breui infecuta vindicta est. Proximi Septembris initio Theo-

Theodoricus ipse defunctus est, Athalarico nepote ex filia Amalasiunta successore in Italia. Imbecillam pueri Regis ætatem molemq; rerum, patre pueri iam defuncto, mater virili animo foemina regendam suscepit. Visigothorum regnum Amalaricus liberè coepit gubernare. Quo ex tempore nonnulli regni eius annos numerant, haud magno in alterutram partem discrimine: cum constet Theodoricum aut suo aut alieno certè nomine ad mortem in Hispania regnasse. Hoc sanè rerum potente, primū omnium pax cum Frācis Regibus firmata, eorum sorore Clodouei iam defuncti filia Crotildi ab Amalarico in coniugium accepta. Dotis nomine Tolosatium præfectura ad ditionem Gotthorum reuocata. pacem pulcherrimè constitutam Amalarici furor violauit. Erat Crotildis probitatis opinione clarissima, veræq; pietatis cultu à matre cognomine imbuta. Ea res viri animum, cum secta Arianus esset, vehementer abalienauit. catholicorum tēpla petentem vulgus Rege coniuente contumelijs & sordibus iniectis foedabat: redeuntem truci Rex vultu excipiebat. conuitio & linguæ petulantiaē plagæ & verbera accedebāt, sanguine sæpe excusso. Eam vitæ acerbicatem cum constanti animo diu tolerasset, sperans crudelem viri animum patientia & pietatis studio posse aliquando ad sanitatem redire: tandem re desperata, fractoq; malis animo, litteras ad Childebertum fratrem dedit cum linteo suomet sanguine delibuto, ærumnas quibus dies noctesq; premebatur renunciāns. Debere cum sorori carissimæ opitulari, priusquam luctu & lacrymis, quas vitæ acerbitas exprimeret, cōsumpta esset. Se quidem diuturno eatenus silentio iniurias dissimulasse, tantis laboribus exitum aut morte ipsa (quod vtinam accidisset, priusquam fratres germanos cum viro committere necesse foret) sperans, aut viri sanitate. nūc alias ex alijs iniurias necti, & indies acerbiores tristioresq; vitæ conditionem euadere. Obsequia crudelitate compensari, maleficijs beneficia, quibus ferarum sæpe immanitas cicuratur, nulla alia de caussa, quàm ob religionis à maioribus matreq; carissima traditaē constantiam. Graue tyrannidis iugum, quod prætextu nuptiarum imposuissent, detraherent. diuinum numen respicerent, quod tam bonæ caussæ non defuturum sperabat. Amalaricum non hominem esse, sed in hominis figura belluam immanem, ex sæuitia & immanitate compositum. Dictis ni fides esset, sanguinis aspectu mouerentur, quo tauri & leones irritari consueuerunt. Si propinquitatem cōtemnerent, humanitatis respectus excitaret. nulla re magis diuinum numen Reges assimulare, quàm iniuria oppressis subleuandis: ac foeminis præsertim regio ex sanguine prognatis, & in melioris fortunæ spem à prima ætate educatis. Inter Clodouei filios Francorum regnum sic erat diuisum: Childeberto Parisij, Clotario Suesiones, Clodomiro Aurelianum, Theodorico Mediomatres parebant. Reges omnes vocabantur. Ij Crotildis sororis calamitatem miserati, & furore in Visigothum succensi, & est ea gens in iram effusa memor dignitatis, coniunctis viribus in Amalaricū ducunt. A rebus omnibus imparatū, & ipso genere caussæ inferiorem: ex scelerum præterea conscientia religione obstritum in fuga salutem ponere compulerunt. Poterat euadere, ni pœnis flagitiorum agentibus gemmarum memor, quas in thesauris reliquerat, pedem in

urbem (Parcino fuisse creditur) curriculo retulisset. nempe ad amētiā adigit diuina ultio, quos euertere constituit. Interea enim vrbe in Francorum potestatem redacta Amalaricus consilij inops ad catholicæ religionis templum, quam tot iniurijs violarat, quasi ad asylum confugiens, in ipso itinere militis hasta traiectus perijt. Isidorus Narbone occisum Amalaricum scribit, & prælio dimicatum. nobis Gregorij Turonen. aliquanto vetustioris auctoritas potior fuit. Ado Viennen. Francos ait Hispaniam ferme vniuersam victorijs peragrassè, Toletum in Hispaniæ vmbilico loci natura firmissimā ciuitatem post diurnam obsidionem solo æquasse: multa alia oppida & vrbes eodem victoriæ cursu expugnata. Galliam Gotthicam vniuersam Gotthis ereptam Procopius est auctor. quod ne pro certo ponatur aliorum scriptorum silentium facit: & quoniam consequentes Visigothorum Reges satis constat in Gallia ditionem & imperium Rhodano terminasse. nimirum Amalasiunta post Theodorici patris mortem prouinciam Theodoberto Theodorici Mediomatricum Regis iam defuncti filio attribuit, ne quid in Gallia Ostrogotthos Franci possidere molestè ferrent: reliqua Visigothis reliquit, Italiæ imperio contenta. Childebertum constat Amalarici thesauris potitum, in quibus sacrorum instrumentum erat ex auro, tum sorore recepta in patriam rediisse. Obijt Amalaricus salutis anno quingētesimo trigesimo primo, cum quinquennio iura genti dixisset. Quod si à Gesaleici morte regnum inchoare placet, viginti annis regnum tenuisse constabit. Crotildis eius vxor in ipso itinere defuncta est. Auctor quidam antiquam Abderam affirmat ab Amalarico instauratam Almeriæ appellatione regij nominis & antiqui affinitate assimulata. Omnino Amalarici regni anno quinto, concilium Toletanum secundum habitum ab Episcopis septem. In ijs Nebridius Bigerrensis & Iustus Vrgelitanus. In eo conuentu sancitum pueros parentum voluntate & voto in sacrorum virorum collegia allectos atq; in clericorum morem detōsos, cum ad octauumdecimum etatis annum venissent coram rogandos, vellent ne castimoniæ cultores esse. Si assentirent, nefas esse amplius professione relicta connubij vinculis implicari: dissentientibus liberum vxores ducere. Ij si prouecta ætate vxorum consensu à mutuis amplexibus abstinere vellent, sacris ordinibus initiarentur. Hallucinantur quicumq; ex hoc decreto sumpta occasione errandi, Hispanos sacerdotes arbitrantur coniugio fuisse per hæc tempora implicatos. Montanus Toleta. Præsul & primæ sedis Carthaginēsis prouinciæ Metropolitanus conuentui præfuit. Extant Montani binæ litteræ: ad ciues Palentinos alteræ, alteræ ad Turibium monachum. in ijs pro iure Metropolitanis sibi curam impositam ait Palentinæ ciuitatis. iustis de causis eius vrbs Episcopo Segobiam, Caucam, atque Britalbam attribuere. Ille fons eo libro, quem de claris viris Hispaniæ edidit, harum Montani litterarum mentionem facit: & constanti fama prædicari ait, Montanum prostratæ turpiter pudicitie lege postulatam, innocentie indicio prunas sinu continuisse dum sacris more Christiano operam daret, neque vestem læsam, neque ignem extinctum. Ex hoc principio mos ille in Hispania manasse videtur Gotthorum legibus non vno loco receptus à diuinis abhorrens,

abhorrens, furta, adulteria, aliaque crimina purgandi candentis ferri attractu aut feruentis aquæ haustu. reus peccatorum confessione conscientiam prius expiabat. ferrum aquaue sacerdotis cū sacris operatus esset prece lustrabatur. eorum tandem attractu potioneve, qui periculum euassissent, criminis obiecti suspicionem infamiamq; procurabant. neque Gotthorum tantum mos fuit, sed ab alijs Hispaniæ Regibus auctoritatem habuit, cæterisq; gentibus quæcunq; christiano nomine censebatur. Honorius. III. Romanus Pontifex ante trecentos quinquaginta annos, lege lata antiquauit id genus compurgationis vulgaris. Floruerunt per hæc tempora in Hispania fratres germani quatuor sapiētiae opinione & Episcopatus honore nobiles. Iustus Vrgelitanus, cuius extat in Cantica explanatio: Iustinianus Valentinus, hic librum edidit in quo quinq; quæstiones explicatur à Rustico quodam propositæ: de Spiritu sancto, de Bonofiacis, qui alio nomine Photiniani erāt, de Trinitate, baptismum christianum non esse iterandum, differreque, à Ioannis baptismo: Nebridius Agathensis Præsul in Gallia Gotthica vixit: Elpidius cui ecclesiæ præfuerit, clam est. Præterea hac ætate Aprigius Pacis Iuliæ Episcopus in Lusitania commentarijs in Apocalypsim editis, quæ & nos vidimus Isidori etiam testimonio clarus.

*Theudis & Theudiselus. Cap. VIII.*

**A**MALARIICI morte, cum prole careret, Visigothorum Regum progenies à stirpe defecit. Rerum summa ad Theudim Ostrogotthum genere deuoluta est. Belli & pacis artibus clarū & ex multarum rerum vsu collecta prudentia excellentem Visigothorum proceres genti Regem præficiendum curarunt. Ex superiori regni procuratione, cum Amalaricus ætate minor esset, & Remp. Theudis pro arbitratu gubernaret, multas clientelas pararat. Vxor scemina præpotens, ex præcipua Hispaniæ nobilitate ditione auxerat: vnde bina militum millia armari poterant. inde ad regnum hoc tempore gradus. Conatus erat Theodoricus Ostrogotthus nepotis rebus prospiciens, Theudim in Italiam attrahere per speciem honoris. quæ ille consilia intelligens omni arte eludenda curarat. Theudio Rege reipublicæ moderandæ ratio Romæ immutata est Coss. nomine & potestate sublata, huius seculi anno quadragesimo primo. quo anno Basilus Iunior sine collega postremus omnium gessit consulatum. Consequenti anno Childebertus Francorum Rex & Clotarius frater superiori clade nondam exaturata vindictæ cupiditate armis repetierunt Hispaniam. Tarraconensi prouincia longe lateque vastata vrbs Cæsaraugusta graui obsidione fatigata, ad Vincentij martyris, in cuius patrocinio erat, opem confugit. viri lugubri veste, scemina passis crinibus fœdata cinere, circum muros ciuitatis publica supplicatione diebus singulis instaurata, tunicamque D. Vincentij circumferentes diuinum numen cum lacrymis implorabant. Childebertus muliebrem iuratum prius deuotiones & maleficia interpretatus, re deinde ex captiuo

cognita atq; religione obstricto animo ab omni iniuria tēperauit. Vincētij orarium, quod à ciuibus impetrauit, velut ingētes hostium exuuiæ Lutetiam asportatum. eiq; Diuo ædes suburbana extructa, quæ nunc Germani est arcis instar, fossa & mœnibus ab alijs ædificijs secreta. Neque religione iucundior præda fuit quàm iniuriarū vltione & victoriæ monimēto: tamen vt Isidorus est auctor, in reditu Franci supremum periculum adierunt, locorū angustias atq; Pyrenæi montis fauces Theudifelo cum Gotthorum parte obsidente, cū Theudis Rex viribus inferior, & rebus omnibus imparatus æquo certamine congredi formidaret. Itaque Franci indagine cinēti magna accepta clade, au roq; redemptis inducijs, vix tandē conuiente Theudifelo in iuga montium 10 & patentes campos euasere. Bellum pestis lues excepit, innumeriq; mortales morbi contagione toto biennio, ex quanto tēpore malum grassatū est, in Hispania sublata. Theudis, siue acceptæ ignominia procurandæ studio, siue insigni aliqua expeditione nominis famā extendere parans, seu quod vero proprius arbitror, vt Vandalos iuuaret de imperio Africa iam dudū periclitantes, superato freto Septam vrbe Hispaniæ obiectam ad freti angustias diurna obsidione premens, cum diei dominicæ religione obstrictus cessaret, obfessorum eruptione repente facta insignis clades accepta. deleti ad vnum quicumq; in caltris erant. Rex cum exercitus parte classis beneficio seruatus reiectusq; est in Hispaniā. Quo tempore Belisarij ductu, auspicijs Iustiniani 20 Imperatoris, qui Orientis prouincias obrinebat, Africa Vandalis erepta est, vbi imperiū ad centū annos tenuerant. eius belli progressu Fuscia & Gothius à Gilimere Vandalorū Rege, qui in Romanorum venit potestatem, ad Theudim legati auxilia postulatū. Lenta nauigatio fuit. eorum aduētum fama præcurrit, & naus ex Africa nauæ vectoresq; visa nunciarunt, ingētem luctum, Carthaginem captam, Vandalorum regnum euersum. Legati harum rerum ignari roganti Theudi ecquū Gilimeris res essent, ac perbellē affirmantibus eius res atq; fortunas stare: redirent continuò in Africam mandatum, ibique conueniens postulatis responsum expectare iussim. Regē illi incaluisse mero 30 suspicati, nam splēdidis epulis inuitati erant, & magnis poculis erat certatū, consequenti luce legatione repetita, cū idem responsum tulissent, tum vero mali aliquid subesse rati, quod res erat Vandalorū regnum euersum, Africam ad Romani imperij ius ditionemq; reuocatam fuisse: recedentes in Africam & non procul Carthagine à Romanis militibus capti, Belisario omnia vt acta erant renunciarunt. Secundum hæc ex Italia nunciatum Belisarij primū virtute, deinde Narsetis Ostrogothorum regnum sublatum. Theodatum, Vitigim, Ildebalium, Ardaricum, Totilam, atque Teiam, post Theodoricum deinceps Reges Italia superatos acie atque deletos. Remp. Romanam quasi membris, quæ dissipata erant, in vnum corpus collatis atq; compactis ex longo interuallo pristinam dignitatem atque splendorem reuocare cœpisse Iustiniano Imperatore. Quo rempub. gubernante, non magis foris arma quàm 40 consilium domi viguerunt. duobus fere librorū millibus ad pauca volumina competenti ordine ac Treboniani potissimum opera redigēdis, vasta legum multitudo castigata. Codex Theodosij exēplo, primū cōfectus, deinde Institutiones

tutiones Digestaq; promulgata. qua re ad gloriā nihil esse magnificētius potuit. Eodem tēpore Laureanus Massiliæ ab Arianis est occisus, gente Pannonius Mediolani presbyter factus, cum Arianam sectā magna dicēdi libertate insectaretur Totilæ iussu paratam necem fuga euasit. Hispali id virtutū specimen dedit, quod eius vrbe Episcopatū defuncto Maximo attulit. verū Totilæ diligentia vestigijs omnibus inquisitis, & ad necem rursus postulatus, Dei monitu per quietem naui Romam petijt. eo in itinere cæci oculis lumē insinuatū traditur. Roma magnis à Pontifice summo honoribus cohonestatus cū Massiliam rediisset, quæ ad Romanorum potestatem redierat, Arianorū insidijs periijt. Arelatenis Episcopus defuncti corpus Beterri in Gallia 10 tumulandum curauit. caput Hispalim relatū vrbe fame pesteque prout ipse proficiscens erat vaticinatus, continuò liberauit. Theudis mors breui consecuta est salutis anno quingētesimo quadragesimo octauo. annis septēdecim, mensibus quinque regnauit. Homo quidam, qua causā incertum, sed perire tamen certus aut perdere, amētiæ simulatione ad Regē admissus ense tranuerberauit, extremo spiritu atque intermorientibus vocibus Dei vindictam agnoscentem ob Ducem cui olim nomen dederat, & sacramentum iunior dixerat, sua manu obruncatum. Itaque parricidam ab ijs qui aderant violari vetuit. id benignitatis exemplum vt in malis in Theudij vita laudatur: & 20 quoniam Episcopos catholicos quamuis religionis placitis dissentientes Tolleti conuentus agitare dedit: de fide & religione, quæ viderentur libere constituere. Romanam ecclesiam post Ioannem. II. Agapitum & Siluerium Vigilium regendam susceperat. Quo tempore Theudio sublato Theudifelus ob spectatam bello Francorum virtutem & generis nobilitatem, nam Totilæ Ostrogothi Regis ex sorore natus erat, procerum suffragijs Visigothorum regnum accepit. Lata regni principia atque virtus militaris effusa libidine breui obscurata. multi ex suorum numero per insidias aut iudicio assimulatis criminibus sublato eo agente, vt eorum coniugibus abuteretur ad libidinem exaturandam. Ea ex re populi & procerum inuidia excitata est: 30 vsque eò vt coniuratione inita peremerint. Theudifeli ætate vulgatum Offeti Hispalensis agri oppido, Plinius Offet vocat, in templo catholicorum, qui vulgò etiam ab Arianis distinctionis gratia Romani vocabatur, eius hebdomadis, quæ quia Christi cruciatus in memoriam reuocat, Magna vocatur, feria quinta cū baptismi fontes, ab Episcopo populo inspectate clausi essent & diligēter obsignati proximo sabbatho aquis annis singulis redundare consueuissent, vnde deriuarentur atq; manarent cunctis ignorantibus. Theudifelus eius rei miraculo commotus, & fraudem subesse ratus nimirum secta Arianus, semel & iterum custodia adhibita cū nihilominus fontes cōplerentur, circum tēplum ne per occultos meatus aquæ forte deriuarentur fossam quinque & viginti pedes altitudine duci imperauit directis lateribus vt solum tantum pateret quantum summa labra distabant. Ei operi intentus suorum coniuratione ferroq; occubuit. Paschasius Episcopus litteris ad Leonē Magnum, vt Isidorus est auctor, simile prodigiū in Sicilia contigisse testatus est. & fortassis errante fama, quod in vna prouincia cōtigat, alij tribuebatur. Isidorum 40

miramur rei in Hispania tam illustris, cum ferme in suam ætatē inciderit, & de Sicilia retulerit nullam mentionē fecisse. Hispali impetu in regiam factō inter prandēdum Theudiselus à suis obrūcatus perijt. regnum tenuit annuo semestriq; spatio & diebus tredecim. Francorum regnum, Clotario ad quem imperij Francici summa redierat defuncto, in Tetrarchias abiit. Chereberto Parisij, Sigiberto Mediomatrics, Chilperico Sueffiones, Guntrano Aurealia num regis vrbes obuenerunt quatuor Clotarij filijs.

*Agila & Athanagildus. Cap. IX.*



**I**N Theudiseli locum Agila procerum electione Rex factus Gotthorum genti iura dixit annos quinque, menses tres, aduersa fortuna vsque ad vitæ exitum iactatus. Sub initia enim Cordubam obtemperare recusantem graui & diuturna obsidione cum fatigaret, ciuium repentina eruptione superatus est. filius cæsus in acie. impedimēta capta. ipse ex fuga Emeritam petijt. Agilæ infortunio Asciseli martyr is numen apparuit, templi suburbani, quod ad Cordubam eius nomine erat, immisissis regijs iumentis violati, grauiæ exigentis piacula. Sic animis infixa religio vulgo suasit, & Isidorus scribit ex accepta ignominia cum despectui esse cœpisset, & plerunq; quò fortuna eò fauor hominū inclinat: Athanagildus ab eius imperio rebellauit. Is vt factionis vires firmaret, missa legatione ab Imperatore Iustiniano auxilia mitti postulat, operæ mercedem Hispaniæ partem non exiguam pactus sub Romani imperij ditionem hoste profligato reditionem. Missus ex Gallia est Liberius Patritius: quod nomen nobilitatis antea, hac ætate dignitatis erat à Constantino Magno excogitata supra Præfectos prætorij sedendi facultate concessa. Liberij aduentu ad Hispalim iusto prælio dimicatum est. in ea vrbe rebellionis initia exitisse credimus. Victus in eo prælio fugatusq; Agila procerū, qui eius partes sequebatur, ferro Emeritæ perijt huius seculi anno quarto & quinquagesimo. Intestinis gētis disidijs dolebant scilicet Gotthorum vires infringi tot per annos stabilitas. Romanis Italiæ atq; Africæ exemplo, ne ea via esset ad Hispaniam recuperandam verebantur. Eodem anno Constantinopoli diligentia Iustiniani Imperatoris generales Episcoporum conuentus habiti sunt, centum sexaginta quinque, contra plerosq;, qui Origenis placita à vera pietate aliena sectabantur. In ea Synodo quæ inter generales quinta est, mortuos anathematis ignominia notari posse sancitum. atque contra quàm Origenes docuerat, neque Solem, neque stellas, neque aquas quæ super cælos sunt, animatas quasdam & rationales virtutes esse definitū. Theodori Mopsuesteni dicta, Theodoriti rescripta, atque Ibæ Edeffeni Episcopi epistola reprobanda. Mena Constantinopo. Episcopus, ipsoq; defuncto Euty chius successor conuentui præfuerunt. nam Vigilus Rom. Pontif. qui Romæ Imperatoris iussu captus eo tempore Constantinopoli erat, interesse quidem actis concilij noluit, & decreta tamen Patrum scriptis litteris rata habuit: ac nominatim Origenem fertur damnasse. Iornandes Gotthorum Episcopus

historiam

historiam de gente sua ad hæc tempora perduxit. Cum Athanagildus æmulo sublato, Gotthorum absque controuersia Rex pellendis continuò Romanis, qui partim icti nuper fœderis beneficio, partim virtute & armis non exiguam Hispaniæ partem occuparant & ad vtriusque maris littora ditionem terminabant, magnum negocium suscipere necesse habuit: & grauissimo per totam vitam bello implicatus est, flantem & reflantem fortunam moderari assuetus. Genuit ex vxore Gofuinda filias duas Galsuindam Chilperici Sueffionum Regis vxorem, & Brunchildim natu minorem, quæ Sigiberto Chilperici fratri Mediomatricum Regi connubio iuncta est. Ex Episcoporum Gallia diligentia atque præceptis informata Ariana secta posita, cui à tenebris addictæ erant, catholica religione imbutæ sunt: & auctorem habeo, qui Athanagildum affirmat ex arcano catholicam religionem tenuisse, tametsi tempore seruiens Arianam sectam palam profiteretur, metu uidelicet gentis animos alienandi. Cum regnum certè tenuisset annis quindecim, mēsis sex, Toleti ex morbo obiit salutis anno quingentesimo sexagesimo septimo. In Portugalia sextodecimo ab vrbe Guimarane ( antiquis Idania fuit ) lapide ad fluuium Vizelam pagus extat Athanagildi nomine, sortassis ab hoc tēpore conditus: in eo parietinæ cernuntur & ædificiorū fundamenta, Gothicæ fabricæ multum ab elegantia Romanæ degenerantis speciem representantia.

10 Athanagildi obitum quinque mensium interregnū excepit, Tudensis septem annorum, & quinque mensium ait. Partium nimirum studijs Gotthorum proceres dissipati, neque in vnum aliquem suffragijs conspirantes, qui virtute & ingenio Remp. inclinatum à casu sustentaret, magno impetu in præceptis rucere non considerabant. Romanam ecclesiam post Vigilium atque Pelagium Ioannes eo nomine. III. gubernandam susceperat. Quo tempore Sueui hætenus Calæciæ imperantes, ab Ariana secta, cui impensè fauerant, & catholicos modis omnibus vexarant centum ferme annorum spatio, ex quanto tempore à vera religione deficientes prauas opiniones susceperat, ad sanitatē reuocati sunt. Martini Dumienensis diligentia multum contulit. erat natione Pannonius, & lōginquis peregrinationibus Orientis prouincias lustrat. in studio diuinarū scripturarum magnos progressus habuit. In Hispaniā delatus in Calæcia magnum probitatis & sapientiæ specimen dedit. eruditio nis argumento editi ab eo libri sunt multis elegantia luminibus, & præcæ sapientiæ copijs exornati. Extat disputatio de ira, de humilitate christiana, de moribus, & de differentia quatuor virtutū Cardinalium. In his quoniam crebris sententijs & styli acumine ad Senecæ similitudinē proxime accedit, duo postremi libri, eius philosophi nomine inter reliqua eius opera circumferuntur. Extruxit ab imo Dumiense monasterium. quo in Episcopatum postmodum transformato ex Abbate Dumienensis Episcopus factus est, deinde Bracarenensis Dumienis ecclesia cum Bracarēsi copulata, eiq; contributa. Defunctū ob eximiam sanctitatis opinionem Calæcia, & Lusitaniæ pars in diuorū numero habent ad tertiumdecimū kal. Aprilis festo dicato. Sueui ad catholicā religionem traducti sunt Theodomiro Rege. Post Remismundum de quo superius est dictum, ante hanc ætatem qui Sueuorum Reges fuerint clam est,

antiquis historiarum monumentis temporum iniuria sublatis. sed commodū tamen accidit Theodomiri filium iuuentutis Principem & in spem paterni regni educatū ex morbo decumbere. Sueuorū legati ad Martini Turonensis sepulcrum, cuius virtutū fama toto orbe celebris erat, à Rege mittuntur. Auri & argenti pondere quantū adolescentis corpus appenderet, cum nihil esset impetratū, intellexit pater quod res erat, indignum esse qui placitis a religione catholica disideret, eum Martini precibus quidquam à diuino numine obtinere. Itaq; missi denuo legati cum pallij, quo Martinus superstes utebatur, partem retulissent, & filius interea sanitati redditus esset, voti reus quo se pater si vtrunq; impetrasset obstrinxerat, D. Martini nomine templū exædificandum certè curauit ad Aquas calidas hodie Orensem, vt quidam arbitrantur nullo firmiori argumēto, quàm eius vr̄bis templi maximi, quod à D. Martino nomen habet. A Sueuis populariter eodem agente Christi sacra catholicorum ritu moreque suscepta. religionis eius confirmandæ caus̄sa Martini Dumien̄sis hortatu Episcoporum Calæciæ conuentus Bracaræ habitus est anno tertio regni Theodomiri. In Concilij actis quod inter Bracarēses primum est, Ariamiri Regis nomen legitur lectione nimirum vitata. Fuit is annus à Christi ortu quingentesimus sexagesimus tertius. Lucretius Bracarēsis Episcopus Profuturi successor inter octo Præsules primum locū occupauit. post hunc Andreas Iriæ Flauræ Præsul, Martinus Dumien̄sis, Lucentius Cornimbricensis. Cottus, Hildericus, Timotheus, & Malhofus ex eodem numero, quibus ecclesijs præfuerint clam est. Religionis catholicæ placita in eo conuentu confirmata. Priscilliani secta reprobata. Corpora defunctorum prisco more reuocato vetitum intra templa tumulari. Calæciæ dioccesum fines descripti, proprijsque singulæ regionibus terminatæ, vt Ithacius est auctor in Sueuorum, Vadalorum, & Gotthorū chronico alterius Ithacij cognominis, qui de rebus Hispaniæ ante centum annos historiam conscripsit. (Multos Ithacios siue Idacios in Hispania extitisse dubium non est). Alij finium descriptionem in Lucensi Synodo consequenti mox anno habita factam malūt, veteris schedæ indicio, quæ in Lucēsis ecclesiæ tabularijs extat. quidam non inepte sexennium inter vtranque Synodum intercessisse putant. res incertas neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisq; adiungat fidem vel detrahat. ipse eorum opinionibus accedo, qui Bracaren̄sis Synodi decretum suspicantur in Lucensi concilio fuisse confirmatum. Martinus sane iam Bracaren̄sis Præsul capita quædam ex Græcis Synodis compilata Lucensis concilij patribus misit cognoscenda. Ecclesia Lucensis Regis permissu iure Metropolitanæ aucta Bracaren̄sis ecclesiæ prærogatiua conseruata, atq; Primatus auctoritatem ex ea re consecutæ: tamen si à nominis vsurpatione abstineret. Erat hac tempestate celebris eximie sanctitatis opinione AEmilianus cognomento Cucullatus, iuuenis à pastoritia arte ad sanctioris vitæ studium traductus. Felice monacho præceptore vsus est, deinde à frequentia hominum remotus cum quadraginta vitæ annos in Desertij montis secessu transegisset, Didymius Turiaſonensis Præsul celebri fama permotus in publicum extractum presbyterumque consecratum

cum Birgegiensi ecclesiæ præfecit. ibi collegarum calumnijs & criminibus appetitus disciplinæ seueritatem non ferentium, prope id oppidum sacello ædificato cum sacerdotium abdicasset, in rerum diuinarum contemplatione defixus, ad ceterisimum ætatis annum vitam propagauit. quo loco corpus eius tumulatum est, & post quingentos amplius annos eius nomine monasterium extructum copijs, auctoritate, totius ædificij amplitudine cum primis Hispaniæ comparandum.

*Galsuinda & Brunehildis sorores. Cap. X.*

10



V A S Athanagildi Regis filias Galsuindam Brunehildimq; in Gallia Francorū Regijs elocatas fuisse paulò superius dictum est, infaustis nuptijs neque auspicate, vt rerum euentus declarauit. Alterius breue gaudium fuit. vix primo coniugij fructu delibato periit. alterius vita in multos annos producta, multisque calamitatibus obnoxia. vulgus ad eas ærumnas nominis infamiã adiunxit, qua nobilissimam foeminam liberare melioribus argumētis testimonijsque constituimus. Fuere Clotario eius nominis primo Francorum Regi quatuor filij partito paterno imperio Reges: Parisiorum Cherebertus, Sueſionum Chilpericus paternis thesauris potitus potentior alijs, Guntrannus Aurelianensium, Sigibertus Mediomatricum. Huic Brunehildis prior nupsit, minor ætate fratrum minimo, puella elegans opere, venusta aspectu, honesta moribus, atque decora, prudens consilio & blanda colloquio. liceat Gregorij Turonensis æqualis verbis vti. Multum dices, commutandis moribus tempus valet, Principum amplius. esto, sed audi alia. Chilpericus ex Audouera priori coniuge Merouei & Sigiberti pater Galsuindam Brunehildis maiorem sororem duxit. nouæ nuptæ Fredegundis pellex Regis potens iurgijs incessere ausa, exitium attulit. in geniali toro mortua inuenta est, nulla prole relicta. AEmulæ locū Fredegundis occupauit, Reginaq; dicta est, inter multa scelera flagitiaque diu incolumis, petulantia, libidine, luxuria, seuitiaque nobilis ætate. Sigibertum enim defuncto fratre Chereberto Parisiorū regno auctum quobus immisis sicarijs Lutetiæ incautum peremit. Percussa viri casu Brunehildis, ac de filio Childeberto sollicita, cum in Mediomatrices mittit, vbi prouinciæ studia erant & propensæ gentis volūtates. ipsa in Chilperici potestatem redacta Rhotomagum in custodiam mittitur. Florenti viduæ Principis forma captus Meroueus maior Chilperici filius eam sibi toro iungit. vitiosum coniugium fuit vetatibus legibus patruū viduam ducere. Iuuenili errori paratam veniam Fredegundis nouerca discussit. in monachi habitum detonsus primum, deinde etiam peremptus fuit. idem exitus Clodoueo minori fratri fuit. Prætextatus Rhotomagensis Episcopus in exilium pellitur. Merouei & Brunehildis coniugium eo Antistite iunctum, crimen erat. Hæc crudeliter impieque: illud petulanter. spreto regio toro, impudicos oculos in Landricum Magistrum equitum impudica coniecit. scelus maiori scelere cumulatur. male tectas libidines amoresque væsanos virum vlcisci cogitan-



cogitantem occupant: atque è venatione redeuntem ad Calam oppidum perimendum curant. Successit conatus, solutiorque deinde vita fuit. Pro filio tamen Clotario cum Childeberto infantis patrueli, qui testamento Guntranni patru Burgūdos imperio adiecerat, bellum gessit, Ductore copiarum ipso Landrico in pugna victrix. Excepit interius Childeberti vxorisque. veneni id suspicionem confirmavit, cuius insidijs non proditur. Sed perempti tamē duo filij Theodobertus maior Mediomatricum, Theodoricus Burgundionū imperium suscepit. ambo dicti Reges, in Brunehildis auix tutela. ij confirmata etate cum Clotario bellū gerunt. belli causæ in finitimis imperijs deesse non possunt. Brunehildis hortatu dicunt Gallicæ historiæ, quo Protadium genere Italū amasium suum nouis honoribus augeret, vero an ex odio Hispanæ fœminæ nondum definitio. addunt certe eò studio progressam, vt Theodoricum armarit in Theodobertum fratrem, quasi olitore genitum, & paternos thesauros occupantem. neq; commota prius odia constiterūt, quàm Theodoberto proditorie cæso Colonia: quem vita donatum tamen Cauillonum in custodiā dimissum docent alij. Repudiata victor antea Hermemberba Vutterici filia, vt alio loco monstrādum est, occisi filiam & fratres duos cepit. pueros Brunehildis peremit, sic memorant, puellam præstanti forma cum sibi iungere patruus pararet, obiecta auiam religione auctoritate ventantem facinus diltricto gladio ne perimeret, aulicorum concursu factum aiunt. illam vindicasse dolorem cum, lethali poculo perempto Theodorico nepote suo, cum è balneo egrederetur. Idonei auctores dissenteria obiisse tradunt. Sic rerum summa atq; imperij ad Clotarium translata est, Fredegūdis iam morbo extinctæ filium, Brunehildi noua iniuria infensum, quod Theodorici filio Sigiberto quamuis notho regnum paternum asserere meditaretur. ventum ad arma, Sigibertoq; à suis deserto atque fugato duos eius fratres Corbo & Meroueus atque Brunehildis ipsa in Clotarij potestatem venerunt. Proximi seculi anno sextodecimo hæc gesta memorant. Corbo continuo interfectus. Meroueu victor seruari voluit, cum eius ex baptismo pater esset, in Brunehildim maiori seueritate scuitum affirmat. quater fustibus lacerto tergo ad ferocis equi caudam capillo deligata concitato equo dilacerata est, exacta mulier etate: eo minori populi misericordia, quod decem Reges numerosamq; vulgi multitudinem eius artibus perijisse iactant. Desiderium Viennensium Pōtificem & Columbanum virum sanctum, hunc exilio, illum exitio mulctatum. adeo ad portenta prodenda scriptores Gallici, ad accipienda vulgus procliues fuerunt, pudenda securitate, si mendacium deprehensum iri non putarunt, si secus impudētia mirabili. Meram tragœdiam idonei auctores confirmant nullo iudicio ex populi rumoribus consistam. quæ scelera à Fredegunde sunt facta, quod supplicium tulisset victoribus Austrasianis, ea mentiente fama atque nomina commutante afflicta Brunehildi arbitror, fœminæ religiosæ probæque. vt indicio sunt geminæ à Gregorio Pontifice Maximo ad eam litteræ plenæ verissimis laudibus. multa magnifica templa eius sumptibus in Gallia constituta exornataque. magnus captiuorum numerus pecunia redemptus. An hæc facta negabis? sed certa monumenta monstrabimus

bimus. an quisquam hæc ab impia & crudeli fœmina facta inducat in animum? maius argumentum accedit, Gregorij Turonensis æqualis de his flagitijs silentium. an id gratiæ datum putabis a Gallico scriptore, magnæque auctoritatis viro? an qui Fredegundis scelera omnia & dolos exposuit, externæ fœminæ pepercisset? non arbitror. At Sisebutum, ais, in vita Desiderij Viennensis Episcopi Brunehildis scelera multa, cæsumq; ab ea martyrem accusasse, ab equisq; raptatam perijisse tandē ultore numine. Recte, si auctore eius vitæ Regem fuisse confirmares, & non potius eo nomine alius, eos vulgi rumores collegisse se affirmaret, minori quàm pro modo Regis auctoritate diligentiaque, etate posterior. Sit ergo constitutum Brunehildim innocentē fuisse, & perditissimis tamen temporibus aliena inuidia flagrasse. vt primus Boccatius considerauit poetici quidem ingenij scriptor, sed antiquitatis cognoscendæ studio incitatus præstansque. Nos orationem in Hispaniam referamus.

*Liua & Leuigildus. Cap. XI.*

**A**THANAGILDO Visigothorum Rege Toleti defuncto, vt paulò ante dictum est, Liua (sic antiquæ monetæ huius Regis nomen scribunt) homo præpotens & magnarum rerum vsu & cognitione instructus, Rex est renunciatus Narbone, vbi catenus res gesserat Gallix Gothicæ Præfectus. Iustini Iunioris, qui imperium Romanum obtinebat, primusque Exarchi nomine Longinum in Narsetis locum misit in Italiam, anno secundo, Christi quingentesimo sexagesimo septimo, Liua regnare cœpit, nulla re gesta memorabilis, nisi quod anno regni secundo Leuigildum fratrem regni consortem dixit exæquata prorsus potestate, ipse Gallix Gothicæ ditone contentus, quibus in locis multum assueuerat. nam & Tudensis scribit septem annis Gallix imperium tenuisse priusquam Hispaniæ Rex esset. Reliquas prouincias Gotthico nomini subiectas fratri demandauit, per quem spes erat Rempub. multis collapsam partibus pristinum splendorem reuocaturā: tamen tantum belli in manibus erat aduersus Romanos magnam latissimæ prouinciæ partem occupantes, tuentesque non suis armis modò sed & Gotthorum virtute, partium studio ad eos tanquam ad cōmune receptaculum deficientium. Erat Leuigildus gemina prole auctus ex Theodosia vxore. Seueriani Carthagenensis prouinciæ Ducis ac Præfecti ea filia fuit, Leandri, Fulgentij, Isidori, Florentinæque soror. Leuigildi filij Ermenegildus & Reccaredus. Theodosia defuncta Leuigildus Gofuindam Athanagildi viduam duxerat, quo tempore à fratre ad regni consortium vocatus est. Suscepto regno cum viuida virtute, & belli pacisque artibus clarus esset, continuo in Romanos duxit. in Bastetanis prælio dimicatum est. victi Romani, totaq; ea regione depulsi. Malacæ ager igne ferroq; vastatus. Asidonia ad fretum noctu capta, urbem prodente Framidanco. Corduba, quæ ex quo Agilam vicerat, imperij iugum ferre detrectarat, ad officium reuocata, multaq; circum oppida & vrbes magna rusticorum strage. Sabariæ tractus, quæ quo loco esset clam est, ferendis agendisque

agendisque prædis deformatus imperioque subactus. His rebus Leuigildo occupato Liua frater in Gallia defunctus est salutis anno quingentesimo septuagesimo secundo, cum quinq; annos regnasset (quidam huic numero biennium detrahunt) Leuigildus Bæticæ rebus compositis, totaque prouincia pulsus Romanis belli impetu in Cantabriam verso Amaiam (alij Aregiam dicunt, Varegiam alij) sed Burgos inter & Legionem sitam ciuitatem expugnauit. reliqua Cantabria, cuius fines ad Amaiam extendebatur, vastata. multi seditiosi cæsi. in his Sacrificulus cui AEmilianus Cucullatus necem ante denunciarat, quod in conuentu procerum Cantabriæ eius vaticinio fidem abrogarat, quo eius prouinciæ excidium haudquaquam inanis vates denuncia-  
 10 bat. Ex Cantabria arma in Aquitaniam versa. Aspidius ad Agerensem urbem (Aagen hodie est) imperium detrectans malo coactus est ad officium redire: cum euerfis fortunis ipse, vxor & filij in Regis venissent potestatem. Aspidium Biclarensis ea regione Senioreni fuisse ait, ea voce in dominij ac principatus significatione usurpata. & nimirum seniores imperare æquum est. vnde  
 20 consequenti tempore tum in monumentis Hispaniæ, tum in conciliorum actis, præsertim quæ Caroli Magni ætate in Gallia habita sunt, domini ac Principes seniores nuncupari cœperunt. Eum morem ad vulgares linguas Hispaniæ, Italiæ, atq; Galliæ permanasse satis constat. Eo prorsus anno quo Liua defunctus est Myro seu Ariamyrus (sic enim quidam scribunt) Theodomyro  
 30 patre ante biennium defuncto Sueuorum gentem gubernabat: cum conuentus alter Bracaræ habitus est à Calæciæ Præsulibus duodecim. Martinus Bracarensis Metropolitanus primas inter Patres partes locumq; occupauit. Eius conuentus decretis recentem Sueuorum religionem miraculè confirmatam nouum miraculum auxit. Templum Martini Turonensis nomine à patre ut diximus ædificatum egrediente Rege, scurræ generosæ vitis contra Regis præceptum pro foribus templi è pergula pendentes vuas attrectare aggressi, repente manus exaruit. Ab irato Rege vix populi precibus ne manus amputaretur impetratum. Martini tamen virtute, cuius religionem violarat, cum numen eius populus imploraret, sanitati reddita est. Proximo anno, ut  
 40 Sigibertus est auctor, Hispani paschatis festum ad duodecimum Kal. Aprilis celebrarunt, Galli quartodecimo Kalend. Maij: quo die Offeri oppidi fontes quotannis sponte aquis compleri soliti scaturijisse de more feruntur. Eo miraculo sæpe per hæc tempora cum opinionibus de die paschatis vtraque natio discreparet, constanti atque perpetua computi ratione nondum excogitata veritatem indicatam & cognitam Gregorius Turonensis huius ætatis scriptor testatur. Gregorio æqualis Donatus monachus adiunctis septuaginta socijs ex Africa venit in Hispaniam: & opibus Minicæ præpotentis sceminæ & copiosæ Seruitano monasterio extructo Setabi, ut plerisque placet, monasticam viuendi rationem, certis nimirum legibus institutisque temperatam,  
 inuexit primus in Hispaniam, ut Illesonfus scribit. Monachi enim, quorum in actis conciliorum Hispaniæ ante hæc tempora mentio extat, aut nulla votorum religione constricti erant, aut dissipati per syluas vitam exigebant solitariam. Ad Leuigildum se se referat oratio. Qui Aquitaniam motibus compositis

positis in Hispaniam redijt, Sueuorum imperij, quod tandiu tenuerat, delēdi certus. Myro Rex Gotthorum potentiam veritus Calæciæ iam fines vastantium, missa vtrò legatione cum pacē peteret, inducias tantum ad certum tempus impetrauit. Expetendæ à Sueuis pœnæ, nisi religionis mutatæ causâ nulla erat: & ardebat Leuigildus cupiditate bello laceffendi, profligandiq; Romanorum copias, quibus à Iustino Imperatore Hispaniensis limitis custodia credita erat. Orospedæ montes, qui ad Cauni montis radices assurgunt, per Molinamq; Conchiam, Seguram Granatæ fines attingentes ad Gaditanum fretum desinunt, vbi montani homines locorum asperitate confisi imperium detrectabant, illato primum bello domuit. Ijs locis superatis Gotthorum potentia magnopere aucta est, imminuta Romanorum: cum exiguum Hispaniæ tractum ad mare, ut arbitror, Mediterraneum exigua spe defensionis retineret. In eos priusquam Leuigildus verteret arma, ad reip. statum cōuerso animo atq; studio ius suffragij antiquandi, quo Gotthorum proceres eatenus Reges creare soliti erant, & ad stabiliendā in familia regni successione magnopere referre cogitabat, Ermenigildum & Reccaredum filios regni cōsortes declarauit, ditone tripartita. Ermenigildus Hispali (Turonensis Emeritę ait) res curare iussus. Reccaredi nomine ad Tagi & Guadielæ confluentes, prope Paternianam, hoc est, Pastranam, ut Rasis Arabs testatur, vrbs Reccopolis fundata  
 20 anno quingentesimo septuagesimo septimo. & pleriq; suspicantur in Celtiberis fuisse, quo loco Almonacillum oppidum loci natura firmissimum situm est vulgò à Zurita nomē habēs. Leuigildus ipse regni sedem Toleti fixit: vnde ea ciuitas, vrbs Regia nuncupari cœpta est, atq; Gotthici regni deinceps sedes facta: cum hætenus Hispali fuisset. Ab his inijs ciurbi ad Primatus dignitatē aditus est patefactus in ceteras Hispaniæ ecclesias, quod locis competebus est à nobis copiosius explicandum. Romanā ecclesiam post Ioannem. III. Benedictus Pontifex gubernabat. Romanum imperium Iustini Junioris successor Tiberius eo nomine. II. Quo tempore Myro Sueuorum Rex Ruccones bello  
 30 vexauit. causæ in incerto fuere: sed bello tamen victos & fortunis spoliatos imperio subiugasse constat. Is tractus Riuogia hoc tempore nuncupatur præcipua fertilitate nobilis, frumenti ferax: ita ut cum vigesimo frequenter efficiat.

*Ermenigildi bellum. Cap. XII.*



INGVNDIS Sigiberti Mediomatricum Regis, atq; Brunchildis filia, Ermenigildo connubio iuncta est salutis anno quingentesimo septuagesimo nono. Eo coniugio quoniam Gosuindæ  
 40 & Athanagildi neptis erat, vtriusq; regis familiæ sanguis copulabatur: quod ad stabiliendum regnum nonnihil referre Leuigildus Rex habebat persuasum, si Francorum regiam noua sibi affinitate iungeret. Missam ex Gallia regio procerum comitatu stipante auia Gosuinda, præcipua lætitiæ significatione aliquandiu apud se habuit, inhil prætermittens eorum, quæ ad benevolentiam conciliandam pertinere visa sunt. Nimirum sagax scemina his blandimentis adolescentulæ animum expugnare parabat, ut catholica religione

religione deserta, ad Arii vāsaniam traduceretur, baptis-  
 matis laticro, vt mo-  
 ris erat inter Arianos, instaurato. quod cum illa se facturam negaret, semel  
 ritu Christiano excusans, sancti lauacri virtute expiatam sub Trinitatis san-  
 ctæ inuocatione, quam ad extremum spiritum inuolatam cōseruare certum  
 erat, impotens fœmina, atque iracunda, neque magis corpore deformis (erat  
 enim altero lumine capta) quàm animo efferata, repulsæ dolorem nō ferens,  
 ad conuitia & contumelias semel in puellæ capillos inuolasse fertur: atq; per  
 solum tractam excusso sanguine fœdasse: iterū in piscinam subiectam dedisse  
 præcipitem, magno vitæ discrimine. His Ingundis iniurijs non modò nihil  
 de animi constantia mutauit, verū eius potissimū diligentia Ermenigildus 10  
 vir creditur ad catholicā religionem reuocatus. Leandri Hispalēsis Episcopi  
 regij iuuenis animū ad veritatem procliuem præcepta ad omnem veræ pie-  
 tatis partem informarunt. doctrinæ opportunitatē Leuigildi patris, in Cite-  
 riorem Hispaniam, atq; aded Carpetanos discessus præbuit. Quo tēpore Rin-  
 gundis Chilperici Regis & Fredegundis filia Reccaredo pacta, cum ad spon-  
 sum Tolosam vīq; processisset, cæde patris renunciata, quem à Landrico Ma-  
 gistro equitum occisum diximus, repente in patriam redijt. sic eius coniugij  
 spe intercepta Bada Reccaredo iuncta est, quo ex genere incertum: sed his ta-  
 men rebus occupato patre, Ermenigildus planè noster est factus. Ex hac reli-  
 gionis mutatione, bellum graue & diuturnū natum est. & ægroto Leuigildi 20  
 animo, filij consilio cognito Gosuinda nouercali odio faces subdebat. omnia  
 tamē prius tentare placuit, quàm ad arma ventum esset. Itaq; legatione missa,  
 pater hoc exemplo litteras ad filium dedit: Coram maluissēm, si per te licitū  
 esset, quàm per litteras de re tota disputare. quid enim à te præsens non impe-  
 trassēm, siue regia auctoritate præciperem, siue paterno iure castigarem? be-  
 neficia certè in memoriā reuocarem, quæ tu in ludibriū vertere maluisti.  
 A teneris (nimia fortassis indulgentia) in spem Gotthorum regni diligēter  
 alui: cōfirmata etate, antequam postulares, maiora quàm sperares delata sunt.  
 Dedi sceptrum vt cum auctoritate adiutorem haberem: non vt te externasq;  
 gentes cum quibus fœdus inire paras, imperio me aduersum armarem. Nouo 30  
 exemplo appellauī Regem, vt consortio potestatis contentus, primas patri  
 partes daret: atque in hoc ætatis flexu, essēs seni præsidio æquè atque solatio.  
 Si quid est, quod amplius cupias, patri explica. sin autem supra ætatem, supra  
 consuetudinem, supra merita tibi sunt omnia tributa: cur aut ingratus impie,  
 aut impius sceleratusque crudeliter circumscribis patrem? an senis mortem  
 expectare graue fuit? tantique fuerunt pauci anni, quot hæc ætas recipit? an  
 cum fratre communicatam potestatem inuidebas? de quo me arbitro discepta  
 re æquum fuit. Sed nimirum regnādi ambitio omnes naturæ leges violat: re-  
 soluitq; ea quæ perpetua necessitudine constricta sunt. At religionem caussa-  
 ris: in quo te video non humana iura tantum, sed diuina etiam euertere, & in 40  
 caput tuum Dei vindictam prouocare. Ita ne ab ea religione tuo arbitrato  
 discedas, cuius cultu propagando nomen Gotthicum auctum opibus, atque  
 potentia amplificatum est? an maiorum, quæ sacrosancta esse debuit, aucto-  
 ritatem contemnas? Nouæ religionis vanitatem, vel eo potissimū confi-  
 derare

derare potuisti quod filium à patre seiungat: & summæ caritatis nomina  
 odio plusquam paterno, atque inuidia labefactet. Ego Ermenigilde pro pa-  
 tris iure impero, & pro ætate, qua maior sum tibi consulo, reuoca ad so-  
 brietatem animum: positaque noxiarum rerum cupiditate quiesce: sic enim  
 facile eorum quæ commissa sunt hætenus venia dabitur. si recusas, cogisque  
 arma capere, næ tu frustra paternam misericordiam re desperata implorabis.  
 Molestæ hæ litteræ Ermenigildo fuere, pro eo, ac par erat: nihil tamen de  
 priori sententia mutare certus, in hanc sententiam rescripsit. Minas & con-  
 tumelias tuarum litterarum æquo animo tulimus: tametsi nulla nostra la-  
 cessitus iniuria, linguæ libertatem cohibere potuisti. Beneficijs tuis, quæ  
 & ipse meritis maiora esse sentio, parem aliquando gratiam rependere  
 cupio: obseruantia tenorem tibi debitæ, mihi propriæ ad extremum vitæ  
 spiritum præstare. Saniori religione quam ipse inuidiæ causa nouam dicis,  
 amplectenda orbis iudicium sequebamur, multis præterea nixi præsidijs:  
 de veritate non disputo: cuique de ea re liberum arbitrium facimus: tan-  
 tundem modo nobis detur. Gotthicæ gentis felicitatem Arianæ supersti-  
 tionis acceptam fers, scilicet ignarus consueuisse Deum, quo grauius ex com-  
 mutatione rerum doleant, quos pro scelere vlcisci parat, his secundiores  
 interdum res & impunitatem concedere: haud sanè constantem atque  
 perpetuam, quod Vandalorum, atque Ostrogotthorum in simili causa  
 exitus declarat. Quod si indignaris te in consulto ausum me religionem mu-  
 tare: concede mihi, vt doleam, ne hoc quidem abs te tribui, vt salutem  
 meam rebus cæteris potiore habeam: pro qua, si res ferent, paratus sum  
 sanguinem vitamque profundere: neque patrem fas est plus diuinis legi-  
 bus, ac conscientia posse. Deum quæso consilia tua reipublicæ sint salu-  
 taria, nobis filijs tuis haud exitialia. Tu caue ne sinistris criminationibus  
 aures accommodando committas, vnde luctum tibi in omnem vitam pa-  
 rias, nomini ac generi nostro ad posteritatem infamiam victis, ac victo-  
 ribus parem. Erant regni studia diuisa inter patrem & filium. catholici  
 quorum erat magnus numerus causa meliores, viribus impares Ermeni-  
 gildum palam, aut voto sequebantur. maiori potentia Ariani Leuigildi  
 partes. Ermenigildum Turonensis ait, sacro chrismate delibura fronte  
 (is ritus erat recipiendis in ecclesiam Arianis) veterem appellationem  
 Ioannis nomine mutasse: aureæ monetæ resiliunt, in ipso, vt videtur belli  
 ardore, vt essent videlicet pro tessera militari, præcipuæ puritatis percussæ,  
 Ermenigildi nomen & faciem exprimētes altera ex parte, in altera victoriæ  
 signum, his adiunctis verbis: HOMO Regem deuita. Nimirum ad Pauli  
 sententiam alludit: Hæreticum hominem præcipientis post vnam & alte-  
 ram monitionem esse deuitandum. Longinqua auxilia à catholicis con-  
 quisita. Leander Constantinopolim ad Tiberium Augustum nauigauit: ex  
 monacho Benedictino Hispalensis Episcopus singulari eruditione, mo-  
 rum probitate eximia, neque minori orationis suauitate & elegantia, res  
 eo tempore comparanda miraculo. Pro qua re iuerat, parum profecisse ar-  
 bitror: synodo tamen Episcoporum interfuit, & cum Gregorio, cui post-  
 modum

modum Magni cognomen accessit, & Legati partes pro Pelagio secundo implebat, vsum habuit. Ex vitæ & studiorum similitudine voluntates conciliatas indicio sunt libri Moralium à Gregorio Leandri hortata, eiusque nomine in publicum dati. Huius belli initia inciderunt in salutis annum  
 80 quingentesimum octogesimum, Mahometis in Arabia ortu famosum infautumque nomini Christiano, magis quam nobilem. Hispalis & Corduba munitæ instructæque comiteatu: siue ducendum esset bellum, siue obsidionis mala essent toleranda. Romani Duces fœdere conciliati. vxor Ermenigildi, & filius recens natus in eorum relicti potestate, vt fidei datæ obsides essent: & si quid grauius accidisset à belli discrimine longissimè abesse volebat. Contra Leuigildus cum inuictum filij animum, neque metu frangi, neque promissis flecti consideraret, vt mœnenti patri aures accommodaret, ad arma vimque vertit animum. Romani primum qui leuiter fundata fide cum filio sentiebant, magno auri pondere Leuigildo conciliati. Mercenarij homines ingenio, & quibus fides ex fortuna pendebat, vnde melior spes affulsit in eam partem nullo honesti, inhonestique discrimine inclinabant. Deinde inter Catholicos & Arianos, quorum de religione dissidio bellum excitatum esse constabat, species quædam concordia excogitata. Arianorum Præfulum conuentus Leuigildi iussu Toleti habitus. In eo conuentu rebaptizandi mos sublatus Arianis familiaris: cum ad eorum sectam catholici transfugissent. Patri Filiū æqualem esse, de quo tandiu disceptabatur, verbo tenus sancitum: cum prauæ opinionis virus conceptum retinerent animis. verborū simulatione multorum animi circumuenti, quasi dissidij causa sublata, aut ab Ermenigildo distracti palam, aut frigidius, quam fecerant, optimam causam tuebantur. Plerique ancipiti periculo dubij, atq; ad tempus fortunam in consilio habere soliti, spectatores belli esse mallebant, quam cum fortunarum alienarum euentu miscere discrimen rerum suarum. His rebus perficiendis tres anni consumpti: quo spatio Tiberio Imperatore defuncto, Mauritius eius successor rem Romanam cœperat administrare. Leuigildus tota ditone magnis delectibus habitis cōtra filium mouens, in extremam Beticam ferro penetrauit. Hispalis circumfessa. parum spei erat obsessos voluntate quicquam facturos ab Ermenigildo, atq; Leandro Præsule præoccupatis animis: vim adhiberi, ac metum placuit. Alluitur ea vrbs Bæti flumine magnarum nauium capaci. ad subuectiones prohibendas cōmeatu intercipiēdo. eius fluminis cursum corriuari, aliòq; auerti placuit. Ea molitio magni laboris erat, atq; multorum dierum opus. Itaq; quarto supra Hispalim lapide Italiæ veteris mœnia instaurata, vti veteris magnificentia ruinæ documēto sunt. & nimirum belli, quod diuturnum fore persuasum habebant, opportuna sedes quærebatur. Diui Isidori nomine monasterium ijs in locis extat nostra ætate. Myro Sueuus, tametsi placitis de religione discrepabat, cum suorum manu Leuigildo iunctus, rāum nefas morte luisse creditus est, ipso obsidionis tempore defunctus, Eborico filio successore. Turonensis Myronem Ermenigildi partes secutum ait: & profligato demum bello cum fœdus fecisset cum Leuigildo in patria paulò post defunctum, locis natura grauibus, vbi bello

bello intentus hæserat & aquarum insalubritate valetudine prostrata. Hispalim redeamus: vbi Bæti corriuato magna atque suprema annonæ difficultate laborabatur. Ermenigildus post annuam obsidionem desperata defensione, clam ad Romanos elabatur: ignorabat nimirum paterno auro corruptos. ciuium deditioe Hispalis continuò in Leuigildi potestatem venit, salutis anno quingentesimo octogesimo sexto. AEquè paucis post diebus Rex iuuenis à patre captus: an Cordubensium prodicione, defectiois infamiam noxamq; innocētis, cum se eò retulisset venalem Romanorum fidem metuens, calamitate procurare parantium, an vt Turonensis est auctor, ad Osetum oppidum, vbi baptismi fontes quotannis impleri sponte consueuisse est demonstratum. Locum munitioe & sanctitate confusus, eò se Ermenigildus contulerat cum trecentis delectis militibus: & patrem sperabat si vim adhibere pararet à tergo atque à fronte circumuentum, nam prope reliquæ copiae tendebant, opprimi posse. Quod contra accidit. filij consilio explorato, vt nihil occulti esse potest in intestina discordia, solers pater eius conatus elusit. Magna celeritate oppidum captum, incēdioq; deformatum. Ermenigildus ipse spe omni destitutus in templum aufugit, si forte residente patris ira moræ spatium veniam impetraret. Sequebatur Leuigildi castra Reccaredus minor ætate filius, indole animi atq; prudētia fratri æqualis. Is patris permittū, factaq; à fratre ipsum conueniendi potestate in templum admissus aliquandiu vi lacrymarum vocem intercludente, tacitus subitit. deinde, Moisis, ait, est animi suorum casum dolere, nullumq; in dolore præter lacrymas remedium adhibere. tuam calamitatem nostrā iudico: quid enim inter fratres & patrem potest esse seiunctum? Neq; tuos conatus vitupero religionis susceptæ studio: tametsi quæ iusta causā esse poterat in patrem arma mouendi? ac ne illorum quidem consilia accusabo, quibus es in fraudem inductus. præterita lamentari, quam corrigere facilius est. Fuit hæc fuit horum tēporum calamitas, & scissis prouincialium animis fatale dissidium. Dum vtraq; pars in nostra familia querit præsidium, vtriq; planè corruimus. Reliquum est ad concordiam animos reuocare: prouidere certè ac præstare, ne inimici in nostræ domus ruinis amplius exultent. quod vtinā rebus integris libuisset: sed præstat ad paternam misericordiam recurrere, & factorum veniā cupidissimè petere: quam pertinacia atq; arrogantia perire. Moneat vtriusq; fortunæ conditio, ne contumaciam cum pernicio, quam obsequium cum securitate malis. Illud memento, rebus profligatis cōsilio opus esse: animi impetum fore tum vanum, tum exitialem. Ego tibi si quod necesse est, sponte facis, tibi patrem recipio placatum. retento certè regio honore, modico supplicio noxam expiabis. Ad ea verba iuramenti religio addita. vocato patre, inæstus iuuenis ad genua prouolutus ab eo veniæ simulatione osculo exceptus est, atq; blādis sermonibus delinito animo, in castra deductus. mox regij insignibus detractis Hispalim in custodiā missus est (Bielarensis, Valentiam reiegarum, Tarracone occisum ait). Monstratur Hispali ad eam portam, cui à Corduba nomen est, turris Ermenigildi custodia nobilis, loci altitudine, angustia, atq; tenebris horrida. In ea manibus ad collū reuinctis asseruatus traditur. ad carceris squalorem victus ipse & cul

tus asperitatem addebat: cilicij vestem, qua in lecto etiam pro stragula veste utebatur, animo in rerum diuinarum contemplatione defixus, cælumque suspirans, quo se quamprimum iturum sperabat. Aduenerat Paschatis festum Christi Dei ad vitam reducis memoria lætum, & eo anno incidit in quartum  
 5 8 6 decimum Aprilis diem, ab ortu Christi anno quingentesimo octogesimo sexto, quod certa ratione intelligitur. tamen quidam ex hoc annorum numero biennium detrahunt: Biclarensis tertio Mauritij Imp. anno Ermenigildum occisum certè ait. Leuigildus de filio sollicitus mittit quendam Episcopum Arianum de media nocte, qui epulum Christianum vincto de more traderet. Ille verborum contumelia castigatum cum à se repulisset, patris animum, ad se eam iniuriam pertinere interpretatis, vsq; eò exacerbauit, vt Sisberto carnifice euestigio misso securi percutiendum mandarit. Horret animus atq; heret tantæ crudelitatis imagine. Inerant Ermenigildo simplicitas & libertas: quæ nisi modus adsit, in exitium vertitur. Martyris memoria colitur in Hispania passim ad octauumdecimum Kal. Maij, (nonnullæ ecclesiæ priori die faciunt). Carceris locus consequenti tempore in sacellum Ermenigildi nomine transformatus est. multiq; deinceps mortales viri & foeminae, Ermenigildi, Ermesindæ, siue Ermenesindæ nuncupati. Armengol & Ermegaudus gentilia Hispanorum nomina eodem pertinere putantur. tum Ermegildez & Ermildez barbarum magis sonantia. Hæc indicia sunt cultus martyris in Hispania suscepti olim atque propagati. Corpus vbi sit nostra ætate clam est: ac ne satis quidem constat quo tunc loco fuerit tumulatum: nisi quod os eius argenteæ statuæ inclusum, atq; reuinctum Cæsaraugustæ in tēpli maximi proprio sacrario seruatur. Romanam ecclesiam per hæc tempora Pelagius. II. obtinebat. Pelagij successor Gregorius cognomēto Magnus Ermenigildi mortem, & mortis causam memoria recenti descripsit. auditumq; ad martyris corpus testatur cælestem concentum funus videlicet peragentium exequiasq; celebrantium, quoniam eo honore carebat: fama; vulgatum eodē loco per noctem lumina lampadum ardentium similitudine visa. Ijs rebus & quoniam Sisbertus carnifex breui turpissimo mortis genere consumptus est, religio martyris maiorem in modum in animis hominū confirmata, auctaq; est. nunc amplius cum Sixtus. V. Pōt. Max. Ermenigildi nomen in Romanos fastos adscripsit, faustumq; & in primis celebre octauodecimo Kal. Maij vniuersæ Hispaniæ fore sanxit lege in omne tempus lata.

*Leuigildi mors. Cap. XIII.*



N G V N D I S viri casu perspecto, oppleta mœrore & lacrymis in Africam transmisit. Romani Duces, quorum fidei credita erat, ad Mauricium Imperatorem ducendam cum filio curabant, quasi belli prædam. Franci Reges Childebertus Ingundis frater germanus & Guntrandus patruus eius iniuriam, Ermenigildi necem armis vindicare parabant feroces & rapidi. Reccaredus noui belli cura in Gallia eorum conatus anteuertit, in hostium fines inuectus, atq; Vgerno arce munitissima in Arclatensi agro armis expugnata, finitimi agri omni iniuria deformati.

formati. Tentata subinde concordie spe, missisq; à Leuigildo de pace legatis, nihil impetratum tamen, ad priores noua iniuria hostibus exacerbatis. Francorum naues ad Calæciæ littora (comercij videlicet causâ cum Sueuis in eundem) in ea loca delatæ, à Gotthica classe interceptæ sunt, cum hominibus prædaq; omni. sic repetita, quamuis legatione Franci Reges ac Princeps Guntradius surdas aures Gotthorum postulatis præbuerunt, & auctorem habeo, qui Reccaredum Narbone profectum rursus in Francorum fines irrupisse ait, lætissimisq; Galliæ agris rursus attulisse vastitatē. Childebertus dolori propior vindictæ audior, Mauricium Imperatorem, cuius amicitiam paulò ante contempserat, vitro sollicitauit ad vires armaq; socianda aduersus Longobardos & Gotthos rerum dominos in Italia atq; Hispania. Validæ Francorum copie ex nouo fœdere missæ in Italiam, cum hostis initio metu simulando, neque vniuersæ dimicationis copiam faciendo innatam Francorum genti cōfidentiam auxisset, pugna repente atq; improuiso facta victæ profligatæq; sunt. cæforum numerus nō proditur: cladem tamen eo seculo maiorem Francis contigisse nullam cōstat. Gotthis ex eo casu Childebertum æquiores redditum minimè dubium est, præsertim cum Imperator alijs rebus intentus nomen magis ad sociorum præsidium, quam vires afferre videretur. In ipso belli apparatu Ingundim Childeberti sororem, pro qua bellum suscipiebatur, nunciatum erat diem obiisse, siue in Africa, siue in Sicilia, nam auctores in diuersum trahunt, filio paruulo ad Imperatorem deducto: qui quem exitum haberit clam est, & fortassis paulò post matrem & ipse decessit, obitu quam vita felicior futurus. Interea in Hispania Leuigildus opprimendæ catholicæ religionis studio, vnde tantum calamitatis domesticæ exitisse interpretabatur, viros sanctos, quorum præsidio veræ pietatis cultus nitetur, toto regno exilijs multabat: Leandrum Hispalensem Præsulem, Fulgentium Astigitanum, quibus in primis iratus erat, Ermenigildi causâ, cui fauisse minimè dubitabat. Mausonam Emeritæ Metropolitanum ea ætate cum summis viris comparandum, cum Toleti, quo deducendum curarat, omnibus contumelijs violasset ob religionis constantiam, & quoniam Eulaliæ vestem Arianorum metu Regi prodere recusabat, feroci equo impositum atq; Sunna Ariano in eius locum subrogato, in exilium expulit. Miraculo viri innocentia est indicata: equus ille posita cōtinuò feritate sanctum virum dorso admisit. Plures alij Episcopi relegati, alijq; in eorum locum substituti: vnde tranquillitate reddita ecclesiæ factum creditur, vt cōtra quam ecclesiasticis legibus cautum erat, duo essent aliquando eiusdem vrbis Episcopi, vt publica eius ætatis acta testantur. pacis studio nouum exemplum inductum. Ecclesiarum redditus ab auaro Rege nemine resistente occupati. sacratorum virorum priuilegia antiquata. multi proceres occisi veris causis, aut a simulatis. ex eorū bonis regiū patrimonium locupletatum. ac præsertim tanta carnificina prouidebatur, ne quisquam externi sanguinis ad regnum aspirare posset. His malis plerique fracti, nō ex plebe modò, sed & viri principes copijs & nobilitate, manus dederunt, atq; ad Arianorum sectam traducti sunt. In his Vincentius Cæsaraugustanus Episcopus, cum Arianus esset factus, inconstantia exemplo multos

alios in præcipitium traxit. Seuerus Malacitanus & Licinianus Carthagi-  
 nensis Præfules Vincentij æquales, eius perfidiam de scripto iugularunt. Ex-  
 tat nostra ætate Liciniani liber, quem plures præterea epistolas ad Eutro-  
 pium Episcopum Valentinum scripsisse Isidorus testatur, Constantinopo-  
 lique diem obiisse: nimirum cum Regis furorem fuga declinaasset. In ea vrbe  
 Ioannes Biclarenſis Abbas Scalabi in Lusitania natus, decem & septem æta-  
 tis annos studiorum gratia iunior consumpserat, inde vtriusque linguæ alia-  
 rumq; artium cognitione instructus in patriam ex lōginqua peregrinatione  
 redux, communi ecclesiæ tempestate iactatus Barcinonem exilij causā mis-  
 sus, ad Pyrenæi montis radices, vbi hodieq; eodem nomine visitur, Biclarsē 10  
 monasterium constituit optimis legibus atq; institutis ad D. Benedicti regu-  
 lam conformatum. vnde Reccaredo quidem Rege, ad Gerundensis ecclesiæ  
 procuracionem: Suinthilæ autē ætate ad cælum morte migravit, meritis de-  
 bitum præmium Nonito successore. Ioannes presbyter Emeritensis, atq; No-  
 uellus Complutēsis Episcopus Asturij ex magno interuallo successor, & ipsi  
 doctrinæ atq; religionis laude clari, quibus rerum fluctibus agitati fuerint  
 clam est. Isidoro minor ætas præsidio fuit, eaque indoles & ingenij lumen,  
 quod breui vniuersam ecclesiam illustrauit: generis nobilitas, totius oris di-  
 gnitas, atq; suauissimi mores. tametsi Arianorum in se inuidiam irritare non  
 desisteat, & sua sponte & Leandri fratris litteris ad oppetendam pro vera 20  
 pietate mortem si opus esset, animatus. Hisce rebus Gotthici regni potentia  
 vehementer confirmari videbatur: præsertim cum per idem tempus Sueuo-  
 rum ditio sit auctum, eius gentis Regibus penitus à stirpe sublatis hac oc-  
 casione. Myronis filius Eboricus ab Andeca viro præpotenti, tum suis co-  
 pijs, tum Sisegundæ nuptijs (erat ea Eborici nouerca) regno spoliatus, atque  
 in sacerdotis morem detonsus, compulsus est vitam principalem cum priua-  
 ta, regia insignia cum veste monastica commutare. Leuigildus vt amici  
 atq; fœderati Regis iniurias vlcisceretur, victum armis Andecam, atq; the-  
 sauris regijs spoliatum, detonsa coma (maiorum instituto atque more,  
 nobilitas promissa cæsarie continebatur) atque eo facto regni spe penitus 30  
 intercisa, Pacem Iuliam relegauit. Malarici motibus tandem compres-  
 sis, qui fauore gentis regium nomen occuparat, vniuersa Calæcia in pro-  
 uinciam redacta, leges & magistratus accepit. Sic Sueuorum regnum, quod  
 aliquando florentissimum fuerat, & centum septuaginta quatuor annis His-  
 pania partem tenuerat, extinctum penitus est, atque sublatum ipso salutis an-  
 no quingentesimo octogesimo sexto. Quo anno Leuigildus ipse Toleri  
 decessit, ex quo cum fratre regnare cœpit anno octauodecimo. Fama est,  
 & multi auctores testantur, sub vitæ finem cum salute corporis desperata  
 ex morbo decumberet, Ariana impietate repudiata, animum ad sanitatem  
 quidem reuocasse, atque priuatim cum Reccaredo filio pro catholicæ reli- 40  
 gionis veritate disputasse: regnū quod multarum vrbium accessione ampli-  
 ficatum relinquebat, futurum multo illustrius veteri religione quasi post-  
 liminio in Hispaniam vniuersamque ad eō Gothicam ditioem reuocata.  
 Leandrum & Fulgentium, quos ab exilio postremis testamenti tabulis reuo-  
 cari

cari mandabat Patrum loco habere, eorum auspicijs & mōnitis priuatam vi-  
 tam, communesq; ad eō res gubernare. & Gregorius magnus asseruit Leand-  
 ro coram priusquam ex morbo obiisset, Reccaredum filium enixè commen-  
 dasse, eius præceptis sperare sese, ac vero vehemēter optare Ermenigildo fra-  
 tri, quem magna animi temeritate innocentem occiderat, vt persimilis mo-  
 ribus, humanitate atq; totius vitæ cōditione euaderet. Nimirum sancti Mar-  
 tyris manes mortui, quam viui feliciores patre tandem ad sanitatem reuoca-  
 to conqueuerunt. Tametsi nostri historici Leuigildum temporibus seruiē-  
 tem, atque factionis metu animum debilitante negant palam eum, vt erat 10  
 opus, Arianam sectam abdicasse, priuatim agnouisse veritatem non negant,  
 antea multis prodigijs admonitum, quæ religionem catholicam illustrabāt.  
 In ijs hæc numerantur: quo tempore filium innocentem armis persequeba-  
 tur, in ora Carthaginis monasterium D. Martini nomine sacrum monachis  
 in vicinam insulam fuga dilapsis, à regijs militibus est direptum. in Abba-  
 tem, qui solus remanserat, districto gladio eorum quidam facto impetu, sacri-  
 legij pœnis agentibus in terram decidit exanimis. In quo Rex prudentior  
 cognito casu prædam omnem reddi monasterio mandauit. Annulum in ig-  
 nem proiectum cum de religione esset disputatio, catholicus ardentem ma-  
 nu incolumi contrectauit, catholicæ veritatis argumentum præclarum: hæ-  
 reticus haudquaquam est ausus simili periculo sectæ patrocinari. His atque 20  
 alijs id genus miraculis, Regem aiunt animo commotum atq; vacillātem ex  
 Episcopo quodam sectæ Arianae addito diligenter quæsiuisse, eccur Chri-  
 stianis tot tantaq; miracula patrātibus, Ariani suam sectam nullis virtutibus  
 illustrarent? Cui Episcopus: Multis (inquit) dō Rex si vera fateri conuenit, atq;  
 aduersariorum in morem nostra iactare fas est, surdis auditum insinuauit, cæ-  
 corum oculos ad videndi vsum aperui: verum quæ hactenus vitandæ osten-  
 tationis causa sine arbitris gesta sunt, ea consilium est palam facere, confir-  
 mareq; tibi, quæ à me dicta sunt haudquaquam inania esse. Itaq; Rege per pla-  
 team paulò post transeunte, Arianus quidam auctore impulsoreq; Episcopo,  
 30 magnis clamoribus oculos in pristinum restitui aspectum fraude postula-  
 bat: notam Episcopo fabulam apud ipsum auctorem argumenti peragens, su-  
 pinasq; tendens manus Antistitis precibus & sanctitate sanitatem supplex  
 sperare simulabat. callidum commentum. turpissimum mendacium. Verum  
 contra res accidit. Impostor ille atq; nefarius simulatq; Episcopus eius ocu-  
 los manibus contrectauit, penitus excæcatus est. Fraude detecta (dolor pu-  
 dorem superabat) Ariana secta, vt par erat, vehementer inclinare cœpit:  
 & Regis animus sensim abalienari: præsertim cum toto quadriennio His-  
 pania agros, ac Carpetaniam in primis in quam ob acris temperiem ma-  
 ximam vis mali incubare maximè consuevit locustarum agmina peni-  
 tus vastarent. quod populares vt solent in religionem vertebant, quasi  
 diuino numine Ermenigildi cædem, atque veram pietatem ijs malis  
 vindicante. Eam laudem Leuigildus Isidori etiam testimonio habeat  
 certè præcipuam, quod post Euricum Regem Gotthorum leges tem-  
 porum iniuria deprauatas, nonnullis additis, alijs detractis castigauit.

& Paulus Diaconus Emeritenſis, qui viſa retulit, aſſerit Nunctum Abbatem præcipua ſanctitatis opinione virum, cum ex Africa Emeritam traieciſſet Eulaliæ ſepulcrum inuiſendi ſtudio, & ex ea vrbe ſceminarum aſpectum declinans in eremum aliquanto poſt ſeceſſiſſet, regijs vectigalibus ſuſtētatum, tametiſi religione erat catholicus tandiu, donec a vicinis ruſticis facta cōſpiratione occiſus eſt. Cauſſe in incerto fuere. & fortaiſis liberæ ſancti viri increpationes ferre nō poterant agreſti homines pectore, rudi ingenio: ſacrilegij certè pœnas Rege vindictam negligente dæmonum incurſu in ſurorem acti dederunt. Illud variè in Leuigildi actionibus accipi poteſt, quod primus Gotthorum Regum velte à populo diſcreta uſus eſt, primusq; regia inſignia, atq; inſtrumentum principale, trabeam, ſceptrum, diadema geſtauit.

*Reccaredi regni initia. Caput. XIII.*

**L.** RECCAREDVS patris funere procurato, domesticisque rebus compositis, animo ad reipub. statum & religionis catholicæ instaurationem cōuersus, primum omnium cum Francis Regibus foedus instaurare cupiebat: & quō pax diuturnior ſanctiorq; eſſet Bada priori vxore defuncta Clodofindam alteram Childeberti Aultraſiani Regis ſororem ſibi iungere: cum conſiliorum patris in Ermenigildum ſcūientis participem non fuiſſe excuſaret, fratrisq; calamitatem ſe ex animo doluiſſe. Verū tantæ rei perficiendæ nondum maturitas erat, & appropinquabat tamen. Illud maius: Leandri & Fulgentij præceptis cōformatus, de reuocanda in Hispaniam catholica religione ſerio cogitabat, ipſe iam animo & ſententia catholicus: tametiſi tantisper tempori cedendum arbitrabatur, dum popularium mentes facilius ſecti quàm frangi ſolitæ, præſertim commutanda ea religione, quam à primis annis acceperat, arte ſanarentur. Patientia & verborum comitate plebei & principes facile Regis volūtati morem geſſerunt. Gotthiq; vniuerſi, atq; ex Sueuorum gente ij qui veteris erroris reliquias fouebant, populariter in eccleſiæ catholicæ caſtra commigrarunt. Regis diligentia, gratia, atq; auctoritate res tanta perfecta eſt: cui ad alliciendas verſandasq; ſubditorum voluntates multum contulit oris dignitas, moresque ſuauiſſimi, quibus gratiſſimus genti eſt habitus dum vixit, poſt obitum gratum poſteris, fauſtumque nomen in paucis. Contigit enim Reccaredo, quod haud ſcio an Regum vlli, vt religione permutanda, quod propemodum neceſſe erat, motus exiſterent, neque diuturni admodum, neque graues: & ſeueritas animaduerſionis non modò non inuidioſa eſſet, quia neceſſario ſuſcipiebatur, ſed etiam popularis, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſima. Primus in Gallia Narbonenſi Athalocus Episcopus Regis conatibus ſeſe oppoſuit, erat enim ſecta Arianus, uſque eò vt uigò homines Arium nominarent. Granista & Bildigernus Comites, ſiue Athaloci conſilio & hortatu, ſiue ſua ſponte factionis tuendæ ſtudio, ijs in locis corripere cōtra Regem arma, plebemq; ad defectionem ſolicitare minime dubitarūt. Verū is nimbas, qui grauiſſimam procellam minabatur, breuem

breuem & facilem exitum habuit. Athaloco vbi rem inclinatam videt, & popularium voluntates ad religionem catholicam propenſas retineri à tranſitione non poſſe præ animi ægritudine deſuncto, Comites a Reccaredi exercitu acie ſuperati: eorumq; ſupplicio catholicorum iniuriæ vindicatæ ſunt, quos illi quā odio religionis, quā deſperatione rerum ſuarum ſi victi eſſent, tormentis omnibus cruciauerant. ac ferme nullæ acerbiores ſimilitates atque odia quàm quæ religionis ſpecie comparantur. Ipſo regni initio, hi Galliarum Narbonenſis motus extiterunt. Quo tempore omnino ex quo remp. capetiſierat menſe decimo, Rex nouus patriam Ariana perfidia abdicata, veterem religionem atq; catholicam amplexus cōtinuò eccleſijs ſua iura reſtituit, bonaq; a patre per iniuriam ablata noua templa & monachorum collegia ſua expenſa fundabat regia magnificentia: plerofq; populares in eum locum reſtituit vnde à patre erant deturbati: cuius acerbicatem videbatur benignitate ſuperare velle, maleficia beneficijs compenſare. His rebus occupatū eum, diuinum numen tuebatur. Deſiderius enim a Guntrando Rege cum validis copijs miſſus vt Gotthos de ſinibus laceſſens ſuperiores iniurias armis vindicaret, à Reccaredi copijs in Gallia Narbonenſi ſuperatus, interfectusq; eſt. Ad Carcaſonem acie pugnatu n. victi primū Gotthi, atq; intra urbem compulſi Francos victores & negiecta militari diſciplina auidius inſequentes, irruptione ex vrbe facta, ſigna; quali tunc primū pugna committeretur de integro canentes, velut numine rem Gotthicam reſpiciente, mutata prælij fortuna, qui terga dederant, oblitū vulnerum laborisq; prælium maiori impetu reſtitutis ordinibus repararunt. Antoniti hoſtes Gotthorum audacia, breui loco moti atq; in fugam conuerſi ſunt. Duce cadente, plerique trucidati. paucos fuga ſeruauit. Atq; hæc omnia intra primum annum regni Reccaredi geſta ſunt. Conſequenti autem detecta in Regis caput coniuſratio. & propemodum neceſſe eſt reip. ſtatu cōmutando, cuius præcipua pars religione continetur, fluctuare animos: motus exiſtere varios & graues. Mauſona temporis beneficio in Emeritenſem eccleſiam reſtitutus eſt. Sunna Arianus, qui exulis locum concedente Leuigildo occuparat, ægrè tulit æmuli reditu ſe de ampliſſimo dignitatis gradu eſſe deturbatum. Itaq; eius interficiendū cōſilia cum factioſis hominibus clam communicauit: audax facinus, atque exitu anceps, præſertim Claudio Duce ſuperſtite: cuius fidei vniuerſa Luſitania concredita erat, atque urbem Emeritam præſidio militari obtinebat, catholicæ religionis conſtantia clarus, vt Gregorij Magni & Iſidori litteræ ad eum datæ declarant. Vtrunque ergo obtruncari placuit. rei perficiendæ cura Vviterico demandata, magnum ſpirituum iuueni, & in omnia familiaria iura Claudij aſſueto: quippe qui in eius domo educabatur: vnde conſequenti tempore ad Gotthorum regnum peruenit. His moribus creſcebat, Hispaniæ Princeps futurus. Occaſio tanto facinori opportuna quærenda erat. Sunna officiū cauſa Episcopi conueniendū facultatem petit. Ille quod res erat ſuſpicatus in beneuolentiæ ſimulatione ſuæ ſaluti inſidias comparari, Claudium ad ſe aduocat, vt mutui colloquij arbiter eſſet: & ſi qui fortè mali cogitarent, auctoritate comprimeret. Coniuſrati tempus veniſſe rati vtriuf-

que cædis perpetranda, cum salutationis officio functi essent, Vvitterico signum dant. Is enim retro Claudium de more stabat. miraculo habitum est, cum gladium nulla ratione stringere posset, siue diuino numine innocentem causam respiciente, siue iuuenili animo metu periculi perturbato. coniurati haudquaquam fracti animis in publica supplicatione, qua ad Eulaliæ templum suburbanum ibatur, promiscua cæde in Episcopum & populum vniuersum sæuire constituunt: gladij quò res esset occultior frumēti specie carris impositi. Conceptum paratumq; facinus Vvittericus indicio facto disturbauit, ex superiori miraculo pœnitentia concepta, aut factio-  
 10 nis crudelitatem exhorrescens. Claudius re perspecta Sunnam & proceres qui cum eo magno numero sentiebant, facto in eos impetu, cæsisq; quicunq; armis resistere ausi sunt, reliquos redegit in potestatem. Procerum bona iussu Regis, cum quo rem tantam cōmunicari placuit, in fiscum redacta. ipsi honoribus spoliati in varias partes exilij causa abierunt conceptæ fraudis testes deformes. Sunnæ coniurationis principi, & architecto cum seueritate mitigata, aut Hispaniæ deserenda, aut superstitionis abdicandæ optio data esset, in Africam nauigauit. Vvitterico indicij facti præmium fuit concepti sceleris venia. Vacrilæ è coniuratorum numero ad Eulaliæ templum tanquam ad asylum fuga elapso perpetuæ seruitutis cōditio imposita, eiusq; templi obsequijs perpetuò est mancipatus. Paulus Segga Comes coniurationis princeps, manibus præcis in Calæciam exulare coactus est, vt Biclarensis ait. His supplicijs procella dissipata, vnde magna clades ecclesiæ catholice imminere videbatur: reliquis documētum datum haudquaquam impune procedere impios atque nefarios conatus. Maior nihilominus rerum moles continuò exorta est. Gosuinda Regina sub initia in priuigni gratiam catholice religionis cultum simulat, & quod horrescit animus commemorare, in catholicorum cōuentu solita erat diuinum epulum de sacerdotis manu sumptum occultè spuere, ne si in stomachum trajiceret, violatæ videlicet religionis rea esset. Idem Vldida Episcopus, cuius illa consilij multum vtebatur, factitabat. Diu regi simulatio non poterat. cum eo Regis obtruncandi cuius periculo salus publica vertebatur, consilia cōmunicauit. verum diuino numine catholice religionis statum nondum satis firmatum protegente, cōiuratione detecta Vldida exilio est mulctatus: Gosuinda fato concessit: conceptamq; animo impietatem morte luit, iniquo animo scemina, & catholice religioni semper infesta. In Gallia per idem tempus, nimirum salutis anno quingentesimo octogesimo octauo Francorum armis bellum reperabatur. Guntrandus Rex memor iniuriarum, quas pridem acceperat: atq; ignominie delende cupiditate, quæ Desiderio Duce accepta erat, magnis deletibus tota ditione habitis, numerosum exercitum conflat. ad sexaginta hominum millia, pedites equitesq; numerabantur. Cum his copijs Boso Dux sui Regis iussu in Galliæ Gothicæ fines populabundus irruit. Claudius Lusitanie Dux ex antiquo Romanorum sanguine prognatus, nunciato Francorum apparatu missus in Galliam, atque Gallici limitis custodia concredita, ad Carcaſonem locorum omine lætus ob recentem superioris victoriæ me-  
 40 moriam,

moriam, hostem nactus, collatis signis superauit. multi in pugna, non pauci in fuga ceciderunt. castra expugnata. impedimentis omnibus victor potitus est. clara victoria, & qua illustrior nulla extiterat in Hispania, auctore Isidoro, Gotthorum patricitate admirabilior est habita: scribunt enim Claudium confidentia mirabili cum trecentorum militum cohorte, quam ex lectissimis conflat, cum præualido hoste tantisq; copijs stipato ausum totius pugnae fortunam tentare. Extitit paulò post nimirum vertente anno noua in Regem coniuratio, ex qua non minori ope numinis mirabiliter euasit. Argimundus regio cubiculo præfectus, Rege occiso regnum inuadere parabat. res tanta cum sine socijs perfici non posset, cum pluribus communicata celeri non potuit. De socijs ergo quæstione habita continuò supplicium est sumptum. coniurationis dux, quo maiori ludibrio esset pœna diuturnior & grauior, decaluatus (quod erat amissæ nobilitatis insigne: nobiles enim à plebe cæsarie promissa distinguebantur, extantque Francorum leges de iure cæsariei) ad hæc præcisâ manu, asino impositus per Toietii plateas traductus, gratum pijs spectaculum, totius populi conuiijs, contumelijsque laceratus, capite tandem plexus est. Verum hæc aliquanto post, ad intermissa reuocatur oratio.

30 *Concilium Toletanum tertium. Cap. XV.*



OLETANAM ecclesiam per hæc tempora post Montanum, Iulianum, Bacaudam, ac Petrum ex ordine eius ecclesiæ Præsules, Petri successor Euphimijs tenebat, excellenti probitate vir, & eruditionis laude non vulgari. Rex bellorum motibus pacatis & domesticis insidijs toties superatis, diuini beneficij memor, susceptæ religionis statum cupiebat, publico totius gentis consensu, atque totius ecclesiæ iudicio ratum huncque esse. disciplinam ecclesiasticam, quod erat necessè, vitio temporum labefactatam astringi atque reuocari satagebat. Hoc animi consilio cum Leandro Hispalensi, cuius auspicijs, vt par erat, res priuatas & publicas gubernabat, communicato, optimum visum est: ex tota quàm latè patebat ditione Gothica Episcopos Toletum urbem Regiam (sic deinceps vocari conuenit, & Gotthos Reges in ea imperij sedem collocasse est demonstratum) ad generales conuentus totius prouinciæ celebrandos conuocare. Ad diem certam septuaginta circiter Episcopi conuenerunt: in his Metropolitanis quinque: atque sub initium mensis Maij, salutis anno quingentesimo octogesimo nono, primus conuentus est habitus. In eo conuentu Rex ad Patres qui aderant, hoc exemplo, atque his  
 30 verbis breuem orationem habuit: Non incognitum reor esse vobis, reuerendissimi sacerdotes, quòd propter instaurandam disciplinæ ecclesiasticæ formam ad nostræ vos serenitatis præsentiam euocauerim: & quia decursis  
 40 retrò temporibus hæresis imminens in tota ecclesia catholica agere synodica negotia denegabat, Deus cui placuit per nos eiusdem hæresis obicem depellere, admonuit instituta de more ecclesiastico reparare. Ergo sit vobis io-  
 5 8 9  
 P 5 cundi.



,, cunditas, sit gaudium, quod mos canonicus prospectu Dei per nostram glo-  
 ,, riam ad paternos reducit terminos. Prius tamen admoneo pariter &  
 ,, exhortor ieiunijs vos, vigilijs, & orationibus operam dare: ut ordo canoni-  
 ,, cus, quem à sacerdotibus sensibus detraxerat longa ac diuturna obliuio,  
 ,, quem ætas nostra se nescire fatetur, diuino dono nobis rursus patefiat. Patres  
 hac Regis oratione vehementer commoti pro se quisque, ut in quoque erat  
 auctoritatis plurimum, diuinam benignitatem concelebrarunt. Regi ipsi gra-  
 tiæ actæ pro tam propensa in religionem catholicam voluntate. Itaque trium-  
 dierum indicto ieiunio, animis procuratis, alter conuentus est habitus. In eo  
 Rex fidei catholice professionem, Ariane perfidiæ abdicationem de scri- 10  
 pto conceptam, suo & Badæ Reginae nomine Patribus obtulit: quam quo-  
 niam in ea sincere religionis formula comprehensa erat, ac nominatim in  
 Symbolo Constantinopolitano expressum, Spiritum sanctum a Patre Filioque  
 procedere, Patres fauultis acclamationibus profecuti. Ex reliquis tum Episco-  
 pis tum proceribus, qui Ariana secta repudiata Regis exemplum secuti erant,  
 quæsitum, num aliquid in regia professione reprobarent? responsum datum:  
 sancire se & amplecti quæcunque religio catholica profitebatur. Octo Epi-  
 scopi erant, proceres quinque, prauis antea opinionibus imbuti: qui priori  
 similem fidei professionem post Regem & Reginam suæ manus subscriptione  
 confirmarunt. Secundum hæc, tres & viginti canones promulgati, disci- 20  
 plinae ecclesiasticæ instaurandæ causa. In his sigillatim expressum ne popu-  
 lus prius diuini epuli particeps fieret, quam publice fidei susceptæ symbo-  
 lum inter offerendum sacrificium more Christiano iuxta formam in concilio  
 Constantinopolitano perscriptam, cuncti qui aderant pronuntiarent.  
 unde arbitror eum morem in Hispaniam deriuatum, qui ad nostram æta-  
 tem retentus est, ne ad sacræ mensæ epulum quisquam admittatur priusquam  
 Christiani symboli partes omnes præeunte sacerdote pronunciarit. Concilij  
 acta Regis edicto confirmata. Postremo Leander ad Patres & populum con-  
 cionantis in modum hac sententia orationem habuit: Præsentis, inquit,  
 ,, diei tantam esse celebritatem tantamque lætitiã, quanta nullius diei festi 30  
 ,, toto anno recurrit, nullus vestrum, ut arbitror, Patres mecum affirmare recu-  
 ,, sabit. Alijs enim toto anno celebritatibus gaudij veteris memoriam reuo-  
 ,, care consueuimus: nouæ hodie atque maioris lætitiæ materia suppeditatur  
 ,, cum gratia liberatori humani generis Christo, nobilissima Gotthorum gēs  
 ,, hætenus sine vilo laboris effectu vagata per tenebras inextricabiles, cælesti  
 ,, illustrata lumine, viam cōsequēdæ immortalitatis inuenit, ad diuinum æter-  
 ,, numque templum admissa, quod appellatur ecclesia. Quod si res fragiles &  
 ,, terrenæ, & quæ ad solius corporis pertinent cultum, vbi prospere fluunt, vs-  
 ,, que adeo animos afficiunt, ut sæpe non parum de statu mentis immutent:  
 ,, quantum gaudere debemus ad regni cælestis vocati, admissiq; hæreditatem? 40  
 ,, Sanè quo diutius fratrum nostrorum cæcitatem calamitatemq; luximus in  
 ,, exigua sanitatis spe, eo syncerioris voluptatis offertur occasio. Mili profecto  
 ,, Sol ipse illustriori luce quàm solet, hodierna die micare videtur: terræ facies  
 ,, multo quàm antea lætior esse. Gaudet enim cælum in beatas illas sedes tot  
 gentibus

,, gentibus aditu patefacto; tot hominibus ea ciuitate donatis, quæ insignitæ  
 ,, nomine Christiano in mortis laqueos incurrerant. Gaudet terra hætenus  
 ,, spinis obsita, nunc distincta variataque floribus: vnde fertum Patres, qui hæ-  
 ,, tenus graues molestias pertulistis mirabiliter contextum vestris capitibus  
 ,, imponatis. Seuiatis cum lacrymis, læti nunc decerpite flores, metite matu-  
 ,, ras fruges, spicarum manipulos in horrea ecclesiæ comportate. Vestri gaudij  
 ,, magnitudo haudquaquam Hispaniæ regionibus terminatur: ad vniuersam  
 ,, ecclesiam permanet necesse est, quæ suo complexu totum orbem terrarum  
 ,, comprehendit, & nobilissimæ præuincie accessione aucta modos dictante  
 10 Spiritu sancto pro tanto beneficio diuinam benignitatem cōcelebrat. Quæ  
 ,, enim hætenus ob sterilitatem contemptui fuerat Hispania, nunc cælesti do-  
 ,, no perfusa multiplicem prolem vnico parau enixa est. Reliquæ gentes, si quæ  
 ,, nondum cælesti lumine sunt illustratæ, nostræ nationis exemplo salutem  
 ,, sperent: easque sub vno pastore Christo in ecclesiæ ouile breui conuocandas  
 ,, is dubitet, qui diuinarum pollicitationum fidem satis perspectam non ha-  
 ,, bet. & nimirum æquum est, ut qui vnus Dei imperio regimur, & ab vno pa-  
 ,, rente originem trahimus linguarum diuersitate sublata, vnde tetra erro-  
 ,, rum facies in terras incubuit, idem de diuinis rebus sentiamus: mutua inter  
 ,, nos caritate constricti simus: qua quid est in rebus humanis aut fructu sua-  
 20 uius, aut vtilitate salutaris, aut honestius ad dignitatem? Rumpatur licet in-  
 ,, uidia atque dolore nostræ salutis aduersarius, cui ludus esse solebat, & vna  
 ,, materia gaudij nostra calamitas. tot illustres animas ex mortis laqueis ere-  
 ,, ptas doleat scilicet. Nos Angelorum exemplo prouocati, Gloria in excelsis  
 ,, Deo & in terra pax, concinamus. terræ cælum conciliatum considerantes,  
 ,, non regni tantum cælestis spem præferamus: sed etiam pro terreno regno  
 ,, Regis nostri incolumitate, cuius opera in hanc felicitatem euasimus dies no-  
 ,, ctesq; diuinam benignitatem implorare non desistamus. Biclarensis qui  
 sui temporis chronicon perduxit ad hunc annum, in eoq; fecit scribendi fi-  
 30 nem, scribit Leandri Hispalensis & Eutropij Seruitani Abbatis consilio &  
 auctoritate concilij actiones gubernatas. Tudensis addit Leandrum Hispaniæ  
 Primatem fuisse, & in conuentu Patrum Põtilicij Legati partes imple-  
 se. Concilij acta huic opinioni reclamant, vbi Leander ex subscriptionibus  
 tertio loco confedisse declaratur, Euphimum Toletanum secundo, primo  
 Mausonam Emeritensem, nimirum ordinationis prærogatiua & antiquita-  
 te cæteris prælatum. Illud in huius concilij actis miramur, Regem nouo &  
 insolenti exemplo his verbis & subscriptione conuentus acta confirmasse.  
 FL. RECCAREDVS Rex hanc deliberationem, quam cum sancta defi-  
 nimus synodo confirmans subscripsi. Et constat in concilijs generalibus  
 40 Romanos Imperatores Patrum decretis consensisse, cōfirmasse, aut definisse  
 nunquam, intelligentes nimirum, quibus finibus suam potestatem deberent  
 terminare.

Libri Quinti Finis.

HISTO-

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER SEXTVS.

*Reccaredi Regis obitus. Caput. I.*

10



ONIS omnibus cumulabatur Hispania priori tempestate sedata, noua luce perfusa. Membra tetro religionis dissidio, regnorum multitudinē, nulla inter se compage præter linguæ commercium, disiecta palpitare magis quàm viuere antea solita, in vnum quasi corpus reuocata lætabatur scilicet: festos agitabat dies. Externi Principes Regi, pro diuino munere gratulari, vires opesq; certatim offerre pijs conatibus cœptisque iuuandis: ac nominatim à Gregorio Magno Romano Pontifice, qui Pelagio. I I. defuncto substitutus, 20 ad tertium Nonas Septembris, salutis anno quingentesimo nonagesimo primo, (errant qui priorem annum ponunt) nostra sacra cœpit gubernare, ipso Pontificatus initio litteræ missæ sunt ad Leandrum, quibus Reccaredum lætatur ad veram religionem traductum: tum demum beatum iudicandum si primis vltima connectat: neque cacodæmonis astu in fraudem se impelli sinat. Ad eum Pontificem factum de more salutandum obsequiumque deferendum illi debitum, sibi necessarium à Reccaredo Rege missi cum litteris honestissimi Legati sunt, Probinus presbyter, & Probino adiuncti aliquot Abbates. Addita ex auro munera. præterea trecentæ vestes in vsu pauperum ecclesiæ S. Petri (ea ætate collegia pauperum ecclesiæ redditibus sustentabantur). Leandri consilio & hortatu præstitum officium, (sic putamus) cui cum Gregorio Magno à superioribus annis familiaritas erat, & coniunctio animorum præcipua. Studiorum similitudo, & vitæ in vtroque sanctitas par, amicitia deuinxerat. Præterea peculiaris causâ suberat, tametsi id non proditur, vt conuentus Toletani nuper habiti, actiones & decreta Romanæ ecclesiæ probarent: vnde sacra petenda sunt, & eorum quæ in concilijs statuta sunt sanctitas. Legatos longa ac difficili nauigatione iactatos reiectosque vi tempestatis in Hispaniam plures annos in itinere atque Romæ consumpsisse, trinæ Gregorij litteræ indicio sunt, non ante nonum Pontificatus annum datæ, hoc est, Indictione secunda. Primis litteris Claudio Emeritenſi Duci, cuius proxima secundum Regem auctoritas erat, Cyriacum Abbatem in Hispaniam proficiscentem commendat. Alteris Leandrum neruorum doloribus obnoxium dolet. Postremæ ad Regem sunt, quem in suscepta religione confirmat, laudatque susceptæ pietati pares fructus existere: grandi pecunia

20

30

40

pecunia à Iudæis tentatum, vt legem quandam in eam nationem promulgatam abrogaret, adduci non potuisse. Ijs litteris adiuncta dona sunt. crux inclusa ligni veræ crucis parte, atque capillis Ioannis Baptiste: geminæ clauæ, altera contactu corporis Diui Petri sacrata erat, pellendis morbis virtute salutari: in altera ramenta continebantur ex eiusdem Apostoli catenis religionis ergo detracta: Leandro Pontifici pallium meritis debitum præmium. Extant aliæ Gregorij Pontificis ad Leandrum litteræ, quibus Probinum presbyterum ait, librorum quos Gregorius ediderat partem ipsius permisso abstulisse in Hispaniam Leandri precibus præstitum. Fama sine vlllo certo auctore vulgò iactatur inter Hispanos, Regis Legatos Virginis Matris sculptilem ex ligno imaginem ad Leandrum attulisse eiusdē Gregorij donum: esseque illam quæ longo post tempore in specu quodam reperta vnâ cum Fulgentij Astigitani corpore, præcipua totius Hispaniæ religione colitur ad Guadalupeum oppidum templo dicato. Fulgentij & Florentinæ sororis corpora ad Barzocanum pagum, non procul Guadalupeo oppido, vbi simul reperta sunt, conseruantur. Altigi Florentinam vitam exegisse tradunt, quadraginta virginum collegijs præfectam: vbi & domus in qua vixit monstratur: & præcipui virginum collegij vestigia ad Singilis, hoc est, Xenilis fluminis ripam. quo loco D. Hieronymi nomine monasterium extat. Scripsit Fulgentius librum de Fide Incarnationis, alijsque nonnullis quæstionibus, qui ad nostrum tempus conseruatur. Romæ regij Legati moram trahebant, & conuentus Episcoporum in Hispania frequentes habebantur, ex decreto videlicet atque auctoritate concilij Toletani: vbi concilia provincialia, quibus ecclesiæ salus continetur, quotannis haberi sancitum erat. Itaq; Hispali primum cum Leandro septem vicinarum ecclesiarum Episcopi concilium celebrarunt. In eo de seruis ecclesiæ disceptatum, quos à Gaudentio Astigitano Episcopo legibus repugnantibus manumissos fuisse Pegasius successor disputabat. Totidem Episcopi Narbone conuentum agitarunt per hæc tempora, communiq; sententia quindecim canones promulgarunt, studio videlicet ecclesiasticæ disciplinæ in mores reuocandæ. Tarraconensis Metropolitanus tametsi concilio Toletano non interfuit, Cæsaraugustæ cum Præsulibus suæ ecclesiæ contributis, tribus capitibus explicuit, quo pacto ad ecclesiam catholicam recipiendi essent, qui sectam Arianam vellent abdicare. Toleti præterea, Oscæ, atque Barcinone conuentus peculiare habitus sunt, quorum acta ex sancti AEmiliani Cucullati peruerusto codice peti possunt: vt hic sigillatim referantur operæ pretium non est. Ad Regis actiones redeamus. qui Bada Regina defuncta, pacis studio conciliandæ cum Francis Regibus, immemor iniuriarum, Clodofindam alteram Childeberti Austrasiani Regis sororem, matrimonio sibi iungi vltro postulauit, obtinuitque tandem. consiliorum patris in Ermenigildum fauentis, qua de causâ Francorum animi erant exulcerati, participem non fuisse docuit, fratrisque casum se ex animo doluisse monstrauit. Itaque regia puella Anthari Longobardo, cui pacta erat, prætermisso, in Reccaredi regiam torumque migravit: & cogitatio Francos subijt diuersæ religionis coniugia, neque esse legitima,

tima,

tima, neque cohære felicitè: Longobardum adhuc vana deorum superstitione teneri, Reccaredum Christum seruatore, quod Christianorum commune est omnium, tota vita professum. Leandri prætefa & Fulgentij opera, & ipsum catholicum factum, & in vniuersam ditionem veram religionem atque veterem reuocasse. De harum nuptiarum tempore auctores variant: & illud constat sub extremam Reccaredi ætatem cum Francis foedus factum: Romanorum reliquias, qui Hispaniæ partem aliquam retinebant, Gotthorum armis exagitatas, aliquotque prælijs victas: Vascones imperio rebellantes, studio rerum nouarum, eodem victoriarum cursu domitos. Regem immortalis gloria parta ob res bello paceque præclare gestas, magnitudinem tum animi, tum etiam ingenij atque consilij singularem, veræ pietatis cultum, cum regnum tenuisset annos quindecim, mensem vnum, dies decem, vitam cum morte commutasse, salutis anno sexcentesimo primo. Toleti sub ipsam mortem peccata pœnitentia publica, ex Christianorum veteri ritu procurasse Isidorus est auctor. & Gregorius scribit, Ermenigildi meritis factum vt Hispania sectam Arianam abdicaret, veritatem amplecteretur. Tres Reccaredo filij erant, Liuuam natu maximus, Suinthila & Geila. Liuuam quidem ex priori vxore natum, regno ætas apta declarat. Suinthila & Geila vtram habuerint matrem ignoratur. Ad hos & Reccaredum patrem, quoniam Hispani Reges nunquam intercisa maiorum serie genus reuocant, vt multorum opinio habet, & monumenta antiquitatis declarant, veteresque hystorici, Alfonsus Rex cognomento Magnus, & Isidorus Pacensis cognomento Iunior affirmant: vt omnia ad intelligendum plana sint, huius familiæ stemma lectoris oculis subiiciendum existimaui. Athanagildi vxor Gosuinda, Galsuindam peperit & Brunehildim. Clodouei Regis Franci ex Clotario filio nepotes fuerunt Guntrandus, Chilpericus, & Sigibertus. Chilperico Galsuinda nupsit, quæ Fredegundis insidijs circumuenta perijt, vt antea dictum est. Sigibertus ex Brunehildi Childebertum, Ingundim, & Clodofindam genuit. Athanagildi successor Leuigildus, ex priori vxore Theodosia Ermenigildi & Reccaredi pater, Gosuindam Rex factus duxit. Ermenigildo Ingundis vxor data: Reccaredo Clodofinda. Est autem ad observationem insignis in Reccaredi rebus gestis, & deinceps in Gotthica hystoria Comitum & Ducum frequentem mentionem extare in ciuilibus magistratus significatione. Comites dicebantur, qui prouinciam aliquam cum imperio gubernabant. Duces qui urbem aut regionem aliquam præsidio militari obtinebant. ad hos quoniam summa rerum respiciebat, & cadendæ in stipendium scilicet monetæ facultatem habebant, factum vt aureus nummus vulgò vocetur ducatus. Neque ij modò, quibus reipublicæ moderatio erat demandata, Comites dicebantur: sed etiam quibus in bello alicuius functionis cura imposita erat, quique in Gotthorum regia honorem aliquem gerebant, eodem nomine censebantur. Vnde Comites Cataphractarij, Clibanarij, Sagittarij, Triphadi in re militari castrisque. Domi Comes stabuli, qui vulgò est Condestable, cubiculi, patrimonij, notariorum Comites, omnia forsassis ex Romani imperij æmulatione: Gotthorum Regibus, vt Romanæ

potentiæ

potentiæ hac ætate non multum concedebant, ita honorum nomina ex Romano more libenter vsurpantibus. Eadem imitatione, vt quidam non ineptè suspicantur, Flauij prænomen, quo primus Reccaredus vsus est, ad Gotthorum Reges transijt frequens consequentibus annis. Toletum Regiæ urbis appellatio accessit, quoniam eo nomine Græci sedem imperij urbem Constantinopolim cohonestabant. Illud constat Comites Ducesq; hac ætate temporarij magistratus nomina fuisse: deinde Regum beneficio imminuta plerunq; potestate & minutis oppidis definita, facta hæreditaria.

10

*Liua, Vvittericus, Gundemarus Reges. Cap. II.*



IVVA Reccaredi filius vix annos viginti natus, ad Gotthorum regnum post patris mortem funusq; accessit. Aetas iniuriæ opportuna erat: & dissidia superiora nondum satis pacata male cogitantibus occasionem præbebant. cum magni, pij, iustiq; Regis specimen dedisset, videbaturque paternis vestigijs insistent, ad immortalis gloriam sibi aditum patefacere, Vvitterici prodicione ijs artibus affueti perijt. Regnum biennium tenuit: nulla re præterea gesta ad memoriam insigni, nisi quod formæ totius dignitate, atq; in ætatis flore sublatus, incredibile in animis subditorum sui desiderium reliquit. Reperiuntur in Hispania eius nomine percussæ monetæ aureæ, additis verbis argumeto insignis pietatis HISPALI PIVS. nam ne prioris Liuuæ, qui huius magnus patruus fuit, esse credantur, facit diadema affictum capiti insigne, ante Leuigildi tempora Gotthorum Regibus insolens inusitatumque, vt superius est indicatum. Parricidæ, merces prodicionis regnum fuit: quod factionis opibus armisque subleuatus occupauit, tenuitque annis sex, mensibus decem. Bello bonus est habitus, & Romani exercitus reliquias pellendi tota ditione, cupiditate cum aliquoties aduersa prælij fortuna pugnatum esset, Vvitterici Duces ad Segontiam in Celtiberis, quæ pars est Tarraconensis Hispaniæ, hostem collatis signis superarunt. Interea Childeberto Austrasiano Rege defuncto, duo eius filij successerunt bipartito regno. Theodobertus Austrasiæ, Theodoricus Burgundiæ Reges facti. Theodorico Vvitterici filia Hermemberba pacta in Galliamq; principali apparatu missa, breui ad patrem integra redijt. caussæ in incerto fuerunt. fama tenuit, Theodoricum pellicum, quibus ad insaniam vsque deuinctus erat, arte & carminibus impeditum ne regiæ virginis florem delibare posset. Alij Brunehildis arte affirmarunt, vt sola rerum potiretur, nulum nulla sua culpa ad patrem amandam. Eius iniuriæ vlciscendæ studio, cum Vvitterici legati finitimas prouincias obuiissent, bellum in Theodorici caput conflatum. Agilulphus Longobardus, Clotarius vetus Theodorici hostis, Theodobertus Austrasiæ Rex fratris iniurijs prouocatus, adulterio ipsum conceptum iactare soliti, ad commune foedus accessere. Theodoricus animi ferocia fracta, cum tantum periculi belliq; esset in manibus, ditionis parte concessa, fratrem sibi conciliauit: & nimirum natura compellebat, vt ei potius faueret, quam exter-

nas

nas iniurias vindicaret. Omnino eo præsidio detracto cæteri confœderati conqueuerunt, bellique apparatus grauissimum continuò dissipatus est: ex eoque aduerso successu, Vvittericus cum despectui esse cœpisset, erumpente odio, quod in subditorum animis diu hæserat, & reuocandæ Arianzæ perfidiæ, cuius factionis, vt arbitror, viribus Rex euaserat, consilia agitare fama vulgauerat, à populo in regiam improuisò impetu factò, inter prandendum trucidatus est. Occisi corpus per plateas vnco tractum à coniuratis, atque inter populi conuitia fœdatum modis omnibus in ignobili loco est tumulatum. Ea calamitate Liuuæ innocentis necem exoluisse creditus est: & præcipuo documento persuasum diuinam vltionem, tametsi aliquando sera esse consuevit, nunquam irritam videri. Gundemarus Vvitterico occiso Gotthorum regnum continuò obtinuit salutis anno sexcentesimo decimo: an coniurationis princeps regnandi spe tantum facinus suscepit: an procerum suffragijs cum bello paceque prudentia esset singulari. Francorum viribus adiutum arbitror (licet enim in rebus tam dubijs hallucinari) qui Vvitterico infensi erant Regem factum: argumento vestigialis annui quod Francis à Gundemaro solui consueuisse satis constat ex Bulgarani Comitis Galliam Gothicam pro Rege ea ætate gubernantis litteris: quæ ad hanc diem Compluti & Oueti inter veteres schedas librosque seruantur. Vnde præterea intelligitur Gundemari legatos à Francorum Regibus semel violatos, sacros etiam inter gentes barbaras. In quo etsi commississe videbantur vt hostium loco essent, noua missa legatione Hispanis oratoribus, ne conueniendi quidem Reges potestatem factam. His iniurijs Bulgaranus animo commotus, Theodorici oratores aditu Hispaniæ prohibuit: & cum res ad bellum spectaret, correptis repente armis Iubinianum & Corneliacum oppida, quæ ex fœdere à Reccaredo cum Francis inuito Brunehildi cesserant, in Narbonensi Gallia, pulso Francorum præsidio ad Gotthorum potestatem reuocata. Ea ne Francorum armis repeterentur Brunehildis morte factum arbitramur nõ multo post consecuta, nulla ex se prole superstite. In Hispania Gundemarus Valcones imperio denuo rebellantes, Ducesque & copias, quibus Romani limitis custodia in Hispania credita erat, prospero belli euentu exagitauit, salutis anno sexcentesimo duodecimo, Toletique ex morbo obiit. Regnavit annum vnum, menses decem, dies tredecim: ex Hilduara vxore nullam, quod sciatur, prolem reliquit. Quo tempore Romanam rempublicam in Oriente Heraclius Pliocæ successor obtinebat. Ecclesiam Romanam post Gregorium, Sabinianum, Bonifacium. III. Bonifacius eo nomine. IIII. gubernabat. Ecclesiam Toletanam Euphimij, Tonantij, Adelphi successor Aurasius studijs litterarum doctrinæque animi magnitudine & probitate cum quouis priorum comparandus. Eo Pontifice atque adeò primo anno regni Gundemari, viginti quinque Præsules ex varijs Hispaniæ partibus Toletum conuocati in causâ Toletani Episcopi, & Episcoporum prouinciæ Carthaginensis, conuentu coram Rege, eiusque iussu habito disceptarunt. Euphimius enim Toletanus Præsul in superioris Toletani concilij actis se Metropolitanum per imprudentiam dixerat prouinciæ Carpetaniæ. Reliqui Præsules Carthaginensis

ginensis prouinciæ, quæ regionibus multò latior erat, Euphimij subscriptionem vertentes ad occasionem libertatis, ecclesiæ Toletanæ parere recusantes, ad dicendam causam vocati, sententiam mutare compulsi sunt: cum secundum Aurasij iura, tum à Rege pronunciatum esset, tum ab Episcopis. in quibus Leandro fratri iam defuncto successor Isidorus Hispalensis, Innocentius Emeritensis, Eusebius Tarraconensis, & præter hos, nisi codices sunt vitati, Beniamin Dumienensis erant. Quam sententiam separato codicillo Carthaginensis prouinciæ Præsules quindecim, quorum res agebatur, confirmarunt. Protogenes sanctæ ecclesiæ Segontinensis, Theodoros Castulonensis, Minicianus Segobiensis, Stephanus Oretanus, Iacobus Mentefanus, Magnentius Valerianensis, Theodosius Ercaucensis, Martinus Valentinus, Tonantius Palentinus, Portarius Segobriensis, Vincentius Bigastriensis, Eterius Bastitanus, Gregorius Oxomensis, Præsidius Complutensis, Sanabilis Elotanus. Vnde intelligitur Toletani Metropolitanæ ditioe multo plures ecclesias olim quàm nostra ætate contineri. Nam de Primatu, quem in omnes Hispaniæ ecclesias obtinet, neque nunc disputamus, neque tunc de illo suscepta erat disceptatio. Ex Montani haud dubium tempore olim Toletani Episcopi, conuentu in ea vrbe habito ius in omnes Carthaginensis prouinciæ ecclesias Præsulibus Toletanis datum, ipsi quorum causâ agebatur consentunt: vt huius conuentus acta & horum Episcoporum sanctio manifestè declarant.

*Sisebuti regnum Cap. III.*

**V**NDE MARI funere solenni ritu, multorumque lacrymis procurato, eorum videlicet qui ægrè ferebant virum bonum, Principem excellentem, & in summa magnitudine animi, multa humanitate temperatum tam breui occidisse: Sisebutus procerum suffragijs in defuncti locum coopertus, bonorum dolorem magna ex parte mitigauit, haudquaquam ignorantium quantum in nouo Rege esset animi, quantum consilij. Belli & pacis artes eximias, religionis amor, atque litterarum studia illustrabant. Erat enim Latini sermonis non expertus, res ijs temporibus comparanda miraculo: extantque eius ingenij monimenta epistolæ aliquot, & D. Desiderij Viennensis Episcopi vita (si tamen eius est, & non potius alterius Sisebuti, quod magis puto) Theodorici Burgundi Regis, cum tanti viri liberas increpationes non ferret, iussu interfecti, vi lapidum cerebro comminuto. Extat Granatulæ epitaphium in rudi lapide incisum Amatoris Episcopi defuncti anno sexcentesimo quartodecimo, quem Sisebuti regni annum secundum facit: & nimirum is lapis ex veteris Oreti ruinis aduectus creditur, ab oppido Granatula dissiti duobus tantum millibus passuum. Conceptam de suis virtutibus spem, breui Sisebutus auxit, illustrauitque, Asturibus & Rucconibus, qui loco-

rum natura confisi nouo imperio rebellarant, breui domitis parereque compulsi, vtrunque Flauij Suintilæ ductu & virtute: vnde illi ex aliquanto interuallo ad regnum Gotthorum gradus. Rex ipse Romanorum reliquias toties resurgentes ad veterem Suintilæ exercitum nouis copijs adiunctis, quas magnis delectibus tota prouincia habitis conflauit, nouo bello persequi constituens atque in eorum fines inuectus bis acie victor exitit: & non paucas vrbes illis eodem victoriæ cursu ereptas in suam potestatem redegit, ad fretum nimirum Gaditanum & Oceani littora, vbi Bæticæ & Lusitanæ pars in Romanorum ditioe erat. Atque ita viribus hostes debilitauit, vt vix haberent vbi consisterent in Hispania. Victoriæ gloriam clementiæ laude illustrauit hostibus magno numero, cum ab ipsius militibus capti essent, in libertatem restitutus. Id religionis commercio datum. redemptionis pretium vltro militibus ex regio ærario numeratum. Cæsarius Patritius rem Romanam in Hispania gubernabat. Is suarum rerum desperatione, & quoniam parum spei erat propter locorum longinquitatem Heraclium Imperatorem auxilia opportunè missurum, vltro Sisebutum de pace compellere constituit. Eius impetrandæ leuis quidem, opportuna tamen sese obtulit occasio. Cæcilius Mentefanus Episcopus vitæ tranquillioris studio, ecclesiæ administratione relicta sese in monachorum collegium abdiderat, quod situm fuisse arbitror in Romanorum ditioe. Eum à Rege ad dicendum causam desertæ ecclesiæ vocatum Cæsarius, quoniam à suis retinebatur, vltro ad Regem deducendum curauit. Rei perficiendæ cura Ansemundo legato demandata. iniunctum præterea vt de pace ageret: datæque in eam sententiam litteræ, quibus secundum salutem Regis animum ad pacis cogitationem prouocare contendit. parceret innoxio Christianorum sanguini, cuius copia Hispaniæ agri pluuiarum instar in stagna redundabant. Cæcilium Episcopum regiæ beneuolentiæ conciliandæ studio mittere: arcum amoris pignus, tenue quidem donum si ex rei natura metiatur, magnum si ex mittentis voluntate pensaret. Grata hæc legatio Sisebuto fuit. Itaque ad pacem procliuis Theodoricum legatum ad Cæsarium misit cum litteris, quem ille adiunctis alijs legatis, quo pax esset constantior, ad Imperatorem transmittendum curauit. Erat Heraclius natura deditus astrologorum & ariolorum vanitati. Ab ijs intellexerat metum ingentem impendere Christianis à gente circuncisa. Quod de Sarracenis debuerat de Iudæis interpretatus, nationem illam omnibus modis vexatam, extra imperij prouincias expulerat: nactusque opportunitatem aduentu Theodoricæ legati sæuendi amplius, pacis legibus de quibus in Hispania conuenerat facile assensum præbuit: modò eius exemplo Sisebutus induceret in animum Iudæorum gentem imperijs omnibus exitialem ex vniuersa Hispania pellere. Ea re sibi nihil gratius fore, nulloque officio amplius beneuolentiam conciliari posse: id vt faceret vehemèter se etiam atq; etiam rogare. Heraclij auctoritate & hortatu, non quod ille cupiebat modò Iudæi ex Hispania pulsi sunt, vniuersæque adèò Gothicæ ditiois finibus prohibiti:

prohibiti: sed etiam minis & supplicijs coacti religionem Christianam sacraque suscipere. Quod in Christianorum moribus nefas est, quenquam malo cogi ad professionem veræ pietatis. neque tunc Sisebutus factum temerè vsurpatum prudentioribus probauit, vt Isidorus est auctor. Extant in Gotthorum legum volumine geminæ de hac re leges quarto regni anno à Sisebuto promulgatæ. quod Episcoporum iudicio decerni præstitisset, id Rex ad suum arbitrium reuocauit: cum iuris inter homines Reges sint iudices, religionis Pontifices, quorum sententiam de re tanta expectare æquius profecto fuerat. Verum regij conatus tanti sunt. Plerique metu Regis, nostri facti: quidam ex animo, pars multo maxima simulatè: non pauci ex fuga euasere in Galliæ partem eam, quæ Francorum imperio parebat. Hi quoniam iuncti veteribus suæ sectæ incolis ingentem numerum efficiebant, Sisebuti exemplo Heraclij auctoritate (& commodum Seruatus & Paternus oratores Constantinopolim venerant ex Gallia) quod in cæteris prouincijs præstitum erat cupientis in Gallia obseruari: Iudæi omnes ex ea prouincia discedere post aliquot annos compulsi: Dagoberti Regis edito capitale fore sancientis, nisi cuncti intra certam diem mortales Christianæ religionis cultum tota ditioe susciperent. Plures exilio solum vertere maluerunt: reliqui temporarij seruientes veræ pietatis cultum aut simulando aut amplectendo incolumes manserunt. Ita gentem flagitiosam & Christi Dei sanguine pollutam, diuina vltio nouis toto orbe calamitatibus per hæc tempora exagitabat. verum externa mittantur. In Hispania pari decernendi libertate Eusebius Barcinon. Episcopus loco à Rege motus est, vt ipsius Sisebuti litteræ declarant, substituto alio: quod in theatro quedam ab histrionibus agi concessisset, quæ ex vana deorum superstitione traducta, aures Christianæ abhorrere videbantur. Regis videlicet auctoritate, disciplina ecclesiastica reuocabatur. Cuius studio Hispali octo Episcoporum cõuentus habitus est, Sisebuti regni anno septimo, Isidoro Præside. In eo conuentu Acephalorum secta explosa est, quæ pridem in Oriente compressa, in Hispania resurgere cœperat, Syri cuiusdam Episcopi opera & fraudibus. quo à Patribus conuicta, & sectam palam abdicare coacta, singulorum Episcoporum dioceses de quibus erat disceptatio certis finibus circumscriptæ. Virginibus sacris virorum colloquio interdictum: ipsique adèò collegij præfectæ vetitum præter Abbatem & eum monachum, cui virginum cura esset demandata, quempiam alium è monachorum numero conuenire: ac ne hos ipsos quidem sine arbitris alloqui datum, & de rebus tantum diuinis. Interfuit cum Episcopis concilij actionibus Receptor rerum publicarum Sififelus, ad veterem exemplarium fidem vulgata lectione, vbi Sisebutus legitur castigata. His rebus intentum Regem, atq; de republica & religione bene mereri pergentem mors oppressit, salutis anno sexceteresimo vigesimo primo. Regnavit annos octo, menses sex, dies sedecim. De mortis causâ varij rumores iactati. quidam pharmaci salutaris quidem, sed vltra mensuram præbiti copia extinctum putarunt: alij dixerunt, medicorum fraude venenum pro medicameto propinatum. Et nimirum in magnorum Principum obitu, mul-

ta fingi credique consueuerunt: eorum præsertim qui præclaris actionibus subditorum voluntates sibi conciliarunt. Defuncti funus non magis suorum cura celebre fuit, quàm amore ciuium & verissimis totius populi lacrymis. Extat Toleti ad Tagi ripam suburbanum templum D. Leocadiæ nomine, quod hoc tempore male materiatur ruinam apertè minatur, à Sisebuto eleganti opere ædificatum. sic vulgo persuasum est. Omnino Rodericus Præful Toletanus, templum Leocadiæ nomine Toleti à Sisebuto extructum fuisse ait. Proditur præterea Sisebuti disciplina classes à Gotthorum gente comparatas: vt qui eatenus terrestria bella prospere gesserant, nauigandi peritia ex Themistocleo instituto maris imperium obtinerent: cui cætera parere vsu exploratum est. & fortassis de Africa cogitabant, Romanis propemodum pulsus ex Hispania. Nam Mahometem nouæ superstitionis specie victorijs Asiam & Africam cum lustrasset, traiecit in Hispaniam, atque Isidori auctoritate metuque Corduba fugatum, pro vano repudiamus: neque cum ratione temporum conueniens, neque externis historijs consentaneum: tametsi nonnulli ex nostris scriptoribus id affirmare non dubitarunt, pudenda homines securitate. Sisebuti filius Reccaredus, ætate puer atque regni mole sustinenda impar, cum tribus mensibus à morte patris regnasset defunctus est, nulla præterea re gesta.

*Suinthila & Rechimirus Reges Cap. IIII.*



ISEBUTO & Reccaredo morte sublatis, Suinthila procerum suffragijs rempublicam gubernandam suscepit. Res superioribus bellis præclare gestæ, & Reccaredi patris memoria gentis beneuolentiam conciliarunt, vt vnum in primis dignum iudicarent, cui Gotthicum imperium demandarent.

Plurimum audaciæ inerat, neque consilij minus: laboribus neque corpus fatigabatur, neque vincebatur animus: tanta præterea munificentia in eos quos res asperæ fatigabant, vt vulgò Pater pauperum vocaretur. Vascones ferocem gentem & barbaram, atque noui imperij occasione denuo tumultuantem, correptis præterea armis Tarraconensis prouinciæ fines ferro flammaque vastantem, sua tantum præsentia ex superioris videlicet belli memoria conterritos, compulit deditioem facere. admissos in gratiam urbem Ologitum suis sumptibus ædificare mandauit, vt compedum instar esset, & nouarum rerum studium frænaretur. præstare eius rei facultate carere, quæ toties tentata infeliciter celsisset. Eam urbem quidam Olitum fuisse arbitrantur in Nauarræ finibus. Secundum Vasconum bellum Romani, qui superioris fœderis beneficio magis quàm suis viribus nitebantur, Hispaniæ possessione decedere sunt compulsi: in qua septuaginta amplius annos Lusitaniæ & Bæticæ partem ad vtriusque maris oram alternantibus sæpe ditionis finibus obtinuerant. Qua de causa Eboram nonnulli affirmant à Gotthis magnis operibus munitam,

vbi.

vbi geminæ turres firmissimæ structuræ monstrantur, Sisebuti Regis (sic ducta per manus opinio habet) opus: vt quoniam in vtriusque ditionis finibus sita erat, propugnaculi instar esset arcisque fortissimæ ad hostiles Romanorum incursiones arcendas. Tanto tempore vt Romanorum imperium in exigua Hispaniæ parte tenuerit, Africæ vicinitatem fecisse credimus, nouas indies copias supplementi causa mittentis: quo præsidio per hæc tempora destituti, cum tantum belli esset in manibus aduersus Mahometis arma, facile Gotthorum virtuti cesserunt. Duo Patritij, qui ad vtrunque mare pro rata portione res gerebant pro Romanis, in Regis potestatem venerunt. alter industria Regis in partes attractus, virtute alter & armis superatus est, cum vim repellere pararet. Res tantæ intra quintum regni annum à Suinthila perfectæ. quo anno nimirum à Christi ortu sexcentesimo vigesimo sexto, stabiliendæ successione in familia studio, Rechimirum filium regni consortem declarauit, in minori atque adedò puerili ætate paternas atque auitas virtutes ab eximia indole representantem. Quare quoniam in eo Gotthorum mores & iura euerdebantur regia potestate facta hæreditaria, quæ procerum suffragijs veteri instituto deferebatur, gentis voluntates abalienatas arbitrator. Et constat ex hoc tempore virum paulò ante summum, nullum Regem fuisse: republica perturbata vis & audacia dominabatur. Neque prius conqueuere prouincialium animi, quàm Suinthilam & filium de regni gradu & fastigio deturbarent. Quæ causa Isidoro fuit Gotthorum historiæ, quam ad hunc annum perduxit, non amplius proferendæ. nimirum nobilissimi paulò ante Regis, & propinqui probra & calamitatem litteris vulgare recusauit. Neque tuum erat reipublicæ vulnera, tanquam desperatæ curationis carcinomata stylo contrectare. motus intestinos atque gentis prodiones memoria propagare consilium non fuit. Illud præcipue in Suinthilæ moribus vituperatur, quod pulsus ex Hispania hostibus & publica pace fundata, vitijs animum contaminauit: nobili documento sanciens, esse difficilius animi cupiditates tenere in rerum omnium potestate, quàm armis & virtute hostes vincere. Theodora vxor, Sisebuti Regis filia vt quidam arbitrantur, & Agilanus frater, quibus sese & rempublicam gubernandum tradiderat, magnam illi inuidiæ qua flagrabat partem constarunt, hostiumque partem maximam illo pacis tempore adiunxerunt. Toletanam ecclesiam Aurasijs successor Helladius Suinthilæ regno gubernabat, vir prudentiæ, modestiæq;, & eruditionis laude cumulatus à cupiditate omni remotus, magni præterea laboris summiæque constantiæ. Iuuenis supremo Gotthorum magistratu abdicato, erat enim Rector rerum publicarum, excolendi Christianis virtutibus animi cupiditate in Agaliensi monasterio Toleti monachum induit. Vnde cum monasterij Abbas breui euassisset, Regis Sisebuti auctoritate ad ecclesiæ Toletanæ regimen translatus est, non magis suis virtutibus illustris, quàm Illesonli institutione: quem in Diaconorum numerum cooptatum ex aliquãto interuallo successorem habuit. Et verisimile est Helladium suorum temporum perarabatione commotum animo, vitæq; tædio extinctum: nam quo

tempore Sisenandi prodicione an rebellionem Suinthila sublatuſ eſt, & ipſe in  
 viuſ eſſe deſijt Iuſto ſucceſſore. Erat Sifenandus vir magno animo, neque  
 minus domeſticis copijs inſignis, quàm belli artibus clarus. Iſ regnandi am-  
 bitione corruptus, neque id quibus modis aſſequeretur quidquam penſi ha-  
 bens, & Suinthilæ Regis odio contemptuſ, quem publica gentis inuidia fla-  
 grare conſiderabat, in Franciam ad Dagobertum Regem profectus, Regis  
 ſui euertendi cupiditate incenſus auxilium impetrauit. Habere ſe totius pro-  
 uinciæ ſtudia excitata, ſed metu prohiberi ne rem tantam abſque externo  
 præſidio inchoarent. Suinthilam Regis nomine exercere tyrannidem vitijs  
 omnibus obnoxium: neque vnquam in terris monſtrum fuiſſe vllum tam  
 ex contrarijs & inter ſe pugnantibus naturæ ſtudijs cupiditatibusque con-  
 flatum. Abundantius & Venerandus firmiſſimas Burgundionum copias  
 Cæſarauguſtam duxere. Gotthi proceres qui voto cum Sifenando ſentie-  
 bant, palam Gallici auxiliij fiducia à Suinthila deficientes eum, Rechimirum  
 filium, & vxorem regno expulerunt. Quidam Suinthilam & filium Toleti ex  
 morbo deceſſiſſe affirmant. concilij quarti Toletani acta huic opinioni re-  
 ſiſtunt. vnde præterea intelligitur Agilanum Suinthilæ fratrem Sifenandi  
 partes haudquaquam ſyncera fide fuiſſe ſecutum: ex Francorum hitorijs  
 Dagoberto Regi decem pondo auri appenſa, quæ æde D. Dionyſij abſol-  
 uenda attributa ſunt. Rege Suinthila Ioannes Cæſarauguſtanus Episcopus  
 Maximi ſucceſſor, vitæ probitate, eruditionis laude, atque benignitate in pau-  
 peres vnus maximè per hæc tempora celebratur. De ratione celebrandi  
 Paſchatis librum ſcriptum reliquit. Ioanni æquales, Vincentius & Ramirus  
 fuerunt: Vincentius in S. Claudij Legionenſis, Abbatis munere fungens,  
 Arianorum ſecta, quæ ſopita videbatur reſurgente, deſenſæ veræ religionis  
 ergo ſanguinem fudit. Corpus eius in Hispaniæ vaſtatione generali Oue-  
 tum migravit. Ramiri oſſa in S. Claudij Legionenſis monaſterio, vbi mo-  
 naſticam vitam exegit, ad latus aræ maximæ ſacello tumuloque dicato ſer-  
 uantur. Regnauit Suinthila decem annis: regno pulſus eſt ſalutis anno ſex-  
 centeſimo trigeſimo primo.

*Sifenandus Rex. Caput. V.*



**S**ISENANDVS in ea temporum perturbatione & rerum  
 omnium colluione conſiderans, ſciſſis prouincialium ſtudijs  
 pro ſe & aduerſus æmulum, regnum diu ltare non poſſe: opti-  
 mum iudicauit fore religionis prætextum popularibus obten-  
 dere: quo nihil eſt in ſpeciem fallacius. Ex tota ditione ſeptua-  
 ginta circiter Præſules conuocati Toletum eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ  
 vitio temporum collapſa erat nouis legibus adſtringendæ videlicet cauſa,  
 (ſic ſingebatur). Maior tamen cura ſuberat vt Suinthilæ actionibus Patrum  
 decreto reprobatis, qui eius partibus erant addicti poſito factionis ſtudio  
 animos ad concordiam reuocarent. Ad quintum Decembris diem eius ſecu-  
 li anno

li anno trigeſimo quarto, in D. Leocadiæ primus conuentus eſt habitus. 6 3 4  
 Erat iſ annus tertius ex quo Sifenandus Rex cœperat regnare. In eo con-  
 uentu nouus Rex genibus nixus coram Patribus, humillimoque totius cor-  
 poris habitu, inter ſingultus & lacrymas, quæ ex oculis copioſe manabant,  
 preces pro ſe diuini numinis propitiandi cauſa fundi petijt: quorum cauſa  
 conuenerant, ſancirent ſuis decretis diſciplinam eccleſiaſticam. Regis  
 oratione animati Patres ſynodos Episcoporum, quos quotannis per pro-  
 uincias haberi volebant, celebrandi formam rationemque præſcribunt. Pa-  
 tres ſedendo atque ſententias dicendo conſecrationis antiquitatem ſequun-  
 tor. Patrum voluntate, proceres quos intereſſe viſum erit ad conuentum  
 admittuntur. Summo mane templi, vbi conuentus eſt habendus, ianuæ  
 clauduntur, vna excepta Patribus admittendis, adhibita præterea ianito-  
 rum cuſtodia. Proponendi ea de quibus à Patribus diſceptandum erit, Me-  
 tropolitani ius eſto: de priuatis cauſis referre Archidiaconi partes. Miſſa-  
 le & Breuiarium vnum eſto in Hispania. Eius rei perficiendæ cura, quo-  
 niam Iſidoro, qui primas partes in eo concilio tenuit, creditur eſſe deman-  
 data, vſus obtinuit vt Miſſale & Breuiarium Mozarabum, hoc eſt, ex anti-  
 quo Gotthorum more conſeruatum, ſacrorum precumque diurnarum &  
 nocturnarum ritus, Iſidoro tribuantur. tamenſi nonnulla Leander inuenit,  
 plura progreſſus temporis addidit. Ante Epiphaniæ feſtum quoto die  
 Paſcha ſit celebrandum ſacerdotes inter ſe communicant. Metropolita-  
 ni ſibi contributis eccleſijs idem litteris ſignificant. Liber Apocalypſis  
 Ioannis Euangeliftæ inter libros ſacros numerator. Calæciæ eccleſiæ reli-  
 quæ Hispaniæ inſtituto cereum paſchalem ſacra cæremonia & precatioe  
 luſtrant. Neque Episcopi neque preſbyteri ante trigeſimum ætatis annum,  
 & qui ſe populo probarint inſtituantur. Iudæos amplius ad religionis Chri-  
 ſtianæ profeſſionem cogere neſas eſto. Qui Sifebati Regis compulſu ſuſ-  
 ceperunt in data fide perſtant. Iudæi, quique ex eorum ſanguine ſunt pro-  
 gnati ad publicos magiſtratus ne admittuntur. Viri ſacriati non verticem  
 tantum ſed caput totum capillis in coronæ figuram conformatis radunt.  
 Nullus ad regnum accedito niſi procerum & Antitiſtum liberis ſuffra-  
 gijs. Sacramentum Regi datum ne violator. Reges conſeſſa ad ſalutem,  
 poteſtate ne ad tyrannidem abutuntur. Suinthila, eius vxor, filij, & fra-  
 ter diris deuouentur ritu Chriſtiano, ob ea quæ impiè & crudeliter geſſe-  
 rant regia abuſi poteſtate. Nimirum Patres eo decreto regnum Sifenando  
 confirmare cupiebant: & in poſterum documentum ſtatuerent, ne quis eo-  
 rum amentiam vellet imitari. In qua ſententia illud paulò crudelius vi-  
 deri poſſit, quod ad liberos quos ætatis innocentia debuit excuſare, pœ-  
 na peruenit. ſed id & antiquum eſt, & ab omnibus vſurpatum. quo nimi-  
 rum liberorum caritas cum republica fortius deuinceret patres, & ab omni  
 cogitatione ſcelerum retardaret. Metropolitanus hoc ordine propriæ manus  
 ſigno concilij decreta confirmarunt. Primus Iſidorus Hiſpalenſis, deinde  
 Selua Narbonenſis, tertio loco Mauſonæ, Innocentij, & Renouati in eccleſia  
 Emeritenſi ſucceſſor Stephanus. poſt hunc Iuſtus Toletanus, qui omnibus  
 ſermonibus

sermonibus solitus, Helladij prædecessoris mores actionesque carpere, ob  
 morum asperitatem à suis clericis in lecto, constrictis faucibus suffocatus pe-  
 riit, tertio pontificatus anno, ac ferme statim post solutum hoc concilium  
 Toletanum. Quintum locum Iulianus Bracarenfis occupauit, postremum  
 Audax Tarraconensis: de reliquis Præfulibus non existimo fore laboran-  
 dum. Pimenij tamen Afsidonix Episcopi, quem huic concilio interfuisse  
 subscriptio propriæ manus declarat, nomen ad hanc diem expressum cerni-  
 tur, tum in ea vrbe in D. Iacobi templo, tum ad Mellariam secundo ab eo mu-  
 nicipio lapide in D. Ambrosij, quod ad maris littus situm est. nimirum  
 vtrunque templum Pimenius ex ritu Christiano sacrauit. Legum Gotthica-  
 rum volumen, quod vulgò Forum Iudicum dici consuevit, in hoc quarto To-  
 letano concilio editum fuisse, viri eruditionis laude & eruendæ antiquitatis  
 diligentia præstantes, non exiguo numero persuadere conantur, Isidori po-  
 tissimum opera Regis Sisenandi auctoritate. quod & peruetusti earum le-  
 gum codices adscriptum initio habent, leges eas in concilio quarto Tole-  
 tano esse in vnum corpus collatas. Alij malunt eam diligentiam & lau-  
 dem ad Egicam, qui in postremis Gotthorum Regibus ponitur, ablegare:  
 quod consequentium Regum nomine plures in eo volumine leges extant.  
 cum ab exiguo principio in iustum volumen temporis progressu creuisse ve-  
 risimilius videatur. Circumfertur præterea vulgò breuis celebrandi concilia  
 formula Isidori nomine, quam nonnulli existimant ex huius concilij actis  
 confarcinatam, adiunctione multarum rerum, quæ ex alijs concilijs decer-  
 ptæ sunt: Isidori autem nomen adscriptum conciliandæ auctoritatis causa.  
 commentum probabile, quod cæteris deferentibus, primas in eo conuentu  
 partes tenuit. Verùm de his quisque ex suo iudicio statuatur. nobis argumenta  
 in neutram partem assensum necessariò exprimere visa sunt.

*Chintila regnum. Cap. VI.*

**S**ISENANDVS Rex & Iustus Toletanus Præful, coniun-  
 ctis fermè funeribus sublatis. vigesimo omnino die post  
 quam Iustus à suis est interclusa anima suffocatus, Sisenandus  
 ex morbo Toleti obiit, anno sexcentesimo trigesimo quinto.  
 Regnavit annis tribus, mensibus vndecim, diebus sedecim. In  
 eius locum Chintila procerum & Antistitem suffragijs, vt in superiori con-  
 uentu cautum esse memorauimus, Rex creatus est. Iusti Pontificatum Eugenius  
 eo nomine secundus obtinuit, & suis virtutibus & Isidori Hispalensis ami-  
 citia clarus. Ex quo cum aliquando quæsiisset, an superioris sententiam, qui  
 potestate inferior est soluere posset: & an Apostolos iudicaret pari prædi-  
 tos fuisse potestate, litteras ad eum hoc exemplo dedit. Domino carissimo &  
 virtutibus inlyto Eugenio Episcopo Isidorus. Vestræ sanctitatis litteras  
 per nuncium suscipiens Verecundum, rerum omnium conditori grates impē-  
 dimus, quòd ecclesiæ suæ sanctæ mentis & corporis vestri valetudinem con-  
 seruare dignatur, atq; ad inquisita pro modulo parati satisfacere, exoramus  
 orationum

oracionum vestrarum suffragijs ab ærumnis opprimentibus à Domino sub-  
 leuari. Verùm quòd in quibusdam quæstionibus venerabilis vestra fraterni-  
 tas, licet vos non ignoretis, me compulit respondere: quod maioris senten-  
 tiæ innodatio nisi in mortis articulo à minori nequaquam valeat enodari,  
 sed potius ab inferiore prolata à superiore iure mediante cassetur, orthodoxy  
 Patres quidem Spiritus sancti auctoritate præuia sanxerunt: aliter autem  
 quolibet astruente sicut est vestræ prudentiæ cognitum, prauum suborietur  
 exemplum, scilicet gloriatio securis, contra eum qui secat in ea. Quod verò  
 de paritate agitur Apostolorum, Petrus præeminet cæteris, qui à Do-  
 mino audire meruit: Tu vocaberis Cephass, tu es Petrus &c. & non ab alio  
 aliquo, sed ab ipso Dei & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi ec-  
 clesia primus suscepit. Cui etiam post resurrectionem filij Dei, ab eodem  
 dictum est, Pasce agnos meos, agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos no-  
 tans. Cuius dignitas potestatis & si ad omnes catholicorum Episcopos est  
 transfusa, specialius tamen Romanus Antistes singulari quodam priuilegio,  
 velut caput cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debi-  
 tam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite seiunctus acephalismo  
 se reddit obnoxium. Quod sicut illud S. Athanasij de fide sanctæ Trinitatis  
 sancta ecclesia approbat, & custodit quasi fidei catholicæ articulum: quod  
 nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. Hæc ve-  
 stræ dulcissimæ caritati breuiter prælibaui considerans illud Philosophi,  
 Pauca sufficiunt sapienti. Vale. Huius epistolæ fragmentum ante quadrin-  
 gentos ferme annos Lucas Tudensis ei disputationi inseruit, qua Albigen-  
 sium sectam vires in Hispania colligentem, doctè & eleganter exagitandam  
 suscepit. Ad Regis Chintilæ actiones redeamus: quem Sisenandi fratrem  
 germanum nonnulli fuisse arbitrantur, vtrunque ex Suinthila natum. Ve-  
 rum huic opinioni maiori eruditione & numero resistunt alij ex quarti con-  
 cilij Toletani actis: vbi Suinthilæ memoria multis ignominijs foedatur,  
 quod filio præfente ausuros Patres haudquaquam fore, non inepta prorsus  
 coniectura arbitrantur. Illud constat Chintilam suscepta regni administra-  
 tione, metu intestinæ discordiæ, Sisenandi exemplo nouum Episcoporum  
 conuentum habendum curasse: Patribus nimirum cupiebat suam electio-  
 nem inaugurationemque probare. Longum videbatur ex vniuersa ditone  
 dum confluerent omnes Præfules expectare. Patres duos & viginti, ac ferme  
 ex prouincia Carthaginensi Toletum intra primum Chintilæ regni annum  
 conuenerunt. qui annus à Christi ortu fuit sexcentessimus trigessimus sextus.  
 In D. Leocadiæ conuentus habitus est. In eo nouem omnino leges sunt pro-  
 mulgatæ. atque lege proxima sancitum, Idibus Decembris quotannis Lita-  
 nias ex ritu Christiano triduo celebrari. Susceptum antea pietatis officium  
 veteri Ecclesiæ more, vt aduentante Ascensione supplicationes Deo fierent  
 pro terræ frugibus, in sæua luporum rabie Mamercus Viennensis lapsam ve-  
 terem disciplinam addito ieiunio nouisque precibus instaurauit ante annos  
 ferme ducentos: quod aliæ imitarentur prouinciæ. Gregorius Magnus pro-  
 ximo seculo grauissima peste Romæ procuranda D. Marci festo die similes  
 Q 3 suppli-



supplicationes haberi quotannis sanxit. Vinci se Hispania non est passa in eo religionis studio. ad alia duo anni tempora, quæ in Gerundensi concilio decreta diximus ijs supplicationibus peragendis, nouo instituto Patres Tolertani conuentus mensẽ Decembrem Litanijs celebrandis dicarunt: pro nullo commodo aut periculo temporario, sed venia delictorum, quorum erat magna licentia impetranda, ob idq; maiori religione remedium excogitatum. Aliæ eius concilij leges minutæ sunt: quippe Chintilæ Regis electione confirmanda consumuntur, atque filiorum eius patrocinio: quos ab omni iniuria, defuncto etiam patre tutos fore mandabant. ac nominatim lege de ambitu diris execrationibus sancitum, ad regnum accedere nisi libera electione atque suffragijs: ijsque tantum qui ex antiqua Gotthorum nobilitate nati essent. Prenſare autem ante Regis mortem, quoniam tumultuum & proditorum seminarium erat, nefas haberi mandatum. In eo conuentu, quod inter Toletana concilia quintum est, Eugenius Toletanus Episcopus primas partes tenuit: atque actiones concilij his verbis confirmauit. Ego Eugenius Dei miseratione Toletanæ ecclesiæ, prouinciæ Carthaginensis Metropolitanus Episcopus, his communibus decretis annuens subscripsi. Sequitur Tonantius Palentinus Episcopus, vt peruetusti codices habent. Post hos Episcopi viginti. Horum Patrum decreta vt totius prouinciæ consensu fixa rataque essent, proximo anno quinquaginta amplius Episcopi ex tota ditione Gotthorum à Rege conuocati Toletum conuenere. Ad D. Leocadiæ templum prætorio vicinum (nunc arci regiæ coniunctum est, veteris elegantia & amplitudinis vestigia retinens) ante diem quintum Idus Ianuarij, salutis anno sexcentesimo trigésimo septimo, conuentus habitus est. In eo decem & nouem leges sancitæ. pars disciplina ecclesiastica constituenda consumitur, pars confirmandis quæ de Rege eiusque filijs superiori conuentu decreta erant. Additum præterea ne Rex regno inauguraretur, priusquam conceptis verbis Iudæorum genti se haudquaquam opem laturum iuratus: ac ne permissurum quidem, vt quisquam à religione Christiana alienus tota ditione impune vitam ageret. Selua Narbonensis Episcopus, Iulianus Bracarenſis, Eugenius Toletanus, Honoratus Hispalensis, Isidori per hæc tempora defuncti successor, conuentui interfuerunt. Post hos Protasius Valentinus Episcopus alijq; Episcopi concilij actis subscriperunt. Braulius Cæsaraugustanus Episcopus, qui Ioanni fratri in ea ecclesia successerat, cæteris deferentibus, propter ingenij eruditionisq; laudem, litterarũ doctrinæq; studia, concilij actiones rexisse fertur: decreta, legesque sanxisse. Litteras ad Honorium per hæc tempora Romanum Pontificem dedit: cum illi Patres suas actiones probare cuperent. Eas litteras ob dictionis elegantiam, sententiarum grauitatem, atque structuræ venustatem, magnam Romæ admirationem excitasse Rodericus Præsul est auctor. His concilij ex sententia celebratis Chintila, magis quàm vlla alia re gesta memorabilis fuit: & fortassis hostibus tota ditione pulsis, & pace publica stante res bellicæ sine cura habebantur. Intestini motus Regis diligentia, Patrum auctoritate, cum species religionis obtenderetur, comprimebantur, prouincialium voluntatibus omnium ad concordiam

cordiam pacisque consilia reuocatis. Obijt salutis anno sexcentesimo trigésimo nono. Regnavit annos tres, menses octo, dies nouem.

*D. Isidori vita & mors. Cap. VII.*

**X** CONCILII sexti Toletani actis Isidorum diem iam obiisse monstratum est, & ex Illeſonſi scriptis intelligitur extremo Sifenandi Regis anno, qui à Christi ortu erat sexcentimus trigésimus quintus. tametsi alij ad Chintilæ regnum de quo proximè dictum est, longæuam scilicet vitam propagasse arbitrantur. Leandri, Fulgentij, & Florentinæ virginis, germanus frater fuit. alij Theodosiæ Reginæ addunt Ermenigildi & Reccaredi matris: ætate minimus, animi & virtutum indole patri Seueriano, quem nonnulli Carthaginensis prouinciæ Ducem faciunt, suisque fratribus æqualis: eloquentiæ, doctrinæ, atque ingenij laude multo maior. quod vulgati Isidori nomine libri declarant: quorum catalogum Illeſonſus & Braulius in eius vita texerunt. Indicio sapientiæ fuit examen apum in cunis circum infantis os volitans, quod nisi de magnis viris neque credi neque dici solet. tametsi in primis annis discendi desperatione ob ingenij tarditatem, simul superbi prædagogi metu è domo paterna aufugisse fertur. Verum cum erraret per agros putealis aspectu funis vsu & attritu excauati, monitus quantæ vires diuturnæ consuetudinis essent, vincique naturam arte & constantia & labore, retro pedem retulit. Rei gestæ monumentum Hispali in D. Isidori cœnobio, pars putealis ex marmore monstratur. Ab his initijs in eam doctrinæ atque eruditionis laudem euasit, qua vniuersam Hispaniam illustrauit, catholicæ ecclesiæ, fratribus à Leuigildo Rege relegatis, adiumento fuit. Multum contulit Leandri siue induitria siue altus. cum ab exilio rediisset, Isidorum tunc iuuenem, incertum qua de causa, sed intra conclaue tamen inclusit, sublata prorsus vagandi facultate. quod ille otium ad occasionem euoluedi innumeros libros conuertit: vnde Etymologiarum volumen prodijt, quod Braulij hortatu, ex indefessa lectione consarcinauit, opus spissum & varium, atque ea ætate comparandum miraculo. Ex ea custodia non ante est liberatus, quàm Leandro defuncto successor ei est subrogatus. Susceptam ecclesiam cum optimis legibus atque institutis temperasset, intelligeret autem inanem omnem curam esse nisi à primis annis ceræ instar ad omnem pietatis partem pueri formarentur, collegium Hispali constituendum curauit, iuuentute litteris & sapientiæ studijs imbuenda. Vnde tanquam ex arce sapientiæ plurimi prodierunt morum probitate & doctrinæ laude insignes. In his Illeſonſus & Braulius. Romam Gregorio Magno Pontifice profectum nonnulli affirmant, amicitia videlicet quæ cum fratre olim inita erat confirmandæ studio. nam quod breui temporis spacio atque adeò ipsa natalis Christi nocte iuisse & rediisse aiunt: geminas præterea candelas ex arte ab ipso confectas in eius sepulcro Ferdinando primo Rege repertas inextincto lumine: Mahometem Corduba ab Isidoro pulsum addunt, pro vanis repudiamus:

e 2 **apudiamus**: cum neque ad tanti viri laudes addant, & cæteris quæ de eo ve-  
 re commemorantur, fidem abrogare videantur. Quid enim inanius, quàm  
 fabulosis commentis velle sanctorum virorum laudes vitamque illustrare?  
 Quid religionis synceritati mendacio exitius? Illud constat, Isidori au-  
 spicijs reipublicæ statum optimis legibus gubernatum: ecclesiasticæ discipli-  
 næ instaurandæ causâ tum Hispali, tum Toleti aliquot Episcoporum con-  
 uentus habitos. ecclesiam sibi demandatam quadraginta circiter annos te-  
 nuit. In extrema affectaque ætate grauisimo morbo implicitus discipu-  
 lorumque humeris in S. Vincentij templum delatus (Ioannes Episcopus  
 & Vparcius amicissimi moribundo aderant) publica peccatorum confessio-  
 ne, atque sacræ mentis epulo ex Christianorum more conscientiam procura-  
 uit. se adeundi toto triguo omnibus qui vellent fecit potestatem. blandissi-  
 mis præterea verbis vniuersos qui aderant consolatus, eorum quæ commi-  
 serat veniam tum ab vniuerso populo intermorientibus vocibus, tum à diui-  
 no numine ardentissima oratione & humillimo totius corporis habitu po-  
 stulauit. Demum inter suorum ciulatus, ac vniuersæ ciuitatis lacrymas extre-  
 mum spiritum edidit in eodem D. Vincentij templo, pridie Nonas Apri-  
 lis: quo die quotannis eius memoria in Hispania, dicato festo celebratur.  
 nam de anno quo obiit non satis est exploratum. nullum testamentum con-  
 didit, quoniam quidquid in bonis erat reliquum, per eos dies egenis erat  
 eius iussu datum. Romanæ ecclesiæ principatum per totam vitam agnouit,  
 inde sacra petenda, legesque viuendi diditans. quod cum omnibus sermo-  
 nibus vsurpauit, tum sub ipsam mortem contestatus genti est fore si ab ijs,  
 quæ tradita erant, diuinis præceptis doctrinaque recederent, vt omnibus  
 malis implicati scelerum pœnas exoluerent, de rerum culmine deturbati at-  
 que grauisimis ærumnis oppressi. quòd si his malis castigati ad sanitatem  
 tandem reuocarent animos, maiori quàm antea gloria parta cæteris natio-  
 nibus superiores euasuros. In vtraque re non inanem vatem fuisse superioris  
 temporis memoria cladesque, & nostræ ætatis amplitudo ostendunt: cum  
 imperium Hispanicum videamus olim oppressum ob Vvitizæ Regis im-  
 pios & sacrilegos ausus, nunc ab exiguis initijs profectum atque à veteri ca-  
 lamitate resurgens in eam amplitudinem creuisse, quæ ipsius orbis ferme fi-  
 nibus terminatur. Isidoro defuncto Theodiscus natione Græcus ex aliquan-  
 to interuallo successor in ecclesia Hispalensi subrogatus est. Hunc nonnulli  
 affirmant Isidori libros multis locis deprauatos, Auicenzæ Arabi tradidisse  
 vt in linguam Arabicam conuersos ipsiusmet nomine vulgaret. quod de  
 Auicena falsum est. quippe Sorsani æqualis testimonio in ipsius Auicenzæ vi-  
 ta exploratum est, post trecentos amplius annos deinceps vixisse, neque ve-  
 nisse in Hispaniam, sed in Persarum regia vitam omnem propagasse. Sunt  
 qui scribant Bonifacio. VIII. Rom. Pon. deliberante de ijs qui doctorum  
 ecclesiæ nomine & numero essent cohonestandi: fuisse qui Ambrosio Isido-  
 rum præferendum, aut quatuor certe alijs quintum adiiciendum iudicarent.  
 Opinioni fidem tanti viri eruditio facit: in omni litterarum genere excel-  
 lentis, & quoniam in eo numero duo Patres Italici generis sunt, nullus ex  
 Occidente.

Occidente. Isidori certè nomine non eodem tempore tres in Hispania viros  
 eruditionis & probitatis opinione excellentes exitisse constat: Isidorum  
 Cordubensem Episcopum, cui ob antiquitatem Senioris cognomentum est:  
 Isidorum Hispalensem, cuius actiones explicuimus: postremo Isidorum Pa-  
 censem, qui quòd duobus fuit ætate posterior, Junioris cognomen tulit. ta-  
 met si nonnunquam ea appellatione Isidorus Hispalensis à Cordubensi se-  
 cerni consuevit. Ne te lector idem cognomen in errorem mittat caue.

*Tulga, & Chindasuinthus, & Reccesuinthus Cap. VIII.*

10



**T**N CHINTILAE defuncti locum procerum suffragijs  
 Tulga subrogatus est, ætate quidem iuuenis, cæterum æquitatis  
 atque religionis laude senilique prudentia nulli posthabendus.  
 Bello strenuus erat, consilio bonus, liberali ingenio, & quæ vir-  
 tus Regum propria esse debet, præcipua benignitate in eos  
 quos res angustæ vexabant. regias scilicet opes non ad priuata commoda,  
 neque ad voluptatum instrumentum, sed ad multorum præsidium, popu-  
 lique salutem congestas esse considerabat. Verùm ab optimis initijs ad sum-  
 ma nitentem, mors importuna præepsque Toleti ex morbo oppressit, eius  
 20 seculi anno sexcentesimo quadagesimo primo, cum rempublicam guber-  
 nasset annis duobus, mensibus quatuor. Sigibertus Gemblacensis Tulgam  
 ait, iuuenem ingenio leui fuisse, vitiorum licentia suorum animos exacer-  
 basset: demum à subditis regno pulsum. Nobis Illesonfi Præsulis, qui visa re-  
 tulit, auctoritas potior est, quàm externi hominis commentum ex nationis  
 odio, aut ob regionum longinquitatem fama vitata natum. Tulgæ obitum  
 Gotthorum imperium instar nauis rectore destitutæ, ventorumq; flauti ob-  
 noxiæ opportunæque, Flauius Chindasuinthus vi atque armis continuò oc-  
 cupauit, an Tulgæ ætatem despectui habens illo viuo, an Gotthorum copijs  
 armatus tantam rem aggressus est: cum ius ferrent in armis, reliqui regni  
 30 proceres populusque temerarium iudicarent, tyrone & subitario exercitu,  
 qualis intestino dissidio conflatur, cum exercitatisimis legionibus signa cõ-  
 ferre. Regnum per tyrannidem occupatum benè gessit, inaugurationis vi-  
 tium totius vitæ probitate, prudentia, atq; constantia compensare satagens.  
 Nam reipublicæ statu composito Episcopos ex tota ditone Toletum sexto  
 regni anno conuocauit, vt in re præsentis de rebus quæ ad religionem &  
 rempublicam pertinebant maturo consilio disceptarent. Triginta Episcopi  
 conuenerunt. vigesimo octauo Octobris die, qui dies Apostolorum Simonis  
 & Iudæ memoria sacer est, primus conuentus est habitus. In eo concilio,  
 quod inter Toletana septimum est, sex canones editi sunt. In ijs ex Valenti-  
 ni concilij instituto, quod Theodorici Regis & Symmachi Romani Ponti-  
 ficis imperio habitum erat, Episcopo cuius animam agenti mandatum è vi-  
 cinis Episcopis aliquem, qui esset ad id vocatus adesse, defunctiq; funus præ-  
 sentem procurare: qui secus faxit, vocatusque venire neglexerit, anathema-  
 tis ignominia notatus anni spatio è gradu atque dignitate deijctor. Aucto-  
 rem

6 4 1

rem habeo, qui controuersiam ait inter Hispalensem & Toletanum Episcopos exortam de Primatu, Patrum auctoritate in hoc concilio compositam. Postremo nimirum capite sanxerunt, ex vicinis Episcopis vnum aliquem singulis mensibus Toletum venire, suaque præsentia Regiam urbem cohonestare, id Regis dignitati, atque Metropolitanæ honori dari affirmantes. Verum ea prærogatiua atque honore Primatus dignitatem haudquaquam Toletano Præsuli contributa esse, Patrum subscriptiones conuincunt: vbi post Orontium Emeritensem, & Antonium Hispalensem, Eugenius Toletanus, & Protasius Tarracoenensis subscribunt. sequuntur Episcopi alij antiquitatis ordine. post hos absentium Episcoporum Vicarij. qui & ipsi non consentientes tantum, sed & desinientes subscribunt nouo exemplo, neque à Tridentini concilij Patribus nostra ætate usurpato. Porro Antonius Hispalensis Episcopus in Theodiscli locum successus erat, nuper de gradu deiecti: quod cum Græcus natione esset, Græca leuitate prauas de religione opiniones in vulgus spargeret Isidori etiam scriptis, quorum facultatem nactus erat, vitiatas, vti paulò ante dictum est. quò nimirum maior esset auctoritas doctrinæ ab ipso traditæ. Agente Chindasuintho Rege, Patrum auctoritate loco motus, atque ex Hispania præceps deturbatus, in Africa Mahometis sacra suscepit. vsq; eò excæcantur mortalium animi hausta semel impietate. Theodiscli casum Chindasuinthus Rex ad occasionem arripiens Regiæ urbis Primatus honore decorandæ à Romano Pontifice impetrauit principatus ecclesiastici iura Hispali, vbi hæctenus hæserat, Toletum migrare. sic Toletani Primatus fautores affirmant, neque argumento satis idoneo, neque documento paulò vetustiori. Romanam ecclesiam per hæc tempora Theodorus & Theodori successor Martinus, eò nomine primus obtinebant. Chindasuinthum fama est, & antiqua monumenta declarant, cum studio teneretur Hispaniæ litteris illustrandæ, ad Theodorum Romanum Pontificem ablegasse Tatum Episcopum Cæsaraugustanum: vt Gregorij Magni commentaria, quibus librum Iob ad mysticas significationes traductum eleganter explanarat, diligenter conquisita, atque cum fide descripta secum auferret in Hispaniam. Volumina ad Leandrum, cuius nomine in lucem prodierant, missa (si vnquam tamen missa erant) iniuria temporum interiisse. teneri maximo desiderio Patris vtriusque memoriam ex ijs libris instaurandæ, catholiciæ pietatis augendæ, ecclesiasticæ bibliothecæ locupletandæ. Rempubicam suis iam nitentem viribus parta pace, profligata impietate, nulla re magis illustrari, quàm sapientiæ studijs & religionis puritate. Rem vtranque ex libris antiquorum Patrum eruendam videri. Regiæ voluntates vehementes sunt, neque id Romani non considerabant. Verum quòd in Hispania contigerat, Gregorij libri ferme de memoria hominum exciderant. scrinij Romani schedas omnes & tabularia excutere longum erat. Itaque diem ex die ducere, atque aliam ex alia moræ causam necere. cum Episcopus, quoniam parum spei erat hominum diligentia impetraturum se quòd volebat, ad Deum conuersus ardentissimis precibus petijt, ne tantos labores vanos esse pateretur, Regis sui pro pietate conatus præsentis numine adiuuaret. inter

has

has præces integra nocte consumpta, die proxima locum designauit, vbi scripta Gregorij asseruabantur. fama tenuit, & ipsemet Tatus litteris de ea re testatur ipsius Gregorij indicio atq; monitu voti compotem fuisse factum. Per idem tempus Fructuosi nomen in Hispania celebre erat, quòd vitam principalem, cum ex regio Gotthorum sanguine esset patre Duce, cum priuata atq; adeò monastica commutasset. In ipso ætatis flore Tonantij Palentini Episcopi præceptis & disciplina ad pietatis studia conformatus, ætate confirmata, perfectioris vitæ amore ad Virgidunensem tractum (Vierzum vulgò dicimus) in solitudinem se abdidit: vbi monachorum collegium ex suomet patrimonio constituit Iusti & Pastoris martyrum nomine. ad Compluticam sub monte Irago, eius monasterij vestigia monstrantur. Asturicæ, quæ vrbs non procul ijs locis sita est, inter eius ecclesiæ sacerdotia Abbas Complutensis locum habet, nimirum consequenti tempore monasterio dissipato. Ex diplomate à Rege Ramiro eo nomine tertio, ecclesiæ Asturicensi concessio constat, Fructuosi monasterium non ipsius tantum patrimonij redditibus fundatum, sed & regia Chindasuinthi liberalitate possessionibus auctum, variaque suppellectile exornatum. Extat præterea vicinis locis sancti Petri nomine monasterium alterum amoenis vndique montium claustris inclusum Fructuosi opus: cum tantam hominum multitudinem, quanta indies opinione sanctitatis ipsius excitata confluebat, prioris loci angustia non caperent. Valerius Abbas, cuius extat de vana seculi sapientia liber, aliaq; monumenta ingenij, tum soluta tum numeris astricta oratione, Vvamba Rege, ei monasterio præfuit. Gennadius Episcopus Asturicensis salutis anno nonagesimo sexto, instaurato ædificio amplificauit. Vtriusque rei indicio est lapidi incisa inscriptio, in ipsa templi ianua, qua aditus in monasterium est. Tertium monasterium Gadibus ædificandum Fructuosus curauit, in continenti. Quartum nono ab eo littore milliari. alijs locis alia, tum virorum, tum foeminarum. Inter eas virgines Benedicta principem locum obtinuit, quòd sponso relicto, cui pacta erat, viro in primis nobili & copioso, ad Fructuosum aufugit conseruandæ virginitatis studio succensa. Hæc sub extremam Chindasuinthi Regis ætatem in Hispania gerebantur: quo tempore regnum quod per vim occupauerat, familiæ suæ hæreditarium facere satagens, filium Flauium Reccesuinthum imperij consortem declarauit, salutis anno sexcentesimo quadragesimo octauo: cum ipse solus rempublicam gubernasset annos sex, menses octo, dies viginti. Vixit præterea annos tres, menses quatuor, dies vndecim. quòd tempus in filij regno ponitur: quòd ob præcipitem atque affectam patris ætatem solus ipse rerum potiretur, & rempublicam vniuersam pro voluntate gubernaret. Obijt Chindasuinthus Toleti quidem ex morbo, aut vt alij tradunt, vi veneni vitalibus corruptis. Corpus autem tum eius, tum Ricibergæ vxoris in monasterio sancti Romani nomine tumulatum est: quòd hodie monasterium secundum Durium amnem Taurum inter & Tordefyllam visitur Hormisguæ nomine ipsius Chindasuinthi sepulturæ destinatum opus.

Tria



**E**CCLESIAM Toletanam per hæc tempora Eugenius eo nomine tertius obtinebat, alterius Eugenij successor, Helladij discipulus. Ex Helladij enim schola tum hic, tum tres alij qui proximè præcesserant Toletani Præsules prodierunt. Is otij litterarij cupiditate antea relicta Toletana ecclesia, vbi honestum locum inter eius templi sacerdotes obtinebat, Cæsaraugustæ ad D. Engratiæ cucullum induit, monasticæ vitæ insigne. inde à Rege Chindasuintho per vim ad ecclesiæ Toletanæ gubernacula extractus est. Ecclesiastici can-  
 tus numeros temporum negligentia deprauatos, ad meliorem rationem antiquitatisque regulam conformauit. Librum de Trinitate composuit. Dracontij operi, in quo heroico carmine mundi conditionem descripsit, Genesiosque initium eleganter explanauit, diei septimæ explicationem, quæ desiderabatur adiecit. Ijs ex versibus, alijsque epigrammatis, quæ ad nostram ætatem conseruata sunt, non inelegantis fuisse ingenij, neque prorsus inerediti intelligitur. In ijs epigrammatis Chindasuinthi & Recibergæ, quorum beneficio auctus erat, epitaphia extant, crassum aliquid sonantia, magis ætatis vitio, quàm auctoris culpa. Sunt qui Eugenium Illesonsi auunculum fuisse affirmant: cui opinioni Illesonsi ipsius scripta & Iuliani resistunt, in quibus de re tanta mirum silentium est. nam cælitum numero adscriptum fuisse, tametsi ecclesiæ Toletanæ fasti sileant, nonnulla Martyrologia Nouembris Idibus Eugenij nomine adscripto, ei opinioni suffragantur. Illud constat, Eugenio Pontifice Reccesuinthi Regis opera Toleti Episcoporum conuentum ex tota ditio-  
 ne habitum. flagrabat enim Rex catholicæ religionis amplificandæ studio, diuinos libros tum ipse euoluere solitus, tum disputationibus de rebus sacris libenter interesse: aurum, gemmas, vestemque pretiosam multam templis donare, diuino cultu illustrando non desiste-  
 bat. Nimirum vt ita faceret, domestica paulò ante defuncti patris exempla excitabant. Episcopi duo & quinquaginta in Petri & Pauli basilica sextodecimo  
 6 5 8 Decembris die, salutis anno sexcentesimo quinquagesimo octauo Toleti concilium habuere, quod inter eius vrbs concilia octauum est. Eo die Rex ad Patres ingressus, paucaque de more præfatus, coram codicillum obtulit: in quo fidei catholicæ de scripto concepta professio continebatur. Patres in eo non tantum vt de religione statu-  
 rent, quæ ex commodo ecclesiæ futura essent, hortatur rogatque: sed reipublicæ etiam statum temperarent, antiquis legibus noua censura vbi opus esset, additione etiam atque detractio-  
 ne castigatis. Proceres quicumque ex recepta Gotthorum consuetudine conuentum cum Patribus agitare compellebantur, idem vt facerent obtestatur. De Iudæis, qui superiorum Regum compulsu, religione Chri-  
 stiana suscepta, Iudæicos ritus & cæremonias consecrabantur, quid esset statuendum maturè deliberarent. Etenim libellus supplex à Iudæis Reccesuintho oblatu-  
 s, qui inter antiquas Gotthorum leges extat, velle se continere, tametsi à Chintila per vim compulsi erant Christi sacra suscipere: sabbathum,

Sabbathum, reliquasque Iudæorum cæremonias abdicare. porcinas carnes vt manducarent adduci non posse, magis stomachi fastidio ob cibi insolentiam, quàm quòd religione aliqua se vt ita facerent obstrictos putarent. mentis fanitatem satis declarare, cum cibos alios cum his carnibus coctos edere minime recusarent. Regis litteræ in conuentu magna Patrum gratulatione recitatae. Ex ijs cum in concilio relatum esset, communi sententia duodecim canones editi sunt. In ijs Regis votis copiose satisfactum. insuper vota iuramenta; illicita irrita fore sancitum. vetitumque, carnibus in Quadragesima, quo tempore ex vetusto ecclesiæ more Christiana ieiunia celebrantur, absque eui-  
 10 dèti necessitate vesci. Postremo regiæ exactiones & vectigalia, quorum prætextu ab alijs Regibus in ea temporum perturbatione, cum regnum is occupabat, non qui iure plus poterat sed qui armis, in subditorum fortunas grassatum erat, angustis finibus circumscrip-  
 ta. Considerabant Patres nusquam satis fidam potentiam esse, vbi nimia est: sæpe inuidiæ populari imparem fuisse: quæ sunt moderata durare, propriaque esse. Regi Reccesuintho concessum ea lege paternam bonorum hereditatem cernere, si ijs, qui iniuria spoliatos esse con-  
 20 querebantur, auditis causis satisfaceret, pretiumque exolueret, quantarum ablatarum esset æstimatio. Orontius Emeriten-  
 sis, Antonius Hispalensis, Eugenius Toletanus, Potamius Bracaren-  
 sis Metropolitanus primas in conuentu partes occuparunt: secundum hos Præsules alij, atque in his Bacauda Egabrensis Episcopus, qua in vrbe ipso D. Ioannis cœmeterio nomen eius in marmore candido incisum extat, nimirum illius, aut alterius templi vnde lapis fuerit aduectus dedicatione facta, salutis anno sexcentesimo quinquagesimo, mense Maio. Subscribunt præterea actis concilij Abbates nouo exemplo, in quibus Illesonsus numeratur. Præterea proceres, tum Duces, tum Comites: quorum certè curæ reipublicæ pars aliqua permissa erat. Nec mirum: hæc enim concilia Toletana veluti regni comitia erant, conuentusque generales: vbi non tantum de religione, sed etiam de reipublica communi omnium consensu disceptabatur. Post alterum biennium, huius seculi  
 30 anno quinquagesimo quinto, nonum concilium Toletanum Regis diligentia habitum est. Sedecim Episcopi Kalen. Nouembris in basilicam sanctæ Mariæ Virginis conuenientes, de rebus varijs leges septendecim promulgarunt. In his Eugenius Toletanus cum alij abessent Metropolitanus, principem locum obtinuit. Maiori aliquanto numero Præsules viginti, consequenti mox anno nouum conuentum Toleti agitarunt Kalen. Decembris. In eo conuentu Annunciationis festum, quo die filij Dei nostra carne induti memoria celebratur quotannis ad octauum Kalen. Aprilis: quoniam is dies Quadragesimæ celebritate, & Christi Dei morte commemoranda occupatus erat, sancitum in diem octauumdecimum Decembris trans-  
 40 ferri. Expectationis festum vulgus dicere consuevit: nimirum temporis longinquitate memoria hominum vitiata, quod ad libros tamen ecclesiasticos manauit. Virgines Deo sacras, quas nouo nomine Beatas Patres vocant, distinctionis gratia flammeum nigrum, aut rubrum gestare insigne mandatum. Potamius Bracaren-  
 sis Episcopus, quòd libidinis lapsu se contaminasset,

gradu motus, Episcopi tantum nomine retento, id temperamentum, supplicij  
 feueritati adhibere placuit, quod ipse coram libello supplici Patribus obla-  
 to culpam vltro confessus esset, seque nouem mensium spatio cultus vi-  
 ctusque asperitate macerasset, diuinæ videlicet misericordiæ impetrandæ  
 studio. Fructuosus cum pridem ex Complutensi Abbate Dumienlis Episco-  
 pus esset factus, in Potamij locum subrogatus Bracarenlis ecclesiæ à Patri-  
 bus commendatam administrationem suscepit. quam ob causam actis con-  
 cilij post Eugenium Toletanum & Fugitium Hispalensem, tertius ipse  
 atque inter Metropolitanos postremus subscribit. Exorta erat controuersia  
 de Martini olim Dumienlis Episcopi testamento, cuius procuratio Sueuo- 10  
 rum Regibus erat à Martino ipso commendata. in eorum Regum iura Got-  
 thorum Reges siue successerant, siue inuaserant. Vvamba Palatinus Regis  
 permissu, quid statuendum in ea re foret Patres consulit. illi totius contro-  
 uersia arbitrium penes Fructuosum, quem nouo honore auxerant, esse volue-  
 runt: & quod constitueret ipse, id ratum iusque fore mandant. Fructuosi me-  
 moriam ob eximiam sanctitatis opinionem Bracarenses, Eborenles, Compo-  
 stellani populi festo dicato ad sextumdecimum Kalen. Maij instaurare con-  
 sueuerunt. Corpus eius Dumium inter & Bracaram in monasterio ab ipso  
 ex ædificato sepulturæ mandatum, inde post quingentos circiter annos Com-  
 postellam migravit Iacobi Gelmiridis cura, qui eius ecclesiæ primus Archie- 20  
 piscopus fuit. defuncti virtute multa edita miracula: quorum partem ali-  
 quam Paulus Emeritensis Diaconus in historiam contulit, vt à nobis re-  
 ferantur pretium operæ non est. Fructuoso Irene virgo Lusitana æqualis  
 fuit. ab infano amatore Britaldo, cum eius nuptias contempsisset, interfectæ  
 corpus, quod cædes esset occultior, in Nabanim proiectum, quo flumine Na-  
 bana virginis patria alluitur ad Scalabim in medio Tagi fluminis, in quod  
 Nabanis influit, alueo repertum est. vndæ diuino miraculo in vtranque par-  
 tem dimotæ: sepulcrumq; diuino opere fabricatum siccis pedibus qui quæ-  
 rebant inuenisse memorantur. Ex ea re virginis religionem ijs in locis con-  
 firmatam amplificatamque breui fuisse vrbis nomen indicio est, Scalabis ap- 30  
 pellatione ex eo tempore in Sanctæ Irenes mutata.

*Diui Illelonsi vita. Cap. X.*

637



REGESVINTHI regni anno nono, qui annus à Christi ortu  
 erat sexcetesimus quinquagesimus septimus, Eugenius Toletanus  
 Præsul eo nomine tertius, extinctus est. Illelonsus Agaliensis Ab-  
 bas in eius locum cooptatus, eximia morum probitate. littera-  
 rum, doctrinæq; studia, atque ex multarum rerum tractatione & vsu collecta  
 prudentia, multum apud proceres & populum commendabant: euiceruntque 40  
 vt suis ciuibus imponeretur moderator rectorq; rerum sacrarum. Erat enim  
 Toleti nobili genere natus. patre Stephano, matre Lucia. In excelsa atq; aded  
 nobilissima eius vrbis parte ædes monstrantur Illelonsi natalibus nobiles,  
 (sic ducta per manus opinio populo persuasit, nullo præterea auctore).  
 Ex ædes

Ex ædes cum Orgatij Regularum consequenti tempore essent factæ, nuper  
 in Societatis Iesu ius potestatemque migrarunt. quorum studio effectum, vt  
 quod maiorum negligentia prætermisum videbatur, in nobilissima vrbe  
 templum Illelonsi nomine extaret. Eugenio decessori nondum Archiepi-  
 scopo, cum esset ingenio non prorsus insulso, & vt quidam arbitrantur Il-  
 lelonsi propinquus, Illelonsus doctrinæ causa operam dedit. Isidori Hispa-  
 lensis Episcopi fama celebris erat in primis. Ad eum cultus ingenij ca-  
 piendi studio, Hispalim missus, in collegiumque cooptatus, quod iuuen-  
 ritus instituendæ causa ab Isidoro extructum fuisse dictum est, viro doctis-  
 10 simo expoliendum se limandumque permisit. Ab eius latere non ante  
 discessit, quam omni liberali doctrina excultus, disciplinarum orbem ab-  
 soluisset. Libri multi & varij, quos Iulianus successor in tria corpora ab ipso  
 met auctore tributa ait, multis ingenij luminibus distincti & sententiarum  
 maiestate graues, stylum magis redundantem eius seculi vitio, quam castum  
 atque nitidum confectantur. Ijs studijs atque totius vitæ tenore cum sum-  
 ma omnia polliceretur, spretis honoribus ad quos generis nobilitas & vitæ  
 merita vocabant, vitam principalem cum priuata atque aded monastica mu-  
 tare certus, in Agaliensi monasterio cucullum induit, multum quamuis re-  
 20 luctante patre, vsque eò dum omnes monasterij latebras filij vestigijs insi-  
 stens, perscrutaretur: cuius ille diligentiam eluserat è via declinans & tan-  
 tisper retro vicinam sepem se continens, dum pater domum rediret, vano  
 conatu speque filium ab ea mente posse deduci. Erat id monasterium non  
 procul ab vrbe situm ad Septentrionalem plagam, siue Cosmæ & Damiani  
 nomine dicatum vt quidam putant, Cixilæ auctoritate Illelonsus in Cosmæ  
 & Damiani Abbatem fuisse affirmantis: siue vt Concilij Toletani. XI. acta  
 declarant, sancti Iuliani: quibus maior fides adhibenda esset si in Gotthi-  
 cis id codicibus legeretur. Stephanus pater filij susceptam vitæ rationem  
 ægrè quidem sed probauit tandem, vxoris potissimum hortatu post longam  
 30 sterilitatem affirmantis precibus à diuino numine impetratum, Virginis  
 matris obsequijs deberi, qua se religione implicasset, si voti compos esset  
 facta. datam superis fidem haudquaquam impune violari: redderent Deo di-  
 uina beneficia. Præstare filio ad tempus carere, quam perpetuis conscientia  
 cruciatibus viuos mortuosque macerari filio retrorsum reuocato. Exigui  
 temporis iactura consultius fore sibi ipsis & filio redimere incolumitatem.  
 In eo collegio quantum breui profecerit indicio est eius monasterij præfe-  
 ctura post paucos annos eius fidei commendata: cum Adeodato defuncto,  
 qui post Helladium, Iustum, Richilam, eius monasterij Abbas fuerat, mo-  
 nachi non alium sibi præferendum gubernatorem iudicarent. Quo tem-  
 pore in prædio Debiensi sua impensa virginum collegium fundauit atque  
 40 constituit, parentibus interea defunctis. Ecclesiæ mox Toletanæ cura sus-  
 cepta in omni virtutum genere secum ipse certare, maiorque conditio-  
 ne mortali visus est. Quis tam facundus & tanta rerum verborumque co-  
 pia instructus existet, vt Illelonsi laudibus commemorandis par esse possit?  
 Quis tali futurus ingenio est, qui Illelonsi actiones ita mādare litteris possit,  
 R 2 vt facta

vt facta non ficta esse videantur? Quis tanta animi facilitate, vt quæ verissimi-  
 ma sunt, ijs fidem adiungere inducat in animum? Ex Gallia Gotthica Pe-  
 lagius quidam & Helladius profecti, veteris Heluidij insaniæ scintillas in  
 Hispania exsuscitare cœperant, Mariam Virginem negantes perpetuò vir-  
 ginitatem retinuisse. horum furorem ne patientia confirmaretur audacia,  
 aut mora cresceret malum, sibi Illefonso impugnandum sumpsit cominus  
 disputando, eminus libro euulgato, in quo perpetuæ virginittatis Mariæ pa-  
 trocinium suscepit. Ea diligentia erroris semina dissipata, compressique  
 nefarij eorum impostorum conatus. operæ nauatæ merces vestis de cælo  
 allata fuit. Cum enim ad nocturnas preces persoluendas contenderet men- 10  
 se Decembri, ipsa nocte quæ festum Annunciationis diem nuper à Patri-  
 bus institutum præcedebat: templum maximum visum est maiori fulgore  
 micare, quàm vt oculi mortales ferrent. tunc cæteris aliò atque aliò dilapsis  
 præ terrore, ad aram ipse progressus, cum nixus de more genibus preces fun-  
 deret, in cathedra vnde is ad populum concionari erat solitus, astantem bea-  
 tam Virginem in augustiori quàm pro humano habitu specie vidit, his cum  
 verbis compellantem: Cultæ in tuo corpore virginittatis cum mentis puri-  
 tate fideique ardore coniunctæ, nostræque virginittatis defensæ præmium  
 erit ex cælesti thesauro munus allatum. Inter hæc verba vestem suis manibus  
 capiti inseruit, hac inquit, filij mei, meaq;, quæ toto anno recurrunt festa 20  
 celebrato. Comitibus receptis à pauore animis cum ad Præsulem accurrissent,  
 toto iam spectaculo ex oculis sublato, ferme exanimatum inuenerunt. tum  
 metus tum admiratio vocem intercluserat, oculi tantum in lacrymas solu-  
 uantur: quòd neque pares beneficio gratias agere posset, neque Virginem  
 alloquio morari. Sic nimirum susceptas pro pietate actiones consuevit diui-  
 num numen munerari. Cixila Illefonso successor hæc omnia memoria pro-  
 pagauit, ex ore Urbani Archiepiscopi item Toletani, atque Euantij Archi-  
 diaconi accepta, quibus per ætatem licuit rei gestæ miraculo interesse. Lapis  
 vbi beata Virgo vestigio constitit, in ipso templi Toletani aditu monstratur,  
 clatris ferreis inclusus, rei tantæ monumentum. Accidit præterea, aut eodem 30  
 anno vt Cixila sentire visus est, aut vt alij malunt proximo, nono Decembris  
 die, qui dies virginis Leocadiæ memoria facer est, vt ad ipsum Leocadiæ tu-  
 mulum, Rege præsentem, atque Præsule sanctissimo sacris operante, sepulcri  
 lapide quo tegebatur, & quem vix triginta valentissimi homines loco  
 mouere potuissent sponte sublato, tumulo egressa Leocadia, manum Ille-  
 fonso tangeret, atque in hæc verba prorumperet: Illefonse per te viuit  
 domina mea. Tum vniuerso populo metu exanimato, Illefonso in Leocadiæ  
 virginis laudes effusus. vrbis ei atque Regis patrocinium commendauit: cu-  
 piusque rei tantæ ad posteritatem certo testimonio propagandæ, gladiolo  
 quem ex vagina detractum Rex ea de causa obtulit, veli partem quo vir- 40  
 ginis caput tegebatur, priusquam se reciperet in sepulcrum abscondit. Ea  
 veli pars cum gladio ad hanc diem in sacro Toletani templi ærario con-  
 seruatur & visitur. His prodigijs perpetratis, quantum auctoritatis Ille-  
 fonso accesserit, de suo sensu quiuis facile existimabit, quam ipse perpetuo  
 virtutum

virtutum tenore studiose confirmabat, ac præsertim beneficentia in paupe-  
 res. quæ tanta in illo fuit, vt mos triginta pauperes quotidie alendi, quod fit  
 in Archiepiscopi ædium ea parte, quæ templo coniuncta est, Illefonso insti-  
 tutum esse credatur. (Et erat à maioribus susceptum, vt à Patriarchis qui  
 ijdem Primates sunt, duodecim pauperes mensè adhiberentur quotidie). Ex  
 ijs decem foeminae sunt, viri duplicato numero. Canonicus per hebdoma-  
 dam sacris in ara maxima operatus, sacra precatione pauperum mensam  
 lustrare, & ne quid inopibus desit, diligenter considerare consuevit. Duas  
 res natura pugnantem, lenitatem & grauitatem ita temperabat, vt neque  
 10 seueritas de suauitate, neque facilitas quicquam de auctoritate detraheret.  
 Cum ecclesiam gubernasset nouem annis, ac mensibus ferme duobus vitam  
 immortalitate mutauit, Reccesuinthi regni anno nonodecimo inchoante.  
 Corpus ad Leocadiæ tumulatum, ad Eugenij decessoris pedes, in vastatione  
 Hispaniæ funesta atque generali Senticam (Zamoram nos dicimus) mi-  
 grauit: vbi dicato tumulo in Petri Apostoli templo magna populi re-  
 ligione colitur. Vestis de cælo allata simili casu iactata, Quæ serua-  
 tur in obserata arca ab oculis subducta mortalibus, eoque maiori religio-  
 ne culta.

20

*Reccesuinthi obitus. Cap. XI.*

ILLEFONSO superstiti Emeritæ conuentus habitus est  
 ad octauum Idus Nouemb. salutis anno sexcētesimo sexagesimo 666  
 sexto. Duodecim Lusitani Episcopi in eam urbem conuenien-  
 tes, viginti tribus decretis disciplinam ecclesiasticam sanxe-  
 runt, quæ vt hic referantur non est visum. ac ferme de ratione precum eccle-  
 siasticarum disceptatio suscepta erat, temporum vitio variantium. Per idem  
 tempus in Africa Mahometanæ sectæ arma impune volitabant. Abdalla  
 Moabiæ Dux Mahometis post tres priores successor, Africam prouinciam  
 30 eripuerat Romanis, Gregorio Romanorum Duce & Præsecto ingenti præ-  
 lio superato. Romani exercitus clades maxima fuit, ac ferme ea ætate  
 nulla maior. Mauritanæ Tingitanæ partem Gotthi ducta ex antiquo con-  
 suetudine retinebant, Septem præsertim atque vicinos agros. reliqua victo-  
 ri barbaro cesserunt, quam latè Mediterranei maris littora patent. Ex eo tem-  
 pore nouum imperium est constitutum in Africa. Reges penes quos sum de  
 republica tum de rebus sacris gentis instituto arbitrium erat, Miramamo-  
 lini vocati sunt, quæ vox credentium principem significat. nam in Asia  
 eius nationis principes & rectores supremi, Caliphæ dicebantur. Ex Afri-  
 ca verò, cum angusti freti faucibus dirempta sit, Hispaniæ vniuersæ immi-  
 40 nere videbantur. Solis deliquium, quo dies obscurissima nocte mutatus est,  
 Reccesuintho Rege, vt Rodericus Præsul est auctor, hæc mala orbi de-  
 nunciassè creditum est. In Hispania Vascones bello domiti Reccesuin-  
 thi Regis ductu atque virtute, cum correptis armis in vicinas prouin-  
 cias populabundi irruissent. Pace parta Gotthorum leges, quæ temporis  
 R 3 iniuria

iniuria vitiatæ erant, per otium castigatæ: ex veteribus multæ detractæ no-  
uæque magno numero adiunctæ. Earum legum volumen indicio est, in quo  
Reccesuinthi nomine leges, omnes aliorum omnium Regum sanctiones mul-  
titudine superant. Tantis rebus perfectis Regem nobilissimum bello pa-  
ceque, mors oppressit. Obijt Kal. Septembris mane, salutis anno sexcentesi-  
mo septuagesimo secundo. Regnavit, ex quo quidem à patre consors impe-  
rij factus est, annis viginti tribus, mensibus sex, diebus vndecim. Solus autem  
annis vno & viginti, mensibus vndecim. Extat à municipio Vallisoletum (Pin-  
ciam nonnulli vocant) octo passuum millibus dissitum oppidum Vvamba  
nomine (olim Gertigus vocabatur) in monte Cauro. In illud oppidum To-  
leto profectus se contulerat, cum lethali morbo oppressus est. nimirum cæli  
mutatione, atque natiui aeris salubritate (erat enim familiæ gentilitium)  
afflictam valetudinem restituere habebat in animo. In eius oppidi templo  
Reccesuinthi Regis sepulcrum nostra etiam ætate monstratur. vnde alio tem-  
pore Toletum deductus, atque in Leocadiæ æde prope arcem tumula-  
tus est ad aram maximam, Alfonsi Regis eo nomine decimi iussu atque di-  
ligentia. sic vulgò persuasum est. Nam quo tempore Philippus. I. I. Hispani-  
æ Rex, salutis anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, con-  
iuncta Reccesuinthi & Vvambæ mausolea vetusti operis, se præsentem aperiri  
mandavit: nullæ litteræ sunt repertæ: ossa tantum bombycinis implicata  
pannis, inclusaque thecis ligneis. Ex ætatis tamen prærogatiua suspicaban-  
tur viri eruditi magis quam certo argumento confirmabant, Reccesuinthi  
Regis ossa dextram templi partem occupasse. Extat præterea prope Don-  
nias, quod municipium supra Vallisoletum ad Pisoricam flumen situm est,  
Ioannis Baptistæ nomine vetusti operis, atque adeò Gotthiciæ structuræ ima-  
ginem repræsentans, templum lapide iaspide atque marmore varium. In eo  
templo inscriptio seruat seruat sex versibus comprehensa: vnde intelligitur Rec-  
cesuinthi impensa ab imo totum extructum salutis anno sexcentesimo sexa-  
gesimo primo, ad indicium gentilitiæ ditionis: quam ijsce locis duos hos  
Reges obtinuissè viri docti non immerito suspicantur.

*Bellum Narbonense Vvamba Rege. Cap. XII.*



IMPERIVM Orientis per hæc tempora Constantinus co-  
gnomento Pogonatus obtinebat. Ecclesiam Romanam Ponti-  
fex Adeodatus, is cuius extat epistola ad Gratianum Archipræ-  
fulem in Hispania (Gordianum Hispaniensis ecclesiæ Episco-  
pum, Gotthicus AEmiliani codex habebat) coniugia soluentis  
eorum qui ob legum incitiam proprios filios de sacro lauacro susceperant.  
In Gotthici imperij ea parte, quæ Galliæ Narbonensis finibus continebatur,  
noui grauesque motus excitati. regnandi ambitio omnia naturæ iura peruer-  
tere solita magnorum imperiorum labes rem Gotthicam pulcherrimè stan-  
tem, cum externi hostes deessent, intestinis dissidijs afflixit. Etenim Recce-  
suinthi Regis funere procurato, cum prole careret, & defuncti fratres tantis  
rebus

rebus impares essent ob imbecillam ætatem, Vvambam præcipuum dignita-  
tis gratiæque locum in aula obtinentem, præterea bello strenuum, consi-  
lioque bonum, continuo collatis suffragijs Regem renunciarunt. tametsi  
rerum gerendarum magnitudinem atque præcipitem ætatem excusabat, om-  
nibusque precibus, quibus lacrymæ addebantur, grauisimum imperandi  
onus deprecabatur. Nimirum vir prudens animo providebat multitudinis  
voluntates vt vehementes, sic mobiles esse, plerunque etiam inter se contra-  
rias. Neque prius desistit deprecari, quam ex Gotthis proceribus Dux qui-  
dam gladio districto, ni morem gereret mortem minitari cœpit. An vnus  
(inquit) totius gentis voluntati repugnes, tuæque tranquillitati commu-  
nem omnium salutem posthabeas? Nimirum magnò æstimas paucos annos  
quot in hanc ætatem cadunt. Ego verò nisi continuo pareas vitam ipsam, cu-  
ius conseruandæ studio impositum onus excutere cupis, hoc ipso gladio cri-  
pam: & graui documento sanciam, neminem præpostere modestiæ specie  
suam ipsius tranquillitatem publicis commodis debere potiorum arbitrari.  
Ijs minis fractus, ita procerum & totius populi voluntati cessit, vt sacræ vn-  
ctiois cæremonia inaugurari prius quam Toletum ventum esset, omnino  
detrectarit. vbi Regiæ is honos deberi videbatur: & mora temporis cu-  
piebat aut studia suorum mutari, aut totius prouinciæ, ne dissidij occasio ef-  
set, voluntates conciliare. Itaque ad tertiumdecimum Kal. Octobris cum To-  
letum ventum esset, Quirico Præfule Toletano, qui Illesonso successerat, sa-  
cræ cæremonia Antistite Rex inunctus est in Petri & Pauli templo, quod  
prætorio vicinum erat, conceptis prius verbis commoda publica legesque iu-  
ratus. Miraculo habitum est, cum ex Regis capite columnæ specie vapor ex-  
citari, apisque sublimè volare visa essent. Ludibria sæpe oculorum à populo  
pro veris prædicantur dices: rectè, ni id etiam Iulianus Episcopus Toleta-  
nus confirmaret, in proprio commentario de bello Narbonensi Vvamba Re-  
ge. Proceres sacramento adacti in noui Regis verba iurare. in his Paulus  
defuncti Regis propinquus vt nonnulli arbitrantur: Græcum natione, quod  
alij existimant, nominis coniectura & fidei inconstantia declarant. Erat  
Vvamba natus in Lusitaniæ parte illa, quæ Igeditania veteribus fuit, vbi op-  
pidum extat Idaniæ veteris nomine, prædiumque prope, vbi fons quadrato  
lapide inclusus emanat Vvambæ nomine. Locorum incolæ ducta ex anti-  
quo opinione id prædium in Vvambæ possessionibus fuisse habent persua-  
sum. Sub initia regni Vasconum motus extiterunt, quibus imperij nondum  
satis firmati rationes despectui erant, & nouarum rerum studio tumultuandi  
occasiones sæpe captare videbantur. hoc bello Regem implicatum in Canta-  
briæ finibus, quò delectu suorum habito validas copias duxerat, ne videlicet  
prima negligendo serperet malum: noui belli maiori mole coorti in Gallia  
Gotthica cura sollicitauit. multi quorum ex sententia res non erant & par-  
tium infecti studio Vvambam Regem nolebant, desiciendi consilia animis  
agitabant. Rebellandi initium Hilpericus Nemausi Comes fecit, locorum  
longinquitate confusus, magnis opibus & clientelis potens. Magalonæ vrbs  
finitimæ Præsul Gumildus, præterea Remigius Abbas in partes attracti.

Aregius Nemausi Episcopus cum nullis artibus adduci potuisset ut fidem falleret, loco motus, atque in interiorem Galliam ablegatus est, Remigio in eius locum substituto. Aguntur omnia raptim, atque turbate, neque quid legibus liceret pensi habent: usque dum ex Gallia Iudæi pridem ex Gotthorum finibus pulsi, auxiliares sint vocati. Paulus à Rege aduersus coniuratorum conatus continuo præmissus, magno vir ingenio, magnoque rei militaris usu. copiarum tantum adiunctum, quantum satis esse videbatur ad rebellium vires frangendas debilitandasque. Ille tempus venisse ratus perfidiæ depromendæ, quam eatenus inclusam animo tenuerat, lento itinere progrediens occasionem hosti dedit sese viribus confirmandi, defectionis ipse consilia cum  
10 Gotthorum proceribus communicans, atque mora temporis expectans rei benè gerendæ opportunitatem. Ranosindum Tarraconensem Ducem & Hildigisum Gardingum (nomen id Magistratus erat atque potestatis) factioni conciliauit. horum ope atque consilio Barcino, Gerunda, atque Ausa in ipso Hispaniæ aditu in potestatem redactæ. Ijs aucti viribus de Gallia cogitant, vbi iunctis cum Hilderico copijs, regiæ potentiæ sperabant sese haudquam fore impares. Argebaudus Narbonensis Metropolitanus initio quidem conatus suæ vrbs portas rebellibus claudere, cum eorum celeritate esset præoccupatus, à Rege tandem deficere visus est, magis cum non satis animi  
20 esset ad resistendum, quam quòd proditorum causam probaret. In ea vrbe Paulus concione tum ciuium, tum militum aduocata, Archiepiscopi primum temeritatem accusauit, qui ciues de republica optimè meritos, neque quidquam mali cogitantes, vrbs aditu prohibere tentasset: causas deinde explicuit cur iure Christiano putaret fas æquumque esse Vvambæ imperium detrectare, neque legibus neque auspiciò, sed paucorum temeritate constitutum quæ vbi vigere cœpit, ibi non publicum consilium viget, sed vis & libido dominatur. Denique postulauit nouum Regem legibus creari, cuius imperium cuncti respicerent, cuius consilio & virtute Vvambæ conatus viresque frangeret. Fabulam Ranosindus apud ipsum argumenti auctorem peragens, palam magnisque vocibus ut cuncti audirent, negat se quenquam regio  
30 nomine digniorem ipso Paulo arbitrari. Idem cum turbæ ex composito confusi plerique factiosi clamassent, reliqui quorum melior sententia erat, in tanta rerum colluione silerent, Paulus Gotthorum Rex pronuntiatus est. Corona capiti imposita, quam Reccaredus Rex Felici martyri Gerundeni dono dederat: factionis videlicet studio non modò publicas & priuatas fortunas expilabant, sed ne à sacris quidem templorum ærarijs sacrilegas manus temperabant. Hildericus primus defectionis auctor facilè in partes attractus, & Galliæ Gothicæ vrbes omnes sub iugum missæ. præterea Hispaniæ Tarraconensis non exigua pars Ranosindi auctoritatem sequebatur. Eorum successu Paulus animo ferocior Regem Vvambam contumeliosis  
40 literis prouocare non dubitauit, siue linguæ intemperantia elatus, siue noui regni auctoritatem sancienti cupidus, ad multitudinem inani verborum sonitu in fraudem allici solitam. Ex his conuitijs, atque partium studijs natam arbitror opinionem vulgi, quæ Vvambam affirmat rusticanum hominem fuisse

fuisse ex aratro atque ligone ad scepra vocatum: cum esset ex præcipua Gotthorum nobilitate, & præcipuum gratiæ & auctoritatis locum apud superiores Reges occuparet. Vvamba Rex Pauli perfidia cognita, aduocato procerum concilio, sententias rogauit: num commodius fore putarent continuo in Paulum mouere, ut proditorum hominum furorem, priusquam adulesceret, in ipsis incunabulis extinguerent: an retro conuerso itinere præstare Toletense nouis auxilijs & maioribus copijs confirmare. Variæ dictæ sententiæ. Pars, quibus plus inerat audaciæ, omnem moram exitialem disputare, quæ proditorum vires crescerent, confirmarentur animi: militum ardorem pugnam expetentium restingui magna parte necesse esse. Quid enim receptus habeat præterquam cautionis specie turpissimæ fugæ significationem? famæ  
10 quanta in bellis momenta sint, quis ignoret? opinione potius hominum, quam virtute victoriam stare, superiorum temporum varij & mirabiles bellorum euentus testantur. Pars fore consultius disputabat aliquanto temporis spatio noui regni statum confirmari, ne deserta Hispania à tergo maior belli moles instaret. Pauli proditione documentum datum, multorum ad defectionem arrectas esse voluntates. Exercitum præterea nouis delectibus confirmandum videri, cuius imbecillitatem Vascones nondum domiti satis indicarant. Magnis Imperatoribus sæpe exitiale fuisse popularis auræ statu moueri, atque  
20 opinioni hominum terga dare. Vvamba auditis procerum sententijs, atque vtriusque partis rationibus expensis. Præuenire, inquit, hostiles conatus satius arbitror, & gliscenti malo priusquam confirmetur remedium asserre: ne elapsam occasionem, quæ momento temporis vertitur, dolere necesse sit. Imperij auctoritatem victoria de hostibus sanciet: quam diuini numinis præsidio optimam protecturi causam, & vestra virtute mihi certo polliceor. Militarem ardorem, atque indignationem in proditores conceptam accendere  
30 potius celeritate, quam mora debilitare æquum est: cum ira mora languescat, festinatione accendatur. Cuius verò animum non moueat vrbs amicorum calamitas, agri vastati, fortunæ expilata, quæ mala nostra cessatione indies augeri necesse erit? Quis vestrum, nisi forte generosus ille sanguinis ardor  
40 refrixit, & pristina Gotthorum soboles obsoleuit, non grauius morte ipsa ducat, amicos & propinquos hostium crudelitati permittere, atque cunctatione ijs animos facere, qui scelerum conscientia stimulati conspectum vestrum ferre non poterunt? Maturemus ergo & Deo duce, cuius potissimum causa agitur, de scelerato hominum genere vindictam sumamus, priusquam intelli gere possint eorum nos vires formidare. Exercitum neque tam debilem habemus, ut vestrum quidam disputarunt: & eo gloriosior victoria erit, quo minori apparatu, celeritate maiori fuerit parta. Regis oratione omnium animi confirmati sunt: tantusque belli gerendi ardor excitatus, ut Vascones gens belli gloria ferox, intra septimum diem domiti fuerint. Hæc initia ad futuri belli omen spectare cum exercitus haberet persuasum, nihil aliud quam hostem expetebat: vnam moram victoriæ fructum tardare. Mota quamprimum castra. per Calagurrim & Oscam in Catalauniæ fines incredibili festinatione est peruentum: inde copiarum trifariam diuisæ, pars Castrolibyæ Ceretanorum  
R 5 caput,



caput, tenere iussa est: pars in Aufetanos missa: tertium agmen secundum maris littus, obuios agros, & oppida depopulari mandatum. Rex ipse cum valido agmine subsecutus præcedentium vestigia obseruabat. De nonnullis militibus more militari supplicium sumptum, quod miseros homines iniuria vexassent, virginum pudicitiam violassent, quorum præputia amputata cæteris documento fuere, impuræ libidinis frænandæ. Nimirum prudens & pius Rex, nulla re magis diuinum numen propitiari habebat persuasum, quam sceleribus vindicandis: neq; irritari vehementius, quam innocentium iniurijs dissimulandis. Inter hæc cum Barcinonem esset peruentum, ea vrbs Catalauniæ facile princeps, facile in potestatem redacta est. defectionis auctores Regis iussu ad supplicium seruati. Gerunda continuò capta, urbem tradente Amatore Episcopo. ad quem paulò ante Paulus litteras dederat, quibus sui eum aduentus spe confirmare conabatur, cum Regem recipere, atque ei urbem tradere hortatus, qui prius cum exercitu venisset. Ijs lectis litteris Vvamba Rex non irridiculus: Paulus, inquit, de nobis nostroque aduentu vaticinatus est. Ijs in locis bidui quiete exercitus recreatus: mox Pyrenæi iuga atque angustia superata sunt nullo prohibente. In eo itinere Caucoliberis, Vulturaria, & Castrum libyæ oppida vi expugnata. præda omnis militi cessit. Clausura oppidum in ipsis Pyrenæi faucibus, vt nomen declarat, per duces vi captum. In eo Ranosindus, Ildigifus, alijque factiosorum principes capti. Vvittimirus ex Sordonia, quam præsidio obtinebat, acceptæ calamitatis nuncius ad Paulum aufugit Narbone ad occasionem rei bene gerendæ intentum: si fortè moliendo audendoque Vvambæ impetus retardare posset. Verùm cum se viribus imparem cerneret hosti rerum successu validiori, eius vrbs cura Vvittimiro concredita, Nemaufum se contulit, quo propediem Gallorum Germanorumq; copias auxilio venturas sperabat. Pyrenæo monte transceso Rex in planicie castrametatus biduo constitit, dum copiarum omnes diuersis itineribus, vt erat imperatum, in eundem locum confluerent. Cum copiarum parte missi duces quatuor Narbonem: vt nobilissimam urbem, atque in ipso prouinciæ aditu constitutam, aut vi aut voluntate ad officium reuocarent. Mari præterea instructa classis eius vrbs expugnandæ causa. Terrestres copiarum cum se priores in conspectum dedissent, ciuesque ad deductionem inuitassent, arroganti Vvittimiri responso & contumelia irritatæ in urbem impetum faciunt: & ignominia dolore his faciente animos, illos si victi essent salutis desperatione aciente, tribus horis acerrimè pugnatum est. Postremo regij lapidum nimbo murorum coronam propugnatoribus nudant, vrbs portas succendunt, admotis scalis muro succedere conantur. Vtrinque in urbem irrumpitur. Vvittimirus re desperata in templum aufugiens, ad Virginis aram captus, constrictusque vinculis, Regis arbitrio plectendus seruatur. Capti præterea Argemundus Præful, & Primicerius Galtricia, & in furore militari verberibus pulsati. Capta Narbone factio despectui & odio esse cœpit in causa, quam iudicia hominum & fortuna belli damabant: & Vvambæ rebus fauebatur, quod mitissimo imperio eius atque legitimo repudiato, necessaria arma cepisset. Eodem victoriæ cursu vi capta Magalona,

galona, Agatha, & Beterris. In his oppidis factiosorum principes nonnulli in potestatem venerunt, atque in ijs Nemaufensis Præful Remigius. Magalonæ Episcopus Gumildus de rerum summa diffidens, longinqua fuga se rexit: Nemaufumque se ad Paulum recepit, urbem ea ætate ciuium frequentia, ædificiorum amplitudine & munitione nulli cedentem in Narbonensi Gallia. multa veteris nobilitatis monimenta & tunc extabant, & nunc extant: amplumque theatrum Romanorum opus: quod quoniam muro coniunctum erat, arcis firmissimæ præbebat vsum. Duces quatuor ab Vvamba præmissi tantis rebus gestis feroces, quamuis earum rerum ignari quæ ad urbium expugnationem vsui esse solent, moræ impatientes quamprimum in eius vrbs conspectum ventum est, sublato totius exercitus clamore, in quo triginta milia homines erant, in munitiones impetum faciunt. Pugnatum vtrinque acriter. indignantur hi toties victam perfidiam resistere: illos desperatio nisi vicissent agebat in rabiem. Pugnantes nox diremit, neutro victoria inclinante. obsessi, quod victi non essent, regijque loco cessissent, se pro victoribus ferebant. In ipso pugnae ardore miles quidam insultabundus regijs denunciavit, validas Germanorum Francorumque copias auxilio aduentare, breuique affore: quorum multitudine atque virtute, tanquam feras indagine cinctas cunctos perituros scilicet haud dubiè, minabatur. Parua sæpe momenta in bello magnas inclinationes faciunt, nihilque prætermittendum quod contemptu exitum afferat. eaque consilia saluberrima, quæ cautissima. Eas ergo voces continuo Regi non procul tendenti denunciant, nouas supplementi causa copias mitti postulantes, in vna celeritate victoriæ spem esse. Ad decem hominum millia Duce Vvandemiro missa. Ij continuato tota nocte itinere, tantus erat vincendi ardor, priusquam consequentis diei pugna conferta esset, in suorum castra perueniunt. Tantæ multitudinis conspectu Paulus exanimatus, atque ex hesternæ pugnae comparatione intelligens, quantum periculi superesset si instaurata oppugnatione fessis integri succederent: metu tamen dissimulato suos pro concione hortatur, ne dimittant animos, ne hostium multitudine frangantur, virtute non numero victoriam pari. Regem cum copijs omnibus adesse, quas si vicissent, nihil superesse amplius: sibi ingentes copias prope diem venturas auxilio: tantisper modò moenium munitione spem sustentarent, fortique animo hostilem impetum propulsarent: certò existimantes non cum Gothorum inuicto sanguine rem esse, sed ex plebis colluione, nulla militari disciplina, nullo vigore animorum hostium exercitum constare. Itaque magnis vtrinque animis certamen instauratur. pugnatur acriter ad multam diem. obsessis defatigatis, regij muro succedunt. pars ignem inicit portis, pars vectibus muri lapides conuellunt. Aditu patefacto, ferro in urbem penetratur. Ciues & Franci Hispanorum, qui cum Paulo erant, proditione urbem captam existimantes, quo nimirum gratiæ aditus ad victorem Regem esset, in rabiem acti præsidarios milites magno numero peremerunt. in his è Pauli domesticis vnum in ipsius oculis lateri adhaerentem, ferro trucidarunt. Cum ergo à fronte regij, à tergo ciues vrgerent cæde promiscua captae ciuitatis plateæ sternebantur. tetra re-

rum facies erat. nihil præter cadauera in suo sanguine volutantia obijebatur oculis. morientium gemitus, clamores foemine, infantium eiulatus locis omnibus exaudiebantur. Paulus ipse tantorum malorum causa, errore cognito: Errasse, ait, nos confitendum est, at semel, at vna in re? immo omnia, quò diligentius sunt excogitata eò facta sunt imprudentius. Simul paludamento deposito ad theatrum loci firmitate confusus cum suorum peculiari manu se recepit, mori certus, aut honesta aliqua conditione deditioem facere. Obseruatum est, eodem die euoluto anno, nempe Kal. Septembris regni insignia Paulum posuisse, quo procerum suffragio Vvambæ fuerant delata. Urbis parte in potestatem redacta, eo & sequenti die ab impugnatione cessatum, dum Regis aduentum morantur, penes quem confecti belli laudem fore æquum erat. Fortassis etiã erga afflictos atq; prostratos ciues & propinquos victorum animis successerat humanitas, atque innocentem multitudinem Regis clementia impetrata seruare cupiebant. Itaque ex captiuorum numero Argebaudus Narbonensis Præsul communi consilio Regi obuiam mittitur, veniæ deprecator. Is ad quartum ab vrbe lapidem aduenienti Regi occurrens, ex equo quo vehabatur descendens, genibus nixus inter singultus & lacrymas toto ore manantes: Tui ciues, inquit, Rex clementissime, si tamen eo nomine digni sunt qui patriæ caritatem exuerunt, exilioque & diminutione capitis ius ciuium amiserunt, in tua clementia salutis spem ponentes, non veniam scelerum orant: quamuis te Rege hæ preces non inuerecundæ videri possent, sed promeriti supplicij modum aliquem deprecantur. Est omnino difficilius animum in victoria continere, quam hostes in bello superare sed alijs. Animi magnitudo nulla re magis perspicitur, quam miserorum ærumnis subleuandis. illa laus communis cum milite est, hæc magnorum Regum præcipua. Procul absentes contemplari oculis nequis: sed finge animo lacrymis & squalore foedatos pedibus tuis aduolutos, causam suam tibi commendare, homines vel mentis inscitia, vel communi temporum calamitate, vel insuperabili vi factorum in hæc flagitia prolapsos. Quo grauiora delicta sunt, eo maior tibi clementissime Rex gloria erit miseris conseruasse: furoreg; suo extinctos, quasi ad vitam reuocasse. Venissent ad te inermes, laqueis colla implicati, vt vel ea specie ad misericordiam flecterent, vel morte obita quod se promeruisse fatentur, vitæ finem simul atque ærumnis pariter facerent: sed veriti sunt si ad extremam veniæ petendæ spem conditionemque descenderent, ne cui videretur animus tuus immitior eis videri, quam qui posset nisi extremis remedijs mitigari. Pauci relictis sumus, tuique omnes: noli tua manu perire, quibus belli crudelitas pepercit hæctenus. Atque illud caue, ne dum vindictæ indulges deletis ciuibus nobilissimam Galliæ ciuitatem, atque Gotthorum imperij propugnaculum excindas. Erat Vvamba bellicis artibus cuius veterum Regum æqualis, sed imperatoriam laudem benignitate, clementia, & mansuetudine superabat. Itaque perpauca locutus, hanc summam orationis habuit: Tuis, inquit, precibus flexus, vitam fontibus dono. ne tamen absolutio improbitatis, lex impunitatis esse credatur: supplicium quod ad retinendam imperij dignitatem necessarium fore arbitror

tror, penes coniurationis capita stabit. Episcopo verò integram veniam pergente flagitare, Rex aliquanto iratior redditus: An non satis, ait, esse videtur, vitam facinorosis concessam? an vultis vt supplicia ad delictorum menturam expendamus? Tibi Argebaude Præsul bono sit à nobis quod exploratum habemus, inuitum defecisse, ne venia dimidiata cõcedatur: reliqui quid quid de ignominiosa morte fuerit detractum, id totum in lucro ponant, nostræque acceptum ferant benignitati.

*Coniuratorum supplicium. Cap. XIII.*

10



REGEM in urbem aduenientem instructæ copiarum roburq; exercitus triumphis specie sequebantur. belli reliquæ confectæ erant vniuersa ciuitate contradita: cuius ille superiorem partem, quæ Franciæ obiecta erat, militari præsidio muniendam curauit aduersus Germanorum & Francorum impetum, quos obsessis auxilio superuenire, iamque affore erat nunciatum. Paulus vitæ dulcedine illectus, nulla honesti cura continuò deditioem facit. cum eo Gumildus Episcopus, Vvittimirus, alijsque proceres coniurationis capita amplius viginti in potestatem venerunt. Vincula omnibus sunt iniecta. Duo Duces equis insidentes medium Paulum toto inspectante exercitu peditem cæsarie vtrinque apprehensa ad Regem deducunt. Ad cuius ille conspectum cingulum ponit: quæceremonia veteri maiorum instituto omni militari honore spoliabatur. captiuus ad Regis pedes prostratis, cum pro diuino munere gratias numini egisset, coramque coniuratorum amentiam increpasset, ita vitam supplicibus donauit: vt custodiri fontes ab exercitu mandaret, supplicij modum maturiori consilio volens decernere. Franci atque nonnulli Saxones, qui aut obsidum loco erant, aut arma rebellionis initio cum proditoribus sociarant, conseruati donatiq; liberaliter, impunè in patrias sedes dimissi. Ita magnarum initia rerum, quæ occupatione regni & Galliæ defectione sollicitum Vvambam habebant, celerem & opinione faciliorem exitum habuere. Flagitiosis puniendis Dei numen apparuisse videbatur, cum templorum thesauros expilassent, quos inde mouere religio erat. Eos Vvamba eius religionis exoluendæ causa quæstione habita pristinis locis reponi mandauit: urbis belli iniuria quassatæ mœnia instaurata: cadauera ne tetra odore urbem inficerent sepulturæ mandata. His rebus perficiendis triduum datum. mox Rege in sublimi loco sedente in rebelles sententia pronunciat. Eorum colla Rex ipse pedibus primùm calcavit: deinde ex Paulo quæsitum, num aliqua iniuria læsus, impium in Regem & patriam facinus consciuisset? negauit ille. contrà magnis & multis honoribus abs Rege cohonestatum, temerè in ea mala præcipitasse. Mox ex scripto concepta sacramenti forma, qua in Vvambæ verba iurarat, coram pronunciat: iurandi præterea formula recitata, quod Paulus cum regni nomen inuasit à popularibus exegit. Demum quibus supplicij rebellium conatus plectendi essent, ex conciliorum legibus cognitum est: & secundum eas mortis ignominiosæ sententia in Paulum & socios pronunciat.

40

nunciata bona fisco addicta: additumque, ut si forte Regis benignitate vita esset condonata, luminibus certe priuarentur. Rex clementiæ laude cupiens reliquos populares sibi conciliare, ponere cæsariem, qua olim nobilitatis insigne continebatur, & decaluari satis habuit. Chilpericum Regem Francum eo nomine secundum nunciatum erat propediem cum copijs afferre eius aduentum in castris cum quatuor dies frustra expectasset, satis se ad victoriæ fructum, & ad nominis existimationem tuendam tantis rebus cōfectis profecisse iudicans, & ne vltro lacescendo Francos, fœdus quod inter vtranque gentem diu steterat violasse prior videretur, Galliæ rebus compositis in Hispaniam redire parat. Cum interea nunciatur Lupum Ducem 10  
quendam cum Francorum manu Beterris agros omni iniuria vastare. Verum Rege cum copijs aduentante, hostes viribus impares montium iuga captare constituunt. fugæ similis profectio visa est, relictis impedimentis in planicie, & ex strage rerum in itinere relictarū. Regij sine vulnere hostium spolijs ditati, & Gallica præda graues, Narbonem ex composito redierunt: vnde exercitus pars per Galliæ præsidia distributa. Iudæi nouo edicto Gothicæ ditionis finibus prohibiti. reliquus exercitus Canabæ, quod oppidum in agro Narbonensi erat, pro concione laudatus, missioneque donatus est. Rex ipse conuerso in Hispaniam itinere, Toletum urbem Regiam sexto 20  
mense ex quo inde discesserat, tantis victorijs clarus, atque triumpho simillima pompa inuectus est. Rebelles barba & capite rasis, nudis pedibus, atque pannosi in camelis præibant. Paulo ludibrij causa corona ex nigro corio capiti imposita. regij milites sequebantur in splendidis vestibus, atque omni lætitiæ significatione. agmen præeunte curia Rex ipse claudebat, ipsa canicie & tantis rebus gestis regni maiestatem augens. Vniuersa ciuitas, quæ se portis obuiam effuderat, ad eius spectaculi insolentiam attonita, senem Regem faustis acclamationibus prosequatur. peracta pompa fontes perpetuo carceri mancipati. Is finis tantarum rerum fuit.

*Reliquæ Vvamba actiones. Cap. XIII.*

30



VAMBÆ virtute ac perpetuo labore, Hispania domi quidem pacis diurnæ bonis florebat, foris autem pristinam dignitatem recuperabat. Itaque Rex animo ad pacis consilia conuerso, Regiam urbem spatijs amplificatam perpetuo muro muniuit, qui per Diui Isidori suburbium ad vtrunq; pontem pertinet. Toletum enim tribus amplius ex partibus flumine alluitur, quod circum urbem altissimis coercitum ripis per saxa præceps fertur. quarta pars ex planicie aditum habet difficilem: & angustiori prius muro cincta erat, cuius vestigia ad venale forum & ad ferream portam extant. nunc Vvambæ 40  
diligentia suburbijs intra urbem inclusis, quò difficilior expugnatio esset, inferior murus est additus. Operi perficiendo lapides vndecunque conuecti, ac ex Romanæ structuræ ædificio marmora, in quibus rotæ aut rosæ similitudine sculptæ imagines sunt pluribus in locis. Vulgus Vvambæ Regis insignia

signia esse persuasum habet: ipsi lapides resistunt huic opinionioni nullo ordine positi, sed temerè vt conuehebantur. Gemina carmina, vt magni auctores testantur in nonnullis turribus incidi curauit, rei gestæ monumentum: quæ tamen rudia sunt nimirum eius ætatis, subijci placuit.

Erexit fautore Deo Rex inclytus urbem

Vvamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

In summis præterea turribus Sanctorum statuas ex candido marmore locauit, eorum quos præcipuos tutelares patronosque ciuitas adoptarat, his aditis versibus.

10 Vos Domini Sancti, quorum hinc præsentia fulget,  
Hanc urbem & plebem solito seruate fauore.

Vtrosque versus temporum longinquitate iniuriaque oblitos euersas statuas, Philippi. I. Hispaniæ Regis nostra ætate cura restituit. Vrbe munita, intermissa consuetudo ecclesiasticos conuentus celebrandi reuocata est, Vvambæ Regis cura. Itaque regni anno quarto, salutis sexcentesimo septuagesimo quinto, ad septimum Idus Nouembris, in D. Mariæ æde conuentus 675  
est habitus. Pauci Episcopi, nimirum septendecim, ac ferme ex Carthaginensi prouincia conuenerunt. septem præterea Abbates, in quibus Auila numeratur monasterij Agaliensis sancti Iuliani nomine Abbas, nisi locus est vitiatus. postremum inter Patres locum Gundila occupauit Archidiaconus sanctæ Mariæ de sede: vnde intelligitur templum in quo concilium est habitum, primum & maximum eius vrbs fuisse: eodem autem loco situm quo cernitur nostra ætate retento nomine structura mutata, lapis indicio est, quem de cælo lapsa Virgo mater vestigijs pressit, Illesonso Præsule, vt est superius demonstratum. In eo conuentu secundum Deo & Regi gratias actas ob instauratum morem veterem concilia celebrandi, qui decem & octo annorum spatio intermissus erat, sedecim canones sunt editi: sancitumque quotannis concilia prouincialia Episcoporum in ecclesia Metropolitana agitari. Eodem anno Bracaræ in Lusitania tertium concilium, inter ea quæ in 30  
illa vrbe celebrata sunt, est habitum. Sancitum ne Episcopi, vt erat moribus receptum, Martyrum reliquias è collo appensas in sellis ipsi sublimes succolantibus Diaconis, sed Diaconi in thesibus gestarent. Sacerdos sacris operaturus nisi oratio vtrunque humerum tegetet, pectus crucis figura, anathematis ignominia notatur. Interfuit in eo conuentu Isidorus Alturicensis Episcopus, Valerij eius æqualis qui sancti Petri Montensis Abbas fuit, humanarum rerum contemptu & eruditionis opinione, ea ætate cum primis clarus: vt eius ingenij monumenta testantur, præsertim is liber, cui titulum fecit, De vana seculi sapientia. Alios præterea Episcoporum conuentus Vvamba Rege esse habitos, & si publica conciliorum acta silcant, res ipsa loquitur, recensque instaurata lex de concilijs habendis. ac Toletum ex vniuersa ditione 40  
Præsules conuenisse certò credimus: cum magni auctores tradant, Vvamba Rege, atque in concilio Toletano singulis diocæses Episcoporum, sine descriptos. neque putamus in causa communi, & quæ ad omnes pertinebat, paucorum iudicio, atque sententijs fuisse disceptatum, sed vniuerso gentis concilio

concilio stetit. in quo præterea additum, vt sacerdotes ad normam in D. Isidori regula præscriptam, vitam vniuersi conformarent. Nouæ diœceses Episcoporum cõstitutæ. Exiguum oppidum quod Pimenij confessoris sepulcro celebre erat, alijsq; pagi & vici, ad hæc Petri & Pauli Prætoriensis ædes, quæ in Toleti suburbijis erat, ac ferme vbi nunc nosocomium S. Crucis nomine, Episcopatus iure donata: vtrunque Regis obsequio magis datum, quàm ad antiquam legum ecclesiasticarum rationem expensum: quibus vetitum esse constat, tum in vna vrbe duos Episcopos constitui, tum in exiguis oppidis novos Episcopos creari. quod Regis pio sanè sed imprudenti studio violatum, proximi concilij Toletani, quod duodecimum est, decreto antiquatum 10 est, Rege etiam leuitatis accusato. vt rebus mutatis plerunque quò fortuna eò fauor hominum inclinat, destituit alios. Nonnullæ leges ab Vvamba latæ sunt, quibus reipublicæ statum multis labefactatum partibus temperauit. disciplinam militarem reuocare curauit, omnes cum delectus haberentur ad signa conuenire sanciens, præter senes, pueros, & imbecilla valetudine impeditos: seruitia armare minimum quenque decimam suorum partem, quibus armorum genus à cæteris discretum designabatur. Ipsi Episcopi virique sacri in repentino hostium incurfu collecta suorum manu obuiam prodire iussi ad centesimum lapidem. Hac Vvambæ diligentia, victoria naualis de ingenti Sarracenorum classe Gotthorum virtute parta est. Etenim vniuersa ferme Africa, quam latè nostri maris littora à Nili ostijs vsq; ad Herculis columnas patent, Saraceni armis domita, obiecta Hispaniæ littora flamma ferroque vastabant ingenti classe, in qua ducentæ & septuaginta naues erant. quam vniuersam Gotthi noua classe comparata, partim ceperunt, partim incenderunt: cum expedito consilio Rex, atque in omnes reipublicæ partes peruigil hostium conatus continuo comprimendos iudicaret, ne latius serperet malum. Sunt qui ab Eruigio Comite suspicantur eam classem in Hispaniam euocatam odio Vvambæ & ambitione regnandi. Erat enim Ardebasti filius, Reccesuinthi propinquus, atque magna inter proceres auctoritate: quam ipse ingenij dexteritate, & accommodatis ad tempus officijs 30 vehementer augebat. Animus mortalium inexplebilis est præsentis fortunæ muneribus, semperque ad vltiora contendit. Ergo cum neque Vvamba superstitite fore se voti compotem speraret, neque defuncto si procerum liberis suffragijs res ageretur, propter Theodfredum Reccesuinthi fratrem, quem superioribus comitijs ob imbecillam ætatem prætermisum fuisse monstratum est: sibi spem nullã regni nisi in scelere ratus primùm Saracenorum classem in Hispaniam immisisse creditur. Deinde cum hæc nõ successisset, Regi clam aquam, vbi spartum erat maceratum, præbendam curauit. Eo veneni genere cum venis conceptum esset, repente Rex morbo grauissimo implicatus, sacris Christianis atq; pœnitentia Quirici Toletani Præfulis cura expiatus, 40 sub primam noctis horam cum iam videretur animam agere, posita coma, atque in sacerdotis morem detõsus, monachi ritu cucullum induit. Eo videlicet ritu diuinum numen amplius propitiari credebatur. vtrunque Eruigij suasu (sic creditum est) quò nimirum regnandi spe, si maximè superuieret penitus

penitus caderet, vt in concilio Toletano sexto cautum erat. Additum præterea, vt intermorientibus vocibus, menteque vi veneni alienata, Eruigium ipsum successorem diceret: idque extemporaria syngrapha atque diplomate regio confirmatum. Accidit id pridie Idus Octobris, die Dominico, Luna quintadecima. vnde intelligitur Vvambam anno salutis sexcentesimo octogesimo regno fuisse spoliatum. Nam cum sequenti luce morbo 680 tantisper remittente ad se rediens consideraret, ex potenti paulò ante Rege monachum repente factum, mutare noluit: siue animi magnitudine rursus spernentis, quæ alij per ignes ferrumque petunt: siue desperatione regnum recuperandi, cum Eruigius rerum potiretur, intra eundem diem corona suscepta. tamen inunctionis cæremonia in proximum diem Dominicum reiecta est. Itaque Vvamba in Pampligæ monasterium, quod nonnulli suspicantur in Mugnonij valle fuisse situm, se contulit: vbi septem annos & menses tres (alij diutius tradunt) purissimo religionis studio vitæ reliquum propagauit. Regnauit annis octo, mense vno, diebus quatuordecim. Ex eo monasterio Alfonso Regis iussu, cui cognomen Sapienti fuit, defuncti corpus Toletum deductum est, Ioannis Martini ex monacho Franciscano Episcopi Gaditani diligentia: atque in D. Leocadiæ, quæ ad arcem sita est, ad aram maximam tumulatum. Quiricus Toleranus Præful, 20 siue ætatis grauitate pressus, per idem tempus defunctus est: siue tædio animi confectus vltro abdicauit. nam Iulianum Quirici successorem constat Vvambæ permissu Flauium Eruigium Regem, vt erat in more positum, inunxisse.

*Nomina Episcopatum Vvamba Rege. Cap. XV.*

**V**TERES vrbium sedes, extinctaque varijs casibus oppida, & post excidium renata alijs sæpe nominibus, ex Vvambæ Regis diœcesum diuisione cognoscere non erit incommodum: & quibus Metropolitanis singuli Episcopatus contributi essent, explicare vniuersim operæpretium fore arbitror. nam de singulorum finibus, quibus descripti erant, laborare non atinet, temporum longinquitate rebus omnibus ab antiquo mutatis. Toletano Præfuli Oretanus Episcopus subiectus erat. extat Oreti vestigium, octo passuum millibus ab Almagro municipio, Virginis Matris sacellum cognomento Oretanæ, atque ex eo loco Almagrum translati lapides Oreti nomine inciso. Biatia, quæ hodie Baeza. Mentesa, quæ nostra ætate Montizon nuncupatur versus Casorlam sita, & à Duce olim Mauro excisa, auctore 40 Roderico, quo tempore à Mauris euersa est Hispania. Acci, hoc est, Guadixium. Basti, Baza. Vrci, quibusdam hæc Almeria, alijs Murcia fuisse creditur. Bagasta: huius vrbis nullum vestigium extat, tantum versus Orihuelam sita fuisse putatur, tum ex locorum ordine, tum ex portæ Magastri nomine, quæ in ea vrbe est, indicio. Illici, Helche. Setabis, Xatiua. tum no-

men retinens Denia, quæ antiquioribus Dianium fuit. & Deniæ vicina Valentia. Sequitur Valeria, quæ hodie vulgò Valera cremata dicitur. Segobrica, huius vrbs vestigia ab Vrceſia octo paſſuum millibus in oppido, quod Græci caput vocatur, extare eruditiores habent perſuaſum: nam qui Segorbium putarunt, nominum eos ſimilitudo miſit in errorem. Arabica, hæc olim Segobricam inter & Complutum ſita fuit, fortaliſis quæ Ptolemæo Percabica eſt. Præterea quarum appellationes notæ ſunt Complutum, Segontia, Vxama, Segobia, Palentia. Itaque Toletum ſacræ diſionis fines vltra Carthaginenſem prouinciã, cui propriè præfecta erat, Gotthorum etiam ætate extendebat: nam hæc omnes vrbes atque earum 10 Episcopi à Toletano Præſule ſacræ petebant. Ab Hiſpalenſi autem Metropolitano, Italica, quæ hodie Hiſpalis vetus eſt, ab Hiſpali ſex paſſuum millibus diſſita. Aſidonia, quæ quibuſdam Medina Sidonia eſt, ex ſimilitudine appellationis argumento probabili: alijs Cæſarianum, in dicio templi, quod in ea vrbe eſt B. Virginis Siduegnæ nomine. & Raſis Maurus Xeritium Siduegnæ eam ciuitatem vocauit. Elepla ſiue Niebla ſit, ſiue Lepe. Malaca, Eliberris, quæ olim vrbs ſupra Granatam octo paſſuum millibus poſita fuit, in monte quod ab ea vrbe Eluiræ hodie nomen habet. Aſtigi, hæc eſt Ezigia. Córduba, atque quæ hodie prope 20 Vaenam Cabra vulgò eſt Egabrum. tum Tucci, hoc eſt, Martus. Atque hiſ finibus Hiſpalenſis Præſulis ditio deſcripta erat. Emeritæ Metropolitanus ſubiectis vrbibus & earum Episcopis iura dabat: Paci Iuliæ, (hodie Begia eſt in Luſitania,) Oliſiponi, quæ Gotthis Oliſibona fuit, vrbs noſtra ætate diuitijs & amplitudine nulli Europæ ſecunda. Eboræ (Gotthis Elboræ,) Tudenſis Talaueram eſſe dixit in Carpetanis. Oxonobæ, quæ eruditus Eſtombar hodie eſſe creditur, prope Silues conſtituta. Igeditanæ, oppidum in Luſitania extat Idaniæ veteris nomine. Conimbricæ, cuius veſtigia octo millibus paſſuum à noua Conimbrica 30 monſtrantur, veteris Conimbricæ nomine. & quæ nomina ferme retinent Viſeum & Lamecum. præterea Caliabria, quam vrbem Tudenſis & Marinæus Montangium eſſe ſuſpicantur, coniectura haud ſatis probabili. Salmanticæ (Gotthis Salamantica,) Numantiæ, hoc eſt Garay. Abulæ, Cauriæ. atque hæcenus de Emeritenſi prouincia. Bracaræ hæc vrbes contributæ erant, Dumium, quod hodie monaſterium extat prope Bracaram. Portucale, quæ ſe Durius euoluit in mare, vnde Portugaliz nomen ipſi vrbi primùm, deinde toti prouinciæ ab oppido Gale factum, quod hodie oppidum Caia dicitur. Tude, Auria, & cui hodie Padrono nomen eſt Iria Flauia, in eodem numero ſunt. præterea Lucus Auguſti, Brittanica, ſiue Bretonia, quæ Lucum præter & Aſturicam ſita erat: hodie à Mindoniënſi vrbe octo millibus paſſuum oppidum extat nomine Bretagna. ad 40 hæc Aſturica, & Legio, quæ vrbes vulgò notæ ſunt, & antiquis affinia nomina retinent. Tarraconenſis Metropolitanus auctoritatem ſubiectæ vrbes ſequabantur Barcino (Gotthis Barcinona,) Egara, quæ vrbs præter Barcinonem & Gerūdã olim ſita fuit. atq; hiſ locis finitima Gerunda. tum Emporia,

poria, & Aufona, quæ hodie in Catalaunis Vique dicitur cõgnomẽto Oſona. Vrgelia, Ilerda, quæ duæ vrbes notæ ſunt. & cuius ſedes proſuſ ignoratur Hiçtoſa. Superioribus adiungebantur Dertuſa, Cæſarauguſta, Oſca, Pompelo (Gotthis Pampilona,) Calagurris (Gotthis Calaforra,) Turiaſo (Gotthis Tiraſona,) Auca, cuius vrbs veſtigia ſupra Burgos monſtrantur, vnde & Aucæ montes dicti. atq; hæcenus Tarraconenſis Metropolitanus diſionis fines prolati. Narbo veteribus (Gotthis Narbona,) ſubiectis Episcopis & vrbibus iura dabat, legesque ſacrõrum: primùm Beterris, hoc eſt, Beſiers, quæ vrbs Plinio quidem Bliteræ eſt. deinde Agathæ, quæ hodie ciuitas ſiue Agde eſt, ſiue Mompellerium in Gallia Narbonenſi. Magalonæ, quod nomen hodie retinet villa Episcopi Mompellerij. Nemaufõ, Latebæ (hodie Lodebe,) & quæ nomen retinet Carcaſoni. præterea Helenæ, quæ hodie in agro Ruſcinonenſi Euna eſt. Sunt qui Tudenſem, Lucenſem, & Legionenſem Episcopos affirmant, ſiue Vvambæ beneficio, ſiue ex antiquo ducta conſuetudine, ſui iuris fuiſſe, neque vllius Metropolitanus imperium & auctoritatem reſpexiſſe, haud ſatis idoneis in alterutram partem argumentis. Illud in conſeſſo eſt, plura Episcopatum nomina in vetuſtis conciliorum actis extare, quæ in Vvambæ diuiſione deſiderantur. fortaliſe rebus tempore permutatis, aut quoniam vetera monimenta & ſchedæ multis in locis vitata ſunt, Epagrenſis, Carthaginenſis, Caſtulonenſis, Fibiarienſis, Eliocrocenſis, Eminienſis, Immonticienſis, Lamibrenſis, Elotanus, Magnetenſis, Laberricenſis. Quæ nomina noſtra ætate ignota ſunt, ac ne vrbum quidem omnium, earum ſedes vbi eſſent, proſuſ exploratum eſt: neque deſſet diligentia ſi in rebus tam dubijs qua ſe via certa panderet ad inueſtigationem veritatis.

Constantini diuiſio Cap. XVI.

30 **V**OD ante ſumus polliciti, neque hæcenus præſtitum eſt, Episcopatum in Hiſpania factam diuiſionem à Constantino Magno, vti Raſis Arabs eſt auctõr, eius ſententia noſtris verbis ſubiicimus Latine, poſt diuiſionem Vvambæ. Constantinus, inquit, multis vrbibus Episcopos dedit eo honore carentibus. Ac Hiſpaniæ cum eſſet renunciatum in magna agrorum bonitate, diuite cultu, incolarum frequentia, Chriſtianorum numeroſa multitudo, Episcopos non habere: conſilio communicato, optimum fore iudicauit ſex Episcopos dare, qui metu omni ſublato, liberè religionem Chriſtianam & ſacrã populis promulgarent. Ergo viris idoneis ad ſe vocatis, ciuitates ad hunc modum diſtribuit. Primo Narbo deſignata eſt, aliæque ſeptem vrbes cum poteſtate iura ſacrã populis dandi, moresque caſtigandi. earum 40 hæc ſunt nomina. Beterris, Tolofa, Magalona, Nemaufõ, Carcaſo. in hac vrbe D. Mariæ glorioſæ ædes eſt, ſeptem argenteis aris inclyta, frequentia populi religioſa, præſertim ſemel in anno maiori concurſu multitudinis, ſed & alijs temporibus celeberrima. Barcinone diſtat

decem dierum itinere. Præter has Luteba & Helena, Narbonensi Episcopo sunt datæ. Alteri Episcopo Bracara celsit: Dumio, Portucale, Auria, Oueto, Asturica, Britonia, Iria seu Compostella, Aliubra, Iffa, Tude contributis. Proximus Tarraconensis Episcopus creatus est. Barcino, Auca, Morada (fortassis Gerunda,) Beria (fortassis Emporiæ,) Oriola, Ilerda, Dertusa, Cæsaraugusta, Oſca, Pompelo, Calagurris sunt additæ. Quartus Carthagine Episcopus institutus est. Tolerum, Oretum, Setabis, Segobrica, Complutum, Caraca, Valentia, Murcia, Biatia, Castulo, Montogia, Basta, Begena (forte Bigastra,) adiunctæ. Quinto Emerita data est vrbs primaria. subiunctæ Pax Iulia, Olisipo, Egitania, Conimbrica, Lamecum, Eboræ, Cauria, Lampa (quid si Salmanticam legas? aut Lamam nunc contributam Mirobrigæ Lamasi nomine.) Postremum Hispalis Episcopus habuit. Hispali iura petere iussæ sunt Italica, Seritium Afsidonia, Niebla (Romanis Elepla,) Malaca, Eliberris, Astigi, Egabrum. Sic Hispania omnis à Constantino Augusto in sex Episcopatus tributa est. Quo maior esset auctoritas, religionique suum caput constaret, imperandique potestas: ipse quidem Constantinopolim concessit, seque ut priores Romæ, eius vrbs Regem dixit: sanciens præterea, ut Romæ domino cæteri Christi cultores obtemperarent: quem ipsi dominum Christianorum eorum qui cæsarato ordine erant, & sanctum vocare soliti erant, ob acceptam à Petro Apostolo potestatem, quam illi Christus crediderat. Hæc sic Maurus ait. Conuenit auctor historiæ, quæ Alfonso Castellæ Regis cognomento Sapientis nomine circumfertur, diuisionem Episcopatum in Hispania factam à Constantino Magno eodem ordine, quibusdam modò vrbiū nominibus commutatis: vnde & ex Vvambæ diuisione atque ex coniectura deprauatas haud dubium in Mauro nonnullas voces castigauimus, sententia conseruata. Archiepiscopos vocare non sumus ausi, quos Maurus Episcopos vocat, religionis nostræ, & graduum distinctionis ignarus scilicet, adnuisse sit satis.

*Eruigius Rex. Cap. XVII.*



**E**LAVIVS Eruigius regnum malis artibus quæsitum rectè & prudenter administravit. Ac primum memor rerum humanarum haud diu eodem vestigio stare, potentiam scelerè partam inuidia sæpe opprimi populari: omnis ætatis ac memoriæ clarissimum Regem fraude ipsius circumuentum, neque id Gotthorum gentem ignorare, regni stabiliendi cura, ingenium in omnes partes versat. optimum visum est, religionis speciem obtendere: quod ab alijs sæpe Regibus tentatum non incommodè cesserat. Itaque Tolerum ex vniuersa ditione Præsules conuocati, numero triginta quinque conuenerunt. Ad quintum Idus Ianuarij mensis, salutis anno sexcentesimo octogesimo primo, conuentus est habitus, quod in concilijs Tolertanis duodecimum est. In eo conuentu duæ res ad memoriam insignes sancitæ

sancitæ sunt: Eruigio regnum quod arripuerat Patrum sententia confirmatum: arma tenenti, qui negarent quod petebatur? non constantia id, sed temeritas fuisset. Gotthorum proceres sacramenti religione exoluti, quo Vvambæ obstricti erant, abdicatione Vvambæ, & capitis diminutione sublati. sic putabant. Præsuli Toletano creandi tota ditione Episcopos ius datum, Rege ad quem ea res peruetusto Hispaniæ more spectabat procul constituto: præsentate confirmandi, quos Rex creasset, concessa potestas. Ea prærogatiua quoniam Toletani Primatus in cæteras ecclesias Hispaniæ fundamenta ponebantur, Patrum decretum adscribi placuit. Illud quoque collatione mutua decernendum nobis occurrit, quod in quibusdam ciuitatibus, decedentibus Episcopis proprijs, dum differtur diu ordinatio successoris, nõ minima creatur officiorum diuinorum offensio: dum tractu terrarum impeditur, celeritas nunciorum: ne queat Regis auribus defuncti Præsulis obitus innotescere, aut Principis de successore electio expectari. Placuit ergo omnibus Pontificibus Hispaniæ, atque Calæciæ, saluo priuilegio vniuscuiusque prouinciæ, ut Tolerano deinceps Pontifici ius sit in quibilibet prouincijs, quoscunque regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani Pontificis iudicium dignos esse probauerit, præficere Præsules: & decedentibus Episcopis eligere successores. Actis concilij Iulianus Hispalensis, Iulianus Tolertanus, Liua Bracarenensis, Stephanus Emeritensis subscripserunt. Et fortassis Hispalensis Tolertano Præsuli de dignitate noluit quidquam concedere, cum in subsequenti concilijs, primum inter Patres Toletanus locum pro iure cõcessæ auctoritatis occuparit. Toto deinde biennio euoluto, rursus Eruigij Regis iussu, Episcopi triginta octo, Vicarij Episcoporum viginti sex, Abbates nouem, proceres præterea non pauci in vrbs Regiam conuocati, in Petri & Pauli Prætoriensi æde, concilium Toletanum tertiumdecimum celebrarunt pridie Nonas Nouembris, salutis anno sexcentesimo octogesimo tertio, qui annus Eruigij regni quartus erat. In eo conuentu Pauli sectatoribus Rege concedente, Patrumq; decreto venia concessa. & cum fides esset angustior, neque debita regio fisco soluerentur, ad nouorum motuum metum procurandam vestigalia, quorum grauitate prouinciales fessi erant, imminuta, & quæ eo nomine debebantur condonata. Et nimirum clementiæ & liberalitatis laude, quæ maxima vitia sæpe obruunt, occupati regni maculas delere Eruigius satagebat. Præterea cum ad honores publicos homines ignobiles malis artibus irreperent, & Gotthorum nobilitas confuso cum plebe sanguine, magna ex parte extincta contaminataq; esset, ei malo occurri mandatur. Ad extremum in Regis gratiam, lex à Patribus promulgata, qua Reginæ Liubigotonæ atq; filiorum, si quid humanitus Regi accidisset, præsidium continebatur: ne popularis inuidiæ flamma, quod non immeritò metuebatur, Eruigij posterij deflagrarent. Mandatumque Episcopis, ut ad Paschatis festum, quo die Christi ad vitam reducis memoria instauratur, cum Rege celebrandum venirent quicunq; moniti essent. Extant Iuliani Toletani Præsulis ad Idalium Barcinonensem Episcopum litteræ, inter eos amicitiam initam significantis, cum is Episcopus ad celebrandum Pascha in curiam venisset. Subscribunt

Iulianus Toletanus, Liua Bracarenfis, Stephanus Emeritenfis, Florefin-  
 dus Hifpalenfis. Multa concilia celebrandi laudem quæfiffe Eruigius vi-  
 detur: nam anno proximo quartumdecimum Toletanum concilium habi-  
 tum est ad octauumdecimum Kalen. Decembris, Leonis. XI. Romani Pon-  
 tificis iuffu & auctoritate: vt sexti concilij generalis, quod nuper Conftan-  
 tinopoli à ducentis & nonaginta Epifcopis habitum erat, acta Hispaniæ  
 Præfulum affenfu rata effent. Epifcopos omnes conuenire instantis hyemis  
 rigor non permisit: & plerique sumptus, quos superioribus concilijs cele-  
 brandis tolerare neceffe fuerat, excufarunt. Itaque Epifcopi feptendecim,  
 ac ferme omnes ex Carthaginenfi prouincia, Vicarij Epifcoporum decem,  
 in quibus Tarraconenfis, Narbonenfis, Emeritenfis, Bracarenfis, atque  
 Hifpalenfis procuratores erant, Conftantinopolitani concilij actiones &  
 decreta probarunt: illudque proximè post Chalcedonenfe concilium ponend-  
 um iudicarunt. Nimirum eius feculi vitio, Africæ, atque Illyrici exemplo,  
 quintum concilium generale, quod Iuftiniano Imperatore habitum erat, re-  
 pudiant: quod & Ilidorum Hifpalenfem feciffe, eius fcripta non vno loco  
 teftantur. Ibæ Edeffeni, Theodori Mopsuefteni, Theodoriti Cyrenfis fcri-  
 pta in eo cõuentu Patres improbaffe, accusabatur paffim, quos concilij Chal-  
 cedonenfis auctoritas excufabat. hæud fatis intelligebant non idem femper  
 de hominibus & de eorum opinionibus iudicium effe. Monothelitæ ergo fi-  
 ue Apollinariftæ geminam in Chrifto negantes effe voluntatem, Hispaniæ  
 Præfulum iudicio, quod Conftantinopoli factum erat damnati. miffaq; à Pa-  
 tribus ad Romanum Pontificem per Petrum quendam Romanæ ecclefiæ  
 Regionarium apologia aduerfus hæreticos, in qua catholicæ religionis sum-  
 ma capita continebantur, Iuliani Toletani Præfulis vt erat excellenti erudi-  
 tionis opinione opus. In quo Leone. XI. interea defuncto, Benedictus Leo-  
 nis fucceffor nonnulla cenfuræ digna iudicauit, atque in his quòd de fagra  
 Triade differens dixiffet: fapientiam ex fapientia procedere, voluntatem  
 ex voluntate: quomodo catholica ecclefiæ affirmat, Deum de Deo, lumen de  
 lumine: quas loquutiones non effe extendendas Pontifex difputabat. Illud  
 præterea offendebat, quod Chriftum feruatorem ex tribus fubftantijs confla-  
 tum effe affirmaret. Dum hæ controuerfiæ Romæ atque in Hispania agitan-  
 tur, Eruigius Rex tametsi religionis fpecie fatis profeciffe videbatur, vt regnū  
 fe fuperfite ftaret: ne defuncto tamen alienata multitudine, inimica no-  
 bilitate populare odium filios opprimeret cura folicitabat. optimum vifum  
 est, Egicam arcta cognatione Vvambæ fanguini annexum generum ado-  
 ptare Cixilone filia in coniugium data, iuratumq; in primis Reginæ focrus,  
 atq; filiorum eius commoda & incolumitatem diligenter, pro eo ac par erat,  
 curaturum: neq; permiffurum patre defuncto in orphanorum fortunas quen-  
 quam impune graffari. His rebus ex fententia cõstitutis, cum Vvambæ leges  
 nonnullas, quæ paulò acerbiores videbantur, & ab illorum temporum condi-  
 tione abhorrere, propter corruptos gentis mores antiquaffet, ac nominatim  
 legem de delectibus militaribus, quæ paulò feuerior erat, mitigaffet, in viuis  
 effe defijt Toleti ex morbo defunctus. 17. Kal. Decembris. qui dies Veneris  
 erat,

erat, falutis anno feccentesimo octogefimo feptimo. regnauit annos feptem,  
 dies quinque & viginti, ad pofteritatis memoriam, non tam honeftus, quàm  
 clarus. Hoc Rege fame grauiffima vexata est Hispania. Emeritæ pons &  
 mœnia noua diligentia inftaurata, opus curante vrgenteque Sala (vt perue-  
 tufta carmina indicant inter Eugenij Toletani Pontificis epigrammata)  
 noui atque magnificentiffimi ædificij fpeciem repræfentabant.

## Egica Rex. Cap. XVIII.

**E**R VIGIVS pridie mortis fuæ Egicam generum fucceffo-  
 rem defignauit, proceribus f Sacramento folutis, quo ipfi obftri-  
 cti erant, vt nimirum in noui Regis verba iurarent. Inunctio-  
 nis cæremonia more per hæc tẽpora vfitato, post diem nonum,  
 qui dies Dominicus erat, octauo Kal. Decembris, Luna quarta-  
 decima, in Petri & Pauli Prætorienfi æde peracta. Rerum potitus Egica  
 odium in Regem focerum compressum animo, continuo deprompsit. Et ferè  
 iniuriæ quàm beneficij memoria diuturnior est. Itaque regnum de manu à  
 foero acceptum, præclaro videlicet initio, ab eius vindicta aufpicatus, vx-  
 orem Cixilonem, ex qua Vvitzia natus erat, in odium patris repudiauit. Repu-  
 dij fuafor auctorque Vvamba, vt nonnulli auctores tradunt, cum pietatis  
 fpecie veteris odij femina fcintillasque foueret ad extremam vfque ætatem.  
 De nonnullis proceribus supplicium sumptum: nimirum quorum opera  
 Vvambam in fraudem impulfum, atque de rerum culmine deiectum effe  
 conftabat. Quod nifi ea vindictæ dulcedine reliquas actiones deformaffet,  
 facile cum quouis priorum Regum conferri potuit. Belli & pacis artibus  
 peræquè inftitutus fuit, prudentiæ atque manfuetudinis laude in primis cu-  
 mulatus. Religionis amplificandę studio, & superiorum Regum æmulatione  
 prouocatus, concilium Toleta. quintumdecimum haberi curauit, atq; perfe-  
 cit, ab Epifcopis fex & fexaginta, eius feculi anno octogefimo octauo, Idibus  
 Maij, in Petri & Pauli Prætorienfi æde. De Sacramenti forma atque vi po-  
 tiffimum fufcepta est difputatio: quo Eruigius ante annos aliquot Egicam  
 fuccefforem & regni proceres implicarat, adegeratque viduæ Reginæ, &  
 filiorum eius præfidium incolumitatemque iurare. Ij cum temporum per-  
 turbatione, qua multi tota prouincia promifcuè bonis euerfi funt, plurima  
 per iniuriam occuparent tanquam certo iure poffeffa: quærebatur an iura-  
 menti religione prohiberentur, tum ij qui iniuriam pertuliffent res fuas  
 iudicio repetere, tum Rex fecundum eorum iura & merita pronunciare.  
 Patrumque fententia statutum, iurifurandi fancitatem haudquaquam fce-  
 leri patrocinari: exoluique potius religionem calamitatibus hominum  
 fubleuandis æquitate fancienda. Præterea Benedicti Pontificis crimina-  
 tiones & maculæ, quibus fuperioris concilij acta inuferat, noua difpu-  
 tatione deterfæ. Nouoque apologetico Iuliani verbis, Patrum auctoritate  
 fancitum, nihil cum videri aduerfus Chriftianam pietatem committere,  
 qui in Deo voluntatem ex voluntate procedere affirmarit: Chriftumque

Deum ex tribus substantijs conflari. cum substantiæ nomen in naturæ, essentiæque significatione usurpari consueverit, & abstractæ voces nempe formas significantes, sæpe pro concretis veterum scriptorum abusu sumantur. Eam Iuliani disputationem Sergius Romanus Pontifex, Benedicto interea defuncto, magnis laudibus celebravit, ut Rodericus Præful est auctor: nobis aliquanto liberior visa est, quàm ut Iuliani modestiam erga Romanum Pontificem, summum ecclesiæ rectorem deceret. Et nimirum de ingenij laude, qui cuiquam concedat rarus est, & in ardore disputandi modum tenere difficile. Erat enim Iulianus eruditionis laude ea ætate celebris, ut eius libri testantur: ac præsertim opus quod Prognosticum seculi venturi nominavit, 10 liberq; De sex ætatibus: qui libri ad nostram ætatem conseruati sunt, alij iniuria temporum desiderantur. Fuit ex Iudæorum sanguine prognatus, Eugenij tertij discipulus: cum Gudila Archidiacono Toletano arcta amicitia coniunctus: Quirici Toletani Præfulis successor, ingenio facili, copioso, suauis: probitatis opinione singulari. Obijt Egica Rege, octauo Idus Martij, huius seculi anno nonagesimo. Defuncti corpus in Leocadiæ tumulatum: vitæ 6 9 0 sanctitas cælestium numero inseruit fastisque, ut Martyrologia testantur. In eius locum Sisbertus successit, homo audax & temerarius, ingenio malo prauoq;: qui vestem Illesonso Præfuli de cælo dono allatam, & prædecessorum religione eatenus intactam contrectare, eaque indui non dubitauit. Vnde in 20 maiora mala præcipitauit. Et ferè humani animi excæcantur, cum diuina vltio insequitur, neque aciem suam retundi vult. Itaque vasto animo immoderata nimisque alta cupiens, ac rerum nouarum studio elatus, in Regis caput, cuius beneficio auctus erat, rebellauit personæ quam gerebat immemor. Erat ei consilium ad facinus aptum, consilio autem, neque lingua, neque auctoritas deerat. appellare, tentare, sollicitare nouerat. & cum prouincia per eam ætatem in factiones scissa esset, multi ex nobilitate & plebe in partes attracti. vnde intestini belli materia excitata, externa præterea arma mouebantur: vtrunque (sic credimus) Sisberti suasu. Ter cum Francis signa à Gothis collata sunt, aduersa semper fortuna belli. Verùm iniuria temporum neque pugnantium neq; cadentium numerus proditus est: ac ne quibus in locis sit pugnatum. Illud constat, Regis diligentia intestini belli, quod maiora ma 30 la minabatur, initia compressa. Sisbertus Regis primum, deinde Patrum sententia anathematis ignominia notatus, exilioq; mulctatus, ac de gradu deiectus est: eorum qui Toletum iussu Regis conuenientes, numero vnus & sexaginta in Prætorienti Petri & Pauli, sexto Nonas Maij, salutis anno sexcentesimo nonagesimo tertio concilium Toletanum sextumdecimum celebrarunt. In eo conuentu Christianæ religionis formula de scripto concepta promulgataque est. In qua superioris concilij auctoritate atque instituto, voluntatem ex voluntate, sapientiam ex sapientia, essentiam ex essentia in Deo procedere, 40 Christumque ad inferos descendisse expressis verbis affirmatur. Iudæi, qui sincero animo Christiana sacra complecterentur, nobilitate atque vctigalium immunitate donati. Gothicæ leges maiori diligentia sunt castigatæ: præceptumque ut pro Regis, filiorum, nepotumque eius salute, ad omnia

nia templa, vota diebus omnibus suscipiantur: ad certam verborum formam oratione concepta à Patribus. quod institutum ab hoc initio susceptum in nostros mores nostramque ætatem emanasse credimus, paucis in ea oratione verbis commutatis. Cuius deprecationis ea summa capita erant: Ut desideria in eis bona quotidie multiplicentur: aduersantium eorum conamina virtute suæ dexteræ (hoc est Dei) confringantur: indulgentia eis & gratia à sua misericordia conferatur: ut suæ potentiæ defensione protecti antiqui hostis decipula euadant: & caritate & vitæ longæuitate polientes adire mereantur post transitum sidereas mansiones. quæ sunt omnia verba Patrum. In 10 Sisberti locum Felix Hispalensis Præful Toletanus est factus. Faustinus Bracarenensis Episcopus Hispalim in Felicis locum migravit. Præterea Maximus Emeritenensis, & Vera Tarraconensis concilio interfuerunt. Cum his Metropolitanis Felix in Faustini locum ex Portucalensi Episcopo Bracarensis Præful, & alij Patres, tametsi numerus ignoratur, proximo anno Toleti in Leocadiæ templo suburbano nouum conuentum, cuius acta inter concilia Toletana postremum occupant locum, agitarunt Nouembris septimo die. Gallicæ Gothicæ Episcopi venire non potuerunt, pestis contagione impediti, quæ per hæc tempora grassabatur: & belli malis impliciti, cum finitimi Franci in ea Gothici imperij inclinatione de sinibus sæpe lacesserent. Actum 20 referente Rege de Iudæorum natione supplicij omnibus extirpanda: quam prodendæ Hispaniæ atque aduersus Christianorum imperium rebellandi, cum Iudæis Africanis consilia communicasse, ex oblato Patribus codicillo Rex conquerebatur: latius opinione dessemnatum id malum, obscureq; serpens manasse per vniuersam Hispaniam, omnesque eius prouincias occupasse, neque tamen Pyrenæos montes transcensisse, in Galliamq; penetrasse. Id opprimi sustentando ac dissimulando nullo pacto posse, neque fas esse. Proinde celeriter quid optimum factu foret in re præsentis iudicarent. A Eternæ seruituti Iudæi omnes Patrum sententia mancipati, bona publicata, ut animi & corporis cruciatus egestatis malum aueret. sancitumque in posterum, ut filij eorum septennes à parentibus abstracti, Christianis hominibus educandi instituendique traderentur. Lex præterea promulgata, qua Cixilonis Reginæ, quamuis a Rege repudiata, & filiorum Rege ipso defuncto præsidium continebatur. Eandem Patres ante tres annos in conuentu Cæsaraugustano lege vniuersim de Reginis viduis lata sanxerunt, defuncto Rege ne cuiusquam libidini atque contumeliæ opportuna esset, veste mutata in virginum Deo sacratarum collegium cooptari. Cixilonis filius Vvitiza à Rege patre regni consors renunciatur, cum solus ipse decem annos regnasset. Extantque monetæ in Hispania patris & filij nominibus percussa: atque ad Tudensem urbem in amœnissima valle, malis citreis & scatentibus aquis, 40 regij palatij vestigia atq; parietinæ, quod Vvitiza oblectandi animi causa extruendum curauit: cum in ea vrbe regni sedem collocasset à prouido patre, ne videlicet consortium potestatis pacem publicam, ut fieri solet, turbaret, ad Calæciæ regnum, quod in Sueuorum ditone fuerat, cum potestate ablegatus. Vnde ad reliquas Gothico imperio subiectas prouincias defuncto



701 patre, quinto post anno vocatus est. Obijt enim Egica Toleti ex morbo, salutaris anno septingentesimo primo, mense Nouembri. cuius mensis die quindodecimo, septimodecimo Kalen. Decembris Vvitiza recepto more Gothorum Rex inunctus est.

Vvitiza Rex. Cap. XIX.



VITIZAE regnum omnibus turpitudinum maculis deformatum fuit, crudelitate immane, præcipua impietate, aduersus ecclesiæ leges insigne. Res Hispaniæ peccatis gentis urgentibus ad exitum festinabant. Et inest rebus omnibus quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita mores hominum & imperia vertantur. Initio quidem cum intelligere videretur, Regum officium esse tueri innocentiam, coercere improbitatem: exules qui à patre fuerant relegati in patriam reuocauit. & vt beneficium illustrius esset, honores etiam & magistratus, quibus apud patrem functi fuerant, reposuit. In procerum conuentu schedas publicas, quibus delicta continebantur, atque infamiæ notæ non paucis in ea temporum perturbatione iniustæ, comburi mandauit. Ab his inijs cum iusti & optimi principatus specimen præbuisset, mox omnia in ludibrium vertit. cesserunt prima postremis: vt est difficile in lubrica atque iuuenili ætate summam potestatem & rerum omnium licentiam ratione virtuteque frænare. Sc ipse primùm assentatoribus, quorum magnus in aulis Principum numerus alitur, corrupendum tradens, in omnes libidines præceps effudit: quas malè coercitas, qualiscunque patris reuerentia tardauerat. Magno numero concubinas vxorum iustarum loco cultuque habuit: lege lata vt id cunctis liceret, tum promiscuo populo & proceribus, tum viris sacratis. quod illi libenter factitabant: vt vitia Principum imitari, genus obsequij ducitur. & propemodum necesse est sensibus hominum placeant, quæ cum turpitudine cõiuncta sunt, & vitæ humanæ fructum vitiorum licentia atque improbitate definiunt. Romani Pontificis, cuius auspicijs hætenus religio steterat, & Gothicæ res auctæ, & bonis omnibus amplificatæ erant, imperium abrogatum. Vtraque lex vt communi prouinciæ consensu & iudicio sanciretur curatum. Ea re Toleti Episcoporum conuentus octauodecimus Gunderico eius vrbs Episcopo, est habitus in Petri & Pauli suburbano templo, vbi per ea tempora Benedictinarum virginum domicilium erat. Eius conuentus acta in volumen conciliorum collata nõ sunt: ne conuenit quidem, cum legibus ecclesiasticis essent contraria. Iudæis redeundi atque habitandi in Hispania, contra quàm antiquis legibus cautum erat, facultas concessa. Conuersa ex eo prouincia, & malis omnibus foedata, cum multorum inuidiam excitasset, eorum qui antiquis legibus stari mallebant, & multi ad Chindasuinthi sobolem spectarent: quod superstite patre cõperat, vt eorum sanguine manus foedaret, idem sibi rerum potitus faciendum iudicauit. Erant ad hanc ætatem superstites duo Chindasuinthi filij, Reccesuinthi Regis fratres, Theodofredus, & Fauila. Theodofredus Cordubæ Dux

bæ Dux erat, vbi olim palatium extruxit in agro suburbano, sese loci amœnitate oblectandi cupidus: cum regiæ inuidiæ declinandæ studio, curia abstineret, atque aula haberet præiudicatum. Fauila Dux Cantabriæ erat, & quo tempore Vvitiza Galæciæ regnum obtinuit, eius lateri adhærens, cohorti prætoriæ præfectus est: (Gotthi Protospararium vocabant, voce eo seculo nota). Hunc Vvitiza vt eius vxore liberius frueretur (sic nonnulli suspicantur) stipite percussum interfecerat, eius Pelagij patrem, qui deinceps res Hispaniæ collapsas restituere cõepit, & tunc apud Vvitizam pro patre vicarius Protospararij honore fungebatur. Verùm cum sublato patre se in Cantabriam recepisset, & Iulianus Comes, qui Vvitizæ sororem in matrimonio habebat, in eius locum substitutus esset, hoc tempore tum in ipsum Pelagium, tum in patrum Theodofredum odium depromptum: quod diu Vvitiza conceptum animo habuerat. Theodofredum luminibus priuandum curauit. Eius filius Rudericus fuga est elapsus. Ne Pelagium quidem quamuis vestigijs omnibus inquisitum capere potuit: cum Cantabrorum fide munitus esset, & regij furoris vitandi causa religionis specie Hierosolymam petiisset, vt per manus ducta eius prouinciæ persuasio haberet. In Arratia Cantabriæ oppido diu Pelagij & comitis baculi, quibus ex ritu peregrinantium in eo itinere vsi sunt, monstrabantur. Eo actionum tenore, cum ad totius vitæ prauitatem crudelitatem adiunxisset, commotos prouincialium animos, quia sanari non poterant, frænandi studio, ne res nouare cupientibus locus esset vbi factionis vires confirmarent, pleraque vrbes tota Hispania mœnibus & munitione nudauit. Pauca Regis imperium euaserunt: in his Toletum, Legio, Asturica, siue obsequium detrectantes, siue quod earum fidei Vvitiza res suas credere non dubitaret. Arma quibus reipublicæ salus & præsidium continetur, eadem ob causas (sic nonnulli tradunt) constata. Tantis molitionibus honesta species prætendebatur, pacis publicæ conseruatio, regniq; tranquillitas. Re vera tyranni vbi semel prauitas eorum animos occupauit, ipsa præsidia metuunt; & quos neque pudor à turpitudine, neque metus ab immanitate, neque à temeritate ratio reuocat: ij dum propriæ incolumitati studere videntur, maiori periculo metuque implicantur. Gundericus Felicis successor Toletanam ecclesiam per hæc tempora gubernabat, præcipua probitatis laude, si satis animi habuisset ad reprimendos regios conatus, improbitatem arte & ratione sanãdam: vt sunt multi, qui peccare magis nolint, quàm quod satis magnum animum habeant ad scelera vindicanda. Erant præterea profici moris sacerdotes, qui superiorum temporum memoria sanitatem retinentes, Vvitizæ actiones probare non poterant: quos omnes Gunderici successor Sinderedus exagitandos atque omni suppliciorum genere vexandos suscepit, Principis obsequio delinitus, temporique seruiens. Vsq; eò vt Oppam Vvitizæ fratrem (alij filium faciunt) ex Hispalensi ecclesia, cui præfectus erat, Toletum migrare concesserit, vnus ecclesiæ duobus gubernacula procurantibus: quod pietas Christiana, & prisca leges ecclesiæ verabant. His actionibus, ac totius vitæ peruersitati Regis exitus consentaneus fuit. tametsi non vna de eius obitu opinio est. Rodericus Præsul Ruderici ait coniuratione, cum

cum se & factionis studia Romanorum, ad quos excæcato patre, sui que periculi metu aufugerat, auxilijs copiisque confirmasset, regno spoliatum, luminibus patris exemplo vindictaque priuasse: Cordubamque misisse, vbi vitæ reliquum exegit, æternis tenebris vinculisque mancipatus. Numero tamen & diligētia potiores historici Vvitizam ex morbo Toleti obiisse affirmant, 7 1 1 decimo regni anno, salutis septingentesimo vndecimo, gemina prole relicta, Eba & Sisebuto. quorum partes dum plerique sequuntur, resistunt alij, respublica in supremam calamitatem præcipitavit & maximam.

*Horum Regum progenies. Cap. XX.*



ES ipsa hortari videtur, quoniam ex fatali gentis dissidio res Gotthici ad exitium per hæc tempora properabant, diuisis provinciæ studijs inter Chindasuinthi Regis posteritatē, & Vvambæ cognatos, cum vtrique se legibus ad regnum niti putarent, vtriusque familiæ stemma breui narratione explicare. Chindasuinthus ex Reciberga vxore hos filios reliquit, Reccesuinthum successorem, Theodofredum, atque Fauilam, & filiam vnam. Reccesuinthus nullam prolem suscepit, quare procerum suffragio Vvambam successorem habuit. Chindasuinthi filia Ardebalto Comiti nupsit, erat is Græcus natione, & Constantinopoli relegatus, cum ingenium industriamque Chindasuintho probasset, ab eo gener est adoptatus. Ex hoc coniugio natus est Eruigius, magnorum motuum origo causaque, cum Vvamba circumuento regnum per fraudem occupare visus esset. Ex Eruigio Rege & Liubigotone vxore nata Cixilo Egicæ Regis, qui Vvambæ propinquus erat, vxor. Eo enim coniugio, quoniam vtriusque familiæ sanguis miscebatur, pax publica dissidio sublato coitura rursus prouidebatur. Ex hoc coniugio Vvitiza natus est, præterea Oppas Hispalensis Præsul atq; filia, quæ Iuliano Comiti nupsit, vt magni auctores testantur. Vvitizæ filij fuerunt Eba, & Sisebutus, vt est paulò ante monstratum. Theodofredus alter Chindasuinthi filius ex Ricilone vxore, quæ ex regio Gotthorum sanguine nata erat, Rudericum genuit, Hispaniæ facem & pestem. Ex Fauila, qui & ipse Chindasuinthi proles erat, Pelagius is natus est, cuius virtute collapsæ penitus atque profligatæ Christianorum res in Hispania Ruderici temeritate, resurgere ex aliquanto interuallo cœperunt. Ad hunc Hispaniæ Reges nunquam intercisa serie, cum semper aut parentibus filij, aut fratribus fratres successerint, clarissimum genus referunt, 10 20 30

*Ruderici Regis initia. Cap. XXI.*



SERAT rerum status in Hispania, quo tempore Rudericus Rex Vvitizæ filijs prætermisissis, regnum Gotthorum suscepit procerum suffragio, vt multorum opinio est: vt neque pace coalescere scissa principum & plebis studia, atque infecta partibus possent, neque bellum defendere sicunde illatum esset. Externis 40

ternis præsidijs nudati, atque vitiorum assuetudine non minus corporibus enervati, quam ægri animis, accubantes in conuiujs, cibo atque vino debilitati, emolliti atque corrupti stupris vitam infamem Principum exemplo eruditi plerique è populo transigebant, seditionibus concitandis idonei, incepti externorum hostium armis propulsandis. virtute partum imperium opulentia perdidit, & opulentiaæ asseclæ voluptates. Omnem illum animorum vigorem, quo tantæ res bello paceque perfectæ erant, vitiorum licentia extrinxeat, qua nihil est disciplinæ militari exitius. nihil vt Hispaniæ moribus: ea ætatē corruptius esset, neque ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates instructius. Mihi Gotthicum imperium per hæc tempora multò maximè miserabile fuisse videtur, cuius virtute cum magna orbis terrarum pars peragrata victorijsque illustrata esset, domi rerum omnium copia atq; diuitijs redundaret: fuere tamen qui partium studio se atque rempublicam obstinatis animis perditum irent. Tanta vis morbi atque veluti tabes plebrosque Gotthorum animos occuparat. Inerant quidem nouo Regi magna animi & corporis bona, neque adumbrata solum, sed expressa atque illustria. maximarum signa virtutum. corpus laborum patientia duratum: inedia, vigilia, frigoris atque æstus: animus audax magna petens, liberalitatis laude excellens, atque ingenij ad versandos hominum animos, & magnarum rerum tractationē præcipua dexteritate. Has omnes virtutes cum primùm ad regnum accessit ingentibus vitijs exæquauit: iniuriarum memoria, libidinis intemperantia, atq; actionum imprudentia Vvitizæ propior quam patri maioribusque. Extrat numisma Ruderici nomine percussum, expressa facie armati atque ferocis hominis similitudine ex parte vna, ex altera his adiunctis verbis IGEDITANIA PIVS. Temporum assentatione, vt arbitror, magis quam quod ijs in locis aliquid egerit, vnde eo cognomine cohonestari meruit. Palatium à patre Theodofredo prope Cordubam in locis suburbanis ædificatum, vt paulò ante dictum est, nouis operibus magnisque molibus exornandum, augendum, muniendumque curauit. Vnde tempore consequenti à Mauris Ruderici palatium vocatum est, vt Isidorus Pacensis est auctor certissimus historiæ horum temporum scriptor. Pelagium patruelem sanguinis propinquitate coniunctum fortunæ similitudo amplius conciliauit. Itaque continuo ad se ab exilio reuocatum cohorti prætoris præfecit: quo magistratu ea tempestate secundum Regem honos supremus & maximus continebatur. Odium quod in Vvitizam Regem longo tempore hauserat, in eius filios profundere velle visus est: vsque eò vt ignominia ac dedecore quo à Rege afficiebantur prouocati, atque maioris mali metu percussi, curia abstinere atque Hispaniæ finibus excedere, tutissimum fore iudicantes, in Asticæ Tingitanæ partem illam, quæ Gotthorum imperio retinebatur, nauigarint. Erat ei provinciæ cum potestate Requila Comes præfectus, Iuliani Comitis (sic arbitror) vicarius. Præerat præterea Iulianus ei Hispaniæ parti, quæ freto Herculeo adiacet, vnde breuissimus in Africam tractus est. ad Confaburionem autem multa gentilitia oppida obtinebat: vnde Iulianus potentia cum quouis Hispaniæ principum conferri poterat, Regi ipsi 40

ipsi formidabilis esse debuit. atque hæc prima fatalis dissidij femina iacie-  
 bantur: nam Vvitzæ filij priusquam in Africam trajicerent, rebellandi con-  
 silia inter se & cum alijs viris principibus communicarunt, grauissimas ini-  
 urias conquesti, quibus Indies à Rege petebantur. aderant iuuenibus Op-  
 pæ Præsulis studia, qui regio sanguine & multis clientelis potens erat. ad-  
 erant alij, pars vindictæ studio, non paucis spes ex nouis rebus petebatur. Hæc  
 femina cum dissipari arte atque comprimi debuissent, nouo atque exitiali  
 facinore exacerbatis amplius inimicorum voluntatibus aucta atque ad ma-  
 turitatem perducta sunt. vnde malè cogitantibus occasio est suppeditata,  
 summum scelus, quod incipere eatenus formidarant, honesti specie velandi. 10  
 Erat in more positum vt principum Hispaniæ liberi in aula regia educa-  
 rentur. Filij quidem ad custodiam regij corporis, & priuata obsequia adhi-  
 bebantur, inter epulas ministri erant: venantem Regem, quibus per æta-  
 tem licebat comitabantur, & ad bellum prosequabantur armati. magnorum  
 Præfectorum & Ducum hæc rudimenta incrementaque erant. Filia autem  
 in gynæceo Regina ministrabant: vbi Mineruæ artes, psallere & saltare,  
 quantum necesse esset fœminis, docebantur. Moris omnis cum ætate gna-  
 ræ viris principibus connubio iungebantur. In his Iuliani Comitissæ filia,  
 Caua nomine, in obsequijs Regina Egilonæ erat, excellenti formæ digni-  
 tate. Hæc aliquando cum æqualibus ludens, corpus cum magna ex parte nu- 20  
 dasset, Regis animum forte fortuna clam ex fenestra prospicientis vehemen-  
 ter percussit: atque ita vt rebus omnibus contemptis vnam deperiret, eiusque  
 species animo identidem obuersaretur. Alebatur in medullis amoris obscœ-  
 ni flamma, atque intima præcordia depascebatur: & frequenti aspectu vn-  
 de animum inuaserat, quotidie magis morbi vis augebatur. Ita opportu-  
 nitatem nactus, quam neque gratia flectere, neque blanditijs allicere, ne-  
 que minis & metu frangere potuit, inuitam atque reluctantem virginem  
 vitiauit. Regem nimirum alijs flagitijs fœdum libidinis impatientia in præ-  
 ceptis egit. Erat Iulianus à Rege in Africam eo tempore de rebus magnis  
 legatus. Filia doloris impatiētia, atq; ignominia dedecore in furorem acta, 30  
 hoc exemplo ad patrem litteras dat: Vtinam ô vtinam, pater, terra mihi de-  
 hisceret, ne his te litteris interpellare necesse esset, & atroci nuncio dolo-  
 rem tibi sempiternum & luctum conciliare. Quantis cum lacrymis & sin-  
 gultibus hæc scribam hæc lituræ indicio sunt: sed nisi continuo facio non  
 corpus tantum fœdatum esse, sed & animum sempiternam concepisse ma-  
 culam suspicaberis. Aut quis nostris malis exitus erit? Quis te inscio nostræ  
 ignominia & dedecore medeatur? An expectabimus dum quod in arcano  
 hactenus delitescit, tempus in lucem proferat: & dedecus quod modò susti-  
 nemus in probrum & infamiam vertatur, qua non grauiorem morte? Pu-  
 det scribere quod silere non licet. O turpem & miseram vitæ nostræ con- 40  
 ditionem. Vno verbo dicam: filia tua, tua proles, Gotthorum Regum agna-  
 ta soboles, à Rege Ruderico, cuius custodia à te permissa erat, nimirum ouis  
 lupo, incredibili & maximo scelere violata est. Vos si viri estis, facietis vt  
 gaudium quod nostro ex dedecore hausit, pestiferum illi sit: neque impune  
 nostro

nostro sanguini & familie illuisse videatur. Hæc litteræ quantum dolorem  
 iniecerint patris animo, quibus de suo sensu æstimare potest. Omnino faces  
 subdiderunt ad prodicionem maturandam, cuius paulò ante initia iacta  
 erant. Itaque continuo quasi rebus in Africa compositis, redit in Hispa-  
 niam: & vt erat audax, versutus, varius, cuiuslibet rei simulator, & dissimu-  
 lator, rerum à se gestarum commemoratione & accommodatis ad tempus  
 officijs, Regis animum amplius deuinxisse videbatur. ad omnia iura fami-  
 liarum & consilia Regis intima, de supremis reipublicæ rebus admittebatur.  
 quæ omnia non tantum eius meritis, sed etiam amoris filia dabantur. Dat  
 10 consilium, vt quoniam immota pax stare in Hispania, Mauri sepe & Fran-  
 ci de finibus lacescebant: quidquid equorum & armorum reliquum erat, ad-  
 uersus externos hostes in Africam atque Galliam mittendum videri. In quo  
 specie vtilitatis prouidebatur, vt Rex omnibus præsidijs nudatus iniuriæ  
 opportunus esset. His rebus ex sententia peractis, fingit vxorem, quam in  
 Africam reliquerat, morbo implicitam esse graui atque diuturno: nullaque  
 re leuari posse, nisi filia, quam vnice amabat aspectu. Id per litteras, tum  
 ipsam tum domesticos significasse. Necessaria re, & quoniam propediem re-  
 dituram pollicebatur, victus Ruderici animus magis quam flexus (& for-  
 tassis copia fastidium fecerat) patrem & filiam ex aula dimittit. Malacæ,  
 20 quæ vrbs infero mari alluitur, porta vilitur Caua nomine. Ea parte egressam  
 Iuliani filiam, nauim conscendisse, ducta ab antiquo hominum persuasio  
 habet. Interea Regem ex tantis sceleribus celo & hominibus inuisum ratio  
 ipsa & prudentia deferere videbatur: fatali palatio, quod Toleri erat aper-  
 to, vt Rodericus scribit, quod inuicti vestes atque æterna ferri robora mu-  
 niebant, adituque prohibebant, ne referat, excidium Hispaniæ afferret:  
 quod in fatis esse vulgò homines, sed & primores gentis persuasum habe-  
 bant. Rudericus ingentes thesauros suspicatus superiorum Regum prouid-  
 entia in eo palatio seruari, & alioqui indagandi curiosus animus, quamuis  
 dissuadentibus atque deterrentibus cunctis ordinibus, seras perfringendas  
 30 curauit: vt sunt vehementes & inuictæ in eo quod semel proposuerunt Re-  
 gum voluntates. Nulli thesauri reperti. Arca tantum extabat, & in ea lin-  
 teum, quo explicato insolentes hominum facies atque habitus in eo depictæ  
 apparuerunt cum inscriptione verbis Latinis, quæ Hispaniæ excidium si-  
 gnificabant instare ab ea gente quam pictura demonstraret. Mauricis simi-  
 les vestes atque habitus visi sunt: vnde ex Africa tantum malum instare Re-  
 gi & proceribus qui aderant persuasum est: seraq; pœnitentia subiit nullo  
 fructu, magno periculo gentis arcana perscrutatos esse, quæ tanta eatenus  
 religione ab omnium oculis subducta fuerant. Huius narrationis fidem non-  
 nulli eleuant. ex ingenio quisque suo in vtramuis partem statuat: nobis ne-  
 40 que confirmare argumentis neque refellere animus erat.

*Primus Maurorum aduentus in Hispaniam.*

*Caput. XXII.*

SARA-



ARACENORVM arma hac ætate impunè toto orbe volitabant. in Arabia exortus ille furor Mahomete Duce, multos primùm mortales illufit nouæ religionis specie, orientis deinde Solis partes cum occupaffet, Australesque regiones peruaffet, vsque ad vltimas occidentis Solis oras non longiffimo fpatio temporis peruenit. Heraclius quidem Imperator Cofroe Perfaram Rege deuictò, Afiaque domita, nascentem pestem in ipsis incunabulis comprimere arte cupiens, ex Saracenorum nobilitate quatuor millia Romana castra sequi voluit honoris specie: re vt obsidum loco effent, ne nouos motus vt cœperant in prouincijs concitarent. ij militarem vestem ex Iustini-  
 10 niani, quæ adhuc extat, lege poscentes cum repulsam tuliffent, addita præterea verborum contumelia, eunuchò in ea imperij face, fisci præfecto dicente: Quid reliqui est Romano militi quod dari his canibus possit? ea effœminati viri voce irritati, ad suos continuò facto agmine reuertuntur, propinquas Romani imperij vrbes carpunt: Aegyptum occupant: Persas nuper à Romanis deuictos debilitatosque viribus, ipsi integri ferocesque domant, compelluntque Mahometis sacra & Saracenorum nomen suscipere. Syria vniuersa capta: Africa sæpe tentata bellorum euentu vario, successu tandem ipsis prospero. Abimelechi Regis ductu Carthago magna capta euerfaque. à Ioanne Præfecto prætorij, cum res in ea prouincia gereret, re-  
 20 pulsi Africæ finibus maiori mole bellum parabant. Aduersus eorum conatum Ioannes supplementum à Leontio Cæsare petiturus Constantinopolim nauigat, salutis anno circiter septingentesimo. Romanæ interea legiones tædio longioris moræ, an nouarum rerum studio, Tiberium Apfimarum ciuem Constantinopolitanum Imperatorem salutatum, ad rempublicam capeffendam Constantinopolim prosequuntur. Ea ex re Saraceni vacuum Africæ possessionem inuadunt, atque occupant: Numidiam & Mauritanias ad Oceanum vsque Atlanticum, quæ finis est orbis terrarum. Vlt vniuersæ genti præerat Miramamolinos (supremi imperij ea vox erat). Eius nomine Muza Africam gubernabat, homo natura ferox, vehemens, manu promptus  
 30 atque animo, consilio bonus. Iulianus impetrata à Rege discedendi facultate, ex itinere quidem coniurationis capita adit, singulos appellare, polliceri tabulas nouas, opes suas, imparatum Regem docere, præcipua & maxima victoriæ præmia polliceri. Non procul Cõfaburone mons ostenditur ab incolis Calderinus nomine. ea voce quoniam Arabica lingua proditionis mōs significatur, vulgò homines accepta à maioribus opinione persuadent, in eomonte prodendæ Hispaniæ Mauris cõsilia à Iuliano & socijs agitata. Apulsus autem in Africam Muzam extemplò adit, iniuria se à Rege violatum conqueritur: Vvitzæ filios paterni regni hæreditate priuatos, inopes, & egentes sine lare familiari vagari: non deesse prouincialium studia. Quo in  
 40 statu res Hispaniæ sint, explicat: veniffetque tempus Hispaniæ imperium occupandi, atque adeò totius Europæ, cuius aditu eatenus erant prohibiti. vna celeritate opus esse ad præoccupandos factiõnis aduersæ conatus. seque si pauci iuarent non dubitaturum clientum opibus, & quoniam prouinciæ aditum

aditum vtrunque ad fretum obtineret, Ruderici vires tentare, regnum euertere. Oblatam occasionem non despiciebat barbarus. Christiani tantum hominis fidem suspectam habebat. Re ergo cum Miramamolino communicata, modicis primùm copijs Hispaniæ vires tentare, Iulianique fidem experiri, an verbis facta responderent optimum fore iudicauit, cunctator ingenio & latiffimæ prouinciæ moderatione, multisq; ex eo & magnis negotijs implicatus. Centum equites & quadringenti pedites quatuor nauibus impositi sunt missi. Ijs vicinas freto insulas & littora tentantibus diripientibusque, cum ex voto res succederent, & plerique Hispani ad illos confluerent, denuò agente Iuliano, Tariffio Duce qui altero oculo captus erat, cognomine Abenzarca duodecim pugnatorum millia mercatorum nauibus, quò res occultior esset, transuecta sunt in Hispaniam. Ijs copijs cum Calpe mons primùm esset occupatus, Heraclea vrbs illi monti imposita Gibraltaris nomen accepit à Tarif & Gebal, quæ vox montem significat, nomine duplicato. ab eodem Duce Tariffæ nomen vicino oppido est factum, vt plerique arbitrantur, cum olim Tartessus diceretur. Hos Iuliani & Mauro-  
 10 rum conatus celeritate præoccupandos iudicans Rudericus, sobrinum suum Sanctium (alij Enecum vocant) continuò obuiam misit. Ex eo initio de belli summa omen est factum. vt erat ex colluione plebis & subitario delectu exercitus conflatus, non vigor corporibus inerat, non ardor animis: lentum & deforme agmen, fluxa arma, segnes equi, impatiens Solis, pulueris, ac tempeffatum, nulla disciplina militaris. Itaque cum primùm castris collata sunt castra, leuibus initio prælijs, aduerso semper Marte, deinde totis vtrunque viribus dimicatum est. Victoria penes Mauros stetit: & Sanctio cadente Gotthorum exercitus partim cæsus, partim fuga dissipatus est. Barbari victoria elati, Bæticæ & Lusitaniæ agros depopulati, non pauca oppida eo tractu, ipsamque vrbes Hispalim, vt erat incenibus & munitione nudata, facile suæ ditionis fecerunt. Incidit hæc prima calamitas in annum  
 20 eius sæculi tertiumdecimum. Quo anno Sinderedus Præful Toletanus rerum summæ diffidens, an Ruderici iniurias & insolentiam non ferens, relicta Hispania Romam abiit: vbi post aliquot annos Gregorio tertio Pontifice Maximo Lateranensem conuentum cum alijs Episcopis habuit. Ecclesiæ Toletanæ præcipui sacerdotes, ne in ea temporum calamitate rectore carerent, Oppa prætermisso, quem legibus repugnantibus constabat ad eum honorem vocatum, Vrbanum prisca moris virum, morum sanctitate excellentem, Præsulem crearunt. Fuerat is Toletanæ ecclesiæ Primicerius, seu primus cantor. & quoniam Sinderedo superstite electus est, neque electionem probarunt ijs, quorum intererat, à veteribus vt indicio sunt peruetusti codices, vbi eorum Episcoporum nomina continentur, in nullo Præfulum Toletanorum numero ponebatur.  
 30  
 40

*Ruderici Regis mors.*

*Cap. XXIII.*

T TANTIS



**A**NTIS rebus peractis Tariffius & Iulianus Comes in Africam redeunt: nouas Saracenorum copias supplementi causa in Hispaniam mitti Muzam postulant: relictoq; apud eum obsidis loco Requila Comite, impetrant multo maiorem quam ante equitum ac peditum numerum. atq; ira vt cum Ruderico Rege totis viribus conflare non dubitent. Is enim suarum rerum periculo prouocatus & ignominie, que accepta erat delende cupiditate inflammatus, ex vniuersa ditione, quorum ætas idonea erat, ad signa magnis propositis supplicijs nisi parerent, vocauit. Ea denunciatione numerosa hominum multitudo conuenit. qui minimum supra centum millia hominum fuisse aiunt. Verum ex diutino otio ad bella suscipienda, vt vulgus consuevit alacri ac prompto animo, molli ac minime resistente ad calamitates perferendas. Et erant pleriq; inermes, fundis tantum & sudibus armati. Cum hoc exercitu Rex in Bæticam profectus, hostemq; nactus ad Cæsarianum in planicie, quam Lethes amnis interfluit, castra locauit. Ardebat vterq; exercitus pugnandi cupiditate. Mauri tot victorijs & proximo belli successu elati: Gotthi pro salute & libertate, patria, liberis, coniugibus, vitam discrimini offerre non dubitabant. Tametsi pleriq; mœstum silentium tenebat, & tacita diuinatione occupati videbantur, qualis iam præfagientibus animis imminentis mali esse solet. Regem curis anxium ac solitudine, ostenta insomnijsq; perterruisse memorantur. Octo continuis diebus iisdem vestigijs dimicatum est: septem, leuibus prælijs, vt arbitror, cum vtriq; quantum virtutis in hoste esset, quantum in suis experiri cuperet, priusquam totius certaminis aleam subire necesse esset. Die octauo, qui dies Dominicus erat, Xauelis Arabum mensis nono die, tertio Idus Nouembris, ipso Martini festo die, vti ex Aluendensi Chronico colligimus, atque salutis anno septingentesimo quartodecimo, totis vtrinque viribus & copijs pugnatum est. vtręque acies pro castris ad pugnam instructę. Rex curru eburneo sublimis, & intertexta auro veste conspicuus, vt erat Gotthorum Regum mos pugnam inuadere, priusquam ad manus deuētum esset, hanc ad suos orationem habuit: Lætor milites venisse tempus vindicandi iniurias, religionem expiandi aduersus hominum genus cælo æquę & hominibus inuisum. Quæ enim illis est causa pugnandi, nisi vt vobis, liberis, coniugibus, & patrię æternam seruitutem imponant, Dei immortalis templa diripiant euertantq;? quod in alijs prouincijs & Hispaniæ parte fecerunt, & quorum ruētium fragor & rudera penè in oculis atq; auribus vestris versantur. Sentiant hæcenus cum eunuchis bellum gessisse, nunc cum inuicto Gotthorum sanguine. Superiori anno minima virium parte cū hoste pugnauimus. eo successu elati (Deus illis mentem eripuit) eò penetrarunt vnde receptus esset nullus: quod nimirum tot nefaria scelera suo suorumq; sanguine luerent. sic speramus auguramurq; Mauris antea bellum inferebamus in Africa, Francos à finibus repellēbamus: nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. proh facinus nefasq;, vel ipsa morte procurandum. hæc sunt humanarum rerum vices. Quod nisi victorię spes esset vt exploratum habemus, vindictę certę studium debet stimulari, tot cognatis & necessarijs in acie trucidatis.

agrorum

,, agrorum & oppidorum cum nostra ignominia vastitate. Quod mearum fuit  
 ,, partium exercitum comparauit, quem planicies vix capit, commeatus prouidi,  
 ,, di, locum idoneum elegi, Ducibus munia distribui, subsidijs aciem firmari:  
 ,, alia præterea arcano comparata ad salutem, quæ nunc sileri satius est. in ipsa  
 ,, pugna nihil me reliqui ad victoriam fecisse sentietis. Cætera in vestra potestate  
 ,, sunt, audete modò vincere, pleni que humana diuinaque spe in hostes  
 ,, irruite, memores patrię auitæque virtutis, memores Gotthorum sanguinis,  
 ,, memores religionis Christianæ, cuius auspicijs militamus. Econtrario Tariffius  
 10 certus copiam pugnandi facere, postquam copias in aciem produxerat, hanc summam  
 orationis habuit: Terrarum finis Oceanus hinc alluit,  
 ,, ex ea parte claudit Mediterraneum mare: non de gloria, sed de salute pugnandum  
 ,, est. nullus receptui locus, dextris atque virtute fidendum. Hic dies aut  
 ,, Europæ imperium dabit, aut vitam cunctis eripiet. In morte securitas erit,  
 ,, in victoria gaudium. ignominiosa vita nihil turpius. sed Asiæ domitores  
 ,, atque Africæ, ad subigendam Hispaniam non meo magis ductu, quam vestra  
 ,, sponte profecti inueteratę virtutis meminisse debetis. non Africę solitudines  
 ,, & tesca, sed opima Europæ spolia offeruntur: nam quis ad superiores vi-  
 ,, ctorias Gotthorum gente compressa virtuti vestrę resistet? Inerimem credo  
 20 aciem, & ex vulgi fæce temere raptimq; constatam suomet fluctuantem timore,  
 multitudinem impeditam formidatis? quam sine gladio vel vmbonibus  
 ,, propelletis. Qui se tutari viribus suis integris & illibatis non potuerunt, an nunc  
 ,, imminuti superiore clade metuq; exanimati victoriam reportabunt? quam  
 ,, igitur nunc video in vobis alacritatem, certum victorię omen: eam in aciem  
 ,, ferte freti virtute felicitateque vestra & fortuna fatisque. Irruite Deo duce,  
 ,, Mahumete auspice, in hostes prædam non arma gestantes. Aspera montium  
 ,, iuga, nudosq; colles & perpetuo æstu deformes Africanas casus ditibus Hispaniæ  
 ,, campis vrbibusq; mutate. In dextris vestris imperium, salutem, præsentis lætiti-  
 ,, am, spem futuri temporis geritis. Ducum verbis inflammati milites pugna  
 30 signum expectabant. Gotthi ad tubę sonitum in hostem feruntur. Mauri tympanis  
 æreis certamen more gentis accendunt. Ingens vtrinque clamor editus. primum  
 fundis, iaculis, & omni telorum genere pugnatur, deinde gladijs res geritur.  
 Vtriq; acriter dimicant. ad multam diem prælium anceps fuit, neutro victoria  
 inclinante. Paulum modò Mauri virtute nostris cedebant, locoque moti fugam  
 respectare videbantur: cum Oppas incredibili scelere, eatenus dissimulata  
 perfidia cum suorum manu, vt arcano conuenerat, in ipso ardore pugne ad  
 hostes transfugit: & Iuliano coniunctus, qui validum Gotthorum agmen  
 ducebat, nostros ab aperto latere aggressus, victoriam hosti peperit. Regij  
 enim perculsi improuisa suorum proditione, & continenti totius diei pugna fessi  
 fractique animis, recentem impetum non tulerunt. et cum omni parte ingenti  
 cæde sternerentur, terga verterunt. Tametsi Rex cum fortissimo quoq; in  
 40 prima acie pugnans, non Ducis magis, quam militis partes implebat, laborantibus  
 succurrens, pro faucijs substituens integros, cedentes a fuga retinens propria  
 nonnunquam manu. Ad extremum desperatis rebus veritus, ne viuus in hostium

T 2

potē-

potestatem veniret, ex curru desiliens, in equum Oreliam nomine, quem paratum habebat ad omnes casus conscendit, seque subducit e pugna. Eo nudati præsidio Gotthi qui in acie perstabant, pars trucidati, pars fuga salutem quaesierunt. Castra & impedimenta momento temporis capta. caesorum numerus non proditur, nimirum præ multitudine iniri non potuit. Vnum enim prælium omnia Hispaniæ ornamenta abstulit. ibi Gotthorum nomen extinctum, ibi virtus bellica, ibi præteriti temporis fama, ibi spes futuri deleta: imperiumque, quod trecentis amplius annis steterat, à feroci gente & immani compressum est. Ruderici Regis equus, paludamentum, corona, calceique gemmis distincti ad Lethis ripam inuenta: & cum nulla præterea fugæ indicia extarent, occisus in fuga, aut mersus in flumine creditus est. Post ducentos ferme annos in Lusitaniæ templo quodam vrbe Viseo hac inscriptione lapis est repertus: HIC REQUIESCIT RUDERICVS VLTIMVS REX GOTTHORVM. indicio ex fuga in eam regionem fuisse delatum. Milites qui cladem effugere potuerunt, tantæ calamitatis nuncij, deformesque testes, vicinas vrbes petiuerunt. Pelagius (quem quidam suspicantur prælio interfuisse) rebus diffidens, in Cantabriam vltimam suæ ditionis prouinciam se continuò recepisse videtur: alij Toletum affirmant. Hostibus haud incruenta victoria fuit, sedecim ferme millia ex eorum numero ceciderunt. Et fuerat superius biennium frugibus aduersum, desertoque propter bella agrorum cultu, fame & peste laboratum erat. Quibus malis debilitati prouinciales processerunt in aciem: sed vitijs potissimum ac libidine vigor extinctus erat, & scelerum poenis agentibus in eam præcipitatum est cladem.

*Christiani in Astures proficiscuntur. Cap. XXIIII.*

**R**OMANAM ecclesiam Constantinus Pontifex obtinebat, Orientis imperium Anastasius cognomento Artemius, Francorum Rex Childebertus eo nomine tertius erat, quo tempore planctu tumultuque vniuersa Hispania repleta erat, non præteritis tantum dolore mali, sed etiam futuri temporis metu: nec vllum calamitatis genus decrat, cum per omnes ordines ætatesq; victoris crudelitas & licentia debaccharetur. Magna pars eorum qui ex ærumnoso illo prælio mortem euadere potuerant, Altigim perierunt, urbem neque remotam locis, & ea ætate ciuium frequentia, & mœnium munitione validam. Cum ijs ciues confusi, atque inter se hortantes sui capitis periculo vniuersæ gentis incolumitatem redimere, excidium auertere, illatas si possent iniurias vindicare: cum victore, qui vestigijs omnibus Gotthorum reliquias persequeretur, rursus dimicare non dubitarunt. Eadem prælij fortuna fuit. rursus Gotthi à Mauris cæli fugatique sunt. qui cladi superfuerunt in varia loca dilapsi. vrbs omni præsidio nudata, atque in victoris redacta potestatem à Mauris euerfa est. Iuliani deinde Comitum consilio & hortatu, copiæ bifariam diuisæ: pars Maguedo Duce, qui Christiana

stiana olim sacra, quibus erat imbutus abiurarat, Cordubam petijt. & quoniam nobilissimi eius vrbs ciues commune periculum veriti Toletum auferant, haud ægerrimè expugnata est, pastoris cuiusdam ductu, qui aditum quæ facillimè penetraretur in mœnium ea parte monstrauit, quæ ponti coniuncta est, silentio noctis, custodijsque interfectis. Urbis Præfectus templi munitione, cui D. Georgio nomen fuit, defensus tribus mensibus obsidionem tolerauit. deinde e fuga retractus in Maurorum potestatem venit. socij per vim expugnato templo ad vnum interfecti sunt. Cum copiarum parte alia Tariffius reliquam Bæticam incendijs & direptionibus vastabat. Prope Giennium, vt Rodericus est auctor, vt res habet regionibus aliquanto remota, Mentesa vi capta soloque æquata est. Malacam, Eliberrim, Granatam præsidijs occupauit. Murcia Præfectus, quæ vrbs ea tempestate Oreola vocabatur (sic aiunt) homo militaris & sagax, cum à Mauris acie victus esset, fœminis in veste virili per muros vrbs dispositis cum magnæ multitudinis speciem præbuisset: ad honestas condiciones victores Mauros adduxit, priusquam vrbs deditioem faceret. Iudæi Mauris confusi, Cordubam, Granatamque habitandas susceperunt: Christiani ciues aliò atque aliò dilapsi. Toletum reliqua erat in Hispaniæ umbilico posita, situ inexpugnabilis: vnde Urbanus eius vrbs Præsul in ea rerum inclinatione, haud satis loci munitione confusus abierat in Astures, sacrasque sanctorum reliquias, ne hostibus nominis Christiani ludibrio essent, secum asportarat: nominatim vestem Illesonso Præsuli de cælo allatam, arcamque reliquijs sacris refertam, quæ varijs iactata casibus Hierosolymam delata Toleti constitit: libros præterea sacros, ac sanctorum virorum ingenij monumenta Isidori, Illesonsi, Iuliani, ne vi flammæ cuncta vastantis perirent, auro & gemmis pretiosiores thesauri. Urbani iter Pelagius prosequutus est præsidij causa, quod à magnis auctoribus affirmatum inuenio. Cælestes thesauri in extrema Hispania, vt tutiores essent ab iniuria, in subterraneo specu conditi, octo millibus passuum ab eo loco vbi postmodum Ouetum vrbs ædificata est. ab ea re loco Montis sacri nomen factum, ductaque ab antiquo consuetudine à vicinis populis, qui religionis ergo quotannis, die præsertim Magdalene memoria sacro frequentes conueniunt, præcipua & magna veneratione colitur. Urbani & Pelagij exemplo prouocati plerique ciues, & in his optimus quisque ac nobilissimus vt longissimè à belli discrimine essent, seque & suos ad meliora tempora seruarent, urbem deseruerunt. Vacuam ciuitatem Gothici sedem imperij, Mauri ex varijs partibus, vbi res prosperè fluebant, ad obsidionem conuenientes, Tariffio Duce haud ægerrimè redegerunt in potestatem. Tamen de eius expugnatione non vna fertur opinio. Rodericus Iudæos ait, qui in vrbe perstiterant belli spectatores sine discrimine rerum suarum, siue vincerent, siue victi essent Hispani, præterea odio Christiani nominis, continuò victori portas aperuisse: atq; quod Granatæ & Cordubæ factum erat, Iudæos & Mauros in commune habitadum suscepisse. Tudentis munitione ait, confisos ciues, tamen exiguo numero fractiq; animis erant, menses aliquot obsidionem tolerasse, ac tandem Dominico Palmarum

die, quo die Christi à Iudæis cruciati memoria recurrit, Christianis ad Leocadiæ suburbanum templum de more supplicationem agentibus, hostes à Iudæis aditu monstrato in urbem admissos, ciues ad vnum occisos, aut in captiuitatem redactos. In rebus tam incertis in alterutram partem certo pronunciare temerarium esset: ipse eorum opinionibus accedo, qui post diurnam obsidionem, urbem à ciuibus deditam asfirmarunt, his conditionibus: Qui vellent ex vrbe discedere sine fraude res suas efferrent: qui manere, patriæ religionis libertatem retinerent, septemque ea de caussa ex Christiano ritu sacrata in vrbe templa: Iustæ, Torquati, Lucæ, Marci, Eulaliæ, Sebastiani, & Mariæ Virginis suburbanum. Vectigalia penderent, quæ Gotthorum Regibus consueuerant, noua imperandi sublata Mauris potestate. Suis legibus viuerent, & qui iura dicerent iuxta eas ex ipsorum numero iudices darentur. Per hunc modum Toletum à Mauris occupata est, reliquæ Hispaniæ vrbes eadem belli flamma carpebantur. ciues, quò quemque metus agebat, in varias partes dissipabantur. Legio cum annonæ difficultate laboraret, fame còpulsæ est deditioem facere. Caraca in Carpetanis capta, in Celtiberis oppido quod nostra ætate Medina Celina vocatur, olim Segontia vt Rodericus est auctor, ex lapide smaragdo, vt ego interpretor viridi marmore portentosæ magnitudinis & pretij mensa reperta: vnde oppido Medinæ Talmeidæ, quod nomen mensæ urbem significat, appellatio facta. In Vaccæis Amaia fame, quæ indies maior inualescebat, coacta imperata facere. Urbis huius spolia præteritam opulentiam vicere. multi enim eius munitione confisi eò se & opes omnes suas contulerant. Is tractus ea tempestate Campi Gotthorum vocabatur, vnde Camporum appellatio ei Hispaniæ parti facta ad nostram ætatem manauit. In Calæcia Asturica incensa euerlaque, muris structuræ firmissimæ stantibus. In Asturibus Gegio oppidum, terrestri marinoque situ firmissimum in Maurorum potestatem venit. Militaria præsidia locis competentibus disposita: ne se commouendi nouique imperij iugum excutiendi prouincialibus esset facultas. Tantis totius Hispaniæ spolijs Maurorum agmen graue, Tariffio Duce, quo Imperatore tantas victorias pepererat, Toletum vt tantorum laborum aliquis per otium fructus esset, atque inde velut ex arce in reliquas Hispaniæ partes despicerent, reductum est, eius seculi anno quintodecimo. Quo anno inuenio præterea Narbonem in Gallia à Mauris fuisse occupatam. variæ videlicet manus ex Africa ad famam rei bene gestæ examinum instar sese in varias imperij Gotthici partes infundebant. Prouinciales, pars fuga dissipati, pars metu percussi, iuuande patriæ consilia haud satis explicabant. nulla manus numero aut viribus insignis coibat. vrbes tantum singulæ rebus suis priuatim consulentes Præfectos creabant: penes quos cum bello paceque suprema rerum omnium potestas esset, nullius imperium respicerent, à quibusdam historicis Reges nuncupantur.

*Muza venit in Hispaniam.*

*Caput. XXV.*

HAEC



HAEC in Hispania: ex Africa autem nunciabatur Muzam varijs cogitationum fluctibus æstuarè. gaudebat nobilissimam prouinciam subiugatam, Maurorum imperium in Europam propagatum. dolebat sua cessatione factum vt expugnata Hispaniæ non præda modò, sed & laus ad Tariffium pertineret. Itaque auaritia æquè atque inuidia agitatus pessimis consultioribus bello paceque, traicit in Hispaniam recenti Maurorum manu stipatus, in qua duodecim armatorum millia fuisse aiunt: exiguus videlicet numerus tantis motionibus impar, nisi rebus omnibus oppressi essent, afflicti que Hispani. nam quòd rebus perditis accidit, consilium ab omnibus dabatur defendendæ patriæ, periculum sumere singuli recusabant. Cum Duce ratio belli mutata. Erant qui suaderent, vt iunctis cum Tariffio viribus, reliquas vrbes peterent, quæ Mauricum iugum nondum susceperant. Vicit sententia eorum, qui cum Christiani essent, tempori potius quam religioni seruientes, ad reliqua perficienda Muzæ suam operam pollicebantur: auctoresque erant, vt suis viribus peculiarique exercitu vicinas vrbes subiugaret. qui cursus barbaro ad laudem certior videbatur. Assuit præterea Iulianus Comes, an noui Ducis promerendi studio, & liberalioris militiæ spe, an Tariffij odio incertum: & solent patriæ proditores, vt sunt ingenio turbulento & inconstanti, minori gratia primùm esse, deinde odio propter sceleris memoriam, & quia tanquam creditores aspiciuntur. Algezira vbi barbarorum copiæ expositæ erant, Asidoniam primùm itum est. ciues aliquãdiu obsidionem tolerarunt, suaq; virtute, & vrbs munitione confisi, non semel irruptione pugnarunt: ad extremum vi expugnati. Carmona deinde Bæticæ quondam firmissima vrbs, eodem belli impetu tentata. Barbarus diebus aliquot multis laboribus frustra consumptis, Iuliani arte delusam ciuitatem cepit, cum defectioe ille à Mauris, pugnaque simulata, intra mœnia esset admissus, ea porta, cui olim à Corduba nomen fuit. Rasis Arabs postquam Muza & Tariffius Toleti congressi sunt, hæc contigisse tradit: & Iuliani Comitibus milites, ait, haudquaquam simulatione fugæ, sed mercatorum specie arma Carmonam intulisse, ea quibus capta est. Nos his rebus commemorandis Roderici Præfulis auctoritatem sequebamur. Hispalis, quò se Gotthorum numerosa multitudo contulerat, cum ingruentem barbarorum vim repellere non sperarent, ciuibus occultè fuga elapsis denudè est capta. Iudæis, qui remanserant, vt cum Arabibus confusi eam domicilio obtinerent, tradita à victore est. Eadem fortuna fuit Pacis Iulæ in Lusitaniæ sinibus sitæ, quò ciues Hispalenses se contulerant. Cæterum vi an deditioe barbarorum armis cesserit, incertum: nisi quod satis constat magnam Christianorum multitudinem diu in ea vrbe post hanc calamitatem vixisse. Non procul ijs locis Emerita erat, Romanorum olim colonia, ea tempestate inter Lusitaniæ vrbes nobilissima, antiquæque amplitudinis & maiestatis haud obscura vestigia retinens. tamen multis bellorum iniurijs deformata erat, ac postremo in eò prælio, quo Roderico Duce Hispaniæ fortunæ omnes euerse sunt, multi ciues perierant in acie. qua calamitate haudquaquam qui su-

T 4 pererant

pererant animis fracti aduenienti hosti obuiam processere. tumultus perfimilis pugna fuit, multique vtrunque ceciderunt, ac Emeritenses tandem cum numero vincerentur, & rebus omnibus inferiores essent, intra mœnia compulsi. Tum Muza quatuor tantum comitibus stipatus, antiquissimæ urbis situm & maiestatem oculis contemplatus, dixisse fertur: Ex toto orbe ad hanc urbem fundandam homines conspirasse arbitror, felicem qui eius imperio potiretur. Ea cupiditate inflammato amplius animo anxiusque, diligenter urbis expugnandæ rationes considerans, fortè animaduertit lapidicinam veterem urbi coniunctam, ob depressionem loci insidijs parandis fore opportunam. In eum ergo locum de nocte equitatus partem immittit, 10 ciues denuò prælij fortunam tentaturos haud inani coniectura reputans. Id cum sequenti luce esset factum, obsessi irruptione facta in insidias præcipitantes, à fronteque & à tergo ab hostibus circumuenti, multis cadentibus, reliqui facto cuneo ægregieque propugnantes vix in urbem euaserunt. Ea clade audacia castigata, pugna abstinere consilium fuit, atque urbis tantum mœnibus & munitione hostium vim propulsare. Obsidio ducebatur: Muzaque quietis impatiens, opera omnia comparabat, quæcunque expugnandis urbibus idonea ea tempestate habebantur. lignæ turrets extructæ, vineæque, quibus tecti milites muro succedentes lapidum compages dolabræ distrahere, atque in urbem aditum patefacere moliebantur. Obsessi locis omnibus adesse, hostiumque conatus virtute ac diligentia eludere. Erant 20 numero imminuti ciues, & comæatus angustia cœperant laborare. ergo necessario de deditioe agunt, ijs tamen cõditionibus quas victor Muza, vt erat vasto animo repudiavit. Re infecta legati in urbem redeunt, vnam salutis spem in Ducis ætate graui atque affecta collocare: vix superuicturum omnibus sermonibus prædicare, quousque urbs esset expugnata. Barbarus re intellecta, barbam & comam infecit. Legati rursus de eadem re facta ipsum conueniendi potestate percussi animis, & miraculum interpretati essecerunt, ciues vt serio de deditioe faciendâ cogitarent, ei homini qui naturæ etiam leges superasse videretur. Deditioe conditiones fuerunt. Vt 30 ciuium, qui in acie ceciderant, aut in obsidione defuncti erant, bona victori cederent. Ecclesiarum redditus, & sacrorum instrumenta ex auro & argento occuparet. Qui manere in urbe vellent, res suas retinerent: qui discedere, ijs quocunque vellent migrandi facultas esset. De tempore quo Emerita barbaris cecidit, non satis constat. Rodericus Præsul intra eundem mensem ait, quo Muza venit in Hispaniam: eodem an sequenti anno non explicat. Et constat Pacis Iuliæ atque Ilipulæ ciues nouum imperium nondum satis firmatum euerti posse cogitantes, correptis armis Hispalim occupasse, Maurorum præsidio magna ex parte cæso. Intempestiua audacia exitio fuit, maloque coacti sunt iugum impositum perferre. Abdalasisius Muzæ filius, 40 patris iter profecutus venerat in Hispaniam. Is per otium aliquando cum patre exoptulans, quod eius indulgentia nihil ea ætate suoque animo dignum gessisset, facile impetrauit, vt valida Maurorum manu attributa, virtutis specimen daret. In Valentia fines irruerat, ibique cum eius tractus incolis

incolis prosperè acie pugnarat. Valentiam, Dianium, Alicantium, Orihuelam, atque Ortam, ijs in locis ceperat ciuium deditioe ea lege: Vt à templorum sanctitate abstineret, & religionis Christianæ cultus deinde nemini fraudi esset. Res suas cuncti retinerent vectigali representato: quod magna moderatione imperabatur. His rebus peractis, huius seculi anno sextode- 7 i 6 cimo, Hispalim petens breui eam urbem in potestatem redegit, cæsis omnibus quicunque superioris rebellionis & cædis auctores extiterant. Eodem animi ardore Ilipula capta, vbi magna strages hominum fuit: fortassis etiam vt magnitudo supplicij terreret alios, solo æquata: nam ex valida urbe nostra ætate exiguum oppidum euasit Pennasloris nomine Cordubam inter & Hispalim. Rasis Arabs Emeritæ præsidium cæsum ait, Hispalensesque cum Pacis Iuliæ & Ilipulæ ciuibus conspirasse. Emerita Toletum Muza abiit. Tariffius aduenienti vltra Elboram in Carpetanis processit obuiam honoris gratia. Ad Tietarem amnem, qui Aragnueli agros interfluit, congressi sunt, magna vtrunque lætitiæ significatione: tametsi animis auersi penitus erant. Muzam inuidia stimulabat: Tariffium metus amittendæ potestatis. Accusabat enim Muza, quòd bello gerendo eius præceptis haudquam obtemperasset. fortunæ temeritate potius quàm pugnandi scientia, atque ex militari disciplina vicisse. Verùm hæc apud vulgus non probabat, 20 audacia consilia ex euentu æstimare solitum. Inter has contentiones vbi Toletum ventum est, ad rationes Tariffius compulsus, eorum quæ in bello expensa, quæque victoriæ cursu capta erant. quam ille siue iniuriam siue acerbiterat dissimulanter ferendo, accommodatisque ad tempus officijs, senis animum lenire satagebat. Omnino vtrunque conciliatis animis Cæsar Augustam petierunt, eamque urbem armis virisque potentem ceperunt. deniq; multis urbibus potiti in Celtiberia, atque Carpetanis, ac plerisque exercitu incruento, vniuersa ferme Hispania domita Maurorum armis videbatur, non toto triennio euoluto, ex quo Maurorum exercitus primum ex Africa venit: res miraculo comparanda. nam interiora regionis adiri non poterant 30 nisi magna difficultate. Iuga montium, densæ syluæ, inaccessibleque rupes, plerasque Hispaniæ partes sepiunt. Vlt Miramamolius tantis victorijs nunciatis, quas ne discordia Ducum labefactaret verebatur, vtrunque ad se venire iussit. Muza discedendi certus, & ne se absente turbaretur prouincia, consensu procerum, quorum consilio vti voluit, Abdalasisium filium, cuius ea virtutis documenta recenti memoria extrabant, pro se substituit Hispaniæ moderatorem. Cuncti ordines in eius verba iurare adacti. Ipse & Tariffius antea magni atque clari, nunc tantis rebus peractis maiores atque clariores, vt erat imperatum in Africam nauigarunt, eos thesauros prædamque omne genus exportantes, quos Gotthorum potentia iam 40 longo tempore congefserat.

*De annis Arabum.*

*Cap. XXVI.*

T 5

CVM





V M imperio mores prouinciæ, leges, institutaque mutata. Omnia colligere longum esset: quod præsentis loci est & ad cognoscendam consequentium temporum historiam confert, annorum ratione antiquata, qua vulgò Hispani utebantur in actionum formulis, publicis tabulis, historiaque conscribenda, à Christi ortu, aut Era Cæsaris ducto principio numerandi: noua ferè inuenta est, qua gens Maurica vitur, quamlatè per orbem terrarum fusa est. Mahumetes prauæ superstitionis conditor felicibus armis, Heraclij Imperatoris ignauia, Damasci, quæ Syriæ vrbs nobilissima est, imperium gentis arripuit, regiaque insignia desumpsit. quo maior esset auctoritas, leges 10 quasi cælo delatas numinisque instinctu inflatuque acceptas subditis populis promulgauit. Nihil in speciem fallacius est, quàm praua religio, vbi diuinum numen sceleribus prætenditur: nihilque potentius ad impellendum in fraudem multitudinis animos. Ab hoc tempore Mauri annos computant Egiræ, quod Arabibus nomen expeditionem significat. Quo id salutis anno contigerit auctores variant, neque in colligendo consequentium annorum numero opinionibus conueniunt. Pudenda historiæ, atque antiquitatis ignoratio. Nobis è tantis tenebris lumen veritatis eruere difficile erit. conabimur tamen quantum ingenio & diligentia consequi poterimus: paulòque altius disputationem omnem ordiemur. Annum Sol ambitu facit Zo 20 diaci signa percurrentes diebus trecentis sexaginta quinque & quadrante. mensem Luna auctu senio labore describit, idem spatium circumagens diebus viginti nouem, horis duodecim. Tempus in annos tribuere receptum est omnium gentium more, annum in menses. vnde vniuersa difficultas existit, quoniam Lunæ & Solis conuersiones multum inter se discrepantes exæquare dierum numero promptum non est, quamuis multis ingenijs & temporibus in ea inquisitione consumptis. Annum antiquissimi Romani ad Solis numerum, lationesque accommodarunt, varia inconstanti que ratione in decem menses explicatum: è quibus sex tricentum essent dierum, quatuor 30 tricenis & singulis complerentur, Martius, Maius, Quintilis, October. totus annus diebus quatuor & trecentis descriptus erat. Principium, mensis Martius, vti aliorum mensium nomina indicio sunt, Quintilis, Sextilis consequentium. Rudi seculo ingenijsque nulla eruditione expolitis in quæ incommoda incurreretur non considerabant, æstatis ferias in hyemem verti, veris in autumnum, quæ maxima perturbatio est. Arabes vnde gens Mahumetana hausit, annis describendis ad Lunæ tantum conuersiones respexerunt, duodecies per signa Zodiaci circumactæ: vnde duodecim menses conflati, sex dierum viginti nouem, triginta sex alij. vniuersus annus diebus trecentis quinquaginta quatuor descriptus. Quod institutum inter Romanos Reges Numma Pompilius imitatus est, ad antiquam anni rationem 40 quinquaginta diebus adiectis, geminoque mense, Ianuario atque Februario. Sed eueniebat longiori quidem quàm antea tempore, certissimò tamen, vt frigus æstiuus mensibus, calor hyemalibus proueniret. In quod incommodum vt gens Maurica incurrat necesse est, antiquo rudique instituto ad hanc ætatem

ætatem mordicus retento. Nam cæteris cura fuit, omnisque labor, Lunæ Solisque conuersiones exæquato dierum numero inter ipsas comparare: vnde omnis inconstantia varietasque corrigeretur, magno ingeniorum labore, successu impari. Græci octauo quoque anno euoluto dies nonaginta, in tres menses tributos effluere sinebant. Idem eorum exemplo fecere posteriores Romani, paucis tantummodo commutatis. Hebræi & Aegyptij vti erant cælestium rerum omnium præ cæteris cognitione præstantes, hanc speciem emendationis quam Intercalationem Latini vocarunt, prudentius excogitarunt, annis nouendecim, quo spatio omnis Lunæ conuersionis varietas consumitur, septem menses certis interuallis intercalantes. Iulius Cæsar Romana 20 republica oppressa ad aliquam suæ prouidentia partem pertinere iudicauit temporum rationem, quæ nimium inter Romanos perturbata erat, acriori studio emendare. Sosigenes mathematicus rerum cælestium peritissimus, Marcus Fabius scriba rerum Romanarum in consilium adhibiti. ijs adiutoribus annus quidem ad Solis numerum trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante descriptus est: eoque singulis quatuor annis dies vnus consumitur ad sextum Kalend. Martij, quem ob id Bissextum nominarunt. Lunæ ratio atque inconstantia omnis Aureo numero comprehensa est: quem ab vnitatem procedentem vsque ad nouendecim Calendario Romano 20 adiecerunt, decem & nouem annis septem Lunas Aegyptiorum instituto intercalantes. Ratio tunc commodissima visa est vt certus temporum status perseveraret: sed progressu temporis ob quasdam minutias non satis describenda anni ratione consideratas, deprehensum neutram rationem cum Solis numero conuenire. Itaque gens Christiana, quæ ex Iulij imitatione quo ad stativas quidem ferias solarem, quo ad conceptiuas autem lunarem annum sequebatur, se multum à proposito aberrare deprehendit. neq; anni initium in idem tempus incidere, neque Aureo numero, qua causa institutus erat, Lunæ exortum designari deprehendique. Eoque Gregorius. XIII. Pont. Max. salutis anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, quo 30 tempore hæc comentabamur, vtrunque errorem correxit, Aureo numero expuncto detractoque è Calendario, atque in eius locum maiori numero substituto, quem Epactas nominauit. Præterea ex mense Octobri ineunte decem dies detracti eo quidem anno sunt: quo anni solaris initium ad competentem à veteribusque descriptam sedem reuocaretur. quam ne deinceps mutaret Bissexti intercalatione certis interuallis omittenda prudenter excogitatum, atque prouisum. Verum de ijs rebus subtilior accuratiorque disputatio ad astrologos ableganda est. quod præsentis loci, atque ex vsu historiæ fore putamus, annum Mauri, vt paulò ante dictum est, vndecim diebus & quadrante nostro anno minorem faciunt: quod plerique scriptores non 40 considerantes eius computationis initium, non vno loco designarunt, ab anno salutis quingentesimo nonagesimo secundo vsque ad annum sexcentessimum vigesimum septimum mirabili ac pudenda varietate inerrantes. Cuius discrepantiæ eam extitisse causam arbitror: quòd alijs atque alijs temporibus annos Arabum cognoscentes, neque considerantes eos annos minores

nones nostris esse, retro conuersa ratione diuersa numerandi principia designarunt posteriores priora. Nobis in tâta varietate, quid potissimum sequeremur in ambiguo diu fuit. Id tamen verisimile maximè videtur, Arabum computationem inchoandam esse salutis anno sexcentesimo vigesimo secundo, Idibus Iulij, die Iouis, vti Annales Toletani testantur ante annos trecentos confecti. Quod re cum Iudæis & Mauris deinde communicata libello dicato, certa ratione conuicimus. Consentiant lapidum inscriptiones, & incorrupta vetustatis monumenta. Quamuis Roderico Præsule, & Isidoro Pacensi discrepantibus, atque eius computationis initium salutis anno sexcentesimo octauodecimo designantibus, hoc est, septimo Heraclij Imperatoris anno: plerisque in quo maior peruersio est, atq; confusio, vtriusque nationis annos exequantibus, quod fieri non debuit.

*Abdalasisij res gesta. Cap. XXVII.*



COMMENDATAM à patre prouinciam Abdalasisius prudenter gessit. Ex Africa noui imperij stabiliendi studio multum à victoribus euocati, vt latissimam prouinciam bellorum iniuria incolis vastam domicilio obtinerent. Ijs agri sedesque ad habitandum datae. Hispalis delecta Maurici imperij sedes, atque firmissima arx, vnde vniuersæ prouinciæ iura dabantur. Egilonam Ruderici Regis vxorem captiuam, tanquam belli iure ad eum pertineret, Dux Maurus euocauit. Erat ætas idonea, formæque & actionum dignitas singularis. Ipse ergo barbarus aspectu continuo captus, blandis verbis, num valeret, rogauit. Illa dolore recrudescente, atque ex superioris fortunæ memoria animo exulcerata, lacrymis manantibus, debilitataque voce: Quid de me, inquit, scire cupis, cuius calamitatis fama totum orbem terrarum peruasit, eo acerbioris, quò cunctis nationibus est testata? Felix paulò ante Regina, imperij fines ultra Hispaniam proferebam: nunc summa iniquitate fortunæ rebus omnibus spoliata, in numero captiuorum sum, eo grauiori casu deiecta, quo eram in sublimiori fastigio collocata. prorsus vt Hispaniarum suarum calamitatum oblitum, meam vnius vicem gemitu & lacrymis profertur, grauioremque malis omnibus ducant. Tu si vt generosos animos decet, Regum calamitate tangeris, in hac tua felicitate gaude venisse tempus cum regio sanguini benefacere possis. Mihi nullum maius dare beneficium potes, quàm si pudicitiam nostram, hoc est, Reginæ atque matronæ, vt magnanimi Duces solent, tuearis: neque permiseris nostram fortunam cuiquam ludibrio esse. Alioqui tua sum: de captiua quodcunque fert animus statuas. Ego si minus rebus, quoniam res ita tulerunt, perpetua certè beneficij memoria, tuæ voluntati obsequi, tibi gratificari nunquam desistam. Reginæ oratione barbari animus amplius captus est: atque adeò vt officijs omnibus & blandimentis delinitam, sibi eam connubio iungere non dubitaret. Pactam Christianæ religionis cultum & libertatem in præcipuo dum

vixit

vixit honore habuit. Erat enim forma insignis, & florentissima ætas, eaque prudentia, vt eius auspicijs rempublicam regeret, consilio, vt maior auctoritas esset, regiam coronam imponeret capiti suo. In Antequeræ agro, qua parte Malacæ fines attingit, mons surgit Abdalasisij nomine, fortassis appellatione à Mauro Principe mutuata. quemadmodum nonnulli suspicantur, à Maguedo Arabum Duce, Almagueris appellationem factam, oppido ditionis militum Diui Iacobi. Causam explicant, vicinum fontem extitisse, cuius ille aqua, quæ Arabum lingua Alma dicitur, libenter utebatur. Nec dubium est cum rebus pleraque oppidorum, montium, fluminum, fontium mutata nomina, magnamque inductam veteris memoriæ confusionem. nouas vrbes condendi, aut veteres suis nominibus appellandi gloriam Duces barbari quærebant. Quid Iuliano Comiti acciderit clam est: nisi quòd æternis supplicijs viuum mortuumque mactatum esse sceleris magnitudo, vt credatur facit. & fama exijt nullo satis idoneo auctore, Iuliani vxorem à barbaris lapidibus obrutam, filium ex Septensi turri in ora Africa datum præcipitem: ipsum perpetuæ custodiæ in Oscensis agri arce Loarri Maurorum iussu, quibus tantopere gratificari voluerat, mancipatum: vbi eius ex lapide sepulcrum extra arcis templum monstratur. Occisum ac bonis omnibus spoliatum, Rodericus Tudenisique aiunt, ipsum & Vvitzæ filios. Rerum status per hæc tempora planè erat miserabilis. Mauris vniuersa ferme parebat Hispania, vbi nullus erat cruciatus, quem à victoribus non ferrent Christiani: vxores è virorum complexu rapiebantur ad libidinem: liberi de gremijs parentum: pretiosa vestis atque ornamenta maiorum diligentia congesta impunè auferbantur. Prædiorum fructus multò quàm antea maligniores erant, irato cælo, atque agrorum cultu neglecto. recta & diuorum domicilia ignibus conflagrabant. Cæsa incolarum corpora passim iacebant in vrbibus atque in agris. omnia domi forisque fletu & gemitu personabant. nulla erat facies mali, quæ non opprimeret Hispaniam: scilicet violatas religiones numinis vindicta improborum sed & innocentium supplicijs expiabat. Cantabriam tamen, & Pyrenæi montis partem ad confines Vasconum atque Aragoniæ, Astures & Calæciæ partem multò maximam retinebant Christiani, magis quia non impugnabantur ob locorum sterilitatem asperitatemque, quàm quòd ad resistendum satis animi esset. In eas partes ex reliqua Hispania Christiani passim dilabebantur: vbi nonnulla reipublicæ forma retenta, proceres & sacrorum Principes res profligatas gubernabant. Christiani qui Maurorum imperio parebant, cum Mauris confusi essent, tunc mixti Arabes, nunc voce mutata aliquantum ab antiquo Muzarabes dicti sunt, tum ipsi tum eorum posterum. Ij religionis Christianæ libertatem retinebant, templaque ex ritu Christiano sacrata, virginum ac monachorum collegia: tametsi plerique Episcopi ne videlicet in tanta rerum colluione nominis maiestas ludibrio esset, in Calæciam aliasque regiones se receperunt. Iriæ Flauix Episcopus multis ex eo numero ad se confugientibus, redditus vnde viuerent, & decumas agrorum liberaliter suppeditauit, vt Ordonij Regis eo nomine secundi diploma declarat,

clarat, Compostellanæ ecclesiæ concessum, salutis anno nonagesimo ter-  
tiodecimo. Per hunc modum cecidit Hispania: sic nobilissimum Gottho-  
rum regnum extinctum est. Scilicet cum cælo vertuntur res humanæ. Qua-  
rum initium, earum & finis sit, necesse est. Orta intereunt, auctaque senes-  
cunt. Mili sanè eò cecidisse videtur Gotthorum regnum & gens, ut ex se-  
pultæ cineribus noua, iusta, & suis viribus nitens nasceretur Hispania, ca-  
tholicæ religionis hac tempestate præsidium & columen: quæ ex suis om-  
nibus partibus, quasi membris in vnum corpus reuocatis compacta impe-  
rium latissimum, quale hodie cernimus, Orientis atque Occidentis

10 vltimi finibus terminaret. Quo enim hæc tempore commenta-  
bamur, Philippus secundus Hispaniæ Rex potentissimus, Lu-  
sitaniæ accessione, quod felix, faustum, propriumque  
fore speramus, perduellionibus semel & iterum  
acie superatis auctus erat: & latissima pro-  
uincia post tot annorum spatia sub  
vnius Regis imperium reuocata,  
Christiani nominis hosti-  
bus esse cœperat mul-  
tò amplius quàm  
antea for-  
midabi-  
lis.

Libri Sexti Finis.

HISTO-

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER SEPTIMVS.

10 *Pelagij in Mauros rebellio. Caput. I.*



10 **N**ONDVM totum biennium abierat, ex quo furor  
ille Africanus bellum impium Hispaniæ atque nefa-  
rium indixit: cum ingens barbarorum exercitus trans-  
censis Pyrenæi montis iugis, quò ab Hispania Gallia  
dirimitur, in eam prouinciam ferro penetrauit: ut quæ  
pars Gotthorum imperio tenebatur, victricibus ar-  
mis cederet. Et opportuna occasio sese dabat, quam spe  
complexi erant, reliquæ Galliæ inuadendæ atque occupandæ, Regum so-  
20 cordia, atq; inutili otio marcescentium, non minus quàm paulò ante Hispa-  
nia fecerat, intestinis dissidijs fluctuantis atque in occasum inclinatæ. Pipi-  
nus senior, & Carolus eius filius, quamuis ex impari matre, à martia vir-  
tute cognomento Martellus, Mediomatricum & Leucorum, hoc est, Austras-  
siæ Duces, regiæ Francorum Procuratores, cum rempublicam vniuersam  
bello paceque administrarent, ad regnum cuius solum nomen penes legiti-  
mos Reges Pharamundi sobolem erat, haud obscure nitebantur, magna mul-  
torum inuidia atque obtrectatione. Familiam vnam in Gallia plus legibus  
& Regibus posse, plus reliqua nobilitate, pleriq; ægrè ferebant. Eudo Aquitania  
30 ciam in factiones diduxerat. Omnino barbaris Gallico bello implicitis, Got-  
thorum reliquiæ, qui ex calamitoso atque teterrimo communis patriæ nau-  
fragio, in Astures, Calæcos, atque Cantabriam euaserant, & locorum muni-  
tione magis quàm armis freti, summis se montium iugis tutabantur, occasio-  
nem nactæ sunt de recuperanda pristina libertate aliquando cogitandi. Fi-  
lios & vxores clam inter se conquerebantur in seruitutem abactos impo-  
tenti dominorum libidine seruire. ipsos quod extremum in calamitate erat,  
expertos non publico tantùm imperio premi, sed iustum propemodum ser-  
uitium singulos pati: omnes sanctitates tota prouincia violatas: diuorum  
domicilia, quæ belli furore incensa euerſaque, quæ post victoriam Mauricæ  
40 superstitionis sordibus contaminata: sacrorum instrumenta direpta: barba-  
ræ crudelitatis atque perfidiæ expressa vestigia locis omnibus extare. In  
Munusa, in quo præsidij aliquid esse debuit propter communem religionem  
(erat is Gegione. præfectus à Mauris) neque hominis quicquam esse, præter  
figuram & speciem: neq; Christianæ religionis, præter nomen & externum  
habitum.

habitum. præstare semel mori, quàm in tanta indignitate vitæ quæ acerbitate tandiu versari. non iam de veteri gloria, quæ temporis momento obscurata esset cogitare: neque de pristino gentis imperio, quod auersa numina extinxissent laborare: tolerabilem aliquam seruiendi rationem requirere: atque vitæ non acerbissimæ conditionem supremis votis exoptare. Hæc cogitantibus, Dux magis quàm vires deerat, qui sui capitis periculo exemplo; virtutis, reliquos per Hispaniam Christianos ad præclare audendum conandumque prouocaret. nam vt est ingenium multitudinis omnes audacter loquebantur: periculum suscipere cuncti pariter detrectabant. vigor animorum extinctus erat. Gotthorum proceres tot bellorum oppressi casibus, magna ex parte ceciderant. Vnus Pelagius vera Gotthorum Regum soboles, tametsi tot aduersis casibus iactatus erat, præcipua pollebat animi magnitudine atque constantia, neque id prouinciales ignorabant: cœperatque iam ante, ex fama rerum admiratio virtutis, & quibus ignotus facie erat, substituerant etiam animis speciem corporis amplam atq; magnificam. Commodo reipublicæ accidit per idem tempus, vt is è Cantabria, quò se post Hispaniæ cladem receperat, veniret in Astures: incertum euocatus ne, an ad rei bene gerendæ, patriæque iuandæ, sicunde se lumen ostenderet, occasionem intentus: an quia de Cantabriæ principatu plures reguli disceptabant. nam tres ea tempestate Cantabriæ Duces inuenio, Eudonem, Petrum, Pelagium. In hunc continuò omnium oculi animique coniecti, remedium aliquod tantis malis, atque opem eo Duce afferri posse non omnino desperantium, induceret modò in animum rerum summæ patrocinari. Periculi magnitudo, virium imbecillitas plerosque conturbabat: nam furori simile videbatur fore, nouo conatu, haud magna spe, denuò victricia barbarorum arma laceßere, irritare animos. Verùm quod metu facere detrectabant, casus in necessitatem vertit. Erat Pelagio foror ætate florentissima, eximia venustate. Munusa Gegione pro Mauris præfectus, puellæ pulchritudine captus, eam sibi toro iungere cupiebat: diu ignotus, repente nobilis secundas res sustinere non poterat, neque animi libidines ratione virtuteque frænare. Ergo cum Pelagij voluntate desperaret vnquam se voti compotem fore, simulata beneuolentia, per speciem legationis eum Cordubam ablegat: vbi Tariffius erat magni nominis Dux, cum nondum redijisset in Africam. Pelagij discessu, facile optato coniugio potitus est. Fœditate cognita Pelagius, cum obita legatione reuertisset, ex compressæ sororis ignominia, suæque familiæ dedecore, quantum doloris ceperit, quantis iracundiæ flammis arserit, de suo sensu quiuis æstimare potest. nec iniuriæ magis magnitudo vrebatur, quàm quòd in ea rerum perturbatione, vltioni de viro præpotente, quique arma teneret, sumendæ parem fore se non sperabat. Cogitationem in omnes partes versanti optimum fore visum est, dum se comparat, & vindictæ occasio sese offert, silentium tenere, doloremque comprimere: & lætitia ad tempus simulanda, fraudem fraude eludere. Itaque recepta sorore in finitimos Astures aufugit, vbi studia gentis erant, & propensæ vniuersæ prouinciæ voluntates. Munusa rei nouitate perculsus, veritusque ne à paruis inijs latius serperet

serperet rebellionis malum, Pelagij conatus Tariffio renunciat. missi Corduba milites, Pelagium nondum viribus satis confirmatum facile cepissent, ni periculum indicio facto, celeri fuga euassisset: admissoque equo, vicinum fluuium nomine Pioniam tranasset, aquis inundantibus rapidum: quod illi saluti fuit, hostibus qui ijsdem vestigijs insequerentur eo facto delusis: cum certissimum vitæ periculum adire, Pelagij capiendi causa tanti non esset. Ad Canicæ vallem (Cangas hodie dicimus) ex fuga euasit. Ijs in locis egentium & profugorum delectus habitus vndique confluentium ad spem recuperandæ libertatis. nam hostes maiori numero affuturos propediem, nemo dubitabat. Multi vltro nomina dant: tanta erat cupiditas Pelagio auspice, pro patriæ salute suaque libertate certandi. Plerique metu hostium suorumque minis fracti, atque ancipiti periculo permoti, siue vincerent, siue vincerentur Hispani, ne alterutris prædæ essent, necessitate arma induunt. Astures ferme omnes in sententiam perducti. Hortatur in concilio gentis, vt magno animo communis causæ patrociniū suscipiant, priusquam barbarorum imperium vetustate amplius confirmaretur in Hispania, quod ipsa sua nouitate nutabat. Celeritate, inquit, & audacia opus est, vt qui causa superiores sumus, hostes virtute vincamus. Ciuitates singulæ modo dico Maurorum præsidio tenentur: ciuium multitudo nostra est, omnesque viri fortes tota Hispania nauare nobis operam & studium cupiunt: nemoque erit (quem quidem Christianum nominare fas sit) qui non continuò in nostra castra se conferat: tantisper modò sustentemus, & recuperandæ libertatis spem in nostrorum animis audacia & virtute alamus. Hostium exercitus in varias manus dissipatus est. pars multò maxima in Galliam abiit. Nunc animis & virtute audendum: nunc pro veteri belli gloria, pro aris & religione pugnandum, pro liberis, vxoribus, propinquis, & necessarijs, qui indigna & grauissima seruitute premuntur. Eorum calamitates, nostrasque ipsorum ærumnas & pericula memoria repetere graue est, oratione recensere, prosequi lacrymis vanum: opem aliquam & remedium adhibere salutare. tantum vos viros esse ostendite ex nobilissimo Gotthorum sanguine prognatos. Secundæ res voluptatesque debilitarunt, & iniuriæ opportunos præbuerunt: nunc asperæ & profligatæ acuant. An belli pericula adire graue est? at multò illa grauiora, liberos, coniuges in seruitutem abstrahi, immensæ hostium libidini seruire, (ò magnum atque intolerandum dolorem, ò grauem acerbamque fortunam) vos ipsos interfici, quod sit necesse victis accidere. An priuatarum rerum amor, & otij cupiditas tenet? erratis si publica oppressa singulorum fortunas stare posse putatis. Incendij vis, mihi credite, velut ex continentibus rectis in alia traijciendo cuncta pariter stabit. An locorum munitione confiditis? sed neque desides & otiosos hæc motium claustra tuebuntur. nec si maximè hostes cessabunt, tantam multitudinem quanta se in hæc loca recepit, solum sterile, & rebus omnibus indigens alere potest. An paucitas nostra despectui est? sed præteriti temporis memoria,

ria, & ancipites bellorum casus victoriam non numero stare, sed virtute satis declarant. Deo cuius numen ante irritauimus, & nunc placidum confidimus, facile est numerosas hostium copias paucorum armis prosternere. Tolerabili fortasse conditione, ut in malis hosti seruire consultius fore putatis? quasi perfido hominum generi vlla foedera sancta sint, fideique constantia sit à barbara gente expectanda. Cum hominibus enim crudelibus nobis res est, an cum feris & immanibus belluis? Ego quidem, vobis adiutoribus laborem & periculum graue quamuis & maximum, suscipiam tamen pro communi salute libentissimè: & dum vixero hostis ero, non barbaris magis, quàm si quis ex nostra gente arma conferre & sacram militiam suscipere recusabunt: nobiscumque aut vincere aut mori non malint, quàm in tanta vitæ acerbitate, ignominia, & calamitate versari: & suppliciorum magnitudine sanciam, ne hostes maximè metuendi ignauis esse videantur. Hæc dicentem singultus & gemitus eorum qui aderant sæpe interturbarant. præsentium impendentiumque malorum imagines ante oculos inerrabant. mœrori par metus. Verùm cum ex aliquanto spatio respirassent, animosque ad nonnullam spem melioris fortunæ reuocassent, sanctissimo iureiurando bellum in Mauros sanciant. Nullum periculum communis salutis causa recusaturos pollicentur. profitenturque principes ex omnibus bellum barbaris illaturos. Omnibus suffragijs Pelagius ipse belli Dux, atque Hispaniæ Rex creatur, salutis scilicet anno septingentesimo sextodecimo, tametsi nonnulli huic annorum numero biennium addiderunt. Ab hoc initio ipso tempore, quo impietas armata per vniuersam ferme Hispaniam impunè vagabatur, furor & audacia passim volitabant, & res communes propemodum desperatæ erant: nouum regnum in Hispania auspiciò in perpetuum fundatum est, signumque ad bene sperandum afflictis & oppressis prouincialibus sublatum. Tanti nonnunquam est non deesse fortunæ, & oblata casu sapienter flectere ad consilium. Calæci & Cantabri, quos Oceanus ad Septentriones alluit, & locorum asperitate Asturum exemplo confisi, libertatem magna ex parte retinebant, ad belli societatem adiuncti sunt. Missæ præterea occultæ legationes, vrbes quæ in Maurorum ditone erant sollicitatum obrestatumque ne communi causæ deessent: suorumque potius conatus, rebus & consilio iuarent. Nonnulli ex vicinis locis in Pelagij castra dilapsi sunt, communem belli fortunam rursus subire atque tentare certi. Plerique noui Regis despectu, metuque maioris mali, citra discrimen rerum suarum belli spectatores esse mallebant quàm pars, ex fortuna consilium sumpturi. Pelagius haud ignarus quanto in periculo res essent, primisque euentibus considerans metum aut fiduciam gigni, cupidusque noui imperij sancienti auctoritatem: de Mauris prædas agere, locis omnibus instare, vrgere, carpere hostes, & trucidare, oppida & vrbes Asturum inuisere, suaque præsentia & oratione dubitantes erigere, audaces in fide confirmare, magna diligentia quæ subsidio essent conferre

conferre vndique & comparare: nullique labori parcere, quò susceptam semel regij nominis maiestatem inter suos tueatur, & aduersus barbaros, quos continuò tanquam ad restinguendum incendium affuturos minimè dubitabat. Inerat animo vigor, atque ad labores perferendos ætas idonea: formaque corporis non cultu conspicua, sed virilis verè atque militaris.

*Mauri vincuntur à Pelagio. Cap. II.*

10



ALCHAMA Mauricæ militiæ Magister, magnique in ea gente nominis Dux, ex Africa cum Tariffio venerat, quo primum tempore transmissum est in Hispaniam: & superioribus bellis omnibus virtutis specimen dederat singulare. Is Asturum motibus nunciatis, Corduba accurrit ad seditionis initia comprimenda: ne videlicet tempore & dissimulatione viresumeret & confirmaretur audacia. Alchamam iustus exercitus sequebatur ex vtraque gente conflatus scilicet. Oppas Hispalensis Præsul socius adiunctus: ut pro ea sacerdotij, quaungebatur auctoritate, & pro ea necessitudine, quæ illum inter & Pelagium erat, temerè tumultuantes arte & ingenio, quo valebat maximè, ad sanitatem reuocaret. vanam sine viribus esse audaciam doceret: suo quemque periculo furere. viros prudentes admoneret non tam belli initia quàm exitus considerare consueuisse. si quæ Munusæ aut aliorum Præfectorum iniuria extaret, præstare legibus iureque agere apud Mauros rerum dominos, qui quod iustum fasque esset nulli vnquam denegassent. Arma sumere, vimque importunè intentare, conatu temerarium esse: euentuque haud dubium fore cunctis exitiale. Alchamæ aduentu ingens animos Christianorum militum metus incessit. & ut fit, audacissimi ante discrimen, in ipso discrimine ignauissimi omnium esse videbantur. ex superiori rerum memoria barbarorum vires & perpetuam felicitatem formidabant, & feruorum in morem vix videbantur hostium conspectum laturo. Venerat in periculum summa rerum. verùm deserta omnia sine præsidio, sine viribus, sine consilio, diuinum numen, diui tutelares Hispaniæ, Pelagij virtus atque prudentia tutata sunt. Inermem enim aciem & ipso fluctuantem timore, hosti tantis victorijs ferocienti obijcere cum temerarium fore iudicaret, militibus cæteris per vicina loca dissipatis, delectos tantum ex omni copia mille viros retinet. cum ijs in Ausenæ montis speluncam locis spatiosam se condit, cui hodie speluncæ Sanctæ Mariæ de Couadonga nomen est. Comparat indies multos com meatum, arma telaque comportat: ut si latebræ patefactæ essent, obsidionem tolerare, & si casus ita ferret, ex eruptione etiam pugnare cum hoste posset. Mauri Pelagij fuga consilioque indicato, fugientis vestigijs insistant. Breui ad speluncæ aditum ventum est. Concordiæ viam tentare primum placuit, ne cum

V 2

despe-

desperato hominum genere in locorum angustijs pugnare necesse esset. Oppas Præful rei perficiendæ curam sumit, factaque inter se colloquendi potestate, ex mulo quo vehebatur, cum prope accessisset, in hunc modum allocutus fertur: Quanta, Pelagi Princeps, nostræ gentis gloria fuerit, neque tu ignoras, & hoc tempore à me commemorari superuacaneum esset. Magnam orbis partem armis peruagati, quondam Romanis rerum dominis abstulimus Hispaniam: nationes feræ & barbaræ virtute nostra subiugatæ sunt. Maurorum ipsi armis nuper victi concessimus: & ad exemplum inconstantia humanæ felicitatis, è rerum fastigio in quo paulò ante eramus collocati, in supremas calamitates & maximas præcipitauimus. Qui rebus integris victi sumus, num perditis & profligatis pares erimus? Speluncæ credo munitione, in qua pauci latronum in morem inclusi estis, & tanquam feræ indagine cinctæ tenemini, numerolum hostium exercitum, in quo sexaginta millia homines sunt nihilominus, arceri posse speratis? Obcæcat nimirum animos Deus nostræ nationis sceleribus irritatus, sanguineque necdum satiatus. quod præliorum euentus illis prosperi, nostris aduersi nisi satis declarassent, importuni isti conatus docere potuerunt. Quin istam mentem abijcitis: & dum clementiæ aditus interclusus non est, dum veniæ spes superest, armis continuò positis ignominiam, seruitutem, interitum temeritatis scilicet mercedem, honoribus & præmijs, quæ vobis polliceri possum maxima mutatis? & vniuersæ potiùs Hispaniæ iudicium & exemplum sequimini, quàm animi sine ratione impetum, & cæcam temeritatem? Ad hæc Pelagius: Tibi, inquit, & Vvitzæ fratri, eiusque liberis diuina vltio metuenda est: tametsi ad breue temporis spatium res ex sententia fluant. Vestris sceleribus diuinum numen irritatum est. omnes tota prouincia sanctitates contaminatæ. leges ipsa vetustate sacrosanctæ refixæ. Ab his gradibus eo furoris progressi estis, vt Mauros feram gentem & immanem attraxeritis in Hispaniam: vnde tot clades acceptæ, & tantum Christiani sanguinis effusum est. Pro quibus sceleribus, si quidem res humanas Deo curæ esse arbitramur, vti mortuique pœnas grauisimas dabit. Tu omnium maximas, qui personæ quam gerebas oblitus, horum malorum præcipuus & maximus auctor fuisti: & modò impudenti oratione hortari ausus es, vt denuo seruitutis iugum ceruicibus accipiamus, quavis calamitate grauius. hoc est, vt ego interpretor, superiores acerbitates & mala, quibus vexati sumus, denuo subeamus. Hæc, hæc illa præmia sunt magnifica, hi honores ad quos nostros milites inuitabas. Nos Oppa neque tam auersas diuinas aures, & animum à rebus nostris esse putamus, vt tuis pollicitis fidendum sit: & Deum supplicij acerbiter speramus, vt solet, continuò commutaturum benignitate. Quod si nondum satis pœnarum datum est, supplicesque & præsidio indigentes periculo eripere noluerit: stat sententia morte obita præsentis calamitates redimere, & durissimam seruitutem sempiterna (sic speramus) felicitate mutare. Pelagij oratione intellectum est obfirmato animo,

aut

aut moriendi aut vincendi obsessos esse: quando omnibus circumuenti malis, præterea Oppæ verbis vltro prouocati deditioem facere recusabant. vim ergo & metum adhiberi placuit. Speluncæ aditus telorum omne genus & lapidum procella quassatur. in quo vis numinis apparuit nostris propitij, infensi hostibus. Sagittæ & lapides missi reflecti in iacentes visi sunt: ipsosque barbaros reuoluta in auctores tela magno numero vulnerare trucidareque. Tanto miraculo hostes attoniti. Christianis cum spe victoriæ pugnandi ardor incessit. Erumpunt ex latebris pauci numero, eluuiæ corporum fœda acies: pugnam magnis animis inuadunt. tumultus persimilis dimicatio fuit. Hostes incussa diuinitus formido debilitauit, continuòque in fugam versi. cæsi supra viginti millia. reliqui ex Ausenæ montis fastigio, quod fugæ initio occuparunt, in Libanensem agrum delati ad Deuæ fluminis ripam prope prædium, cui ab euentu (sic arbitror) Causegadix nomen fuit, montis vicini parte sponte conuulsa ab imo atque collapsa in subiecti fluminis aquas præcipitarunt. Strages armorum atque ossium ijs in locis effossæ relectæque, quo præsertim tempore hibernis pluuijs augentur aquæ, ripasque exedunt, diu cædis indicio fuisse memorantur. Pauci cladi superfuere. Alchama in pugna perijt. Oppas Hispalensis Præful in potestatem venit: de quo more militari supplicium fuisse sumptum, tametsi historici sileant, scelerum magnitudo indicat, & de rebus ipsius deinceps silentium in historia. Munus tantæ victoriæ nuncio percussus animo, & Gegionis munitione diffusus ob alienatas ciuium voluntates, fuga euadere conatus ad Olaliem vicum ferro incolarum occubuit. Eius cæde non publicæ tantum iniuriæ vindicata, sed etiam priuatus Pelagij dolor ex accepta ignominia mitigatus: nihilque de victoriæ lætitia diminutum, si cuius crudelitate irritati arma ceperant incolumis euassisset. Pugnatum est salutis anno septingentesimo octauodecimo. Quo tempore in Africa Muza criminibus à Tariffio æmulo apud Miramamolimum circumuentus, & ad accepti expensique in bello Hispaniensi rationes adductus, cum ingenti pecunia multatus esset, ignominia dolore obiit. Abdalasisius eius filius cum Hispaniam annos tres pro Mauris gubernasset, inuidiam prouincialium & suæ gentis incurrit: quod principum filias magno numero vitiaisset. Itaque in ipsis templi adytis, vbi ex ritu gentis precibus vacabat, suorum ferro perijt anno septingentesimo nono-  
7 1 9  
decimo. Fama tenuit Egilonæ coniugis insidijs circumuentum, cum tæderet conditionis, atque præ alijs quas vir amabat contemptui se haberi cerneret. Eius suasu, vt tradunt alij, regia insignia suscepta malo fuere, & cultui corporis vitæ fastus & actionum superbia consentanea. Cædis præcipuus auctor Aiub genere propinquus rempublicam gessit in Hispania mense vno, Calataiubæ conditor, vti Rodericus Præful ait, quod est in Celtiberis municipium præclarum. Successit Miramamolini Zuleimani iussu (is Vlit fratre defuncto Maurorum imperium obtinuerat,) Alahor in Abdalasisij locum subrogatus Hispaniæ bello paceque gubernator, homo ferus & barbarus in Mauros æquè ac Christianos: ciues

V 3

enim

enim Cordubenses bonis evertit: rapinarum cupido idonea ipsi iniuriæ faciendæ causa videbatur. de Mauris quæstiones habitæ, qui primi venerant in Hispaniam, & deuictæ gentis spolijs se contaminasse interpretabatur. Hunc memorant Hispali sedem imperij Maurici Cordubam transtulisset atque cum Iuliani & Vvitizæ filiorum fraude, cladem in Asturibus acceptam suspicaretur, bonis eos spoliatos omnibus peremisse. mercedem nimirum actionibus consentaneam & vitæ, patriæ proditores reportare æquum erat.

*Reliquæ Pelagij actiones. Cap. III.*



**S**ERAT Christianæ rei cursus in Hispania, vt in bonis aduersus, vt in tantis tenebris tantaque aduersariorum potentia non incommodus. & parta de Mauris victoria Pelagus non modò in Asturibus imperium firmavit, vbi eatenus se tenuerat: verum in subiectam planiciem delatus, Mauricæ dittonis oppida, igne, ferro, & direptionibus vexabat: auctusq; indies viribus, nam multi rerum gestarum fama permoti in eius confluebant castra, Legionem urbem ad montium radices positam, eorum qui à Calæcis Astures dirimunt, vi expugnatam suæ dittonis fecit eius seculi anno vigesimo secundo. Quo ex tempore se Legionis Regem dixisse nonnulli arbitrantur: resistunt alij, cognoscendæ antiquitatis studio maiori, quibus veteres prisorum Regum tabulæ fauent, confirmantq; priores Principes Pelagium & posteros Oueti tantum Reges fuisse nuncupatos. Fauent vetera horum Regum sepulcra Oueti, alijsque in Asturibus locis constituta, ante Hordonium eo nomine secundum, qui primus se Legionis Regem dixit: & in ea vrbe templum D. Mariæ Maioris nomine, quod ab imo totum extruxerat viuens, sepulturæ moriens delegit. Illud maiore aliquanto fide traditur: Legionem capta, prisca Gotthorum Regum insignia Leonis rubra effigie mutata, in clypeo argenteo cælati, in pedes erecti, atque diducto rictu formidabilis. Quocunque ab initio susceptum, in morem certè abijt ad vsque nostram ætatem: & est idem lingua Hispanorum vernacula Legionis & Leonis nomen: vnde erroris occasio viris arma tractantibus à litterarum studijs abhorrentibus. Res Christianorum ad hunc modum resurgentes, multum iuuit Alfonso virtus, eius cui regnum adepto Catholico cognomen fuit. Petro Cantabriæ Duce patre, ex nobilissimo Reccaredi Regis sanguine satus erat. Præterea Egica & Vvitiza Regibus ordines duxerat iunior: & nunc reipublicæ iuuandæ studio incensus, relicta patria patreque, suo aduentu piorum animos auxit viresque, cum Cantabrorum valida sequeretur manus. Omnino Ormisinda Pelagij filia Alfonso nuptui data: eoque connubio amplius vtriusque Principis animi perpetuo fœdere conciliati. vnde Hispaniæ in posterum Regibus origo generis, perpetuæ propago, & tunc breui maius operæpretium factum. Gegio loci natura & munitione firmissima, Asturica, Mansilia, Tineus, aliaque in Asturibus & Calæcis oppida Mauris

Mauris erepta (inde Pelagium & posteros Gegionis Reges dictos suspicamur, alijsq; occasionem extitisse hos Reges Legionis vocatos existimandi, vnus permutatione litteræ). Incolæ cum religionis Christianæ cultores essent, & Pelagij rebus naturæ impulsu fauerent, cæsis pulsisque Maurorum præsidijs, erectique passim ad spem recuperandæ libertatis, vrbes & oppida cupidissime dedebant. Accidit magno rei Christianæ commodo, Mauros in diuersa Hispaniæ parte magnis bellorum motibus, quæ ex alijs alia nexa aptaque excitabantur, implicatos teneri: ne iusto comparato exercitu Pelagij conatibus obuiam iretur. Etenim Zuleima defuncto, Homarus & Izit filij Vliti, ex patru adoptione Maurorum latè patens imperium Asiæ, Africa, atque Hispaniæ obtinuerant, nouo exemplo inter Mauros atque haud scio an satis probabili, exæquata duorum potestate. Homarus intra primum imperij annum ex morbo defunctus est. Izit solus rerum potitus, Zamam præfecerat Hispaniæ, magno virum ingenio, magnoque rei militaris vsu, neque minori quàm superiores auri cupiditate. noua & grauiora quàm antea vectigalia captiuis vrribus imperata. Narbone in Gallia militare præsidium constitutum. Tolosa Gotthici olim imperij in ea prouincia sedes circumfessa. In ea obsidione, Eudonis Aquitaniæ Ducis superuentu, barbarus acie victus & cæsus est. exercitus in prælio fugaque magna ex parte trucidatus. qui superfuerunt cladi, obsidione cōtinuò soluta, dum ex Africa nouus Præfectus veniret, Abderrahmanum in occisi Ducis locum cooptarunt domi militiaeque clarum: qui tantisper res inclinatas, virtute & prudentia sustentaret. Missus quamprimum aduerso gentis casu nunciato Aza (alij Adham scribunt) Mauricam reipublicam in Hispania Iziti Mirama molini vicarius suscepit gubernandam. Hic prouinciam tantis fessam malis, nouis calamitatibus exagitauit. vectigalia multo quàm antea acriora imperata. exhaustis prouidebatur scilicet populis, ne ad rebellandum facultas esset, quibus studium erat & cupiditas rerum nouarum. prorsus vt oppidis & vrribus, quæ per vim superioribus bellis capta erant, quintam redituum & prouentuum omnium partem, in regium ærarium inferre quorannis mandaret: decimam illa oppida quæ ex deditone in Maurorum potestatem venerant. Ea conditione Christianis incolis datum prædia & possessiones pristinas quasi mancipij iure retinere. Rasis Arabs à Mauris ait, quintam bonorum omnium partem exegisse, specie quidem pauperum, quorum erat tota dittonne innumera multitudo, inopiam subleuandi: re vt viribus debilitari, haudquaquam se commouendi facultatem haberent. Cordubæ pontem exedificandum curauit. Hispaniæ tractum monti Cauno adiacentem bello oppressit, (nonnullæ enim vrbes veterem libertatem mordicus retinebant) Turiasonem vi captam solo æquauit. Tantis rebus intra biennium & menses sex in prouincia perfectis ferro suorum, quorum inuidia maxima flagrabat, ex insidijs Dertusæ occubuit, Ambiza, Odra, Iahea, successoribus, vt Rodericus Præsul est auctor: vt ego interpretor, Hispaniam eodem tempore tripartitò, cum in nullum vnum totius gentis voluntates conspirarent, aliquandiu gubernarunt: aut singulorum imperium paucorum mensum fuit.

Conuenit Izito Imperatore in Asia defuncto, Iscamum eius fratrem in im-  
 perio successisse ea lege, ut Abulit Iziti filium successorem ipse, ut fecit, ado-  
 7 2 4 ptaret. Maurorum imperium obtinuit salutis anno septingentesimo vigesi-  
 mo quarto, imperij Arabum centesimo septimo, iuxta Roderici Præfulis  
 computationem in historia de Arabibus, virosq; annos Christianorum atq;  
 Arabum, quod faciendum non fuit, exæquantis, ut alio loco monstratum est.  
 Tenuit autem imperium vno de viginti annis, merito rerum gestarum ac  
 perpetua felicitate, ipsaque ditionis amplitudine clarissimus: nisi cæteras  
 virtutes congerendæ vndique pecuniæ auiditas immensa foedasset: vnde  
 maiores opulentia vicit, subditorum odium incurrit grauissimum. Rerum 10  
 potente Iscamo, Odayfa, Himenus, Autuma, Alhaytanus, Mahomad, dein-  
 ceptus eius iussu, fama non eadem Hispaniam pro Mauris gubernarunt. Singu-  
 7 3 1 lorum vix annum imperium fuit: Mahomadis bimestre tantum. Nam salu-  
 tis anno septingentesimo trigesimo primo Abderrahmanus subsecutus est,  
 fortassis ille de quo paulò ante commemoratum est. Huius Præfecti res ge-  
 stas, quoniam maiori fama celebrantur, & prospero tandem nostris exitu ad  
 memoriam iucundæ sunt: compendio explicare operæpretium fore arbi-  
 tror. Bello bonus habitus ad cætera, quibus nemo ex Maurorum gente per  
 eam ætatem instructior Dux fuit. immite tantum ingenium, imperiumque  
 graue, non magis Hispanis, quam genti suæ temporum licentia vitijs om- 20  
 nibus deprauatæ. Ea res odium illi multorum conciliauit: Munizio viro  
 acri atque præpotenti inter Mauros, occasionem suppeditauit nouorum mo-  
 tuum. Gallia Gotthica longinquitatis opportunitate vsa, & acerbitate Præfe-  
 ctorum prouocata, Munizij auctoritatem secuta est. in Hispania ad Pyrenæi  
 montis iuga Ceretani. Eudo Aquitaniæ Dux, cum Francorum æquè ac Mau-  
 rorum arma fatigarent, in foedus attractus. Hunc ego Eudonem illis tem-  
 poribus grauem, & strenuum atque sapientem virum comperio: nisi quod  
 religione prohibebatur, nefasque Christianorum legibus semper est habi-  
 tum, partium studio, vincendi cupiditate, Munizio filiam suam connubio  
 iunxisset, iæcti scilicet foederis confirmandi causa: quod illi coniugium non 30  
 ignominiosum tantum fuit sed etiam infelix. Abderrahmanus enim Muni-  
 zij conatibus cognitis, & prouinciæ tumultu renunciato, in extremos Hispa-  
 niæ fines meuit: circumfessumque hostem in Ceretania vrbe, cum neque  
 fuga euadere liceret, neque salutis spes esset si in hostis potestatem viuis  
 venisset, vitam præcipitio finire compulit. Vxor florenti ætate, formaque  
 lectissima, occisique viri caput in Africam missa: grata nimirum summo  
 Maurorum Imperatori munera. Munizij casu plerique interpretabantur,  
 iniurias vindicatas in religionem Christianam, multusque gentis Christia-  
 næ sanguis barbara immanitate effusus: ac nominatim, quod Anabadum  
 Episcopum in ætate vigente prisca moris virum, igne combussisset. Abder- 40  
 rahmanus ex ea victoria animo elatior factus in Galliam irruit, belli terro-  
 rem Gotthis & Francis circumferens, quam latè nobilissimæ prouinciæ fi-  
 nes patent, secundum Mediterraneum mare Rhodanum vsque progressus.  
 Arelatum vrbe eo tractu primariam obsedit. ad eam vrbe cum Eudone  
 qui

qui obuiam processerat, signa collata. Vicere barbari. nostrorum cædes tan-  
 ta, ut nulla ea ætate maior. Ossium cumuli diu ad eam vrbe extantes, cladis  
 quanta esset indicio fuerunt. Conuerso deinde in læuam itinere, magnamq;  
 Gallia partem emensus victricibus armis, in Aquitaniam irruit. & Garum-  
 na transmissa, Burdigalam ad Oceanum mare incenso agro, dirutis templis  
 euastat. Ijs in locis rursus ab Eudone, cum vires reparasset, dimicatum ad-  
 uersus communem Christiani nominis hostem. Eadem prælij fortuna fuit,  
 nostris aduersa, Mauris secunda. Engolismenses, Petragorij, Sanctones, Pi-  
 ctionesque eadem belli flamma vexati. Verte batur in eo bello discrimen re-  
 10 rum Christianarum. quis enim domitores Asia atque Africa, & Gottho-  
 rum nuper imperio deleta formidabiles, æquare viribus posset? Quis aude-  
 ret certaminis aleam subire? cum inuictis barbarorum robore pugnare? Ipsa  
 nominis fama, atque rerum gestarum claritate, percussæ cæteræ nationes  
 erant, ac propemodum subiugatæ. Communi periculo permotus Carolus  
 Martellus, regia Francorum ea tempestate Magister, magnis delectibus ha-  
 bitis Germaniæ, Austrasiæ, & Gallia numerosam pubem armat: multi spon-  
 te nomina dant tanti incendiij restinguendi studio inflammati. Cum his co-  
 pijs hosti procedit obuiam pugnandi certus. Turones peruentum, vrbe  
 D. Martini sano nobilem, lætissima cæli agriq; facie, vbi spirant identidem  
 20 Fauonij atque Austri, & tunc Aquitaniæ contributam. Ligerim fluuium, ad  
 quem est sita traiciunt, ut pro munimento à tergo esset: ne hostium multi-  
 tudine circumueniri possent, qua superabantur: vincebant ipsi causa, virtu-  
 te, & scientia pugnandi. Ijs in locis caltra posita. Eudo simultate, quæ illi cum  
 Martello erat, patriæ caritati condonata, & est timor externus maximum  
 concordia vinculum, cum Francis vires & copias iunxerat. magno id adiu-  
 mento ad victoriam fuit. Franci scriptores Maurorum copias Eudonis ac-  
 citu, quod nimirum Martello æmulo ægrè faceret, in Galliam tam longè  
 penetrasse affirmant: & nunc eorum perfidia commotum, qui Aquita-  
 niæ euastassent nullo foederis respectu, mentem mutasse. historici Hispa-  
 ni silent. gratia aut odio nationis Hispanicæ alterutrum datum interpreta-  
 30 bamur, (Nam Eudo in Cantabria principatum obtinebat, Aquitaniam do-  
 talem habuerat) quid potissimum in re dubia sequeremur incerti: nisi  
 quod prælia duo, quibus cum barbaris decertasse monstratum est, Eudonis  
 voluntate haudquaquam in Galliam immissam eam gentem, contra quam  
 fama obtinuit, suspicari libet. Barbarorum aduentu, totis vtrinque viribus  
 dimicatum. Mauri ad quadringenta millia hominum erant, Gallia fertili-  
 tate cum vxoribus & liberis, ut est genus hominum vagum, ad mutandas fe-  
 des inuitati. Ingens omnium expectatio erat, par metus. concurrunt inter  
 se acies, pugnatur vtrinque acriter, consistunt agmina. diu anceps victoria  
 40 fuit. demum Christianorum virtute hostium multitudo victa est. Trecenta  
 septuaginta quinque millia ex eorum exercitu cæsa. Abderrahmanus ipse  
 inter occisorum corpora repertus victoriæ lætitiæ auxit. ex nostris mille  
 quingenti desiderati, pauci quidem & minor quam pro tanta victoria nu-  
 merus: verum promptissimi quique, factisque & generis nobilitate clarissi-  
 mi.



mi. Hic dies lætissimus Christianis illuxit, non tam victoriæ præsentis fructu, etsi clarissima fuit: quàm quòd esset documentum datum, inuictam cætenus gentem nostrorum virtute superari posse. In eo prælio Eudonis maximè virtus Martelli etiam confessione enituit: qui in ipso pugni ardore ut erat ante constitutum, cum expeditis aduolans prius pene hostem circumuentum à tergo adortus est, quàm eius agmen conspici posset. Pugnatum est salutis anno septingentesimo trigésimo quarto. agebaturque vigésimus primus, ex quo amissa erat Hispania. Quo tempore Orientis imperium Constantinus cognomento Copronymus obtinebat. Ex Eudonis ad Romanum Pontificem Gregorium tertium (plerique secundum dicunt: nos in ratione annorum Isidorum Pacensem huius ætatis scriptorem sequimur) litteris Romæ cæsarum numerus cognitus. additumque tres spongas, ut pro amuleto essent, sacra Pontificis precatone lustratas, missasque ad Eudonem, cum dissectæ & inter milites distributæ essent, ad vnum omnes qui particulas tenerent, incolumes ne leui quidem accepto vulnere perstitisse: quod miraculi instar est habitum. Abdelmelicus in Abderrahmani locum subrogatus, pro Mauris Hispaniam quatuor annis proximis gessit, nulla re præterquam sæuitia memorabilis: & quoniam reflorescentem rempublicam quæstui habuit: quod non modò turpe est in Principibus, & multitudinem gubernantibus, sed sceleratum atque nefarium. Galliam tentare iussus ad Pyrenæi montis iuga multis suorum amissis, retrò redire compulsus est. Quo tempore atque adeo eius seculi anno trigésimo septimo, Pelagius Hispaniæ Rex annis grauis, rebus gestis clarissimus Canicæ defunctus est. in S. Eulaliæ Velaniensis, Canicensis agri, quam ipse ædem exædificandam curarat, extincti funus illatum. vbi & vxor Gaudiosa nomine sepulta est. Pelagij filius Fauila, à patris obitu regnum nemine repugnante obtinuit: regnavit duobus annis, infelici exitu & morum leuitate magis nobilis quàm clarus. Venationi enim nimio plus deditus, cum tantum belli esset in manibus, nouumque regnum imbecillitate magis hostium & perturbatione quàm nostrorum virtute stare: reipublicæ curam negligere visus, priuatasque voluptates rebus comunibus potiores arbitrari, ab vno quem inter vendendum auidius insequeretur, dilaniatus est, nulla neque vitæ neque mortis gloria. in Sanctæ Crucis templo, quod in Canicensi agro extruxerat, tumultatus est: vbi & Froleuæ vxoris sepulcrum olim extabat. Iulianus quidam diaconus natione Græcus, in vtriusque linguæ cognitione non impar, antiquitates Hispaniæ atque Pelagij res gestas, per hæc tempora Toleti litteris illustrabat. auctor est nō nemo. Urbanus Toletanus Præsul in extrema & præcipiti ætate, Euatius eius Ecclesiæ Archidiaconus, Fredoarius Accitanus Episcopus, viri præstantes atque præclari in ea rerum omnium caligine, velut stellæ inter obscuræ noctis tenebras, morum sanctitate, & sapiētiae laude micabant. His æqualis Ioannes Hispalensis Præsul diuinos libros lingua Arabica donabat vtriusque nationis saluti cōsulens: quoniam Arabicæ linguæ multus vsus erat Christianis æquè atque Mauris, Latina passim ignorabatur. eius interpretationis exempla ad nostram ætatem conseruata sunt, extantque non vno loco in Hispania.

*Alfonfus*

*Alfonfus cognomento Catholicus. Cap. IIII.*



**A** V I L A sine prole defuncto Alfonso & Ormisinda, ut erat postremis testamenti tabulis à Pelagio mandatum, Reges renunciatum sunt, magna gentis lætitia, optimo publico. Erat Alfonso belli & pacis artibus peræquè instructus, animi constantia rebus aduersis, & perpetua rerum gestarum felicitate admirandus, religionis cultor eximius: vnde Catholicus cognomen accessit. quod Reccaredo olim Regi, quo tempore vniuersam Gotthorum gentem repudiatis Arii opinionibus, in catholice ecclesiæ castra reuocauit, in Toletano Episcoporum conuentu acclamatum, intermissumque multis ætatibus, Iulius eo nomine secundus Pontif. Max. in Ferdinando Aragonio Hispaniæ Rege instaurauit, effecitque ut consequentibus Regibus proprium hereditariumque esset. Florebat quidem eo tempore Hispania pacis optimæ bonis, quantum Africa & Gallia bellis ciuilibus æstuabant. Eudonis fato functi principatum in Gallia, Carolus Martellus armis præsidijque occuparat. defuncti filij Aznar, Hunnoldus, & Vaiferus paternæ similitudinis hæredes, suæque ipsorum iniuriæ vindices, arma necessario corripunt. Aznar in Hispaniæ partem illam profectus, quæ Vasconibus finitima erat, Iaccam urbem, multas præterea arces atque oppida Mauris eripuit, Aragonum regni & gentis parens & conditor. Aragoniæ nomen Arago fluius effecit per ea loca decurrens, seseque Egæ iunctus confundens Ibero, uti alio loco est explicandum. Hunnoldus & Vaiferus suorum opibus subleuati, transmissio Rhodano, vniuersæ Galliæ terrorem incutiunt, non viris, non mulieribus, non pueris, non senibus parcitur: ut ferme subditorum periculo Principes peccant. Allobroges præcipuè vexati. Vienna agrè defensâ est. interior Gallia cis Rhodanum bello tentata. Mauri sua sponte ad delendam ignominiam præteriti temporis, iniuriasque vindicandas, præterea Mauritij Massiliensis Comitibus, Hunnoldi & Vaiferi accitu, quò nimirum Martello & Francis egrè facerent, Galliam armis repetit. Aucupa per idem tempus rem Mauricam in Hispania gerebat, cum Abdelmelicum reipublicæ malè gestæ reum postulatam, ex vinculis causam dicere compulisset: præcipua vir nobilitate inter suos, suæque superstitionis æmulator maximus, magna ut seueritate peccata in religionem commissa vindicaret. Is Mauritij ope Auennionem Cauarum urbem, quam Rhodanus alluit, in primis amplam & nobilem armis occupat. cætera circa incendijs, ruinis, & direptionibus foedata: atque hæc quinquennio postquam ad Turones pugnatum est gesta sunt salutis anno septingentesimo trigésimo nono, qui annus Alfonsi regni primus fuit. Foeda rerum facies erat, & colluies malorum miserabilis: verum res Gallica Martelli virtute sterit. reiecti hostes in Hispaniam. Auennio atque Narbo in potestatem redactæ: pene ut Gotthis atque Mauris nihil esset residuum in Gallia. Maiori tumultu atque animorum pertinacia mota Africæ arma. Belgus Abembexius magni inter Mauros nominis Dux, aduersus Iscamum Miramamolinum populares concitauit. causæ proditæ

ditæ memoriæ non sunt. cupiditas dominandi iusta plerisque inferendi belli causa esse creditur. Multa prælia commissa in Africa. Belgus sæpe victor in Hispaniam transmittit, quam pro Mauris Abdelmelicus denuo gubernabat, è vinculis ad imperium eductus (Aucupæ æmuli iussu cum ex morbo ipse animam ageret) magno suo malo. Nam Belgij aduentu, paulò post quam ad reipublicæ gubernacula est reuocatus intra Cordubam à Duce Abderrahmano, quem Belgus cum valida manu præmiserat, captus atque omnibus cruciatibus excarnificatus ad mortem est, eius seculi anno quadragésimo tertio: quo anno Iscanus Miramamolinus obiit. Iziti filius Alulit cognomento Pulcher, Mauricæ gentis imperium obtinuit, gentis spe maxima, successu non eodem. Belgij arma sollicitabant in Africa, & motæ Hispaniæ cura Dorano impulsore, qui Belgij partes sequebatur. Africæ motus explicare nostri instituti non est. In Hispaniam Albulcator ab Alulito ipso imperij initio cum potestate missus rebus trāquillitatem reddidit, cum factiosos magna ex parte supplementi specie mississet in Africam: ipse paulò post Zimaelis coniuratione occubuit. Roba Zimaelis socius præcipuus coniurationis auctor Hispaniam occupat. Alulit Imperator altero regni anno, qui eius seculi quadragésimus quartus erat, defunctus est, Ibrahemo fratre successore. Neque hic meliori successu regnavit. Maroanus enim gentilis ex Humeia Maurorum familia nobilissima, fauore gentis continuo imperium inuasit: & Ibrahemo intra palatium iugulato, altero anno ex quo ceperat imperare, rerum solus potitus est. Hoc Imperatore, Toba Hispaniam pro Mauris gessit: eoque intra primum annum defuncto gentis consensu Iuzephus ex Africa missus rem Mauricam gessit in Hispania, in ætate longæua, libidinis potens & audis: quam ignominiam, rebus præclare superiori ætate gestis & militari laude compensare videbatur. Hoc gubernatore in Asia quidem, Abdalla ex Alauecinorum familia inter Mauros nobilissima, Maroanum Miramamolinum facta gentis conspiratione sustulit, anno Christi septingentesimo quinquagesimo: alienæque prodicionis & crudelitatis non vindex sed vicarius, Mauricæ gentis principatum obtinuit. quem ut in sua gente firmaret, Humeiæ posteritatem, vnde priores Reges prognati erant, à stirpe penitus tollendam curauit, & magna ex parte perfecit. In Hispania autem anno Christi septingentesimo quinquagesimo tertio, tres Cordubæ Soles visi. magno id terrori fuit, rudi seculo ignorantium scilicet, in nube æquabili densitate tanquam speculi obiectu, multiplicis Solis speciem repræsentari. nouæ præterea formæ oculis fingebantur, pompæ instar præcedentium hominum cum igneis facibus. auxit gentis miraculum atque formidinem, grauis per id tempus consecuta fames. Interea Alfonso Rex ex intestina Maurorum discordia, & rerum omnium perturbatione, rei bene gerendæ occasiones captans, regni fines quod angustis regionibus descriptum erat, armis amplificabat. Et erant Christianorum animi Mauros imperio fessi, conuersique ad studium resarciendæ veteris calamitatis. In Calæcia Lucus, Tuda, Asturica receptæ. in Lusitania Portus Cale ad Durij ostium, qua se parte fundit in mare, Pax Iulia, Bracara, Viseum, Flauia, Bletisa,

Bletisa, & Senticæ, quæ duæ postremæ vrbes hodie Ledesma, & Zamora sunt. Septimancas, Dominas, Mirandam, Segobiam, Abulam cepit, atque Sepuluedam ad radices Orospedæ montis Duratoni fluuio impositam, loci natura munitissimam: olim Segobriga dicta est, deinde Sepuluega: sic enim in sui fori legibus appellabatur, cum municipium quoddam amplissimum, & maximæ auctoritatis esset. Præterea felici victoriarum cursu, locis remotos Viruescanos atque Riuogiam in Vardulis Idubedæ latere comprehensam, qua parte Ogia amnis ex eo monte emissus in Iberum decurrit, insigni regionis amœnitate atque prouentu. In Vasconibus Pompelonem, in Cantabria partem eam, cui hodie Alauæ nomen est, in potestatem redegit: tamen bellis alternantibus harum ciuitatum pleræque consequenti tempore ad Maurorum ditionem redierunt: cum Cordubense Maurorum imperium magno Christianæ rei incommodo per hæc tempora, ut paulò post explicabitur, inchoatum, viribus deinde & potentia auctum in Hispania atque amplificatum est. Captis ciuitatibus Alfonso cura, vetus Episcoporum dignitas longo ex interuallo restituta est. dati Præsules syluescentes Christianorum mores repurgabant contagionibus malorum, quæ ex consortio Maurorum profectæ manarant latius. subditos populos nouis institutis & legibus, atque diuinorum librorum explicatione excolebant. Christiana templa, vbi diruta erant, instaurabantur: & quæ Mauricæ superstitionis sordes fœdarant ex Christiano ritu expiata. Sacrorum instrumenta restituta, quantum gentis inopia, & regij ærarij tenuitas patiebantur. Noua lux reddita videbatur, lætitiæ in præsentia, & maioris ad futurum spei materia maxima. Vardulos, veteres prouinciarum descriptores in Cantabria collocarunt, parte ea quæ Oceano mari adiacet: historiæ Hispaniensis auctores paulò antiquiores ætate, rudi homines ingenio, tenui eruditione & cognitione antiquitatis in Vaccæis Castellæ veteris parte. Ex ea opinione & quoniam magna Castellæ pars priorum armis celsit, nouus plerisque error natus persuasit, Alfonso armis vniuersam Cantabriam subiugatam, ereptamque, Mauris esse. cum ex verioribus monumentis ostendere liceat, Maurorum arma haudquaquam vltra locum, cui Rupi perforatæ in Cantabris vulgò nomen est, vnquam penetrasse. Rex tot rebus gestis clarissimus Canicæ defunctus est salutis anno septingentesimo quinquagesimo septimo, ætatis septuagesimo quarto, regni nonodecimo. Quinque liberos reliquit, ex Ormisinda quidem Froilam, Bimaranum, Aurelium, atque Vsendam. ex impari autem matre atque adeò serua stupro genitum Mauregatum. Defuncto iusta peracta non magis apparatu exequiarum, quam verisimis totius gentis lacrymis celebrata, & cælestibus vocibus, quas in funere auditas memorant, ex diuinis libris pronunciantium: Tollitur iustus nemine considerante, ablatum est à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. ad D. Mariæ cœnobium Canicæ Alfonso & Ormisinda vxor sepulti sunt. Alfonso Froila frater fuit, Aurelio & Vremundo filijs magis quam alia re clarus felixque. Ad Maurorum res quoniam cum nostris cōsulæ iunt reuocetur oratio: & fatalis disidij semina, initia incrementaque explicetur, vnde nouum in Hispania regnum eius gentis cōstitutum est.



**M**AHVME TANORVM armis, nostrorum cessatione, maxima nobilissimaque orbis terrarum pars victa concessit Christiani nominis hostibus diris ferisque: quibus nefarium execrabileque esse creditur quidquid nobis sanctum est. Vnum initio habuerunt summum Principem & rectorem, qui vniuersæ genti imperaret. ad hunc summa rerum consiliorumque redire solita erat. huius imperium cuncti respiciebant. is iura dicebat populis. ab eo sacerorum leges petebantur. In historijs Arabum nunc Calipha dicitur, quod Romana interpretatione successor est: nunc Miramamolinus, hoc est, credentium princeps. Sub principia quietæ res erant nouæ factionis studio: deinde, vt necesse erat in tam longè latèque fuis opibus, seditiones exortæ, multaque ex vno imperia facta. Omnium dissidiorum causas & euentus explicare non attinet. quod huius loci proprium est, duarum familiarum, quæ inter Mauros nobilissimæ habitæ sunt, & quarum discordia maximi motus hac tempestate extiterunt, originem atque progressum indicare non incommodum fore arbitratus sum. Mahumetes gentis conditor, & nouæ superstitionis auctor, cum belli terrorem prospero semper successu multis provincijs incussisset, ingenio ardenti, prauo, callidoque, profunda simulatione sanctitatis, qua nihil est in speciem fallacius, nihil potentius ad conciliandas multitudinis voluntates, moriens ex multis vxoribus, quas sibi pollutis coniugijs atque nefarijs toro iunxerat, tres filias tantum reliquit, nullam masculam prolem, (Cacinus enim filius duodennis obierat) Fatimam natu maximam, Zeinebim, atque Imicultim viris principibus connubio iunctas. Cæterum Mahumete defuncto, eius soceri Abubacarus prius, deinde Homarus, rerum summæ in eius locum præfecti sunt, quasi filiarum vicarij neptumque. post hos Atumanus Fatimæ vir, quæ ob ætatis prærogatiuam ad regni paterni successionem meliori iure niti videbatur, imperium obtinuit. hinc Alauecinorum familia exorta, opibus & clientelis potentissima. Atumano successit, non sine multorum inuidia magnoque gentis motu, Moabia Zeinebim alteram Mahometis filiam vxorem habens, Benhumeiarum gentis & familiæ conditor. Harum familiarum nominibus, quæ vis sit & causa clam est. Moabiæ sanè Iziti filius, & Maula nepos, is qui tertiam tributorum partem genti remisit, ex ordine sunt suffecti. Maulæ obitu, Mauri in factiones diducti. pars Maroanum secuta est, pars Abdallam, quem ex Alauecinorum familia fuisse arbitror: licet enim coniecturis agere in tanta eius gentis rerum ignoratione & caligine. fuit certè militiæ Magister Rege Moabia, multisque ex eo copijs & clientelis potens. Itaque eiecto æmulo, solus rerum potitus est. eo verò defuncto, imperium ad Maulæ filium Abdelmelicum redijt, eum qui Africa vniuersa deuicta, gentis imperium firmavit maximè: sibi & posteris peperit memoriam nominis sempiternam. Romanorum Principum dissidia Maurorum incrementis occasionem præbuerunt. tetram rerum omnium caliginem, impotentem hominum vafaniam.

niam. sed præstat ab his cogitationibus animum auocare, quarum recordatio velut morsu quodam dolorem efficit. Abdelmelico ex morbo defuncto substitutus est filius Vlit, is cuius auspicijs Tarifij ductu Hispania, Ruderico Rege cæso, vniuersa Maurorum imperio subiugata est. In Vliti locum frater Zuleima primum, deinde Homar & Izit filij Vliti ex patris adoptione exæquata duorum potestate cooptati. post hos Iscamus vtriusque germanus frater. Iscamo filius Iziti Alulit in imperio successit. Alulito Ibrahemus eius frater gentis consensu, & Maroanus ex eadem familia, vi & armis Ibrahemique noui Regis despectu. Horum dissidia Alauecinorum genti, & posteris Fatimæ se opportuna præbuerunt, vt ipsi viribus integri diuisos in partes æmulos, atque debilitatos opprimerent. Ergo Abdalla magno vir ingenio, animi vigore maximo, Maroanum inter vtriusque gentis studia destitutum occidit: atq; Fatimæ posteritati imperium tandem restituit, vt est superius indicatum. Quod vt posteris firmaret, propriumque faceret, Humeiam gentem extirpandam curauit, nullo alio scelere, nisi quod imperium, quia tenuerant, sperare ambireque credebantur, eaque solitudine leuare animum tyranno erat propositum: vnde eius nomini inuidia in præsens, in futurum ignominia grauis ab immanitate conflata. Abderrahmano Abenhumeiæ necessitudo est imposita, vt carnificinæ quæ in suos gentiles exercebatur, se subduceret fuga euadendi in Hispaniam: vbi vulgo Mauri veteri Humeiæ familiæ imperio fauebant, multis & magnis beneficijs ab ijs Principibus deuicti. Horum studio Abderrahmani virtute & felicitate, nouum in Hispania Maurorum regnum fundatum est Corduba sede: vnde reliquæ ciuitates iura peterent, sui iuris proprijsque viribus nitens, neque Africæ contributum, neque Asiæ Caliphis, vti mox est explicandum.

*Froila, Aurelius, & Silo Reges. Cap. VI.*

**A**L F O N S I morte, Froila filius natu maximus pro eo ac par erat continuo piorum in Hispania rempublicam gubernandam suscepit, salutis anno septingentesimo quinquagesimo septimo. Regnavit annis vndecim, mensibus tribus: fama inter bonum & malum alternante, ingenio aspero, morum seueritate maxima, in sæuitiam propensior quam humanitatem. & ferè Principes in summa rerum omnium licentia, ingenio indulgere malunt, quam imperare assentatores, quorum in aulis Regum magnus numerus est, a finia virtutum nomina vitijs assingendo, prauitatem semel susceptam alunt, nemine contra obsistere & vera prædicare auso. Laudatur in Froilæ actionibus, quod Ouetum in Asturibus urbem primariam & nobilem fundauit primus atque constituit. Quidam conditæ eius urbis laudem ad Alfonso patrem ablegant, nullo idoneo satis, neque testimonio neque argumento. Conditæ ciuitati ius & honorem Episcopatus dedit. Sacerdotum coniugia Froilæ iussu dirempta. quæ consuetudo Vvitzæ olim lege suscepta, & Græciæ deinde

deinde exemplo firmata, in mores abierat. vnde irritato numine (sic saniores interpretati sunt) tantum ærumnarum accersitum, tantum poenarum & supplicij datum. Eo facto, quantam ad bonos gratiam iniuit, tantum magnæ partis populi, & sacerdotum offendit animos. Nam plerique veteribus itari malunt, & peccâdi libertas multitudini gratissima est. Ex ea seueritate inuidiæ pars maxima illi conflata est, qua viuens flagrauit: & mortui nomen ad posteritatem ignominie nota scædatum est, maioris quàm pro meritis. (sic libet suspicari) nam ad cæteras virtutes militari laude paterna exempla æmulari visus est. Iuzephum enim Hispaniæ Præfectum pro Mauris veteranum Ducem, cum numerofo exercitu Galæciæ fines ingressum, cunctaq; belli clade euastatem ingenti prælio superauit altero regni anno. cæsa quinquaginta quatuor hostium millia. nulla ea ætate victoria maior, neque magis ex rei Christianæ commodo. Ea clades Iuzephum iam quatuor annis Abderrahmani armis, cum ad spem regni ex Africa profugus in Hispaniam venisset, & Humeiarum factione fatigatum, opportunum supremæ calamitatis præbuit. Nam Corduba fugiens, & æmuli diligentia Granatæ captus, Toletique quo demum tanquam ad præsidium aufugerat eius vrbs munitione confusus, suæ gentis ferro occubuit, Abderrahmano victori, eo facto cupientis gratificari. Quo ex tempore nimirum salutis anno septingentesimo quinquagesimo nono, imperij Arabum centesimo quadragesimo secundo, Mauri omnes in Hispania sub vnus imperium reuocati, nouumque regnum fundatum Abderrahmano Abenhumeia, cui Adahil deinde cognomen est factum, conditore: imperijque iugum excussum, quod Syriæ Caliphæ, Africæ Miramamolini, captæ primùm Hispaniæ imposuerunt. Vna Valentia Edetanorum in Hispania Tarraconensi vrbs, in fide veteri præstans Abderrahmani armis & obsidione fatigata, tandem noui Regis iugum subiit. Christiani eius vrbs ciues, barbari victoris metu, & ne religio ludibrio esset hostibus nominis Christiani, Vincentij Martyris ossa, quem tanquam Deum adorabant, & miraculorum fama celebris erat (sic Rasis Arabs loquitur homo Maurus) secum fugientes asportarunt in extremæ Lusitanie partem eam, qua promontorium Sacrum excurrit in mare. Eos Allibohazes Phutensis dum venationi studet, repertos occidit: pueros captiuos abduxit: quorum indicio, vbi sacra ossa relicta essent, post modum est demonstratum. Loco certè ab ea re, promontorij D. Vincentij nomen est factum. Rex barbarus tantis victorijs & tam prospero rerum successu insolentior factus, Galæcos bello tentauit. Pacem Iuliam quæ hodie in Lusitania Beia est, circumfedit. vtrinque Froilæ virtute, & armis reiectus est: & Christianæ ditionis fines, non modò aduersus victricia barbarorum arma, sed etiam aduersus prouincialium tumultus perpetua Froilæ felicitate tutati. Calæcorum motus compositi, quos suspicor ob vxores sacerdotibus detraetas, temerè ea ætate tumultuosos esse. Vascones imperio rebellantes armis ad officium pertracti salutis anno septingentesimo sexagesimo primo. In ea expeditione Meninam Rex Froila (alij Momeranam scribunt) Eudonis Aquitaniæ Ducis filiam sororem Aznaris, fratris concessu vxorem duxit.

quo

quo ex coniugio Alfonso, cui deinde Casto cognomen fuit, atque Semena Bernardo olim Carpenfi filio felix, nobilis stupri sceditate, nati sunt. Eo actionum tenore in magnis Principibus Froila numerari potuit, ni fratrem Bimaranum eximia corporis dignitate atque morum candore studia populi conciliantem, suis ipse manibus impiè equè ac crudeliter iugulasset. Affectati regni suspicio malo fuit. & fortassis scisso vt fit in partes populo ob Regis seueritatem, factio altera Bimaranum corrumpere satagebat, vt Ducem se præberet rebus nouandis. Neq; enim existimo Froilam temerè, nulla re prouocatum, tantam crudelitatem designasse. tametsi suscepti patricidij nulla idonea causa esse potuit: & ipse inuidiam ex eo facto succensam restinguendi studio, Veremundum occisi fratris filium regni successorem adoptauit, fructu nullo. Cum cælo æquè & hominibus inuisus esset, & in alia ex alijs mala præcipitaret, suorum an Aurelij coniuratione Canicæ peremptus est. Oueti in æde maxima Froilæ & vxoris Meninæ corpora sepulturæ mandata. Quo tempore Verus Archiepiscopus Hispalensis, eruditione, scriptis & vita clarus est habitus: tum Petrus Toletanus Præsul Vrbanus successor cognomento Pulcher, cuius libellus de ratione Paschatis celebrandi ad Hispalenses ciues, quoniam in ea re hallucinabantur, magno ingenio conscriptus extabat. Petro successit Cixila, is qui D. Illefonti vitam scripsit: ad quem Hadriani Pontificis Romani litteræ extant (tametsi Egilam cum vocat) diebus sabbathi carnibus vesci Hispanos, more scilicet è Græcia translato, increpantis. Vnde temperamento quodam factum arbitror, vt intestina & extremæ animalium partes hoc tempore in vsu sint, & præcipuo ijs diebus honore mensarum. Quod alij putant susceptum anno Christi millesimo ducentesimo duodecimo, cum ad saltum Castulonensem Mauri insigni prælio à nostris superati sunt, nullo neque auctore neque argumento idoneo. Veteres schedæ in quibus Toletanorum Pontificum nomina sunt, non tantum Vrbanum, sed & Petrum eo numero eximunt: substituunt alios Sunieredum atque Concordium Cixila priores. nobis in tantis tenebris hæere necesse est aliquando, non secus atque ignorata via, vbi in plures vna diffunditur, cum nulla repudietur nulla placet. Aurelius Froilæ Regis interfecto, Bimarani vindex, vtrique frater germanus (alij patrualem faciunt, Froila natum Alfonso Regis fratre) gentis consensu regnum obtinuit anno septingentesimo sexagesimo octauo, Alfonso Froilæ filio ob ætatis imbecillitatem & paternæ memoriæ inuidiam prætermisso. regnauit annis sex, mensibus sex, nulla neque domi neque militiæ gloria. Scruilis enim belli, quod in prouincia exarsit, cum serui studio libertatis incensi & temporum perturbatione confisi arma magno numero corripuerunt, profligati laudem scedere cum Mauris inito scedasse visus est: ex quo ingenuæ conditionis virgines ad certum numerum quotannis tributis nomine, proh nefas, erant Mauris repræsentandæ. Regis Abderrahmani felicitas formidinem nostrorum animis incutiebat: ne noui regni armis rem Christianam sua imbecillitate & partium dissidio fluctuantem, ferox ipse & validus opprimeret. Erat enim inquieti animi vir, & minimè otium, quo tunc senescere videbatur.

X

diutius

diutius laturus. Adosindam sororem Siloni viro principi cum spe successio-  
 nis connubio iunxit, ipse prole destitutus: ac ne vxorem quidem habuisse sa-  
 tis est exploratum. In valle Iagueia (quam saniores Canicam vallem inter-  
 pretantur) æde S. Martini nomine sepultus est: alij S. Michaelis affirmant  
 in oppido Iangua (quibus maior nominum similitudo fauet) vbi antrum  
 subterraneum extat Andreæ nomine dicatum, & coniuncta duorum Re-  
 gum sepulcra (sic apud populum fama obtinuit) Aurelij nempe & Fauliæ  
 tempore scilicet consequenti, vtriusque sepulturæ veteri loco mutato. In  
 Aurelij locum Silo sororis vir, Praviæ cum Adosinda vxore regno est inau-  
 guratus. regnavit annis nouem, mense vno, die vno. Calæcos sub initia tu-  
 multuantes ad Ciperium montem, nostris Cebrerum, compefcuit. eius bel-  
 li causæ non sunt proditæ. Silo tamen grauior annis, siue ingenij focordia,  
 non militaribus solum sed ciuilibus etiam muneribus abscedere certus, nam  
 se imposito oneri imparem sentiebat, præterea vxoris hortatu, Alfonso  
 Froilæ filium consortem regni fecit, summa bello paceque auctoritate con-  
 cessa. Fuit hæc horum temporum calamitas, vt cum maximè turbata repu-  
 blica sæuæ tempestatis fluctibus, viro & gubernatore opus esset, tunc ad gu-  
 bernacula sederent plurimum Reges inutiles & ignaui. Ex eo consortio Al-  
 fonso Regis nomen accessisse, indicio est diploma vetus, atq; quo nullum in  
 tabularijs Hispaniæ antiquius extat, Valpuestæ ædi D. Mariæ nomine, vbi  
 hodie collegium Canonicorum est, olim monachorum cœnobium, concess-  
 sum: vbi Regis liberalitate multa prædia illi templo donantur Era octingē-  
 tesima duodecima, nempe salutis anno septingentesimo septuagesimo quar-  
 to, regni Silonis anno primo, nisi fortasse numeri vitiosi sunt. neq; enim eo-  
 rum opinioni accedimus, qui ad Alfonso Catholicum id diploma ablega-  
 re malunt, ratione temporum haud magna aliqua de causâ vehementer per-  
 turbata. Est autem ad memoriam insignis ijs in litteris contenta execratio,  
 qua eius donationis violator iubetur esse anathema, Marrano, & excōmuni-  
 catus. vnde intelligitur Marrani vocem vulgarem nō à Mauris quasi Mau-  
 rani, vt quidam suspicantur, factam in Italia Frederici AEnobarbi tempore:  
 cum Mauri plurimi fidem Christo datam in baptismo, passim eiurata quam  
 susceperant religione violarent: sed potius ex Syriaca voce Maranathâ de-  
 ductam, qua anathematis ignominia execratioq; in diuinis litteris continetur.  
 De Silonis sepulcro non vna opinio est, quibusdam Oueti affirmantibus  
 in Saluatoris æde, vbi sepulcrum eius nomine cum proluxa inscriptione ex-  
 tat: alij Praviæ in S. Ioannis Euangelistæ, quod ipse templum à fundamen-  
 tis ædificandum curauit. quo loco Adosinda certè vxor tumultata est.

*Alfonfus, Mauregatus, Veremundus Reges. Cap. VII.*



ILONIS funere procurato regnum ei, penes quem reipu-  
 blicæ procuratio erat, Alfonso procerum voluntate confirma-  
 tum est anno septingentesimo octogesimo tertio. Paterni odij  
 memoria refederat, & virtutis specimen quod interea dederat  
 singulare

singulare, cunctorum ordinum voluntates conciliarat. Vnus Mauregatus Al-  
 fonsi patruus, tametsi stupro genitus erat, fratrum exemplo qui deinceps re-  
 gnarant, iniuriam factam querebatur Alfonso prælato sibi, quem arctiori  
 cognationis gradu defunctos proximè Reges attingere constabat. neque de-  
 erant factiosi homines, qui studio rerum nouarum eius conatus adiuuarent,  
 corruptores, vaniloqui, vt sunt plerique Principum asseclæ. His auctoribus,  
 quoniam parum præsidij in gente erat, ad Maurorum opem supplex confu-  
 git, ignominiosq; Christiano nomini fœdere impetrauit quinquaginta vir-  
 gines natalibus nobiles, & parem ex plebe numerum pactus tributum nomine  
 10 quotannis. & sunt ante omnes nationes Mauri effusi in venerem. Itaque his  
 illecebris voluptatum gens barbara prouocata, Rege eorum Abderrahma-  
 no concedente, Mauregatum secuta est. Inerat præterea dignitas, cum Chri-  
 stianorum gentem vestigalem haberent, Regem beneficiarium. Eius exerci-  
 tus impetum Alfonso viribus impar, neq; satis confirmato regno vt susten-  
 tare posset veritus, æmulo fortunæq; cedens, in Cantabriam aufugit: vbi ma-  
 gnæ clientelæ erant, multi propinqui & necessarij Eudonis, ad quem mater-  
 num Alfonso genus referebatur. viginti quinque annos natus erat, cum sub  
 ipsa initia regno spoliatus est. Regnavit Mauregatus annis quinq; mensibus  
 sex, nulla re nobilis præterquam ignauia, actionum turpitudine, atq; scelere  
 20 nefario, quod prodenda patria suscepit. Praviæ sepultus est in D. Ioannis, vt  
 chronici quod Alfonso Magni nomine vulgatum est, Ouetense exemplum  
 habet. Obijt anno septingentesimo octogesimo octauo: quo anno Abderrah-  
 manus Maurorum Rex cum regnasset annis vno de triginta, Cordubæ de-  
 functus est. Quam urbem extructa arce, atque hortis institutis, quibus Raza-  
 phæ nomen fuit nunc Arrizaphæ, magnopere exornauit. Præterea ante biē-  
 nium ex belli manubijs templum est inchoatum: quod hodie Episcopi Cor-  
 dubensis cathedra insigne, ipso structuræ genere; multitudine, & varietate  
 columnarum quibus moles incumbit, cernentibus pro miraculo est. Reliquit  
 filias nouem, filios vndecim. ex his Zulemam natu maximum, quem viuens  
 30 Toletu vrbi præfecerat, moriens successorem designauit. Islemus filius alter,  
 cum fauorem gentis præfens occupasset, regnum à morte patris occupatum  
 virtute & armis tutatus est, primum aduersus Zulemam, qui acie victus in  
 Contestanosq; vbi Murcia sita est, fuga pulsus, pretio sexaginta millium au-  
 reorum regni ius fratri relinquens fecelsit in Africam: deinde Abdallam fra-  
 trem alterum nouarum rerum studio tumultuante, n. fœdere cum eo facto, in  
 Africam expulit. rerum potitus est annis septem, mensibus septem, diebus  
 septem. Mauregato quidem Veremundus successit cognomento Diaconus,  
 quod in eum ordinem lectus esset, & ex ritu Christiano sacratus in minori  
 ætate. De Veremundi patre variant historici: nec facile est aut opinionem  
 40 opinioni, aut auctorem auctori præferre. nominum similitudine vitiatam  
 memoriam arbitror. quidam Bimarani filium putant, eius qui Froile fratris  
 manu cecidit: alij Alfonso Catholici fratre Froila natum affirmant. Cui ego  
 potius opinioni accedo, viros maiori antiquitatis Hispanicæ eruditione  
 secutus, chroniconque Alfonso Magni Regis nomine compositum. regnavit  
 X 2 annos

annos tres, menses sex: & gemina prole auctus Ramiro & Garfia ab uxore Nunilone seu Vſenda, quam contra fas æquumque sibi iunxerat, ſaniori conſilio deinceps per totam vitam abſtinuit. Cætera modoſto quidem ingenio, & otij cupidior quam reipublicæ ſtatus ferret: non animo, non armis, non vigore aut viribus corporis, non arte belli inſtructus temerè ad regnum acceſſit. Eò digniſſimus laude, quòd optimo publico Alfoſum Froilæ patruelis filium Mauregati armis ſpoliatum, pulſumq; in Cantabriam, ad regni conſortium reuocauit, eius ſeculi anno nonageſimo primo, duodecimo Kalen. Auguſti, vt Iſidorus Pacenſis huius ætatis ſcriptor eſt auctor. Regnauit is deinceps annis quinquaginta duobus, menſibus quinque, diebus tredecim, perpetua rerum geſtarum felicitate, bellicis artibus, clementiæ, religionis & liberalitatis laude ſuis carus, externis formidabilis. Inclinatæ Hispaniæ res vnus maximè virtute ſteterunt. Suſceptam regni auctoritatem & fauorem gentis vehementer confirmauit victoria, quam de Maurorum Duce Mugaio retulit ampliſſimam, tertio anno ex quo in regnum fuerat reuocatus. cum enim virgines, vt erat in Mauregati fœdere cautum, barbaris repræſentare ignominioſum eſſe Chriſtianorum nomini iudicaret: numeroſum exercitum ea cauſa belli iniurijs Chriſtianorum oppida & agros longè latèque vaſtantes Aſtutes vſque magno damno prouincialium luctuque, Alfoſus hoſti obuiam factus ad Ledos oppidum acie vicit. Inſigne prælium fuit. ſeptuaginta hoſtrum millia caſa: atque duriffima ſeruitute reſpublica liberata, tandem reſpirare viſa eſt. Mauri enim viribus debilitati & nouis bellis impliciti, acceptam ignominiam clademque vlciſci non potuerunt. & conſtat ea ætate ad extremam Hispaniam, qua parte Pyrenæi montes ſunt, Vaſconum Regum armis, & Caroli Magni virtute, cuius præcipua & maxima inter Chriſtianos Principes auctoritas erat, rerum geſtarum celeberrima fama, multas vrbes & oppida Mauris erepta. Quæ res Iſſemum Cordubensem Regem impulit, vt Abdelmelicum magni nominis Ducem cum iuſto exercitu mitteret ad conatus Chriſtianorum compescendos. Gerunda in Auſetanis, Narbo in Galliæ aditu à Mauris occupatæ. vnde templi Cordubensis ſtructuræ perficiendæ, Chriſtianorum humeris terram comportatam Rodericus Præſul eſt auctor. Res proſperæ, quæ ſæpe moderatos homines de ſtatu mentis immutant, barbaros natura feroces inſolentiores effecerant. Pons aliter Iſſemi iuſſu Cordubæ extructus ad arcem. Prætoriani milites adhibiti præſidij cauſa ex externa gente, quod primus Maurorum Regum uſurpauit tria millia Chriſtiani religione abiurata impij. Eunuchorum duo millia aulam domeſtici ſcilicet miniſterij cauſa ſequebantur. Obijt ſalutis anno ſeptingenteſimo nonageſimo quinto, Alhaca filio ſucceſſore, qui regnauit annis viginti ſex, menſibus decem, diebus quindecim: prudentiæ, æquitatis atque liberalitatis laude fama que vt in ea gente celebratus.

*Elipandus Toletanus Præſul.*

*Caput. VIII.*

AD



**A**D CAPTIVITATIS mala, quæ ſi extrema fuiſſent nimium erant graua, grande de religione diſſidium acceſſit. mali auctores præcipui Felix in Ilergetibus Vrgelitanus Præſul, atque Elipandus in Carpetanis Archiepiſcopus Toletanus, non inſulſo viri ingenio neq; eruditionis experti, vt in tantis tenebris, tantaque malorum omnium colluie: in qua non offendere, non fœdari miraculi imitar eſſet. Quis enim in grauiffima ſeruitute litteris locus? cum oppreſſi vectigalibus vitæ neceſſaria ſubſidia comparare cogebantur. ſilabant eccleſiaſtica concilia, quibus diſciplinam eccleſiaſticam aſtringere & reipublicæ vulnera ſanare, veteri inſtituto ſuſceptum erat. Proceres & populus pro ſe quiſque vt collibitum erat, ita vitam inſtituebant, atq; de rebus diuinis nullo prohibente pro voluntate proq; arbitrato ſinguli ſentiebant. quæ magna perniciès eſt. Ex impiæ gentis uſu prauas ſæpe opinionones in Chriſtianorum gentem redundare propemodum erat neceſſe. Neſtorij placita concilij pridem Ephesini diligentia ſopita, quaſi veteris incendiij ſcintillæ in Hispania, ijs auctoribus ſuſcitatæ ſunt, Chriſtum aſſirmantibus qua parte certè homo eſt Dei filium adoptione eſſe, contra fas, contra auſpicia, contra omnes diuinas & humanas litteras, & religiones. Qui enim natura & adoptione filius ſimul idem eſſe poſſit? cum adoptione filius patris tantum benignitate, nulla neceſſitudine ſit quaſi ad alieni iuris hereditatem admiſſus. quòd qui aſſerat Chriſti geminam hypoſtaſim fateatur opus eſt. Felicem propter locorum vicinitatem, & quoniam in eam Hispaniæ partem Gallorum arma annis ſuperioribus penetrarunt, Gallum natione fuiſſe vulgò nõnulli ſuſpiciantur. Elipandus ex antiqua Gotthorum gente prognatus erat. Pugnabat pro illis pontificia ipſorum auctoritas, & celebrati nominis fama. erroris auctores laudabant Eugenium, Illeſonſum, Iulianum. multis præterea diuinarum ſcripturarum locis ad patrociniũ abutebantur: quibus Chriſtum qua homo eſt, minorem patre dici ſatis conſtat. Et vt erant ardenti ingenio, miſiſ in omnes partes litteris ac libris, cæteris omnibus ſuſceptas opinionones inſtillare fucata oratione, atque perſuadere ſatagunt. Ad Aſtutum & Calæcorum Epicoſus Elipandus pro ea auctoritate quam in alias eccleſias obtinebat præcipuam & maximam, litteras dat: ac nominatim Adoſindam Silonis Regis viduam in fraudem impellere conatur. Illa vti erat neceſſe, ſui iudicij eſſe negat de controuerſia pronunciare: remq; integram ad Epicoſos deferret & ſacerdotes, ſantiſſima & prudentiſſima feminam in quo numero erat Beatus preſbyter, & Heterius Vxamensis Epicoſus. quorum extat aduerſus Elipandum diſputatio non inelegans, opusque ſpiſſum, operoſum & vaſtum: ſed quoniam validis argumentis mendacium arguit, bene eſſe operam collocatam lectores iudicabunt. Controuerſia agitata, & quoniam conatibus par ſucceſſus non erat, Elipandus quidem Toletum proſectus Aſtutes & Calæcos obiuit, ijsque in locis multos praua opinione infecit peſtifero oris afflatu. Felix Vaccæos primùm in Hispania, & Septimaniam in Galliæ aditu aggreſſus eſt: deinde reliquam Galliam atq; Germaniam nullo operæ pretio: cum paſſim ſummi, medi, infimi, ad inſolentiam

X 3 nouæ

nouæ vocis exhorrescerent, & errorem cum auctoribus palam detestarentur. Concilia Episcoporum ijs in regionibus habere promptum erat. Itaque inuenio apud Reginum Baioariæ ciuitatem coram Carolo Magno Francorum Rege in Episcoporum conuentu Felicem damnatum salutis anno septingentesimo nonagesimo secundo. inde Romam missum, coram Hadriano Pontifice abdicasse, simulato certe animo. Qua de causa nouum Episcoporum conuentum haberi Franconofurti in Germania necesse fuit anno septingentesimo nonagesimo quarto, præsentente Carolo Magno. Missi Roma legati Theophilactus & Stephanus Episcopi: ex Hispania Beatus & Heterius Vxamensis Episcopus pro catholicis legati. Neque se mali auctores deserunt in periculo: Carolo ipsi libellum supplicem offerunt, postulantes vt præsens in ea controuersia disceptaret: & multorum potius iudicium sequeretur, quam se paucorum dolis circumueniri sineret. Re discussa, praua opinio cum auctoribus reprobata est: ac nisi mutarent Felix & Elipandus sacrificijs interdicti. Felix, vt Ado Viennensis est auctor, Patrum sententia relegatus est, & Lugduni nunquam errore deposito extremum vitæ diem clausit. sic opinio hominum fuit. vsque adeo difficile est fixam perperam de religionis sententiam mutare, imbutamque praua persuasione mentem traduci ad sanitatem. Quid Elipando contigerit clam est: ac credam potius sententiæ Patrum obtemperasse, prauaque opinione deposita mutasse, neque ex Hispania extulisse pedem, neque Reginum, Romam, aut Franconofurtum adijisse, persuasum habeo. Veteres Eugenium, Illelsonum, Iulianum Carolus quidem accusat ijs litteris, quas ad Elipandum & cæteros sacerdotes Hispaniæ scripsit: neque mirari se ait, filios patribus similes existere. Heterius negat in eorum scriptis simile quippiam extare. Ex Felicis sanè schola aliquanto intervallo Claudius Taurinensis Episcopus homo Hispanus, versatusque aliquandiu cum nonnulla ingenij laude in Ludouici Augusti cognomento Pij aula, ad priorum commenta, tum alia, tum imagines diuorum è templis Christianis exturbandas esse affirmavit. quem Ionas Aurelianensis æqualis, de scripto diligenter atque accuratè impugnavit.

*Alfonsi Casti initia. Cap. IX.*



**D**E R idem tempus Veremundo morte sublato, Ouetique sepulchro, vbi eius & vxoris sepulchra monstrabantur: solus Alfonsus rerum potitus est. Purioris vitæ studio à Bertæ vxoris cõplexibus per totâ vitam abstinuissè fama fert: vnde illi Casti cognomen. Religionis amplificandæ studio templum Oueti, Saluatoris nomine præcipuum & maximum ab imo totum extruxit: tametsi inchoatæ fabricæ laudem nonnulli ad Veremundum ablegant: Alfonsum fama tenuit. Extructam templi cum exornandi cura sollicitaret pij Regis animum, duo Angeli aurificum specie, crucem auream gemmis distinctam, auroque fulgentem elegantis forma perfecerunt. Opinionem ad populum euentus confirmavit, cum perfecta cruce nusquam comparuissent. Rodericus Præsul Regem ait, à Leone.

Leone. I I I. Romano Pontifice impetrasse, vt Archiepiscopi cathedra templum à se nuper extructum honestaret: cum constet id tempore Alfonsi Magni factum esse. Alfonsi gloriam à præclaris initijs auspicantem domestica calamitas fugillasse visa est. Semena soror Sandiæ seu Sanctio Saldaniæ Comiti nupsit, nullo fratris respectu. Ex eo coniugio clandestino scilicet, Bernardus infans natus est, cui deinde Carpeni nomen fuit, & rerum gestarum fama ab Hispaniæ scriptoribus vnus maximè per hæc tempora celebratur. Re prodita Comes quidem cum per speciem comitorum Legionem venisset, maiestatis lege postulatus, excæcatis oculis perpetuo carceri in arce Lunæ mancipatus est: vbi vitæ reliquum in tenebris & squalore propagauit. Semena soror in virginum sacratarum collegium compulsa. Infans in Asturibus auunculi Regis iussu, non secus ac si ex ipso genitus esset, regio cultu educatus habitusque. magnæ indolis, quæ natura inerat; hæc adiumenta fuerunt. Interea Maurorum arma mouebantur. Zulema & Abdalla Regis Mauri patrum cum eatenus se in Africa tenuissent (tametsi auctorem habeo qui Abdallam Francorum opem implorasse affirmat, & Ludouicum Caroli Magni patris iussu Abdallæ iuuandi causa cum exercitu in Citeriorem Hispaniam, Oream vsque penetrasse,) hoc sanè tempore noui Regis despectu, priusquam se in regno confirmaret, in Hispaniam transmiserunt. Abdalla vt erat ardentiori ingenio, prior Valentiam ciuium voluntate occupauit. Zulema postmodum euocatus est à fratre ad spem rerum nouarum. In vicina oppida & vrbes irruptiones factæ: finitimi agri omni belli iniuria vastati. Ab his initijs eò audaciæ progressum est, vt collatis vexillis cum Alhaca Rege dimicare non dubitarint. pugna ingens fuit, multumque in ea sanguinis effusum. cum multis Zulema cecidit. Abdalla fuga Valentiam euasit. & cum toties eius conatus fortuna destituisse visa esset, pacata consilia turbulentis potiora fore arbitratus, sedere cum Rege facto arma posuit ea lege, vt vectigal annuatim penderetur, vnde vitam principalem in ea vrbe sustentaret. Pace inita firmanda filij ad Regem missi sunt: quos ille benignè acceptos apud se habuit eo loco & cultu, qui patruelibus consentaneus esset. eorum vni sororem connubio iunxit. Atque hæc gesta sunt imperij Arabum anno centesimo octogesimo quarto, iuxta Roderici Præsulis computationem. qui annus quintus erat ex quo Alhaca regnare cœpit. Maurorum bella intestina rei bene gerendæ opportunitatem Alfonso Regi præbuisse videntur: multi enim auctores, externi scilicet, (nam nostratibus magnum de ea re silerium) Alfonsi virtute aiunt Olisiponem urbem Lusitaniæ principem Mauris ereptam, missamque ad Carolum Magnum honestissimam legationem ex Hispania: cuius legationis principes Fruela & Basilicus captæ vrbis spolia Regis iussu detulerunt, equos, arma, captiuos, præterea admirandi operis & amplitudinis tentorium Mauricum. Excepere intestini tumultus motusque graues, quibus vitandis Regem in Abeliense monasterium ex fuga compulsum locis præruptis situm in Calæcis, Theudij viri principis opes regno reddiderunt clariorem effectum post calamitatem. Cæterum Alfonsi regnum nulla re mihi felicius illustriusque visum est, quam D. Iacobi Apostoli corpore,

quod per hæc tempora Compostellæ inuentum est, ad omen maioris quàm vnquam futuræ Christianorum felicitatis. quod qua ratione contigerit ex ltiori principio explicandum est.

*D. Jacobi Apostoli corpus inuentum. Cap. X.*



**P**LORVERAT vt si qua in Hispaniæ parte maximè in extrema Galæcia, ad eum locum vbi Iria Flauia sita est, cultus religionis Christianæ. Verùm sæua procella in Christi cultores excitata, quo tempore nondum repudiata multorum deorum vanitate, Romanorum Imperatorum iussu, piorum corporibus excruciantis tormenta omnia consumebantur, ijs in locis penitus extincta est. Quo factum, vt neque Romanorum reliquo imperio, neque Gothis rerum potentibus in Hispania B. Jacobi Apostoli sepulcrum vbi esset exploratum haberent. temporis iniuria atque verustatis locus dumis & vepribus obsitus erat, ignotusque omnibus, vsque ad Theodomiri Iriensis Episcopi ætatem. Myrus quidem Sueuorum Rex, de quo est superioribus libris memoratum, ex Romanæ ecclesiæ instituto formaque, Episcoporum in sua ditione dioceces certis finibus descripsit. Andream Iriensem Episcopum constituit, cui ordine successerunt Dominicus, Samuel, Gothomarus, Vincibilis, Felix, Hindulphus, Selua, Leosindus siue Theosindus, Enula, Romanus, Augustinus, Honoratus, Hindulphus: quorum omnium præter nomina notitia nulla extat: eademq; ignorationis caligine reliqui omnes qui successerunt inuoluti essent, nisi Jacobi luce, quæ breui totum orbem peruasit, illustrati essent. Theodomiri enim, qui Hindulpho successit, diligentia nuntu numinis tantus thesaurus repertus est. Præcipua auctoritate & fide viri, lumina sæpe inter noctis tenebras micare in vicino nemore testes oculati renunciabant. Sanctus Præsul ne ludibria oculorum essent suspicatus, studioque rem vniuersam, cuius fama percrebuerat, vestigijs omnibus explorandi, ijs luminibus locum omnem coruscare videt. nemo perscrutatur omnino. effosso terreo tumulo marmorea domuncula inuenta, qua sacrum sepulcrum includebatur. Argumenta quibus Apostoli corpus eo sepulcro contineri cognitum est, memoriæ non sunt prodita: sed nisi magna de causa eam opinionem susceptam nõ arbitrator. antiquitatis scilicet vestigia excussa, genijque quos passim occurrisse memorant, rem ita habere nunciant. Præsul visa nunciaturus Regem continuò arrepto itinere adijt. Is vt flagrabat religionis amplificandæ studio, rem omnem præsens lustrat: lætusque successu, D. Jacobi nomine eo loco templum extruendum curat, ex temporarium quidem & rude, nimirum formaceis parietibus compactum. sacerdotia instituit, redditusque vnde sacrifici viuerent templo attribuit, quantum regij fisci tenuitas per ea tempora patiebatur. Rei fama breui toto orbe Christiano dissipata, D. Jacobi religio vehementer aucta & amplificata est. Nunquam in Hispaniam ne rebus quidem integris, tantum exterorum hominum venit. Confluxerunt ex Italia, Gallia, atque Germania, ex pro-

ex propinquis, & vltioribus, ex longinquis gentibus ad tantæ rei famam. Multa miracula & magna, quæ quotidie ad sepulcrum Apostoli edita sunt, religionem auxere: vanamque non fuisse eam opinionem cunctis nationibus demonstrarunt. Leo III. Romanam Ecclesiam eo tempore obtinebat. ab eo Alfonsi Regis precibus, Caroli Magni auctoritate, nam ea potissimum de causa legationem (de qua dictum est) susceptam arbitrator, impetratum cum Episcoporum & procerum Hispaniæ voluntas accederet, vti Præsulis Iriensis sedes retento nomine, & Bracarenis Metropolitanis, cui subditus erat iure retento, Compostellam migraret loci cohonestandi causa. Tametsi Bracara per id tempus cum esset à Mauris euersa, habitatoribus vasta erat. vtraq; lege post ducentos septuaginta quinque annos, Compostellana Ecclesia soluta est: cum Pontificum Romanorum indulgentia, Regum Hispanorum opera, veteribus Emeritæ vrbs quondam Metropolitanæ iuribus in eam Ecclesiam translatis aucta est. Accessit eius municipij principatus agro attributo, quantum tria millia passuum circum sepulcrum occuparent, vt Alfonsi diploma declarat, quod in eius templi schedis conseruatur, designata etiam causa inuenti suo tempore corporis sancti.

*Carolus Magnus venit in Hispaniam. Cap. XI.*



**C**AROLVM cognomento Magnum Francorum Regem, non semel venisse in Hispaniam, fama fert veterum scriptorum constanti fide fundata. primùm post initia regni quod defuncto patre suscepit, Ibnabalæ Mauri precibus sollicitatus ad spem Hispaniæ Mauris eripiendæ, qua parte Vascones sunt Pyrenæo monte transcensu circumfessam Pompelonem, ciuium deditione facta redegit in potestatem. Cæsaraugustæ de manu Ibnabalam Regem dedit, vtrigali multatæ, quod annuatim penderetur. In reditu Pompelonem, quoniam iniuriæ opportuna erat, & inter Maurorum & Christianorum imperium sæpe alternabat, mœnibus nudandam curauit. In Pyrenæi angustijs Vasconum armis, impedimentis exutus thesaurisque direptis omnibus deformatus in Germaniam redijt. Gerunda & Barcino post aliquot annos, Mauris deditibus in Caroli potestatem venerunt. Inde Barcinonensium Comitum initia, & origo gentis Catalaunicæ: cum Cathelauni populi ad Tolosam vrbs in Gallia Narbonensi latè fusi, ad nouas scilicet sedes in Hispaniæ partem eam penetrassent. nam qui ex Gothis & Alanis Catalaunicæ vocem duplicant, aut à Catalone quodam Aquitanicæ Præfecto, quo tempore Martelli armis occupata est, Eudonique filijs erepta, vti antea dictum est, deriuant, nulli erudito suam opinionem probarunt. Thomichus eius gentis scriptor Carolum denuo ait, post aliquantum tempus Narbone capta ereptaque Mauris, in Hispaniam irrupisse: tractumque illud adiecisse imperio, cui Catalaunicæ veteri nomen est ad Ceretanos. Præterea cum Mauris dimicatum in valle, cui ab eo prælio Caroli nomen est factum. Addunt alij inuento Jacobi corpore, cum in amplificandæ religionis curam incum-



beret, venisse in Hispaniam, ut quæ fama prædicabat, præsens oculis lustraret. Re certa in reliquis Hispaniæ ecclesiis eo agente ius & auctoritatem Primatis Compostellano Præsuli datum. quod ne pro vero ponatur, ac potius ut repudietur tanquam falsum, multæ rationes mouent, quas explicare non est necesse, cum se nullo indicante commentum prodat. Post discessum ex Hispania Romam certè abiit, Leonis eo nomine. III. Pontif. Max. quem ab inimicis iniuria pulsum suspicabatur, restituendi tuendique cura. In Vrbe cum ad cognoscendam causam confedisset, Episcopi quorum erat magnus numerus euocante Rege, nefas esse acclamarunt, cuiquam de Pontifice Maximo iudicium facere. Pontifex ipse de suggestu obiecta crimina iureiurando diluit. Accusatores primum capitis damnati: deinde agente Pontifice, exilio tantum mulctati sunt. nullo tempore, neque res Romana liberior visa est, neque pontificia dignitas augustior. Præmissæ fuerant ad Carolum clauis confessionis S. Petri, & vrbis Romæ vexillum: indicio ciues & Pontificem se in eius potestatem contradere: quoniam parum opis in ea temporum perturbatione fore videbatur in Græcis Imperatoribus: res Francorum resurgere & confirmari considerabant. Itaque quod absenti decreuerant, vrbis Romæ imperium præsentem delatum. Octingentesimus primus salutis annus agebatur, cum Leo in æde Petri sacris operatus, Carolum Augustum appellatum, imperij insignibus exornauit. Romanus populus incredibilis lætitiæ argumento acclamauit: Carolo Augusto, Magno, & pacifico, vita & victoria. Factus Imperator ex Germania quo se contulerat, in extrema ætate venit in Hispaniam, ut consensus ferme scriptorum est, hac occasione. Alfonso annis grauis fessusque bello, quod continenter in Mauros gerebat maiori conatu quam successu, Carolum cogitauit in Hispaniam euocare, breui sperans totam prouinciã eius armis barbaris eripi posse. Prole ipse carebat. nauatæ operæ mercedem commodum visum est, regni successione proponere. non abiicit conditionem Carolus. Verum ætate ipse grauis, neque Alfonso minor, imperijque amplitudine clarissimus: Bernardo quem ex Pipino filio defuncto nepotem Regem Italiæ dixerat, nouum regnum destinans, Hispaniam petere constituit. Sequebatur inuictum copiarum robur. prope confecta omnia erant: cum re prodita (neque enim magnorum Principum conatus & fœdera, cum per alios conditiones ferantur, diu latere possunt,) vtriusque Principis conatus disturbati sunt. Proceres Hispaniæ agrè ferre Francorum imperio subdi, gentis insolentis (vti ipsi loquebantur) & feræ. non Maurorum seruitutem depelli, sed grauiori prope modum seruitute mutari. Hæc pro se quisque, hæc in circulis, hæc plebs, & optimates conquerebantur. Sumere arma, Regisque voluntati oblistere audebat nemo priuatim. Bernardus Carpenis ætate & spe ferox agris animis subdebat faces, Ducemque se præbebat ijs qui se sequi vellent. & Alfonso, vt sunt Regum voluntates incertæ, sui iam consilij pœnitebat. Marfilius Cæsaraugustæ Rex Maurus, cui pulsi ab eo Ibnabalæ causa Carolus iratus erat, in partes attractus. Ex vtraque gente iustus exercitus conflatur. Franci equitatu valent. optimum ergo visum est Pyrenæi saltus angustias occupare,

occupare, Francosque si possent aditu Hispaniæ prohibere. Externi scriptores Carolum aiunt vltius penetrasse, nec ante ex hostico decessisse, quam prælio victor agros prouinciæ longè latèque vastasset. in reditu cum hostium copijs ad Pyrenæi angustias pugnatum. Nobis nostrorum scriptorum. fides potior visa est, negantium Carolum in interiora prouinciæ penetrasse: sed in ipso aditu ad Rocidam vallem, quæ in saltu Vasconum est, pugnatum. Veniebant in prima acie Rollandus Britaniæ Comes, Anselmus & Eginardus viri primarij. locus erat minimè aptus copijs explicandis. Nostri ergo ex superiori loco impressione in hostes facta, multos priusquam se ad pugnam compararent, instruere que acies possent, ferro peremerunt. Cecidit Rollandus ipse, de cuius virtute & rebus gestis multa & incredibilia in vtraque gente vulgò homines fabulantur. Carolus suorum trepidatione strageque cognita, conatus inclinatum aciem restituere, hanc pro tempore ad milites orationem habuit. Quam turpe sit Francorum arma triumphis trophæisque nobilissima, Hispanorum egentibus populis & diuturna seruiendi consuetudine oppressis cedere, me silente res ipsa loquitur. Nomen imperij nostri, ingenita vis pectoris alacritatem addat. res fortiter, piè ac feliciter gestas, vestram nobilitatem, maiorum decus ad animos reuocate: & qui deuictis tot prouincijs leges magnæ orbis parti dedistis, ab inermi hostium genere, qui latronum more æquo campo congregi recusant, vinci ipsa morte acerbius iudicate. Fugæ locus non est in tantorum iniquitate. an æquum erit à pedibus præsidium petere, abijcere arma? tantum superi dedecus auertite: neque patimini milites tantum ignominie inuri nomini Franco. virtute & audacia ex his locis euadendum. Viribus, opibus, generositate, robore, numero, delectu præstatis: hostes inopia, illuue, squalore deformes: exercitus ex vtraque gente cõstatus, quibus nec idem mos est, & legibus, institutis, religione discrepant. vobis vnus animus est, mens eadem, pro vita, pro patria, pro nostra gloria necessitudo pugnandi. Ergo quo animorum vigore toties numerosas hostium copias me Duce, ipsam temporum & locorum sæpe naturam superastis: eadem nunc (nisi forte virtutis pristinae veterani milites obliti estis) minores quæ sese offerunt vincte difficultates. Mox buccina signum datum. pugna magno ardore instaurata, multum effunditur sanguinis. Francorum promptissimi & nobilissimi cadunt. Et erat Hispanorum exercitus omnium rerum patientia duratus: & opinio, quæ multum in bello potest, Gallorum animos fregit, cum in ipso ardore pugnae nunciatum esset Mauros locorum notitia aduolantes, per occultos tramites circumuenisse Francos, & iam à tergo instare. Nullus locus clade Francorum nobilior, ac fama celebratior fuit. Interempti ad S. Spiritus sepulti. Iniuriam ne Carolus armis vindicaret, ipsius morte quæ breui consecuta est contigisse arbitror. Aquisgrani defunctus, & sepultus est anno Christi octingentesimo quartodecimo. Rodericus Alfonso Regem ante prælio interfuisse. Vascones Fortunium Garfiam Regem Suprarbis magnam victoriæ fuisse partem affirmant. Gallicæ historiæ non nostram virtute victos Francos, sed Galalonis cuiusdam prodicione cladem illatam. studio

dio & simulatione vtriusque gentis confusam memoriã arbitror: vsque eò vt ne Eginardus quidem, qui Carolo Magno à secretis fuit, in eius vita vllam de hac pugna mentionem faciat: quod ex malitia detractum crederem, nisi idem contigisse Alfonso Regi Legionis considerarem, cui Magno cognomen fuit, in eo chronico quod Sebaltiano Salmanticensi Episcopo paulò post hæc tempora nuncupauit. Atque de Caroli Magni expeditione ignominiaque hæctenus. de re tota liberum iudicium lectori ex aliorum scriptis esto. ad intermissa reuocetur oratio.

*Reliqua Alfonso Regis gesta. Cap. XII*



**SECUNDO** Alfonso regno sine vlla ferme offensione rei Christianæ cursus erat, constans, æquabilis, perpetuaque fortuna: neque res bellicæ curæ magis erant, quam pacis artes & religionis amplificandæ studium. Templum enim quod Oueti Saluatoris nomine præcipuum & maximum sub initia ædifi-

candum curauit ad culmen perductum, à septem Episcopis quò maior videlicet loci religio esset, ex ritu Christiano sacratum est, anno octingentesimo secundo. Mariæ Virgini in eadem vrbe ædes extructa, illique coniuncta domus humanis comparata Regibus. tertia Thyrsi Martyris nomine elegantissima. quarta Iuliani. præterea palatium regium rebus omnibus instruetum. Ea enim erat Alfonso animi magnitudo, vt in priuata re frugali victu contentus tenuiq; cultu, omnia ad imperij dignitatem, gloriam & splendorem reipublicæ reuocaret, eiusque vrbis ornamentum: quam Regum primus sedem regni fecit, vti Alfonso cognomento Magnus est auctor. Interea Toletani aduersus Regis sui imperium tumultuabantur. copiæ & otium, vnde malis omnibus origo, in causâ erant: nullaque magna ciuitas diu quiescere potest. si foris hostis non est, domi nascitur. Alhaca Rex vt erat ingenio calido facile tacere, celare, dissimulare, insidiari assuetus, Ambrocius Oscæ Præfectum, idoneum hominem nactus, cum Toletanis ciuibus gratus esset, cum litteris mittit, culpam rebellionis in Præfectorum insolentiam reijcit. Illi, vt sunt serè eius vrbis incolæ minimè mali, nullam suspicati fraudem, eum in urbem admittunt. post aliquantum tempus regijs iniurijs prouocatum simulat seditionis participem esse velle. vrbe ad omnes casus munienda quo loco nunc D. Christophori ædes est, vt arcem ædificarent fit auctor: & vt præsidij causâ militum manus in urbem reciperetur. Ad eos motus comprimendos mittitur Abderrahmanus Regis filius, qui natus erat viginti quatuor annos: quo simili fraude per speciem initi foederis in urbem arcemque admissò, primarij ciues ad quinque millia conuiuij simulatione inuitati, à militibus obruncati sunt salutis anno octingentesimo quinto. Clarum noxæ simul & pœnæ exemplum plebem quidem Toletanam in officio continuit: Cordubenses autem qui suburbium obtinebant, haudquaquam deterruit, quò minus à Regis imperio rebellarent. Missus Abdelcarinus, qui obseffa paulò ante Calagurri vrbe, agrisque & oppidis circum euastatis, in

magna

magna gloria esse cœperat, tumultuantes compescuit. Minor ciuium strages fuit: trecenti ad fluminis ripam laqueis suspensi. atque hæc Mauri. A Christianis autem geminus Maurorum exercitus, qui bipartitò in Calæciæ fines inuaserant, bellicque terrorem circuntulerant, reiecti cum clade, delictique sunt anno octingentesimo decimo. Ores Emeritæ Præfectus Beneuenti obsidionem Alfonso aduentu soluere coactus. Alcama Maurus Pacis Augustæ Præfectus à Senticæ finibus, quam circumfederat, repulsus est. Neq; multò post Mahumetes nobili loco inter Mauros, Emeritæ quondam ciuis, Abderrahmani metu, qua causâ incertum, sed vim tamen veritus cum suorum manu Alfonso fidei se credidit. in Calæcia locus ad habitandum concessus Regis benignitate. Octauo post anno studio nimirum suæ genti gratificandi cum correptis armis rebellasset, occupato Sanctæ Christinæ oppido, (quæ arx à Lucò vrbe octo passuum millibus disita cernitur) Regis celeritate eius conatus sunt præoccupati. summa vtrinque contentione ijs locis dimicatum. cæsa ad quinquaginta hostium millia. Mahumetes ipse obruncatus. grauique documento sancitum temerè patriæ proditoribus, atque opinionibus de religione discrepantibus fidem accommodari. Inter hæc Alhaca Cordubæ Rex obiit, anno imperij Arabum ducentesimo sexto, regni vigesimo septimo, salutis octingentesimo vigesimo primo. Filios decem & nouem reliquit, filias vnam & viginti. Abderrahmanus annos natus quadraginta vnum successit in regno. regnauit annis vno & triginta. Bernardi Carpenis virtus vnus maximè enituit bellis omnibus, quæ hac tempestate gesta sunt. Is à Regis auctoritate defecit, palàm missione impetrata. æquissimi postulati, vt ipsi videbatur, repulsa alienauit animum: cum patrem, quem tandiu in vinculis teneri iniquo ferebat animo, è carcere emitti neque suis meritis, neque Reginae precibus à se uero Rege & auunculo impetrasset. Saldaniam ditionis paternæ oppidum concessit non obscure iratus Regi, & vindictæ cupiditate incensus licunde se daret occasio: neque destitit prædas agere, regiamque ditionem irruptionibus vexare, nullo prohibente: cum Rex in senili & præcipiti ætate eius conatibus reprimendis impar esset, proceres Bernardi causæ fauere viderentur. Sanè Alfonso Bernardi defectione prouocatus, cum vitæ exitum vrgere cerneret, & ex morbo lethali decumberet, in procerum conuentu Ramirum Veremundi Regis filium regni successorem designauit. Peracto demum vitæ suæ spatio, ad vltimam cum processisset senectutem, & octogesimum quintum ætatis annum compleisset: regnasset annos quinquaginta duos, menses quinque, dies tredecim, (alij Mauregato & Veremundo annos, quibus vterque regnauit, quasi vitio creatis detrahunt, & priori annorum numero adijciunt) Oueti defunctus est, & ad D. Mariæ sepultus anno octingentesimo quadragesimo quarto ineunte. in quo ab Alfonso Magni ratione parum discrepamus: sed Compostellani catalogi auctoritatem secuti, cæteris monumentis historici consentaneam.

*Ramirus Rex. Cap. XIII.*

RAMIRI



**R**AMIRI regnum tempore breue, gloria rerum gestarum ce-  
 leberrimum fuit, grauissimo seruitutis iugo è piorum cerui-  
 cibus depulso, compressaque insolenti Mauricæ gentis audacia.  
 quod enim stamus, Hispaniæque antiqua dignitas restituta est,  
 vnus Ramiri virtuti & perpetuæ felicitati acceptum feratur necesse est. Fo-  
 ris clarus fuit, domi admirandus, nec bellica gloria quàm pacis artibus ma-  
 ior. Magica sacra cantionesque ignis supplicio coercuit. furta quorum erat  
 magna licentia, eruendis latronum oculis: iustissima pœna, auferri amplius  
 delicti facultatem. Res gerebat Ramirus in Vardulis quo tempore Alfon-  
 sus defunctus est. Locorum longinquitate Principisque mutatione inuita-  
 tus Nepotianus Comes, in Asturibus regnum armis inuasit, gratia, opibus  
 & auctoritate validus. Diuersæ voluntates gentis erant, neque sententia  
 vna. prauo & inquieto homines ingenio factioni fauebant: saniores sile-  
 bant, neque se in tanta colluione tyranni metu audebant commouere. Col-  
 lectis vtrinque copijs ad Narceiæ fluminis ripam pontemque in Calæcis  
 dimicatum. Nepotianus à suis desertus atque victus acie est. Fugientem  
 Somna & Scipio comites comprehendunt in Præmariensi tractu, vincunt-  
 que: eoque tradito, à victore gratiam incunt. Et est iustissima perfidiæ mer-  
 ces, vt perfidia compensetur: ac ferme cui fortuna aduersa est, eum hominum  
 studia destituunt. Capto Regis iussu effossis oculis & in monasterium com-  
 pulso idem vitæ & ærurnarum terminus fuit. Intestinos regni motus no-  
 uum aduersus Mauros bellum excepit initio formidabile, successu lætissi-  
 mum, in paucis nobile. Abderrahmanus eo nomine secundus Maurorum  
 imperium obtinebat. natura ferox, perpetua rerum gestarum felicitate fero-  
 cior effectus erat. Abdalla enim patruo, qui denuo Valentia regnandi spe  
 arma sumpserat, fugato sub initia regni, & post fugam defuncto, Barcino-  
 neque Christianis erepta Abdelcarini Ducis virtute, viribus ipse, copijs &  
 gloria maiores exæquasse videbatur. Itaque legatione ad Ramirum missa,  
 centum virgines ex fœdere olim cum Mauregato Rege inuito, repræsentari  
 tributi nomine flagitabat: quo postulato haud dubium nisi pareret, noui  
 belli denunciatio continebatur. grauis metus, sed maior ignominia. Legati  
 continuo extrusi, ne violarentur ius gentium valuit. Tametsi fœdum atque  
 intolerandum videbatur nouo Regi, de re turpissima fuisse interpellatum.  
 Omnes (quorum ætas idonea erat) tota ditione arma induere compulsi,  
 paucis exceptis agrorum cultui destinatis: ne cum fame simul & hostibus pu-  
 gnare necesse esset. Ipsi Episcopi & viri sacri castra secuti. magna totius  
 gentis expectatio erat. In Riuogiam irruptio facta, quoniam is tractus in  
 Maurorum ditione erat: & Rex amplissimum pulcherrimumque ducebat  
 gloriæ. seruire, tueri nominis existimationem bello hostibus prouocatis. &  
 quod necesse erat, sponte fecisse videri cupiebat. Abderrahmanus contra ma-  
 gnos delectus habere: arma, equos, comæatum comparare, & conferre quæ-  
 cunque ex vsu belli futura arbitrabatur, certus nostrorum copijs obuiam  
 prodire. Ad Aluendam castra castris collata, oppidum ea tempestate mu-  
 nitum, deinde etiam monasterio insigne, quod D. Martini olim nomine  
 Sanctius

Sanctius Rex Vasconum ædificandum curabit: nunc ad casus ferme reda-  
 ctum cernitur. Monasterij reditus & bibliotheca in paucis nobilis in D. Ma-  
 riæ Rotundæ consequenti tempore commigrarunt Lugrunium: vnde Aluel-  
 da distat octo passuum millibus. Ijs in locis pugnatum vtrinque totis viri-  
 bus ac copijs. atrox dimicatio fuit, nullaque ea tempestate maior. collecti-  
 tius nostrorum exercitus veterano & exercitato militi impar erat viribus  
 & industria. Ducum diligentia, cum partibus omnibus adessent, inclinata  
 res stetit. noctis superuentu, cum prospectum tenebræ abstulissent, cessatum.  
 Nox interposita saluti nostris fuit: vt in bello nihil tam paruum est, quod  
 non interdum magnæ rei momentum faciat. Ramirus Rex imminutas nu-  
 mero copias metu debilitatas in vicinum collem subduxit. victum esse ea re  
 confiteri visus est. loco munito pro tempore & vulneratis cura adhibita, in  
 suprema rerum desperatione & luctu, omnes vt sit in vota & preces conuer-  
 si. Regem mœrore oppressum & de rerum summa sollicitum somnus com-  
 plexus est. Dormienti Iacobi Apostoli species obiecta augustior quàm  
 pro humano habitu, bono animo esse iubet: de victoria nihil dubitare nu-  
 minis ope, quam certò assiduram proxima luce speraret. Rex ad has Iacobi  
 voces excitatus, lætusque nuncio, cum ex stratis se corripuisset, Præsules &  
 magnates ad se vocari iubet. Cum conuenissent hac sententia orationem ha-  
 buit. Compertum habeo, viri præstantes, quo loco res nostræ sint, iuxta  
 ,, mecum vos omnes considerare. Hesternæ pugna tantum non victi sumus.  
 ,, non nostra virtute, sed noctis beneficio euasimus, numero imminuti, debi-  
 ,, litati viribus, oppressi metu. hostilis exercitus ante validus, nostra calami-  
 ,, tate robustior euasit. Neq; pugnae repetendæ facultatem esse videtis, neque  
 ,, ineundæ fugæ locum. diutius in his locis esse, si maximè cupiamus, frumenti  
 ,, aliarumque rerum inopia haudquaquam patietur. Duram & ancipitem sor-  
 ,, tis nostræ necessitatem præsidio humano & viribus destitutam, tantumque  
 ,, non malorum pondere pressam, diuinum numen quod certò vobis polli-  
 ,, ceor, facessat modò metus, neque animi auribus officiat quo minus nostris  
 30 ,, dictis fidem adiungatis, restituet atque sustentabit. Temeritas in asseueran-  
 ,, do turpis est, præsertim cum iudicandum est quantum rebus diuinis religio-  
 ,, nique tribuamus: cum sit periculum, ne aut ijs neglectis impia fraude, aut  
 ,, susceptis anili superstitione obligemur. Iacobus Apostolus mihi per quie-  
 ,, tem oblatu, victores nos fore pollicitus est. Erigite animos, mœrorem om-  
 ,, nem deponite. Vana non esse quæ dicimus rei euentus declarabit. Agite  
 ,, ergo pleni bona spe, in hostes irruite. pro patria, pro libertate, pro commu-  
 ,, ni salute certate. Licuit nobis cum summa turpitudine seruire Mauris. hæc  
 ,, quia intoleranda videbantur, arma corripuistis. pulcherrimi incepti & pri-  
 ,, stinæ virtutis memores, Christianæ religionis ignominiam, vestraque gen-  
 40 ,, tis dedecus Deo auctore, Iacobo auspice propulsate. Hæc vbi dixit, aciem  
 instrui & signa canere iubet. Nostri magna alacritate in hostes impresio-  
 nem faciunt D. Iacobi nomen magnis vocibus ingeminantes. quod ab hoc  
 initio susceptum in morem abiit, vt Hispanis militibus sit pro tessera mili-  
 tari. Barbari nostrorum audacia, quos victos esse putabant, commoti, & cæ-  
 litus

litus iniectâ formidine percussus, nostrorum impetum non tulerunt. Iacobus, uti erat Regi pollicitus, in equo candido niueum vexillum præferre visus est, quod rubræ crucis figura distinctum erat. Eius aspectu nostris vires auctæ, barbaris animi concidebant. fœda fuga fuit, neque minor cædes: sexaginta millia Mauri perempti. Clauigium, quo loco pugnatum esse hoc ipso tempore armorum strages passim effossæ indicant, Aluelda & Calagurris Mauris ereptæ. Anno salutis octingentesimo quadragesimo sexto, Ramiri regni secundo pugnatum est. Victor exercitus secundum Deo gratias actas pro diuino munere, D. Iacobi, cuius præsidio victoria constiterat, Compostellano templo voti ream vniuersam Hispaniam fecit: tametsi pars maxima in ditione Maurorum erat, ex singulis iugeris agri vineæque modium singulis annis frumenti aut vini pendendi. quod Romani Pontifices votum, nonnulli deinde ratum habuerunt, uti ipsorum litteræ indicio sunt. Ramiri Regis diploma Calagurri est cõcessum, mensis Maij die quinta, Era octingentesima septuagesima secunda: malle octingentesima octogesima quarta, ut ratio temporum quam constantissimam sequimur, hac etiam parte conueniret. Additum præterea, ut hostium spolijs diuidendis, lege in omne tempus lata Iacobus Apostolus pro vno milite esset: quod longa defuetudine antiquatum est. Vectigal vini & frumenti nonnulli populi pendunt. Ex belli manubijs ædes Mariæ Virginis nomine, secundo ab vrbe Oueti lapide in latere Naurantij montis ædificata, structuræ genere & totius operis maiestate in paucis elegantissima extat, propeque altera Michaelis nomine, eiusdem Regis opus. Exornauit Regina (quam nonnulli Vrracam vocant alij Maternam, vnde Ordonius & Garfias nati sunt) quidquid laboris poterat impendi detrahique ex cultu domestico, solita exornandis Iacobi alijsq; tota ditione diuorum templis conferre. Minor quàm pro victoria successus ut esset, bellum improuiso aliunde illatum per idem tempus effecit.

*Nortmanni vexant Hispaniam. Cap. XIII*




**N**ONDUM Maurica seruitus depulsa erat, quam ex Austro profecta gens barbara inuexerat, cum noua ex Septentrione clades Hispaniam afflixit. Nortmanni gens fera & barbara, atque Christi Dei sacris nondum susceptis impia, ex Dacia Nortuegiaque profecti, quod nomen ipsum declarat Septentrionales fuisse, vitæ sustentandæ necessitate, an potius nocendi studio piraticam faciebant Rholone Duce. Frisiæ littora primùm tentarunt: deinde Galliarum, qua parte Sequana fluuius in Oceanum Gallicum mittit, infestiore continentioreque latrocinio oppida, agros vrentes, quàm vllus vnquam iustus hostis fecerat: fines deinde Nannetum, qui Ligeri fluuio alluuntur Turonum Pictonumque depopulati: Roberroque Andium Comite acie victo, terrorem omnibus circum populis intulerunt. In Neustria demum constituerunt, quæ hodie Galliarum pars à gente Nortmannia nuncupatur. Ludouico.

II. Impe-

II. Imperatore, & Carolo Crasso concedentibus, quoniam publicè detestabant imperium, ea lege ut Nortmanni Principes Francorum Regum beneficiarij essent. Ex Gallia validæ classis per hæc tempora missæ maritimas Hispaniarum vrbes omni iniuria belli vexarunt. ac primùm Calæciæ oram vniuersam infestam reddentes, & ad Brigantinum portum appulsi, Ramiri armis victi prælio atque ad mare reiecti sunt. septuaginta naues quæ captæ, quæ submersæ in nauali pugna. auctor Rodericus Præsul. numerus vix fidem facit. Nam qui cladi superauerunt Nerio promontorio superato, ad Tagi ostium inuecti Olisiponem urbem, quæ ad Maurorum ditionem redierat, omni belli iniuria fatigarunt: & sequenti anno, qui fuit eius seculi quadragesimus septimus, aucti classe & viribus Hispalim oblederunt: Gaditanos agros & Afsidoniarum fines vastarunt. hominum & pecorum prædæ abactæ. Mauri tribus prælijs magno numero cæsi. ad extremum cum diutius ijs in locis confedissent, nunciatumque esset Abderrahmanum Regem nouam classem comparare, magna gloria partem spolijsque onusti ex Hispania decesserunt. Excepere intestini motus inter Christianos. Alderedus enim Comes, & Piniolus opibus & clientelis potens, deinceps contra Ramirum Regem arma corripuerunt. defectionis causæ memoriæ proditæ non sunt: res tamen breuem & facilem exitum habuit. Alderedus luminibus captus, Piniolus & septem filij perempti Ramiri iussu, regni eius anno quinto. Qui cum septem totis annis reipublicæ præfuisset, Oueti defunctus est, atque in D. Mariæ tumulatus ipse & vxor Paterna. Extat Ramiri Regis cippus Oueti cum inscriptione hac. OBIT DIVAE MEMORIAE RANIMIRVS REX DIE KAL. FEBRVARII. OBTESTOR VOS OMNES QVI HAEC LECTVRI ESTIS, VT PRO REQVIE ILLIVS ORARE NON DESINATIS. Ibi & frater Garfias sepultus fuisse creditur. neque quid præterea de rebus eius memoriæ mandatum. Ramiro Rege Theodomirus Iriæ Episcopus defunctus est. Ataulphus in eius locum successit. Quidam ad hæc tempora militiæ D. Iacobi nomine, rebus gestis clarissimæ initia referunt nullo neque auctore idoneo, neque argumento satis probabili. sed studio eius ordinis illustrandi (quod minimè opus fuit) afficta monimenta vetustatis, maiori eruditione viris probari non potuerunt. Ramiro Ordonius filius successit principio anni octingentesimi quinquagesimi primi.

*Multi Martyres Cordubæ occisi. Cap. XV.*



**S**AEVA carnificina, ac qua grauior ante multos annos nulla extitit, Cordubæ per hæc tempora in Christianæ pietatis cultores exercebatur. Ignis, candentes laminæ, cruciatus ceteri in eorum corporibus consumpti. Fides Christo seruata, & sincerae religionis cultus grauissimum crimen erat: sed alia facinora obtenta, ne sancitum olim foedus de retinenda Christiana religione violari

violari videretur. Abderrahmanus eo nomine secundus Cordubæ Rex, & Mahomad eius filius callido homines ingenio, rem superis æquè & hominibus gratam facturos se existimabant, Christianorum reliquijs à stirpe excindendis: & ad stabiliendi imperij rationes pertinere in primis iudicabant, si religionis dissidio sublato, vno societatis vinculo subditi omnes constringerentur. Nostris quidem, quo primum tempore occupata à barbaris & oppressa est Hispania, concessa à victoribus erat patriæ religionis libertas. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines insigni veste discreti à cæteris, atque ex veteri ritu detonsi in publico conspiciebantur, tum alijs locis, tum præsertim Cordubæ, quò propter amplitudinem vrbs, & quoniam in ea sedes imperij Maurici fixa erat, numerosa piorum multitudo confluxerat. Multa erant tum monasteria tum templa ex Christiano ritu sacrata. Aciseli Martyris vnum, Zoili Martyris alterum, tertium Fausti, Ianuarij, & Martialis: præterea Cypriani, Genesij, Eulaliæ, singulæ singulorum nominibus ædes sacræ. atque hæc intra vrbs. Extra vrbs mœnia octo monasteria: vnum Christophori nomine trans flumen, in vicinis montibus alterum Mariæ Virginis Cuteclarensis vulgò dictum, tertium Tabanense, quartum Pilemellariense Saluatori sacrum, quintum Armilatense Zoili nomine: ad hæc tria alia, Felicis, Martini, atque Iusti & Pastoris. Ex his omnibus locis ære plebs rei diuinæ causâ nullo vetante conuocabatur. Mahometem tantum impiæ gentis conditorem primum, maledictis publicè aut priuatim incessere capitale erat. Maurorum templa intrare vetitum. ea modò seruantur nostri, cætera suis legibus viuere sinebantur: ac ferme pristinam retinere libertatem. Tolerabilis hæc erat seruiendi conditio: nam & Comitum dignitatem inter captiuos Christianos retentam inuenio, nisi ab his initijs nostrorum calamitates indies auctæ essent. vectigalia in primis, quæ initio modica erant, grauiora miseris imperata: quorum magnitudine vrgente, finem aut modum orabant: & cum non impetrarent, morte ipsa vitam duriolem propagabant. Hinc veteris odij semina ad maturitatem perducta. nostri grauisimum iugum depellendi consilia communabant. Mauri ad Christianorum nomen exhorrebant, seque vel ipso vestium contactu contaminari ac pollui habebant persuasum. piorum sermones obseruare, vultum habitumque notare, contumelijs & probris initium rixæ quærere. Neque Christiani dubitare tam multis iniurijs prouocati, legem & instituta Maurorum palàm execrari. Hinc Regibus impijs & Magistratibus occasio Christianorum nationem insectandi: eo grauioribus malis, quòd è nostris non pauci à Mauris stare visi sunt, & nostrorum audaciam criminari: negareque palàm qui in certamine occubissent Martyrum honore dignos esse. Quòd nulla eorum virtute ederentur miracula: quòd nulla necessitate defendendæ religionis sed propriæ voluntatis obstinatione & audacia se in discrimen obtulissent, conuitiaque in aduersarios haudquaquam necessariò iactarent: cum religionis patriæ retinendæ concessa facultas esset. Ac illud demum opponebatur, corpora eorum qui occubissent haudquaquam incorrupta seruari, vt

veris

veris olim Martyribus contigerat numinis argumentò certissimo. sic illi prædicabant, quàm aptè non disputamus. Reccassredus Episcopus & Seruandus Comes Martyribus exagitandis, & piorum conatibus comprimendis se duces præcipuos præbuerunt. Homines honestissimi, nullo ætatis aut sexus discrimine in ferrum atque in vincla coniecti. Abderrahmano agente Episcoporum concensus Cordubæ habitus est. Patrum sententia iniuriarum damnati, quicumque isti olim cum Mauris foederis condiciones violassent. Acerbam vitæ conditionem, spectaculum miserum ac tetrum, ludibrio esse Christiani nominis gloriam: qui propugnare atque resistere parabant, vno tempore à fronte quidem à barbaris, à tergo autem vrgeri ab ijs, quorum vocibus & exemplo excitari potius atque erigi consentaneum erat: atque vtriusque nationis calumnijs & conuitijs vexari intolerandum. Quid agerent? quò se verterent? multos profectò debilitari animis atque concidere necesse fuit. Alij numine pleni in acie perstiterunt. Multi toto decennio, ex quanto tempore clades desæiit maximè, pro Christiana religione vitam & sanguinem profudere. Primo anno Persectus presbyter Cordubensis, atque è plebe Ioannes quidam occubere. Anno altero Isaac monachus, Sanctius natione Gallus, Petrus presbyter Altigitanus, Vvalabonfus diaconus Ilipulensis, Sabinianus, Vviltremundus, Habentius, Hieremias monachi, Sifenandus diaconus Pacensis, Paulus Cordubensis, & Vvalabonfi Martyris soror Maria Ilipulensis perempti. Quo anno maximè Reccassredus Episcopus in Martyres desæiit, multisque vincula iniiecit. In his Eulogio Abbati Sancti Zoili, qui hæc omnia ad posteritatis memoriam litteris commendauit vir ea ætate clarus eruditione, ac moribus sanctus. Anno tertio interfecti Gumefindus Toletanus presbyter, & Deiseruus monachus: præterea Aurelius & Felix cum vxoribus Sabigothone & Liliofa, Georgius monachus natione Syrus, & Emila & Hieremias ciues Cordubenses, monachi tres Christophorus Cordubensis, Leuigildus & Rogellus Eliberritani: ad hæc Seruideo monachus Syrus. Ipso anno nimirum eius seculi quinquagesimo secundo Abderrahmanus decessit repentina vi morbi oppressus: pij cælestem vindictam interpretati sunt effusi Martyrum sanguinis. Confirmavit opinionem, cum qua hora Martyrum corpora in patibulis tabo sanieque disfluentia è sublimi palatij parte contemplatus, igne torrere mandasset, inter astantium manus collapsus, mutusque effectus, eadem nocte obiisset incunte regni anno trigesimo secundo. reliquit filios quadraginta quatuor, filias duas & quadraginta. Cordubæ plateæ hoc Rege lapide strata: ex montibus aqua copiosa in vrbs per plumbeos tubos deriuata. primus inter eos Reges sanxit lege certa, vt propinquis cæteris prætermisissis, quod in iure controuersò catenus fuerat, filij patribus succederent. Itaque in eius locum Mahomad subrogatus est, qui suæ gentis regnum obtinuit annis quinque & triginta, mensibus sex. Hic pios omnes aula exegit initio regni: & cum nihil de constantia mutarent, consequenti anno recrudescente sæuitia, restaurataque cæde Fandellam presbyterum & monachum Accitanum, Anastasium mo-

Y 2

nachum

nachum & presbyterum, Felicem monachum Complutensem, Dignam virginem Deo sacram, Benildim matronam, Columbam & Pomposam virgines ad Christum morte transmisit. Annus consequens vnum tantum Martyrem fecit Abundium presbyterum. proximus quatuor, Amatorem adolescentem Tuccitanum patria, Petrum monachum Cordubensem, Ludouicum Cordubensem ciuem, Vvitesindum Egabrensem. Anno septimo Helias presbyter Lusitanus, monachi tres Paulus, Isidorus, Argimirus, Aurea virgo Deo dicata, Adulphi & Ioannis Martyrum foror. Anno octauo Rudericus & Salomon pro vera pietate occisi sunt. Nonus incruentus fuit. Postremo atque decimo persecutionis anno, ipse Eulogius qui cæteros voce & exemplo incitabat occubuit, sabbatho quinto Idus Martij: & quarto post die Leocritia virgo Cordubensis. Eulogij vitam Aluarus Cordubensis eius familiaris & necessarius scripsit: vbi asserit, paulò ante mortem in Vvestremiri locum Toletanum Archiepiscopum summa cleri & populi voluntate electum fuisse. Extat Eulogij ipsius epistola anno octingentesimo quinquagesimo primo data ad Vvitesindum Pompelonensem Episcopum, atque in ea Vvestremiri præclarum eulogium in hæc verba: Post quintum, inquit, diem Toletum reuertit: vbi adhuc vigentem sanctissimum senem nostrum, saculam Spiritus sancti, & lucernam totius Hispaniæ Vvestremirum Episcopum comperit: cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans, hætenus honestate morum, celsisque meritis catholicum gregem refouet. multis apud eum diebus degimus, eiusque angelico contubernio hæsimus. Ex eo contubernio ciues Toletani quem fama virtutum celebrem reddiderat, de facie cognitum probare amplius & amare cœperunt: pastoremque destinare in Vvestremiri locum, si vita suppeteret. Cordubæ sanè in Eulogij locum Samson presbyter consequentibus annis Sancti Zoili Abbas susceptus est, vir doctus & subtili ingenio: vt Apologeticum opus ostendit aduersus Hostigesium Malacitanum Episcopum, qui cum in concilio Cordubensi hæreticum cum conuitio vocarat.

*Ordonius Rex. Cap. XVI.*



**L**VSTIS Ramiro Regi solenni ritu peractis, Ordonius filius regium insigne, nomen, potestatem, animumque suscepit, miti ac tractabili ingenio, suauissimis moribus, ac per totam vitam actionum modestia singulari: vnde populi & procerum studia promeruit. cunctorum animos sibi deuinxit: nullius vt memoria gratior esset ea tempestate & consequentibus annis. Iusti æquique tenax fuit: necessaria quidem virtus, sed fraudi obnoxia in magnis Principibus, nisi impetum animi prudentia regant, neque se dolis circumueniri sinant prauorum hominum, quorum in aulis principum magna multitudo est, eorum auribus insidiantium, bonorumque innocentiae, seque & suos alieno sanguine saginantium: & qua re Principes maximè moueri intelligunt, ea in-

ea in multorum perniciem abutentium: vt Ordonio Regi accidit. Quatuor ecclesiæ Compostellanæ serui Ataulphum Episcopum, præcipua & maxima vitæ sanctitate virum, grauissimi criminis reum apud Regem postularunt. vir sanctus in curiam ad dicendam causam euocatus venit. priusquam aulam adiret sacris operatus, vt erat infulis ornatus in vesteque sacra ad Regem pergit. Quæ res à furore retinere debuit, religionemque animo commouere, vehementius concitauit. siue criminis quod imponebatur detestatione, seu iniuriam interpretatus quòd ad se continuo non venisset: taurum indomitum, telis, canibusque irritatum in Præsullem aduenientem immittit: quod nefas erat inaudita causa quemquam supplicio damnare. In tanto periculo Ataulphus crucis signo se munit. Taurus posita ferocitate demisso capite accedit. cornua contrectanda præbet. Quæ magno omnium qui aderant miraculo in eius manibus hæserunt. Rex & proceres ex ea re viri innocentia perspecta, ad genua procumbentes veniam rogant. dat ille non inuitus: cum negaret recuperata sua dignitate ignominiaque procurata, se vnquam commissurum, vt cum ea quæ per iniuriam ablata erat, nominis existimatio reddita esset, Christiani hominis officij oblitus videretur, & virtutem animi non habere, quam nunquam perdidisset. Sunt qui anathematis execratione delatorum caput deuouisse asserunt. Depulso sanè periculo cum Pontificatum abdicasset, in Astures se contulit: vbi secretam ab hominum congressu vitam sanctissimam ad multam ætatem exegit. Tauri cornua è tholo templi maximi Ouertensis suspensa, diu rei gestæ monumento fuerunt. atque hæc sub initia Ordonij regni contigerunt. Anno altero Muza quidam è Gothorum quidem sanguine orus, cæterum professione Maurus, à multo rerum viu & militari arte præclare instructus, vtriusque nationis in se vnum arma prouocauit. A Rege enim Cordubensi palam deficiens Toletum, Cæsarangustam, Oscam, Valentiam, Tudelam incredibili celeritate occupauit. Mox in Galliam populabundus irrupit: duos Francorum Duces obuiam factos cepit: tantumque terrorem intulit, vt eum Carolus cognomento Caluus Francorum Rex, muneribus leniendum conciliandumque iudicaret. Is ex successu continuæ felicitatis rerum humanarum inconstantiae oblitus, vltimusque prouectus Ordonio Regi bellum intulit: cum se duobus tertium Hispaniæ Regem annumeraret. Alueldam in Riuogia Christianis ereptam magnis operibus muniendam curauit. Alfonsi Regis Chronicon ædificasse ait, & Albaidam nominasse. Ea iniuria Ordonius prouocatus copias contrahit: cum parte Albaidam circumsedit: partem alteram in hostem ducit, quem in Laturso monte castrametatum esse cognouerat. Magno clamore infestis signis ab vtraque parte concurritur. telis omnibus consumptis, gladijs res geritur. Nostri pristinae virtutis memores, pro patria, pro religione acriter pugnant. Certatur diu. victoria demum à nostris stetit. decem barbarorum millia perempta. in his promptissimus quisq;, genere rebusq; nobilissimus. ipse tyrani gener Garfeas cecidit. Muza multis acceptis vulneribus vix

euasit: ex quibus tamen deinde defunctum esse arbitror. Maurorum spolia ditissima, castraque à nostris direpta. Quo tempore Mahomad Cordubæ Rex suarum rerum periculo prouocatus, arma in communem hostem expediebat. Toletum propter loci munitionem, & quoniam Princeps defecerat, cæterosque suo exemplo vt idem facerent prouocarat, primum peti placuit. Lupus Muzæ filius, quem Toletum pater præfecerat, accepta ad Alueldam suorum clade castigatus, & maioris belli metu Ordonium sibi icto foedere conciliat. Ab eo, Garsia fratre Duce Asturum & Vasconum validæ copiæ missæ in auxilium. Mahomad virtute diffusus, ingenio ad artes conuerso, cum castra propius urbem promouisset, in Celeti (id torrenti nomen prope Villam Minaiam, & locus idoneus erat) alueo collocatis insidijs ipse cum exiguo militum numero in urbis conspectum se dat. quorum paucitate despecta, Toletani portis se continuo effundunt solutis ordinibus nulla militari disciplina, quasi ad prædam non ad pugnam. Eo impetu in insidias præcipitatum: & cum à tergo & à fronte vrgerentur, multis cadentibus reliqui ægrè per confertos hostes in urbem iter aperuerunt. Mauri duodecim millia, Christiani ad octo millia, in ea pugna desiderati. loci munitione factum est, ne continuo territa urbs aduerso casu, victori cederet. Consequenti anno, & tertio Toletanus ager hostium irruptione vastatur: messes & fructus omnes corrupti. Toletani vindictæ studio Talaueram vsque progressi: verum à Præfecto eius oppidi male multati in patriam reiecti sunt: ac tandem omnibus malis fatigati, fractique animis Mahomadi deditioem fecerunt salutis anno octingentesimo quinquagesimo septimo. Quo anno Nortmanni cum sexaginta nauium classe in nostra littora appulsi oram maritimam, quàm late Hispania patet ad vtrunque mare, depopulati sunt. Atque vtramque Balearum insulam ferro incendioque deformarunt: Mauris præcipue infensi, cum nostræ gentis consuetudine ad religionem Christianam propensi essent. Tecta, templa, agri, oppida continuo latrocinio vastata. In Africam etiam transmissum, vbi non minorem cladem Mauris intulerunt. In Hispania Vascones, vbi Pompelo sita est, & Cantabriæ pars ea, cui Alauæ nomen est, Mahomadis irruptionibus vexati sunt, nullo præterea euentu memorabili. Emerita mœnibus nudata, quod ab imperio & auctoritate Regis Mauri rebellasset. Interea Ordonius ad pacis artes conuersus, vrbes superiorum temporum & bellorum iniuria habitatoribus vastas, euerfasque tempestatis iniuria, magna diligentia & sumptu instaurabat: Tudem, Asturicam, Legionem, Amaiam quam Alfonso Chronicon Amagiam Patritiam vocat. Cœperat Maurorum gens post superiores motus bellaque intestina in factiones diduci. nonnulli urbium Præfecti, suo mallebant quàm alieno nomine imperare: & cum nullius imperium respicerent, Reges passim vocabantur. Ex vsu id Christianæ reipublicæ accidebat: debilitati enim viribus, numero imminuti per partes carpebantur, qui viribus integri iniuriam omnem depulissent. Caurium obtinebat Reith, Talamacam (Salmanticam alij scribunt) Mozerus.

Mozerus. vterque ab Ordonio acie superatus. vtraque urbs in potestatem redacta. milites ad vnum interfecti. reliqui omnes viri & sceminae & pueri sub corona venditi. Magnarum rerum initia hæc incrementaque erant: cum in medio cursu Regem vita destituit, regni anno vndecimo: cui numero plerique addunt annos sex. ex neruorum dolore, cui erat obnoxius, defunctus est Oueti, & ad D. Mariæ tumulatus ædem Regum bustis ea tempestate destinatum nobilemque. Continuatae felicitatis successum, vna amissi ad Toletum exercitus ignominia foedasse visa est: eaque calamitate expiatum peccatum, quod susceperat viro sancto Ataulpho iniuria temere & præcipitanter exagitando. Ex vxore Munia principi loco scemina Alfonso natu maximum, Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam suscepit. Sunt qui sexto Kalen. Iunij defunctum esse tradant anno certe eius seculi sexagesimo secundo, vti indicio est crucis aureæ, quam Alfonso Ordonij filius eximia pulchritudinis, materiamque arte superante, Ouetensi ædi donauit, inscriptio subiectis verbis concepta. SVSCEPTVM PLACIDE MANEAT HOC IN HONORE DEI. QVOD OFFERVNT FAMVLVS CHRISTI ADEFIONSVS PRINCEPS, ET SCEMENA REGINA. QVISQVIS AVFERRE HAEC DONARIA NOSTRA PRAESVMPSERIT, FVLGINE DIVINO INTEREAT IPSE. HOC SIGNO TVETVR PIVS. HOC SIGNO VINGITVR INIMICVS. HOC OPVS PERFECTVM EST. CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS SEDIS. ET OPERATVM EST IN CASTELLO GAVZON. ANNO REGNI NOSTRI. XVII. DISCVRENTE ERA. DCCCC. XVI. Idem Alfonso cum Compostelle esset, patris diploma, quo ei templo agrum tribus millibus circum urbem antea descriptum ad sex millia passuum proferebat, ipse pro regia potestate ratum habet Era nongentesima, hoc est anno Christi octingentesimo sexagesimo secundo. Verum ad Alfonso actiones transeamus.

*Alfonsi Magni initia. Cap. XVII.*



ALFONSVS cui præclaræ animi & corporis dotes illustresque, de hostibus triumphis, Magni cognomen pepererunt, nunciata patris morte (neque enim morienti assuit) quamprimum Ouetum regiam ea tempestate urbem contendit, studio parentandi vt par erat, patris manibus atque vt regni hæreditatem cerne- ret: quod ob ætatis prærogatiuam debitum, propensissima omnium ordinum voluntate deferebatur. Tamen minor ætate erat, ac vix quatuordecim annos natus: cui numero alij quadriennium detrahunt. Ego maiori natu ad regnum accessisse suspicabar. Indole animi suis maioribus æqualis fuit, in procero corpore, eximia vultus dignitate, morum seuuitate præcipua: nec magis bellica laude insignis, quàm beneficentia in pauperes, quos asperæ res exagitabant. Opes enim sua virtute partas, ipsosque à pa-

tre relictos thesauros, non ad priuatum compendium retulit, sed ad subleuandam egenorum tenuitatem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ consequuntur, latissimèque eorum fama promanat, ad religionis Christianæ cultum. Templum Compostellanum, quod ex formaceis parietibus compactum fuisse monstratum est, ipse ex lapide quadrato, columnis marmoreis distinctum, ab imo totum extruxit. res ea ætate admirationi habita, propter temporum ruditatem, ærarij inopiam. Regnauit annis quadraginta octo, vt Sampyrus Asturicensis est auctor, atque sub initia aduersæ fortunæ fluctibus exagitatus est. Froila Veremundi filius Calæciæ Comes, atque ex eo opibus & clientelis potens, pueri scilicet Regis despectu in Calæcia regnum armis inuadere parat. fortassis cum ex regio sanguine prognatus esset, sui iuris factum caussabatur. Rex viribus inferior & à rebus omnibus imparatus æmulo cedens, in eam Cantabriæ partem se contulit, cui Alauæ nomen & tunc erat & nunc est, sed finibus aliquanto quàm modò latiori. Tyrannus cum regiam potestatem per vim occupatam non ad populi salutem referret, sed ad opprimendas res publicas & priuatas, ciuium Ouertensium coniuratione peremptus est. Alfonso continuo in Astures profectus, eximiaque omnium ordinum voluntate receptus, regni statum composuit. de fontibus supplicium sumptum. Cantabriæ pars ea, cui Alauæ nomen esse dictum est, ea tempestate Regum Ouertensium imperio tenebatur: reliquæ Cantabriæ Zenon imperabat ex Eudonis olim Aquitaniæ Ducis sanguine prognatus. Zenonis propinquus Eilo Alauam pro Rege gubernabat. Is siue regni perturbatione confusus, siue Zenonis armis, ab Alfonso auctoritate defecit. qui motus Regem compulerunt, vt delectu suorum habito, expeditionem maturaret. Legionem profectus breui sine sanguine prouinciam tumultuantem ad officium reuocauit. Eilo ipse captus atq; Oueti custodiæ mancipatus, eundem vitæ & vinculorum terminum habuit. Zenon Cantabriæ Princeps non multo post, cum & ipse nouarum rerum studio rebellasset, victus prælio captusq; in eundem carcerem inclusus est. Hinc duas filias reliquisse memorant, Todam Eneci Aristæ Vasconum Regis vxorem, atque Enecam quæ Zurix Cantabriæ Principi nupsit: vnde pleriq; arbitrantur veteres eius prouinciæ regulos, quo tempore nondum Castellæ Regibus cesserat, generis originem ducere. vtriusque calamitate documentum datum cæteris, Regis ætatem despectui habendam non esse: perfidiam ipsis auctoribus esse exitialem. Alaua exinde Vigilæ Comiti attributa. Castellæ principatum Didacus Comes obtinebat, cognomento Porcellus. Regni Alfonso anno primo hæc gesta sunt. Quo in proximum euoluto maior belli moles extitit: Imundarus & Alchama Duces Mauri Legionem urbem obsidione premebant. Hos Rex ingenti copiarum strage multatos in patriam reiecit: simul Christianæ ditionis fines proferendi vlciscendæ gentis effere & barbaræ cupiditate cum Vasconibus & Francis scædus ictum: cuius vt maior constantia esset, ex regio Francorum sanguine vxorem sibi iungit Amelinam: quod deinde nomen Semenæ appellatione mutatum est. Ex eo coniugio, Garfias, Ordonius, Froilaque deinceps Reges nati sunt:

præterea

præterea Gundisalvus Archidiaconus olim Ouertensis. Rei benè gerendæ opportunitatem Maurorum intestini motus suppeditabant. Toletani vrbs munitione confisi, & Cordubensium Regum seueritate, quæ in crudelitatem degenerarat, prouocati denuo arma corripunt. Vani sunt multitudinis conatus, nisi prudentis Ducis imperio regantur. Mahomad ergo Abenlupus Regis nomine rebus præfectus. maiori expectatione metuque quàm successu bellum fuit. Toletani breui Regis Cordubensis armis domiti. captæ vrbi obsides imperati, missiq; Cordubam. Lupus & fratres fuga euaserunt. eos quoniam ex vsu belli Maurici fore putabat Alfonso, in fidem amicitiamque recepit, omnibusque officijs coluit. mox ijs adiutoribus, atq; Francorum, Vasconum, Cantabrorumque auxilijs auctus in fines Maurorum irruit. Ager incensus, oppida vastata, abactæ prædæ. nullo præterea operæpretio exercitus spolijs Mauricis grauis, diuesque dimissus est. Consequenti anno, qui annus à Christi ortu octingentesimus septuagesimus quartus erat, Toletani nimirum studio se Regibus Cordubensibus probandi in Christianorum ditionem populabundi Durium vsque penetrarunt. Ad Puluerariam oppidum, iuxta flumen cui nomen est Vrbicus, improviso Regis aduentu ad duodecim millia trucidati. similique clade Cordubensium agmen, quod à tergo sequebatur oppressum: nisi quòd cædes maior fuit: ad vnum omnes perempti præter decem, qui inter mortuorum cadauera viui reperti sunt. Sequebantur cum robore exercitus Maurici, Almundarus Regis Cordubensis filius, & Ibengunimus præcipuus copiarum Dux. ij suorum cæde cognita, Sublancia oppido vbi Rex erat deuitato intempesta nocte, fugientium in morem retrò redierunt. Abuhalito qui superioribus bellis à noltris in Calæcis captus, atque datis obsidibus in patriam dimissus fuerat, eòque amicus esse cœperat, interprete atque annitente de compositione agi cœptum. trium annorum induciæ pactæ. Quo tempore rebus tranquillitas fuit. eoque decurso contractis Alfonso copijs in Maurorum ditionem irrupit: Tagoque transmissis Emeritam vsque latissimè populationes fecit: nulla denique iusta manu obuiam prodeunte, sese spolijs Mauricis lætus in patriam retulit. His omnibus bellis profligandis Bernardi maximè virtus enituit. Eius enim virtute potissimum in tam tenera Regis ætate respublica stare visa est. Ita cum tantis rebus peractis Regem Ouertum profectus esset, denuo de patris liberatione Regem interpellare ausus est. Satis pœnarum datum tot annorum vinculis. debere Regem vel senis diuturna calamitate & squalore moueri, vel filij meritis paternam noxam condonare. si neque propinquitatis respectu, neque fidelis obsequij constantia moueretur: frustra maiora præmia sperari, cum in æquissima causa preces non essent auditæ. Iusta petere Bernardum plerisque videbatur: æmulorum tamen (sic arbitror) sententia vicit: cum ad Regis dignitatem pertinere disputarent, læsæ maiestatis dedecus vindicare, maiorum sententiam laudquaquam cuiusquam ad preces mutare. Noua repulsa Bernardi animus irritatus curia cessit, multisque prosequentibus, duodecimo ab vrbe Salmantica lapide, quibus locis Alba sita est, Carpium arcem ædificauit, vnde illi Carpenfis cognomentum factum. Ex ea ar-



ce incursionibus identidem regiam ditionem inuadere, prædas agere, vastare agros atq; diripere. Mauri à Bernardo euocati Christianorum fines cum depopularentur, Rex curis anxius procerum conuentum Salmanticæ agit, vbi mutata sententia Bernardi postulatis annuere decretum, modò arcem ille Regi contraderet. Nimirum ignorabatur Bernardi patrem interea obiisse in carcere. Itaque cum neque pater redderetur, & arce spoliatus esset, per Galliam & Vascones errabundus reliquam vitam in luctu scilicet & mœrore peregit, vt plerique auctores sunt. Refellunt alij sepulcri indicio, quod in Aquilaria Campeltri hodie etiam nomine Bernardi monstratur: putantq; constanti animo fortunæ iniurias tulisse, diligentemq; & strenuam Regi operam dum vixit nauasse. Bernardi alienationem noua calamitas excepit. Froila, quibus iniurijs prouocatus non constat, sed in fratris tamen Regis caput cum coniurasset, in potestatem eius redactus, atque luminibus captus est, additusque vinculis. Idem supplicium Nunnus, Veremundus, & Odoarius communes vtriusque fratres, quòd cum Froila sentirent, Regis iussu, crudeli exemplo pertulerunt. Vnde nouorum motuum occasio. Veremundus enim è carcere euadens, factionis opibus Asturicam cepit, retinuitque aliquanto tempore: ac demum collatis signis cum Rege dimicare ausus, acie victus ad Maurorum ditionem confugit. Quæ caussa extitit vt Alfonso maioribus cladibus Maurorum fines vexaret: ac Toletanis præsertim crebris excursionibus vsque eò molestus fuit, vt post aliquot annos inducias denuo trium annorum magno redimere fuerint coacti. quod Regi gloriosum, barbaris ignominiosam accidit.

*Concilium Compostella & Oueti celebratur. Cap. XVIII.*



**A**TALPHVS Compostellanus Episcopus per hæc tempora ætate in multos annos producta in secessu obiit. Sisnandus successit magnorum spirituum vir, magnisque virtutibus clarus: qui Regi auctor fuit, vt propinqui eorum qui Atalphum criminati erant, obsequijs Compostellani templi seruorum instar manciparentur, nouo exemplo atque crudeli, aliena peccata aliorum supplicijs sui, nisi sceleris magnitudo acerbitatem excusaret. Defuncti corpus Compostellam transtulit. Templi Compostellani structuram nouis ipse operibus auxit. præterea D. Martini nomine sua impensa Benedictinis monachis in ea vrbe domicilium constituit: & S. Felicis nomine collegium, in quod Compostellani sacerdotes, quos senectus debilitaret & vacatione digni esse viderentur, impetrata missione quasi in prytaneum quoddam commigrarent. Hoc Pontifice Ouetensis ecclesia Metropolitana iure dignitateq; aucta est. Templum Compostellanum, quod magnis cæmentis & molibus ad culmen peruenerat, grauissima cæremonia ab Episcoporum conuentu sacratum est. Euocare Episcopos ad concilium, nisi Romani Pontificis permisso, ecclesiæ leges verabant: Seuerus & Desiderius presbyteri abs Rege legati, à Ioanne eius nominis. VIII. diploma abstulerunt, quo Ouetensem eccle-

„ ecclesiam Metropolitanam constituit, subiecta sententia & verbis. IOAN-  
 „ NES EPISCOPVS seruus seruorum Dei Aldefonso Regi Christianissi-  
 „ mo, seu cunctis venerabilibus Episcopis, Abbatibus, vel orthodoxis Chri-  
 „ stianis. Quia igitur in cura nos totius Christianitatis, beati Petri Apосто-  
 „ lorum Principis sempiterna prouidentia effecit successores: ea Domini no-  
 „ stri Iesu Christi constringimur adhortatione, qua beatum Petrum Aposto-  
 „ lum quadam voce priuilegij monuit dicens: Tu es Petrus & super hanc pe-  
 „ tram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni cælorum: & re-  
 „ liqua. Huic rursus imminente Domini nostri articulo gloriosæ passionis  
 10 inquit: Ego pro te rogavi vt nõ deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus  
 „ confirma fratres tuos. Ideoq; quia vestræ notitiæ fama, per hos fratres limi-  
 „ na Apostolorum lustrantes per Seuerum & Desiderium presbyteros nobis  
 „ miro odore bonitatis est reuelata: paterna vos adhortatione commoneo, in  
 „ cœptis bonis operibus gratia Dei duce perseuerare: quatenus copiosa vos  
 „ beati Petri protectoris vestri & nostra protegat benedictio. Et quoties-  
 „ cunque, filij carissimi, ad nos venire quilibet vestrum aut transmittere vo-  
 „ luerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de vltimis Galæciæ finibus  
 „ cui vos præter me Dominus rectores constituit, tanquam iure filios no-  
 „ stros vos colligimus. & ecclesiæ Ouetensi, quam vestro consensu & assidua  
 20 petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse manda-  
 „ mus & concedimus. Etiam prædictæ sedi, vt ea quæ Reges, seu quilibet fi-  
 „ deles iuste obtulerunt, vel in futurum Domino opitulante contulerint, ra-  
 „ tum, firmum, & inconcussum manere in perpetuum præcipimus: Hos quo-  
 „ que latores litterarum nostrarum, omnes hortor, vt habeatis commendatos.  
 „ bene valete. Duobus regijs legatis tertius à Pontifice adiunctus, missusq; in  
 „ Hispaniam nomine Rainaldus. huic aliæ litteræ ad Regem datæ Iulio men-  
 „ se officij amorisque paterni plenissimæ, hoc exemplo. I O A N N E S  
 „ EPISCOPVS seruus seruorum Dei dilecto filio Aldefonso glorioso  
 „ Regi Galæciarum. Litteras deuotionis vestræ suscipientes, quia deuotum  
 30 vos esse cognouimus erga nostram sanctam ecclesiam, gratias vobis mul-  
 „ tiplices referimus, Dominum exorantes, vt vigor regni vestri abundet, de  
 „ inimicis vestris victoriam vobis concedat. Nam vos filij carissimi sicut  
 „ petistis, sedulas preces Domino fundimus, vt regnum vestrum gubernet:  
 „ vos saluum faciat, custodiat, & protegat, & super omnes inimicos vestros  
 „ erigat. Ecclesiam autem beati Iacobi Apostoli ab Hispanis Episcopis con-  
 „ secrari facite, & cum eis concilium celebrate. & nos quidem gloriose Rex,  
 „ sicuti vos à paganis iam constringimur, & die ac nocte cum illis bella com-  
 „ mittimus: sed omnipotens Deus dat nobis de illis triumphum. Huius rei  
 „ gratia rogamus dilectionem vestram & animum deprecamur, vt quia vt di-  
 40 ximus, valde à paganis opprimimur, aliquantos vtilis & optimos Mauricos  
 „ cum armis, quos Hispani Caballos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non  
 „ omittatis: qualiter nos recipientes Dominum collaudemus, vobis gratias  
 „ referamus, & per eorum portitorem de benedictionibus sancti Petri vos  
 „ remuneremus. Bene valete dilectissime fili & clarissime Rex. Pontificijs  
 litteris

litteris perlectis, dies Episcopis tota ditione dicta, ad quam vtriusque rei perficiendæ causâ conuenirent. Compostellam primùm frequentes, omnino quatuordecim numero confluerunt: pars ijs vrbibus Prælati, quæ in Regis ditione erant: pars quæ obtinebantur à Mauris, minuti scilicet & paulò amplius quam solo nomine Episcopi. & erat moribus ea tempestate receptum, vt vtrarumque vrbium Episcopi essent, ac earum præsertim, quæ vel ereptæ Mauris paulò post ad eorum ditionem redierant, vel sperabatur breui eripiendas fore, Christianique iuris futuras: in eamque spem mortuis sufficiebantur viui. Templum ergo Compostellanum ijs Episcopis procurantibus, solenni cæremonia sacratum Nonis Maij, die Lunæ, Luna vndecima, tertio Aureo numero, vt Sampyrus Asturicensis est auctor, hoc est anno octingentesimo septuagesimo sexto: in quem cæ notæ omnes certa ratione conueniunt. Ara maxima nomine Saluatoris, dextra læuaque duæ aræ, prior Petri & Pauli nominibus, posterior Ioannis Euangelistæ dicatæ. Nam quæ tegebat Iacobi Apostoli ossa, quoniam persuasio erat à septem eius discipulis dicatam esse, sacrari denuo non placuit. hostia sacra in ea sacrificatum. In vicino monte, Sebastiani Martyris nomine ædes eodem tempore consecrata. His ex rebus Compostellana religio per se sanctissima vehementer aucta est. Post vndecim menses iussu Regis ijsdem Episcopi Ouetum conuenere: vt quod à Pontifice erat impetratum, communi consensu Ouetensem Archiepiscopum constituerent. Ermenigildus omnium suffragijs electus, qui eo honore fungeretur, & cæteris præesset omnibus. Placuit præterea Archidiaconos recti exempli creari, qui bis annuatim Synodos cogèrent, omniaque constituerent tanquam Deo rationem reddituri: obirentque singulas dioceses, monasteria, & parochias inuiserent. Additum præterea vt Episcopi qui ditione carerent, Ouetensi Præsuli vicariam operam exhiberent, cura in multos partita, eiusque re ditibus alerentur: ijs alijsque tota ditione Episcopis in Ouetensi vrbe & diocesi singulæ ecclesiæ darentur, quarum re ditibus viuerent, cum conuentus ecclesiastici haberentur, & fortunarum domicilium esset propter frequētes barbarorum irruptiones. Sedecim Episcopis templa duodecim designata attributaque, partim ditione spoliatis; partim integris, Legionensi, Asturicensi, Iriensi, Vlcensi, Britoniensi, Auriensi, Bracarensi, (hic Archiepiscopatus erat) Dumensi, Tudensi, Columbriensi, Portucalensi, Salmanticensi, Cauriensi, Cæsaraugustano, Calagurritano, Turiasonensi, Oscensi. Quorum Episcopatum nomina, & numerus ex ipsis concilij actis adscripta sunt, in eorum gratiam, qui antiquitatis studio sunt dediti. Inde certè effectum est vt ea tempestate Ouetum Episcoporum ciuitas vulgò diceretur. Ouetensis ecclesiæ fines Regis voluntate descripti, magnisq; re ditibus & possessionibus, vt ea ferebant tempora, amplificati sunt. Vtroque loco Rex, Semena Regina, filij Regis & proceres affuerunt: rebusq; omnibus ex sententia compositis conuentus solutus est.

*Reliqua quæ Alfonso regno contigere.*

*Cap. XIX*

INTEREA



INTEREA Maurorum arma quiescebant. Nam diuturno otio, & regionis amœnitate ardor animorum cum quo in Hispaniam venerant, extinctus erat, obsoleuerat martia maiorum indoles. neque quid interea accidit ad memoriam insigne. Anno tantum eius seculi octogesimo primo, vniuersa Hispania terra mouit, multa concussa ædificia. Mahomade Rege Cordubæ ex ritu gentis sacris in templo operante, fulmen repente dilapsum vnum & alterum ex ijs qui prope erant interfecit: vnde magnus genti terror, neque vlla piacula cælestibus placandis ommissa. Proximo anno Abdalla eius Lupi filius, quem Toletum aufugisse dictum est, accepti beneficii inmemor, ingenioque ad perfidiam conuerso, hostilia in gentem nostram moliri cepit: redintegrataque cum Cordubensi gratia, palam arma mouere. Inuidia in præceps agebat in patruos cõcepta, quibus Alfonso impense fauens Ordonium filium, quasi mutæ fidei pignus educandum instituendumque tradiderat, grauem Christiani nominis ignominiam, sed tanti ea tempestate Maurica amicitia erat. Hoc initium quamuis exiguum magna rerum moles consecuta est. collectis Abdalla suorum copijs in Alfonso ditionem inuasit. Latissimæ populationes fuerunt, timor magnus, spes non minor. ad Cilloricum oppidum Maurus acie superatus à Pancoruo, quod oppidum tentare ausus fuerat, cum clade repulsus. Legio in quam se Maurorum impetus vertit, quoniam eam Alfonso valido præsidio obtinebat, deuitata: nullaque re alia memorabili traiecto Astura flumine, quod per ea loca decurrit, Legionemque ipsam alluit, per fines Lusitaniæ Cordubam rediit. Abuhalitus Maurorum castra sequebatur. Abulcenus eius filius, qui apud Alfonso Regem obses pro patre erat, eius rogatu patri est redditus. Autumno hæc præcipiti gerebantur. quo in hyemem conuerso, Abdalla duos Zimacles patrum, fratremque tumultuaria pugna cõmissa locis natura asperis, qua in Hispaniæ parte memoriæ non est proditum (in Carpetanis suspicor) magna cæde superauit, captosque Beccariam in arcem victos misit. Eodem impetu Cæsaraugusta Abdallæ armis capta est. Quæ res vtriusque nationis in eum vires, armaque conuertit: tamen missa ille legatione apud Cordubensem Regem factum excusarat: & quoniam non recipiebatur, ad Alfonso amicitiam receptum, missis identidem legatis captare non desistebat. Vno tempore Vigila & Didacus Comes, quasi in communem Christiani nominis hostem arma contulerunt. Almundarus Regis Cordubensis filius, & Abuhalitus Corduba missi Cæsaraugustam omnibus copijs & viribus obsederunt. Frustra conatus erat, vrbe munitissima atque frequenti, Abdalla ex rebus gestis feroci. Verso impetu Cantabriæ atque Castellæ fines vastati. affuerunt Vigila & Didacus Comites, Maurosque ditione omni arcuerunt. Legionensis Rex prouisa tempestate, contractis vndique copijs sese ad Sublanciam tenebat ad omnem occasionem intentus, acieque dimicare paratus si Mauris animus esset: quod illi certamen detrectantes in patriam redierunt, Facundi & Primitiuus monasterio in Vaccæis celeberrimo, solo æquato, quæ magna clades est habita. Nonnulli Mauri ab Abuhalito occultè missi ad Alfonso. his interpre-

interpretibus de pace constituenda actum est: simul ab Alfonso Rege Dulcidius Toletanus presbyter eo studio Cordubam legatur sine anni octingentesimi octogesimali tertij. Dum ea legatione tempus extrahitur classis Cordubæ atque Hispali comparata, Calæciæ littora tentare iussa est: vbi multa oppida mœnium munitione nudata, iniuriæ opportuna esse cognitum erat. aduersis ea tempestatibus iactata est atque submersa. Dux Abdelhamitus & paucissimi ex naufragio euaserunt. Interea agente Dulcidio induciæ sexennes cum Mauris pactæ sunt: corporaque Eulogij & Leocritiæ Martyrum concedentibus Christianis Corduba Ouetum delata. Consecuta est mors Mahomadis imperij Arabum ducentesimo septuagesimo tertio, salutis octingentesimo octogesimo sexto. filios triginta quatuor, filias viginti reliquit haud insulso ingenio vir: eius enim illa vox fuit cum in hortis deambularet ad militem, quàm pulchrum viridarium, quàm illustris dies, quàm lætūm seculum dicentem si mortem daretur euadere: immo inquit, si mors non esset, haudquaquam ipse regnarem. Successit Almundar filius: cuius imperium mite, ingenium liberale fuit. Initio regni Cordubensibus vectigal, quod ex decima pendere consueuerant, condonauit. Illi beneficij immemores ab eius auctoritate continuo defecerunt. In ipso belli apparatu Regem mors oppressit, nondum integro biennio elapso ex quo regnare cœperat. sex filios & septem filias reliquit. Successit suffragio militari Abdalla defuncti frater, anno octingentesimo octogesimo octauo. regnauit annis viginti quinque. Initia turbulenta fuere. Homarus principi loco inter Mauros inquieto ingenio vir, ab imperio rebellauit. Olisipo, Astapa, Hispali, aliaque oppida eius partes sequebantur. Graues motus facilem habuere exitum. seditionis auctor venia impetrata Regi cōciliatus est. Ea facilitas animos fecit vt rursus tumultuaretur. & erant Mauri ducta ab antiquo origine in duas factiones distracti, Humeias & Alauecinos, vt antea monstratum est. in eo dissidio res nouare cupientibus studia populi deesse non poterant. Abdalla vestigijs omnibus Homarum insequitur, eoque redegit, vt ad Christianos confugiens eiurata patria superstitione, nostra sacra susciperet haud syncera fide, vt tempus quod omnia detegit, declarauit. Contra Alfonso Cantabrorum arma mota. Zuria princeps in ea gente, Zenonis gener & sua sponte & prouincialium studijs prouocatus arma sumpsit: Ordoniumque à patre Rege missum ad eos tumultus sedandos ad Arriogorriagam acie vicit. Inde loco nomen quod sanguinolentos lapides significare affirmant linguæ Cantabricæ periti, cum antea vocaretur Padura. Victoriæ merces fuit gentis principatus. Scottorum Regum sanguine Zuriam prognatum esse vulgò Cantabri persuadent, verò an falso non satis constat. quominus filij iniurias Rex pater vindicaret locorum asperitate factum arbitror, atque ipsius ætate ingrauescente. Quo tempore ad pacis artes conuersus, & reipublicæ exornandæ studio, tota ditione diuis templa, hominum præsidio arces, oppida, vrbes ædificabat. Initio regni Sublancia Ceaque prope Legionem, Gauzo arx ad maris oram Ouetum inter & Gegionem rupibus imposita: deinde Portus Cale, Bracara, Viseum, Aquæ Flauix

Flauix, (nunc Chiaues) Auca, instauratæ: quæ vrbes à multo tempore vastæ atque incolis vacuæ iacuerant. Similem cladem Senticæ perpeffa erat. pari Alfonso Regis munificentia ædificata est Zamoræ nomine. sic Mauri vocabant à cyano lapide (turcicum alij dicunt) qui Arabum lingua Zamora est, & in eo agro reperitur. Tauri vrbes ædificandæ Garfiæ filio cura demandata, quæ veteribus Sarabis fuit, Conimbrica in Lusitania, Septimanæ, Domina, vniuersique Gotthorum campi in Vaccæis Mauris erepti: cui tractui, Italiæ atque Galliæ exemplo, Campaniæ licebit nomen facere. Ijs in locis Facundi & Primitiui Martyrum nominibus regio sumptu monasterium magnificum, quod Mauri euerterant, instauratum atque extructum est Benedictinorum ordini, quo nullum in Hispania, diuitijs, amplitudine, maiestate illustrius olim fuit: nostra ætate in paucis nobilissimum habetur. Tantis Regis molitionibus ærarij tenuitas tot bellis, tantis sumptibus exhausti impar erat. noua tributa imperata: quod nisi in suprema reipublicæ calamitate, & quando omnes intelligunt, si salui esse volunt, parendum necessitati, sine periculo non vsurpatur. sic rerum euentus declarauit. Alienati enim ea ex re subditorum animi erant. Semena Regina alieno & ipsa in virum animo, faces subdebat: filioque Garfiæ suavit ut in patrem arma sumeret. Rex quamuis in affecta ætate pristinae virtutis memor Senticam aduolat: filium in potestatem redactum in Gauzone arce vinculis constringit. non restitere, vt ferme fieri consuevit, in vno gradu commotæ semel populi voluntates. Nunnus Fernandus Castellæ Comes opibus & clientelis potens Garfiæ focer erat. eius conatus cum vincti mater & fratres iuuarent, rursus in Regem tumultuatum est. toto biennio bellum vario successu gestum, exitu tandem coniuratis prospero. Rex calamitate victus seu tranquillitatis studio regnum abdicauit, & Garfiæ filio de manu tradidit. Ordonio alteri filio Calæciæ principatus attributus est salatis anno nongentesimo decimo. Quo anno decurso cum Compostellam religionis ergo inuisisset, & concedente filio in Maurorum fines denuò populabundus irrupisset, operæ pretio facto Zamoræ obiit. Asturicæ primum tum ipse tum vxor Semena sepulti sunt: deinde Oueti in D. Mariæ tumulo composito. Quo tempore Abdalla Cordubensis Rex, cum filios reliquisset vndecim, filias tredecim, ætatis anno septuagesimo secundo Cordubæ obiit. Quid Abdallæ Lupi filio contigerit clam est: neque deesset industria si monumenta suppeterent. nunc coniecturis standum. ac patem ope Regum Oaetensium CæsarAugustæ principatum retinuisse: ab eoque eius vrbes Reges perpetua serie deriuasse: de quibus longo interuallo sermo recurret. Cordubæ imperium suscepit Abderrahmanus Abdallæ ex Mahomade filio nepos, nouo exemplo vt in Maurorum imperio nepotes præferrentur filijs. Viginti tres annos natus erat cum ad regnum accessit, & quinquaginta annis regnauit. Almanfor Ledim Alla vocatus est, hoc est defensor legis Dei, præterea Miramumenim, quæ vox Regem credentium significat. & ferme imperijs inclinantibus magnifici tituli vsarpantur: ignauiaque ornamentis extrinsecus additis fucatur. Tamen Abderrahmanus in magnis Regibus

gibus numerari debet, domi militiæque clarus. dum vixit in vnam curam dissidia gentis pacandi, factionumque studia quibus populares æstuabant, sedandi maximè incubuit: æquissimè populis iura dabat. Castrum prope Cordubam extruxit, in Africa Septem cepit: regia munificentia vrbes oppida tota ditone magnis ornamentis Abderrahmani regno aucta illustrataque sunt. Regnum cepit anno Arabum trecentesimo, iuxta Roderici etiam Præfulis computationem, hoc loco à vera non discrepantem.

*Garfias, & Ordonius Reges. Cap. XX.*



**D**OTENTIA scelere quæsitæ, haud solet esse diuturna. Garfias regnum per vim occupatum, tribus annis, & mense vno tenuit. Quo tempore noua expeditione suscepta in Maurorum fines irruit, & agris circum longè latèque vastatis, direptis oppidis, Aiolam Maurorum regulum obuam prodire ausum, acie quidem victum cepit: verùm in reditu ad Tremulum oppidum, custodum culpa in patriam fuga euasit. Rex Zamoræ defunctus est, atque Oueti sepultus salutis anno nongentesimo tertio decimo. Ordonius nunciata fratris morte, quoniam sine prole decesserat, ex Calæcia, vbi res gerebat, continuò ad regnum aduolauit, bonus & moderatus Princeps si extrema cum primis contexuisset, neque innocenti Castellæ Comitum sanguine manus foedasset. Regnavit annis nouem, mēsisibus sex. Sub initia quod magnopere ad tuendam auctoritatem referre cogitabat, si illustri aliquo facto Maurorum spiritus fregisset, delectu suorum habito in Carpetanos irrupit. Talaueram soli cælique lætissima facie præcipuum municipium incolarum frequentia, & mœnium ex secto plurimum lapide munitione nobile circumfedit, victisque acie Mauris, qui à Rege Cordubensi auxilio obsessis missi erant, oppidum expugnauit, diripuit, incendit: neque enim circumfusus omni ex parte Mauris retineri poterat. Oppidi præfectus cum multis alijs captus est. exercitus Mauricis spolijs grauis in patriam reductus. Cordubæ Rex ex eo euentu de rerum summa conijciens, veritusque præferocis Regis arma, suorum viribus diffusus, Mauritanæ Tingitanæ Regem supplex sollicitat, vt ex Africa supplementi causa nouas Maurorum copias transmittat. Annuit ille gentis periculo permotus, & studio religionem Christianam opprimendi, quæ indies maiora incrementa suscipiebat. Valida Afrorum manus missa Duce Almotarapho est, ijs copijs regius exercitus Maurorum adiunctus. Auolalpasus rei summæ Præfectus in Christianorum fines irruens, ad Durij ripam prouectus est. ad Castrum Sancti Stephani Gormatij nomine, Rege obuam facto dimicatum est. non aliàs maiore mole concursum, neque dubio magis euentu. ad extremum vtroque Duce Mauro cadente, cæsi magno numero hostes, reliqui in fugam compulsi. Christianorum animi magna sollicitudine liberati, reputantes quantum noui periculi accessisset ex Africa, vix tolerantibus Maurorum Cordubensium potentiam: quo maior victoriæ fructus esset, victos & trepidos vrgeri Mauros placuit: Lusitanæ

fitaniæque agros & oppida quàm longè ad Anam vsque patet, Emeritæque & Pacis Augustæ fines victoris exercitus incurfione depopulari: tanto ex his rebus incolarum terrore, vt in iungendi foederis voluntatem vehementer incumberent: & ad victoris arbitrium pacem magno redimere fuerint coacti, Ordonij regni anno quinto, salutis nongentesimo octauo decimo. Rex tantis rebus perfectis redijt in patriam, & triumphantis in morem Legionem inuectus est. Vrbem eam ea ætate principem, locorum opportunitate inuitatus, regiam constituere cogitabat. Nouis itaque ædificijs illustrare, locis amplificare parans, primùm omnium templum Petri & Pauli nominibus sacrum, & Episcopi cathedra insigne, quoniam extra murorum ambitum erat & periculo proximum, in regium palatium transtulit (quod in thermarum vsum olim à Mauris magna amplitudine, & præcipua totius operis maiestate extructum fuerat) Mariæ Virginis nomine. tametsi duæ aliæ templi partes, Saluatoris altera, Ioannis Baptistæ nomine altera sacrata est, Fruminio Legionensi Episcopo totius cæremoniæ Antistite, cui vndecim alij Episcopi ex vniuersa prouincia ad id euocati aderant. Auxit noui templi maiestatem, cum Rex nouo exemplo de manu eius Pontificis regni coronam capiti suo imponendam curarit. Eo ex tempore Ouetensis Regis nomen Legionensi mutatum. Verùm ab hoc initio Ouetum vrbs eò ignobilitatis dilapsa est, vt progrediente tempore Archiepiscopatus honore detracto, nostra demum ætate, ne suffragij quidem ius in comitijs regni habeat: quod ciuium ignauia factum arbitror magis quàm Regum inuidia. Itaque inter huius ætatis diplomata, Hispanicæ antiquitatis eruendæ studiosi, in quibusdam Ordonium Ouetensem Regem dici considerant, in alio quodam Legionem regnare: nimirum appellatione cum rebus & temporibus alternante. Mindoniensem urbem iure Episcopatus donasse Ordonium memorant, Ribadeo vrbe ea dignitate spoliata. Tametsi alij magis existimant Mindonienses Episcopos priscis temporibus Vallibriensibus fuisse nuncupatos. Interea Rex Cordubæ Abderrahmanus Almanfor ex re malè gesta dolore exæstuans, & vindicandi iniurias cupiditate ardens, vniuersas regni vires & copias in vnum contrahit: atque per Lusitanæ fines in eam Calæciæ partem armis penetrat, vbi Rondonia sita est, Mindoniam Sampyrus ait. Ad eum locum vtriusque nationis castra posita. acie pugnatum ardore animorum singulari, virtute non impari. multi ab vtraque parte ceciderunt. exæquata clade noctis tenebris certamen diremptum. neutri manifestè victores. Tametsi eius prælij ea fama fuit, vt vtraque pars se vicisse prædicaret: nostri quoniam hostem Calæciæ finibus discedere compulissent: barbari cum toties victi ad noctem vsque certamen sustinuisent. pugnatum est anno nongentesimo nono decimo. Neque multò post Cordubæ Rex superioris victoriæ opinione ferox, viribus reparatis, auctusque auxilijs ex Africa, Christianorum finibus euastatis in Vascones & Cantabros penetrauit. Ordonius Rex & sua sponte ad bellum incitatus, & Sanctij Garfiaz (is Vasconum Rex erat cognomēto Abarca) periculo permotus, sollicitatus precibus, in Mauros

9 2 1 mouit. Ad vallem Iuncariam (Iunqueram hodie dicimus) Vasconum & Legionensium copijs cum Mauris dimicatum anno nongentesimo vigesimo primo. non minor quam in Calæcia animorum contentio, non minor strages fuit, neque minus dubia victoria. hoc superiores Mauri, quod Garsias Aznarius (malem Fortunius Semen eius filius) Aragoniæ Comes in eo conflictu perijt: & secundum eam pugnam Cantabriæ pars illa, cui Alauæ nomen est, Maurico imperio celsit. Capti in prælio Episcopi Dulcidius Salmanticensis, Tudensis Hermogius. pacto pretio redempta libertas. dum aurum appenditur obsides dati. Pro Hermogio sororis filius Pelagius in ipso ætatis flore, venustate eximia barbari Regis animum, alio- 10 qui in libidinem procliuem vehementer inflammavit. augebatur impuri atque nefarij amoris flamma. adolescens & suapte natura ad modestiam compositus, & in plena sapientiæ ac sanctitatis domo educatus, de turpitudine identidem appellatus repugnauit primùm: deinde cum precibus vinci non posset & vis adhiberetur, procaci Regi pugnos in faciem infregit. Animi constantia, & pudicitia cultus exitium attulit. ferreis forcipibus laniatus, membratimque dissectus, Regis impij & immanis iussu in Bætium fluum iactatus est die Dominica, qui dies Iunij mensis vigesimus sextus fuit, 9 2 5 nimirum salutis anno nongentesimo vigesimo quinto. Defuncto honores tanquam Martyri habiti cultusque decretus: corporis partes in D. Genesij, caput in Sancti Cypriani cœmeterio sepulta. Eo maiori gloria dignus, quod quatuordecim nō amplius annos natus erat, minus mensibus sex, cum id virtutis & constantia specimen edidit. Rhosuita virgo Saxonica Pelagij Martyris mortem Heroico carmine hac ipsa ætate, sed paulò aliter cecinit. Ordonio Legionis, Carolo Simplici Francorum Regibus, Zanellus presbyter à Ioanne Romano Pontifice, eo nomine decimo in Hispaniam legatus est hac occasione. D. Iacobi religione per omnes nationes peruagata, atque Sisnandi Compostellani Episcopi virtutum celebri fama, Pontifex missō cum litteris idoneo homine preces communicari petijt: vt propitiato Apostolo sancto opem eius viuus moriensque impetraret. Sisnandus 30 Zanello in Italiam amandato obsequium Pontifici defert. Rex etiam litteras cum muneribus adiungit. Zanellus officio functus multis libris onustus in Hispaniam euoluto integro anno redit: præterea à Pontifice legatus factus cum potestate cognoscendi quæcunque ad religionis statum pertinebant. Persuasum Romanis ab antiquo, in ratione precandi Gotthica multa deprauata esse, insolentes sacrorum ritus atque opiniones de religione discrepantes inuectas. Ergo Zanellus in eam curam incumbendum iudicans, libros ecclesiasticos cum cura conquisitos diligenter excussit, atq; in ritu quamuis diuerso, contra quam suspicabatur, omnia religioni consentire deprehendit: Romamque rediens Pontifici visa cognitaque re- 40 tulit in magno Patrum confessu. Gratias illi pro diuino munere agentes, libris comprobatis illud modò sanxere, in sacratori secretaque sacrificij Christiani parte, Romano ritu precandum videri. nimirum alia mystica verba, quibus panis vinumque conuertitur, retenta tamen sententia proferebant,

rebant, ad hunc modum: HOC est corpus meum, quod pro vobis tradetur. HIC est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quibus verbis ne nostra quidem ætate ij vtuntur, qui ritu Gotthorum sacrificant diuina hostia permisso Pontificum. Hunc exitum ea tum controuersia habuit, multis deinde seculis repetita: donec Hispanorum siue constantia, siue contumacia victa est, atque Gotthica precandi ratio Romano ritu mutata, vti competenti loco explicandum est. Ex eo tempore sanè, quo ad Iuncariam pugnatum est, belli fortuna conuersa videbatur. Ordonius Rex decori tenax, breui reparato exercitu, qua parte Vasconum fines erant, ipso Vasconum Rege adiuncto, in Maurorum ditionem inuectus Riuogiarum oppida, pagos, agros, belli flamma consumpsit: & cladis acceptæ ignominia vindicata Zamoram redijt. Nullum in rebus humanis gaudium est syncerum & constans. quod tunc vsuuenit. Munina Eluira Regina lectissima foemina extincta morbo est, filijs Sanctio, Alfonso & Ramiro, præterea Garsia Semenaeque. Eluiræ funere curato, Rex Argontam duxit principi loco in Calæcis: neque multo interiecto tempore in suspicionem adductam repudiauit, temerè scilicet & immeritò: vti rerum euentus & Regis pœnitentia comprobant. Sanctiuam Garsia Eneci Regis Vasconum filiam in eius locum substituit, Sanctio 20 fratre concedente. cum quo iunctis viribus in Riuogiam rursum irruptione facta, Anagarum, quod veteribus Tricium fuit, armis cepit & Vicariam: vbi Gotthorum regno conuentus iuri dicundo fuisse creditur, auctore Roderico, ex eoque inditum nomen. Atque hætenus ita Ordonij res erant, vt in eius regno laudari multa possent iure, accusari pauca, qualia Regibus libenter condonantur. Difficile est & miraculo proximum in summa licentia tenere modum, & in tanta rerum varietate nunquam offendere. Castellæ Comitum cædes Ordonij iussu alienissimo tempore perpetrata, in quibus tantum præsidij erat aduersus Maurorum arma, superiorem omnem gloriam corrupisse visa est. quod qua ratione contigerit, & quibus ex causis Regis animus fuerit irritatus, ex altiori principio repetendum. & nonnulli noui principatus in Hispania, quæ initia incrementaque habuerint, noua narratione explicandum.

Libri Septimi Finis.

2 2 HISTO-

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER OCTAVVS.

*Regni Nauarrici initia. Caput. I.*



**P**OST memorabilem atque funestam cladem, qua victa oppressaque vniuersa à Mauris ferme Hispania est: ex Gotthici imperij casu quasi ex magnæ structuræ rudibus cum euerfa est, plures extitere principatus minuti initio, finibus angusti, atque viribus infirmi: tempore consequenti patriæ libertatis vindices, affectæ ac prostratæ reipublicæ instauratores præciari. Quorum exortum atque progressum omnium explicare ardua res esset, & longioris disputationis quàm pro suscepti operis modo. Insignium maximè & præ cæteris nobilium initia, incrementa, successusq; breui narratione attingere: quoniam cum Legionensium Regum rebus deinceps connexti confusiq; sunt, necessarium fore sum arbitratus: Vasconum, Aragonum, Barcinonis atque Castellæ, cui Veteris nomen est. Etenim ex communi Hispaniæ incendio atq; vastitate, pulsæ sedibus Hispanorum reliquæ pars in Astures confugere, vnde Legionense regnum constitutum, de quo superiori libro commemoratum est: pars Pyrenæi montis iuga claustraq; occuparunt, vbi Cantabri & Vascones siti sunt. Lacerani præterea, Ilgeretes, atq; Ceretani (quibus in locis nunc Ripagorfa, Suprarbe, Vrgelia, Cerdaniaque visuntur) eorum locorum præsidio atque munitione non modò libertatem tutati sunt, sed iuuandæ etiam reliquæ Hispaniæ consilia inter se communicarunt viri præstantes, maioriq; quam pro viribus animo, freti credo numinis ope: nam aduersus tantas difficultates ratione providere non poterant. Occasio non maxima. Ioannes quidam homo religiosus, tranquillioris vitæ studio succensus, non procul Iacca vrbe, in Vruela monte domicilium constituerat, adiunctumq; diuinæ rei procurandæ causâ, sacellum Ioannis Baptistæ nomine sacrum. Sanctitatis eximix opinio fama que cum per ora hominum volitaret, quatuor se illi socij adiunxere, vitæ generis quod sequebatur æmulatores. multi præterea mortales è vicinis locis accurrebant numinis propitiandi promerendiq; causâ sancti viri precibus: quem omnibus officijs cultum dum vixit, extinctum exequiarum honore profecuti sunt. Defuncti funus magna populi frequentia procurauit, in his ingenuæ conditionis viri sexcenti, siue ex composito cõuenientes, siue secessus opportunitate inuitati, quò res occultior esset, in commune de reipublicæ salute, de Maurica seruitute

seruitute pellenda cõsultare aggressi sunt. Locorum præsidium animos faciebat, & Francorum auxilia præclare conantibus haud defutura sperabant. Asturum exemplum prouocabat, qui Pelagio Rege creato iuuandæ rei Christianæ consilia explicare, & Maurorum arma irritare veriti non erant. quod initio temerarium visum est, euentu salutare fuit. Re diu multumque agitata, optimum fore visum est ex suo numero aliquem deligere, cuius imperio & auctoritate deuincti in eam causam iuuandæ patriæ ingrederentur. Garsias Semenus omnium suffragijs delectus, nullo quidem gradu contingens Gotthorum Regum familiam, quod nomen ipsum declarat Hispanum magis quàm Gotthicum sonans, haud dubiè autem nobilissimus, magna que & veteri prosapia, Amescuæ regulus atque Abarsusæ. vxor Eneca pari nobilitate. De tempore auctores in diuersum trahunt, ac ne de appellatione quidem regni satis constat. Nonnulli Suprarbis Regem dictum putant, alij Nauarræ seu Vasconum: neutri argumentis euincuntibus. Et est omnis antiquitas obscura, præsertim Hispanica: quippe magnorum fluminum decursus noti sunt, obscuræ origines primæ fontesque vnde derivantur. Insigne nouo Regi fuit rubra parma, nulla pictura distincta. nonnulla oppida hoc Rege Mauris crepta: in his Infa, Suprarbis præceps municipium. Sacellum quod Ioannis cura & sumptu extructum erat, locis amplificatum auctumque redivitibus in regij ædificij amplitudinem & maiestatem sensim excreuit: Regum veterum bustis nobile, præsentis numine ipsaque vetustate religiosum. Semen Rex & successores eum locum sepulturæ delegere. Obijt anno septingentesimo quinquagesimo octauo. Successit Garsias Enecus (ab utroque parente eius appellatio conflata est) Princeps verè magnus, insigni felicitate. Nam huius virtute Vascones, qui inter Asturum, Maurorum & Francorum arma imperiumque identidem alternabant, bello domiti in horum Regum ditione stabili possessione constiterunt. In eam finitimæ Cantabriæ partem, cui Alauæ nomen est, arma prolata. Præterea Aragoniæ & Barcinonis Comitum initia hoc Rege extiterunt. Aragoniæ quidem Aznarius filius Eudonis Magni in ea loca delatus, quæ Aragonæ & Subordano fluminibus alluantur: cum quædam oppida Mauris eripuisset, Rege Garsia concedente se Aragoniæ Comitem dixit, tunc Vasconibus contributæ, deinde sui iuris, vti competenti loco est explicandum. Aznarij filius Aznarius alter fuit, nepos Galindus: de quorum rebus gestis nihil est ad memoriam insigne litteris proditum. Galindo defuncto filius successit Semenus Aznarius. Barcino autem Ludouici deinceps Imperatoris, & tunc patre superstite armis occupata: Bernardusque natione Francus illi vrbi cum potestate præfectus anno octingentesimo primo. inde origo Barcinonensis principatus. Quo anno in sequentem euoluto, Garsias Enecus defunctus est. Successit Fortunius Garsias: de cuius rebus gestis Vascones historici magna ac penè incredibilia fabulantur. Ac illud constat ad Rocidam vallem prælio illi memorabili interfuisse, in quo Francorum nobilitas nostræ gentis armis trucidata est, Carolo Ma-

gno Imperatore, Duceque acie victo. De eius victoriæ lætitia non parum  
 diminutum est Semen Aznarij Comitum Aragoniæ interitu in eo prælio  
 desiderati: cum ostentandæ virtutis studio in confertos hostes irruisset  
 contemptu mortis ferocior. Eò maior luctus fuit, quòd sororem eius Teu-  
 dam Fortunius Rex vxorem habebat. Successit Semeno Comiti Seme-  
 nus Garsias eius patruus, Endregoto defuncti fratre, qui meliori iure  
 niti videbatur prætermisso. causæ clam sunt: fortassis curis grauioribus  
 idonea ætas non erat. Obijt Fortunius Rex anno octingentesimo quin-  
 todecimo, Sanctio Garsia quem ex vxore genuerat successore. Hoc Re-  
 ge Roncalenses ob egregiam nauatam operam in bello Maurico, immu-  
 nitate donati: vt eius ætatis atque Regis diploma declarat. Bernardus  
 Barcinonensis Comes (nonnulli Marchionem faciunt) criminibus appe-  
 titus, ab ijs qui teneram eius Bernardi ætatem gubernabant, qui Caroli  
 Magni nepos erat ex Pipino filio, quasi adulterij consuetudine cum Augu-  
 sta Ludouici Imperatoris coniuge, læsæ maiestatis reus esset, calumniæ do-  
 lore actus, ex Gallia quò se contulerat, in Hispaniam redijt: vbi præcipua  
 auctoritas erat, multæque clientelæ, quas superiori tempore sibi adiunxe-  
 rat. Obijt anno octingentesimo trigesimo nono. Vvifredus eo nomine  
 primus Barcinonensis Comes Ludouici Pij beneficio eo principatu au-  
 ctus est, nondum hæreditario iure, sed ex Imperatoris voluntate, annorum  
 numero aut vitæ spatio vt in cæteris præfecturis præscripto. Garsias Az-  
 narius per idem tempus Aragoniam obtinebat, defuncti interea patris Se-  
 meni Aznarij successor. Omnino Sanctij Regis armis Vascones, qui vltra  
 Pyrenæi fastigium ad Galliam fusi Francorum imperio parebant, vexati:  
 neque prius quiescere permisi, quàm perpetuam cum Suprarbis Regibus  
 amicitiam iurati. Muzæ bello, eius quem aduersus Mahomadem Cordu-  
 bæ Regem rebellasse superius monstratum est, occisus fuisse traditur, ni-  
 mirum annum circiter octingentesimum quinquagesimum tertium. Post  
 Sanctium Regem, Semenum Garsiam quidam numerat auctor defuncti  
 filium: de quo in monumentis eius cœnobij, cui S. Saluatoris Leiren-  
 sis in Vasconibus ipso Pyrenæi montis complexu nomen est, memoria  
 propagatum, eo loco cum vxore Munia esse tumulatum. nihil præterea.  
 Ijs monumentis, cum certiori historiæ lumine careant, quantum fidei sit  
 adhibendum, ex suo iudicio quisque statuatur. nobis in alterutram partem  
 pronunciare consilium non erat. His sanè Regibus defunctis, cum stirps  
 regiæ familiæ consumpta esset, quatuor annorum interregnum secutum  
 est. Quo tempore prius quàm prouinciæ voluntates in vnum aliquem  
 conspirarent, quem Regem creatum reipublicæ rectorem imponent:   
 plerique Vasconum scriptores affirmant, re cum Romano Pontifice, ni-  
 mirum Leone eius nominis. IIII. cum Francis & Longobardis communi-  
 cata, ex eorum consilio ea ex illarum gentium legibus delibasse, quæ ad li-  
 bertatem tuendam, cuius tunc prima cura erat, opportuna fore iudicarunt:  
 ne vnquam Reges cõcessa potestate abuti possent ad oppressionem reipubli-  
 cæ. Leges scriptæ, quas forum Suprarbis vulgò vocat: quarum vis in eo potis-  
 simum

simum & summa erat, vt quoniam ditionem à Mauris partam ipsi de ma-  
 nu nouo Regi tradere cogitarent, ne quid accepta potestate maioris rei nisi  
 de consilio & voluntate procerum duodecim, qui ea de causâ deligendi  
 erant, decernere fas esse crederet: neque ius libertatis minueret: & quæ Mau-  
 ris essent erepta cum proceribus optima fide diuideret. Hæc omnia vt rata  
 essent medium magistratum creari placuit, tribunitiæ potestatis ad instar,  
 vulgò hoc tempore Aragoniæ Iustitia nominatur: qui legibus, auctoritate,  
 & populi studijs armatus, hæctenus regiam potestatem, ne nimia esseretur,  
 certis finibus inclusam tenuit. ac proceribus præsertim datum, vt fraudi  
 non sit, si quando inter se tuendæ libertatis causâ in scio Rege conuentus ha-  
 buerint. His ita constitutis Bigorræ seu Bigerrionum in Aquitaniæ parte  
 Comes Enecus Sanctius, à velocitate cognomento Arista, trecentorum pro-  
 cerum suffragio ad regnum vocatus est: atq; Pompelone in S. Victoriani iu-  
 ratus iura subditorum, leges, atque libertatem, reipublicam gubernandam  
 suscepit. Illud additur: fecisse subditis potestatem, si datam fidem violasset,  
 Regem externum siue ex Mauris siue ex Christianis in auxilium pactæ li-  
 bertatis euocandi. quod de Mauris quoniam turpitudinem continebat, fe-  
 runt à populo repudiatum. Atque hæc quæ verissimè memoria propagata  
 esse vulgò homines, sed & doctrina expoliti nonnulli existimant, alij fabu-  
 læ similia esse arbitrantur: ac Aristam potius patri in regno successisse sta-  
 tuunt. Quæ enim nouarum legum condendarum, nouique instituendi ma-  
 gistratus causâ extitit satis idonea? aut qui potuerunt cum Longobardis  
 consilium communicare? quæ gens ante aliquot annos Caroli potentia op-  
 pressa extinctaque erat. diuinare in re tam dubia non iuuat. fortassis enim,  
 quod Semeni primi Suprarbis Regis electione factum est, vulgò historici  
 ignoratione temporum ad Aristam, quem primum in his Regibus esse cre-  
 diderunt, falso ablegarunt. Illud constat Enecum per hæc tempora in Pyre-  
 næi montis iugis regnum tenuisse. vxorem habuit Enecam Gonfalui Comi-  
 tis filiam, ex Querenium Regum sanguine. Præterea Teudam duxit Zeno-  
 nis Cantabriæ Ducis filiam, vt est alio loco indicatum. filium vnicum, quo  
 ex coniugio incertum, sed Garsiam tamen Enecum genuit, regni successo-  
 rem. S. Saluatoris Leirensis monasterium in Pyrenæi iugis constitutum lo-  
 ci religione, ædificij maiestate, opimisque redditibus celeberrimum, Ari-  
 stæ opus esse creditur. Nunilonis & Alodiæ virginum corpora non ante  
 multos annos Boscæ prope Anagarum (Oscæ in Baisteranis dicunt alij) pro  
 religione occisarum, in eo monasterio seruantur. Tametsi Bononia Gal-  
 liæ Cisalpinæ vrbs eorum sibi possessionem arrogat. Aristæ Regis diplo-  
 ma refellit, quod in eius cœnobij schedis seruatur: & locorum vicini-  
 tas vbi interfectæ sunt, huic opinioni suffragatur. Regni fines Arista Re-  
 ge prolati, & Vasconum planities veteri ditioni adiecta: cum priores  
 Reges se montibus tenuissent. Pompelo & Alaua quoniam temporum  
 iniuria ad Mauros redierant, Aristæ armis expugnata: vnde se Pom-  
 pelonis Regem dixit, vt vetera Regum diplomata indicio sunt. Quo  
 tempore Vvifredus alterius Vvifredi filius cognomento Villosus, Bar-  
 cino-

cinonensem comitatum Caroli cognomento Crassi Imperatoris munere factum hæreditarium, retento tantum iure ad se prouocandi obtinuit, anno 884 octingentesimo octogesimo quarto: cum eam urbem Salomon Cerdaniæ Comes decem & nouem annis gubernasset iussu Ludouici secundi Imperatoris propter tenebram Vvifredi infantis ætatem. Per idem tempus Garfias Aznarius Aragoniæ Comes defunctus est. successit eius filius Semen Garfias. De anno quo Arista obiit auctores variant, neque quid certi sequamur habemus: suspicamur tamen, quod ratio temporum videtur exigere, Alfonsi Ouetensis regno, cui Magno cognomen fuit, esse defunctum anno octingentesimo octogesimo octauo. Successit Garfias Enecus ætate minor (nam decem & septem annos natus erat) animi magnitudine & rebus bello paceq; gestis cuius priorum Regum par. Confirmata is ætate suscepti regni auctoritatem tuebatur, multis victorijs de Christiani nominis hostibus relatis: quas vt sigillatim recenseamus operæ non est, neque institutæ breuitatis. Vxorem habuit Vrracam Fortunij Semeni Aragoniæ Comitum aut filiam aut sororem: variant enim scriptores vsque eò, vt quidam Fortunij propinquam scribant filiam Endregoti (eius cui Aragoniæ principatum à patruo præreptum diximus) Galindi neptim fuisse. omnino ex eo coniugio Fortunius & Sanctius cognomento Abarca nati sunt, tum Sanctiua, quæ Ordonio Legionensi Regi in senium præcipiti & binis nuptijs perfuncto tertia 20 vxor accessit, vt est superiori libro demonstratum. Ad vallem Ayuarem (Rodericus Larumbem ait) in tumultuario conflictu à Mauris peremptus est, dum fines regni proferendi & impiæ gentis extirpandæ studio excursiones in Mauros identidem facit, anno nongentesimo quinto, vti ex schedis Aluendensibus intelligitur. Successere deinceps Fortunius, atque Sanctius, quo Rege ad Iuncariam male fuisse pugnatum sine superioris libri dictum est. Garfiæ Eneci Regis sepulturam Leirensis monasterium sibi arrogat. defendunt D. Ioannis Rupensis sacerdotes, argumento sepulcri quod eo loci inter alia priorum Regum busta Eneci Regis inciso nomine cernitur. Litis diiudicandæ neque facultas erat neque animus. multis locis constituta Regibus cenotaphia, vt in quemque benefici extiterunt, opinionum varietati occasionem præbuisse arbitror. De Vasconum regni initijs pro re præsentis satis dictum est.

*Castella Comites. Cap. II.*



ACCÆOS ferè Romani olim vocitabant Hispaniæ incolæ ea parte cui Castellæ veteris nomen à nostris inditum est, Per Carrionem, Pisoricam, Heuam & Regamonem fluuios descriptæ, secretæque à Legionensi ditione. altera ex parte 40 Asturum, Cantabriæ, & Riuogiæ fines attingebat. ad Austrum montes, vbi Segobia & Abula sita sunt, Mauricum ferme imperium per hæc tempora finiebant. Ager fertilis frugum, vini generosi ferax, bonus pecori, olei infœcundus magna ex parte: cælo terraque maior aliquanto aquarum copia,

copia, quam in reliqua Hispania. homines miti magnoque ingenio, minime mali, salubri corpore, venusta facie, patientes laborum. In ea prouincia (tametsi initio vniuersam non obtinuerunt) reguli opibus & clientelis præpotentes, Christianæ ditionis fines armis & virtute tueri cœperunt, atque indies magis propagare. Comites vocabantur Regum nimirum Ouetensium permissu, in principatus tamen, an in præfecturæ tantum significatione incertum. parendi certè necessitas iniuncta erat, siue regni conuentus agerentur, siue alicunde bellum ingrueret. Antiquis temporibus Comitum appellatione prouinciarum Præfectos honestare moris fuit, annorum numero quibus præesse deberent præfinito. consequenti tempore Regum indulgentia aut imbecillitate, honos ille dum vita maneret cœpit esse proprius: demum ad posteros propagari hæreditatis iure. Antiquitatis vestigia in Hispania retinentur, cum proceres Hispani non prius paterni principatus à parentum obitu nomen vsurpant, neque Ducis, Marchionis, aut Comitum titulos ascribunt, quàm Rege denuo annuente: præter paucas familias, quibus iure priuato contra facere à Regibus est concessum. Atque cum hæc explorata sint, tum illud incertum, qua conditione initio Comites, & in quantum tempus Castellæ ditionem obtinuerint: nisi quod fidei proximum est, eorum principatum eadem initia incrementaque quæ reliquos toto Christiano orbe habuisse, quibus neque amplitudine cedit neque admodum vetustate. Comitum enim Castellæ mentio satis vetusta est: atque in eo numero Rodericum primum ponere licet ex antiquis priorum Regum diplomatis, Alfonsi Casti cœtaneum. Nam de annorum numero laborandum non est, quem in plerisque antiquitatis monumentis vitiatum esse certa ratione constitui. Post Rodericum in Castellæ Comitibus Iacobum cognomento Porcellum numerant viri antiquitatis Hispanicæ eruendæ diligentia eruditioneque præstantes, Roderici filium. sic Alueldense Chronicon ait. Hic Alfonsi Magni Regis Ouetensis tempore vixit, quantum ex schedis veteribus licet conijcere. Filiam nomine Sullam Belliam Nunnio Belchidi connubio iunxisse traditur. Erat is natione Germanus, & religionis ergo D. Iacobi inuisendi cupidus venerat in Hispaniam. vbi rei Christianæ promouendæ studio, affinitate cum Iacobum Comitem sibi conciliasset, cõmunibus cum eo opibus & auspicijs Burgos nobilissimam Hispaniæ & ditissimam urbem fundauit: vicinis pagis, in quos incolæ dissipati viuebant, in vnum ciuitatis corpus formamque collatis, vnde urbi nomen. Burgi enim Germanis pagi sunt. Erant præter Iacobum Porcellum eodem tempore alij Castellæ Comites, nempe prouincia in plures partes distracta. Ferdinandus Ansurus, Almondar cognomento Albus, atque huius filius Didacus. Præter cæteros tamen Nunnus Fernandus principem auctoritatis & potentia locum occupabat: vsque eo vt filiam, Garfiæ Ordonij Regis fratris vxorem dederit, & ipsi Regi. qua ex re, & quoniam Regem Alfonsum cognomento Magnum, eius Garfiæ patrem armis compulerat abdicare, maiores spiritus gerebat scilicet quàm vt æquo animo Ordonius ferret omnis insolentiæ impatiens. Delatores præterea Regis animum in inuidiam inflama-



flammabant, quales in principum aulis multi viuunt, nulla propria virtute præstantes, melioribus tantum prosternendis ad summa euadere soliti: quæ pessima ars nimium prosperis multorum successibus creuit. His inuidiæ stimulis percitus Rex Comites euocat: velle se simulat de republica & summis totius regni rebus consilia cum illis communicare. Locus colloquio delectus oppidum quod Regulare vocabatur, medio inter vtramque dittonem spatium. die dicta Comites affuerunt nullo satis idoneo præsidio militari, venturi securi. conscientia probè gestorum metum excludebat. Per fidem tamen colloquij Regis iussu capti, vinculisque constricti, atque Legionem amandati sunt. Ex ea re Castellæ vrbes & oppida incredibilem animis dolorem conceperunt. auctusq; mœror & desperatio, cum paucis post diebus nunciatum esset Comites impiè & crudeliter fuisse trucidatos. Nouos motus veritus Ordonius, cum ad arma gentem eam consternatam esse videret, dum arma, equos & milites comparat, in ipso belli apparatu Zamoræ ex morbo extinctus est salutis anno nongentesimo vigesimo tertio. in S. Mariæ Legionensi, quod ille templum dedicandum curauit, vti superius indicauimus, tumulatus est. iusta exequiarum more regio magnificè facta. Quo tempore Sisnando Compostellano Præsule defuncto Gundesindus successit, is qui generis nobilitatem (nam Comite quodam natus erat) vitæ & morum prauitate obscurasse visus est. Gundesindo defuncto Hermigildus successus est, in pari nobilitate haud dissimili vitæ genere ad posteritatem deformatus. Ex Belchide & Didaci Porcelli filia Sulla Bella, Nunnus Rasura & Gustius Gonsaluus nati sunt. Nunnus Ferdinandi Gonsalui Castellæ Comitum, quem nostrates historiæ laudibus ad cælum ferunt ob multas res bello paceque præclare gestas, auus fuit. Ex Gustio Laræ reguli, quos vulgò historiæ Laræ Infantes vocant, nati sunt. Ita Iacobi Porcelli sanguis regniæ familiæ insertus, vti loco competenti explicandum est, per multas præterea procerum Hispaniæ domos diductus atque vagatus est, nunquam extincta nepotum sobole vsque ad nostram ætatem.

*Froila eo nomine secundus. Cap. III.*



**EXTINCTO** Ordonio, Froila eo nomine secundus defuncti frater, nulla domi militiæve laude clarus, nullo procerum suffragio, neque legibus, neq; auspiciò regnum inuasit armis: in quibus plerunque iura regnandi sunt. Initijs exitus consentanei fuerunt. haud diuturnum regnum, nempe mensium quatuordecim, dedecore & turpitudine infame, crudelitate nobile: vnde illi Cru delis cognomen factum. metuat multos necesse est quem multi timent. præsidium Regum in ciuium amore est, exitium in odio. Olmundi viri principis filios peremit nulla idonea causa. eorum frater Fruminius Legionensis Præsul solum vertere compulsus est. Inijcere manus viro sacro religio fuit, homini cætera neque moderato neque pio. Ex vxore Munia Alfonso, Ordonium & Ramirum genuit, Froilam stupro patrem Pelagij cognomento

mentò Diaconus: eius cui Alfonso (vulgò Aldonsam dicunt) Veremundi Regis cognomento Podagrici neptis olim nupsit. Legionem sepultus est, lepræ morbo ex quo obiit non magis deformis, quam totius vitæ ignauia & Castellæ alienatione. Indigna Comitum cædes ab Ordonio Rege perpetrata prouinciæ voluntates exacerbabat. Is dolor nouis iniurijs cumulabatur, cum Legionenses iudices iuris repetendi causa adire necesse erat, aut generales regni conuentus agebantur. quod animis ergo agitabant, neque expedire promptum erat, defectionis maturandæ ex Froilæ Regis ignauia opportuna occasio suppeditata est. palam Regum imperium repudiatum. Reipublicæ constituendæ moderandæq; causa ex vniuersa nobilitate duo proceres delecti, penes quos bello paceque rerum arbitrium esset, vitæ necisque potestas. Iudicum nomen est datum. alia principatus nomina repudiata: ne speciosa appellacionis prætextu, concessa potestate ad opprimendam libertatem abuterentur. Nunnus Rasura & Lainus Caluus iudices creati, par hominum ea tempestate longè nobilissimum & potentissimum. Lainus ætate iunior erat. Nunnij filiam Nunniam Bellam sibi toro iunxerat. vigor animi ætati consentaneus. rem militarem curare iussus. Nunnio quem ex multo rerum vsu & magnarum rerum tractatione collecta prudentia commendabat, reipublicæ gubernandæ cura imposita est, concedente collega. iura populis plerunque solus dabat Burgis, vbi multi esse consueuerunt, vrbe primaria, sed & alijs tota prouincia oppidis. Octo ad Medinam Pomariam milibus passuum oppidum extat Biudicum nomine, & in eo tribunal vetusti operis: vnde incolæ ducta per manus opinione persuadent, ab his iudicibus leges promulgatas esse, iuraque data disceptantibus: ex vetusto scilicet iudicum libro, in quem veteres Castellæ leges collatæ erant, & cuius frequens mentio reperitur in schedis & monumentis huius ætatis: tenuitque tandiu, donec ab Alfonso, cui Sapientis cognomen fuit, antiquatus est, nouo legum volumine promulgato, quod in septem partes tribuitur. Hi iudices quanto tempore vixerunt, exploratum non est: ac ne res quidem eorum satis explicatæ, memoriæ proditæ sunt. Ex vtriusq; certè genere nobilissimi & fortissimi viri procreati. nam Lainus Caluus Roderici cognomento Cidi auus quintus fuit. Nunnij Rasuræ filius Gonsaluus Nunnus paternum magistratum gessit, non minori gloria quam pater. Erat enim ingenio facili, morum suauitate atque actionum omnium elegantia singulari. Ad hæc nobilium liberos in aula sua educandos instituendosque suscepit: magnorum id virorum bello paceque seminarium. Ipse ex ea liberalitate curaq; magnam à prouincialibus gratiam iniuit. Semenam vxorem habuit, Nunnij Ferdinandi Comitum filiam, eius qui ab Ordonio Rege inter alios Castellæ Comitum peremptus est. Ex eo coniugio Ferdinandus Gonsaluus natus est, virtutum gloria & in summa varietate fortunæ præcipua constantia cuius procerum heroum æqualis. Verum de Ferdinando mox. ad Reges sese conuertat oratio.

*Sanctius Abarca Vasconum Rex Cap. IIII.*

MULTIS



ULTIS commentis Vasconum historiam fœdatam esse nemo mediocri antiquitatis cognitione poterit ignorare. eius enim gentis historici peruulgato affectui indulgisse mihi videntur, narrationem illustrandi portentosis rerum incredibiliū mendacijs. Vnde historia, cuius potissima virtus est veritas, ijs libris persimilis euasit, qui ab otiosis hominibus in iuuentutis gratiam ex fabulis, nugisque compositi passim circunferuntur. quod cum in reliqua historia cernitur, tum per hæc tempora maxime: cum Garsia Eneco Vasconum Rege, vt paulò superius dictum est, à Mauris in conflictu trucidato, fingunt eundem casum vxorem Vrracam pertulisse, siue eodem tempore, siue diuerso: vt mirari magis possis discrepare auctores in mendacio, quam quid veri sit discernere. Conuenit tamen Sanctium quemdam Gueuarum, cum explorandi causa superuenisset, infantem è Regina mortuæ utero, per vulnus quod acceperat, brachium effertentem vitæ argumento, extractum exenterata matre, clam domi suæ ad iustam ætatem aluisse: quo res occultior esset (nam nescio quas laruas formidabat) cultu rusticano, pro calceis perones gestasse, quos vulgò Abarcas dicimus: inde illi Abarcæ cognomen factum, Gueuaris Latronum nomen, quod latenter Regem aluissent. Demum elapso decem & nouem annorum interregno, in eo habitu ad conuentum, vbi de Rege deligendo suscepta deliberatio erat, deductum: & cum fides esset facta, Regem renunciatum cunctorum ordinum promptissima voluntate, lætissimo omine: ex tantis periculis vnde seruatus erat, reputantium initijs exitus haud dissentientes fore. Verùm hæc quæ speciose dicta sunt, plerique repudiant maiori prudentia & eruditione viri: neque antiquitatis monumenta consentiunt, neque ratio temporis patitur, post eandem patris Sanctium Abarcam esse natum: quando Alfonso & Ramirum Legionenses Reges ætate proximos generos habuit. Ac potius credam prouecta iam ætate virum, à patris morte regnum suscepisse: tametsi ex schedis Leirensis monasterij Fortunium Sanctij fratrem, natu maiorem aliquandiu imperium tenuisse ante ipsum confirmant eius monasterij sodales, verò an falso haud facile dixerim: sed contendunt tamen regio cultu abiecto, in eo monasterio (pertæsum videlicet erat rerum humanarum) vestem mutasse. Sanè Sanctius ex vxore Teuda, Garsiam Sanctium maiorem, & post eum Ramirum, Gonsaluum, Ferdinandum genuit: filias quinque Vrracam, Therasiam, Mariam, Sanctiam & Blancam (quam nonnulli nupsisse affirmant Nunnio Cantabriæ regulo: alij refellunt, nominis coniectura, quòd nullus per hæc tempora eo nomine eius prouinciæ principatum tenuit). Neque magis numerosa prole felix fuit, quam bellica gloria clarus: Sanctij enim armis, quæcunque temporum iniuria, in Suprarbe & Ripagorsã amissa erant, Mauris erepta sunt. quin veteris ditionis fines vehementer amplificati, Cantabriæ principatu adiecto, secundum Iberi ripam, flexumque vsque ad eius ortum, Aucæque montes: versus Occasum vsque ad Tudelam, Olcamque. Ipsam adeo Cæsaraugustam victoriarum cursu penetrasse indicio est arx propè Cæsaraugustam urbem Sanctij Abarcæ nomi-

ne. neque contentus Hispaniæ finibus, transcens Pyrenæi iugis, eam Vasconum partem sub iugum misit, quæ in Galliæ latere eorum Regum imperium longo tempore agnouit. Hoc bello Regem implicitum Mauri propter anni tempus hibernum existimantes auxilio haudquaquam venturum, Pompelone obfederunt. Sanctius periculo nunciato milites peronibus contra frigoris iniuriam munitos, montes traduxit. Inde verò Abarcæ cognomen factum. quod in Caligulæ & Caracallæ Imperatorum nominibus non ab simili causa contigisse exploratum est. Facile fuit ei qui naturam vicisset, hostes prælio, vt fecit, superare: victosque compellere vt obsidionem soluerent.

20 His omnibus bellis profligandis Centulli Ducis virtus vnus maxime celebratur. Sanctij Regis clarissimum nomen euaserat, nisi partam gloriam conuerso in Castellam bello contaminare magna ex parte voluisset: quod illi malo fuit, vt paulò post demonstrabitur.

*Alfonso & Ramirus Legionenses Reges. Cap. V.*



ALFONSVS eo nomine quartus cognomento Monachus regnum iniuria à Froila interceptum post eius obitum recepit, anno nongentesimo vigesimo quarto. Tametsi Froilæ filium Alfonso fuisse Tudensis est auctor. resistunt alij maiori diligentia & auctoritate, confirmantque Ordonio potius eo nomine secundo fuisse genitum. Hoc Rege Ioannes Toletanus Præsul Vestremiri & Boniti successor, illustre exemplum veteris sanctitatis decessit, anno nongentesimo vigesimo sexto. In defuncti locum nullus alius subrogatus est, barbaris scilicet vetantibus aliquem præfici, qui in ea temporum fere rem Christianam inclinam sustentaret. Curioni tantum D. Iustæ cæteri sacerdotes pacis & concordie sancienda studio primas Toleti deferebant: eiusque iussis obtemperare moris erat. Quo tempore Ferdinandi Gonsalui Comitis Castellæ illustris fama erat. Comitis honore cum pater Iudicis tantum magistratu functus fuerit, an Regum beneficio auctus sit incertum: an quod magis videtur, subditorum voluntate excellentes tanti viri virtutes admirantium, æquitatem, mansuetudinem, religionis studium, magnum in re militari usum. Quo virtutum præsidio non modò veteres ditionis fines tutatus est, sed etiam Legionensium Regum ditionem ultra Pisoricam fluuium coercuit. Mauris vrbes & oppida eripuit. Vasconum insolentiam Regis Sanctij Abarcæ cæde multauit. cum enim populandi Castellæ fines modus non esset, & legatos damna reposcentes acerbo responso violasse visus esset, minis adiunctis, quibus belli denunciatio continebatur: Comes omnis insolentiam impatiens in Vasconum ditionem populabundus inuasit. Ad Gollandam oppidum vtrinque vires & copiarum collata. multis cadentibus à neutra parte victoria stabat. ad singulare Ducum certamen ex prouocatione veterum. hastis concurrunt. ambo ex equis ad terram prostrati: Rex lethali vulnere accepto, Comes grauius sauciatus, sed citra vitæ periculum. Ex ea re Castellæ militibus animus auctus, breuique victo-

ria parata. Fusi fugatique Vascones à Tolosæ Comite qui auxilio superueniebat, in aciem reuocati. Rursus prælium redintegratum. idem successus fuit. Comes cum Comite singulari certamine pugnavit. Tolosano cæso in ea dimicatione, victi prorsus, & fugati sunt Vascones. Regis & Comitum corpora Ferdinando concedente, à suis in patriam relata funeris honore non caruerunt. Sanctij Abarcæ sepultura Rupenses D. Ioannis, & Leirenses D. Saluatoris Monachi gloriantur. Litem diiudicare nostri instituti non est. existimo tamen Sanctium Abarcam sub initia Alfonsi Regis extinctum salutis anno nongentesimo vigesimo sexto: cum viginti totos annos regnasset. Successit in regno Garsias Sanctius eius filius: quem inuenio Regem se Pompelonis & Anagari dixisse. regnavit annis quadraginta. vxor Therasia. Hæc in Vasconibus. Alfonsus autem moribus Froilæ quàm patri similior fuit. nulla virtus, nulla dignitas, nulla bello subacta & ad ditio-

9 2 6 10 nem adiuncta prouincia: prorsus vt gentis inuidia flagraret & rerum gerendarum mole oppressus fratri Ramiro, cum Zamoram euocatus esset, regnum de manu tradiderit anno nongentesimo trigesimo primo, cum annis sex & mensibus totidem regnasset, vitam principalem mutare certus, cum priuata atque monastica. in S. Facundi monasterio, quod ad Cææ fluminis ripam cernitur, in Monachi cucullati morem detonsus est, otij cupidior, quàm pietatis, vti euentus declarauit: nulla neque decoris cura, neque

9 3 1 20 Ordonij filij, quem ex Vrracæ Semena Sanctij Abarcæ scilicet Vasconum Regis filia genitum, in tenera ætate præsidio destitutum, opportunum iniuriæ relinquebat. Vrracæ soror Therasia Ramiro nouo Regi cõnubio iuncta fuit: vnde Veremundus, Ordonius, Sanctius & Eluira nati. Ramirus regni cura suscepta, Mauricum continuò bellum repetijt. Intelligebat vir prudens nulla re studia gentis parari, & diuinam beneuolentiam promereri magis quàm Christiani nominis hostibus vindicandis. In ipso armorum apparatu Alfonsi leuitas præclaros conatus repressit, temerè susceptum vitæ genus pari inconstantia repudiantis. Legionem arma conuersa. Alfonsus diu intra urbem eam obsessus, fame & rerum omnium inopia victus,

30 necessariò deditioem fecit, dedito vincula iniecta, custodiæque intra eandem urbem locus designatus. Nihil præterea tum quidem atrocius decretum: nam Froilæ Regis eo nomine secundi filij in Asturibus tumultuantes, eò necessariò vocabant. tumultuandi causa præferebatur non vna Ducibus & genti. Froilæ filij conquerebantur à Rege fuisse contemptos, cum ad comitia regni vocati non essent, ea quibus Alfonsus spontè regno abierat. Asturum arma incenso in Alfonsum studio mota erant, quo tempore regni recuperandi consilia agitabat. Ea res quoniam ad multos pertinebat, supplicij magis metu, quàm cupiditate aut successus spe Froilæ filios sequebantur. mitti tamen ad Ramirum legatos placuit, paratos se imperata facere renunciantes, urbibus atque oppidis recipere, rebus omnibus iu-

40 uare: modò induceret in animum, sine exercitu, sine maleficio venire. id placati animi fore indicium. Ille fraudem subesse ratus, siue minus ex regia dignitate fore cogitans, à subditis leges vt accipiant dici, cum validis copijs irrupit,

irrupit, belloque hostes domuit. multitudo conseruata. de fontibus pœnæ sumptæ. Froilæ filij cum in potestatem venissent, luminibus orbatii sunt. Idem supplicium Alfonsus Regis frater pertulit. Non procul Legionem vrbe, monasterium D. Iuliani nomine extabat huius Ramiri impensa extructum. in eo monasterio vsque ad vitæ exitum asseruati, atque post mortem sepulti sunt, tum hi omnes, tum Semena Alfonsi vxor. Magni motus, quorum expectatione suspensi erant prouincialium animi, faciliorem opinione exitum habuere. Mox arma vt fuerat ante propositum, in Mauros reuocata. In Carpetanos impetus factus. Madritum eo tractu princeps municipium vi-

10 captum, direptum, incensum. mœnia euersa. Interea Mauri vindictæ cupiditate inflammati, magnis vndique collectis copijs, in Christianorum fines irruperunt: ac primùm in Castellæ agros inuadunt. Comes ex superiori bello viribus debilitatus, & rei Christianæ ignominia prouocatus, Ramirum obsecrat missa legatione, ne quam contumeliam remanere in republica Christiana, ne ve barbaros inultos abire patiatur. se in Regem socerum arma necessariò sumpsisse, variam & commutabilem belli fortunam esse. Debere cum reipublicæ iniuriam, si qua esset violatus, condonare. beneficij memoriam nunquam se animo depositurum. Comune periculum regum animum flexit. Affuit continuò Ramirus operæ nauandæ studio. Ad Vx-

20 mam prælio dimicatum. barbari magno numero cæsi. reliqui in fugam acti. milites Christiani auro, argento, & veste pretiosa onusti domos abierunt. Ex hoc tempore quidam suspicantur, Castellæ Comites rursus in fidem atque clientelam Legionensium Regum concessisse. quí enim aiunt, Rex decori tenax arma contulisset, veteresque & recentes iniurias condonasset, nisi iure pristino recepto? Subsecuta est noua in Mauros expeditio. Ramirus opprimendi Mauros studio ardens, Cæsaraugustam duxit: vbi Abenaia regulus infirmis viribus Abderrahmani Cordubæ Regis beneficiarius principatum obtinebat. expeditionis socius Ferdinandus Comes erat. Maurus vtriusque Principis armis veritus vt par esset, Ramiri Regis

30 se vectigalem constituit. Eo fœdere redempta ab hoste pax est, ab armisque discessum. Barbaris fides ex fortuna pendet. Itaque nostrorum discessu, simul Abderrahmani metu, quem expedire arma nunciatum erat, nouo inter vtrumque Principem Maurum fœdere facto, in Christianorum fines inuaditur. Ad Septimancas vsque penetratum est. ægerrimè ferebant Mauri Christianos victis leges imponere, à quibus ante accepissent. Rex continuò obuiam barbaris factus. Prælio insigni, & quo ea ætate nullum maius extirrit, dimicatum. cæsi barbari triginta millia. (alij septuaginta aiunt) multa spolia relata. magnus captiuorum numerus. ipse Abenaia regulus captus. Abderrahmanus cum viginti equitibus fugæ beneficio euasit. temerè effu-

40 seque fugientes Mauros Ferdinandus Comes excepit: neque enim prælio interfuit, qua de causa incertum, sed fugientes tamen non minori clade multauit. Documento est diploma ea de causa S. A. Emiliani monasterio, quod ad Aucæ montem situm est, & olim S. Felicis nomine vocabatur, à Ferdinando concessum, accepti beneficij partæque victoriæ monumentum.

Eo diplomate pleraque Castellæ oppida & vrbes singulo quoque anno iussa sunt, boues, triticum, vinum, lineam vestem pro cuiusque agri prouentu, in eius monasterij vsus pendere ex voto, quod Comes ad bellum proficiscens nuncuparat. vnde præterea intelligitur, ex Cantabriæ parte, ea cui Alauæ nomen est, auxilia Regi affuisse. Geminos angelos equis candidis vectos, in prima acie curasse, atque eorum ope victoriam constituisse publicè persuasum: quod neque contingere, neque fingi, nisi clarissimis victorijs solet, qualis illa fuit. summus Maurorum Antistes (Alfaquinum ipsi vocant) in Comitibus Ferdinandi potestatem est redactus. Ex magna formidine respirasse prouincia visa est, quam incusserat Maurorum apparatus belli, sed & prodigia in cælo visa. Nam eodem quo pugnatum est anno, eius seculi trigesimo quarto (alij quatuor annos adijciunt) Regibus Ramiro Legionis, Garzia Sanctio Pompelonis, deliquium Solis decimoquarto (decimoquinto malle) Kalendas Augusti, feria sexta, hora integra, secunda post meridiem, densa caligine terras inuoluit. Idibus Octobris, feria quarta, Solis lumen pallido colore est mutatum. hiatus in cælo visus. stellæ inusitata specie ad Austri plagam cadentes. exustæ terræ occulta siderum vi. aliaque numinis iracundiam portendentia. Hæc Ferdinandi Comitibus diploma ait. alij ipso quo pugnatum est die defecisse Solem confirmant, octauo Idus Augusti, Iusti & Pastoris festo die, qui dies Lunæ fuit. Ex his sanè rebus anxiam mortalium mentes, hostium cladem portendi post factum intellexere. eo publica lætitia maior formidine procurata. Myro interea decesserat Comes Barcinonensis. tres filios reliquit ætate minori, Seniofredum successorem, Oliuam cognomento Cabretam, cui Besaluni & Ceretaniæ principatus datus est, Myronem annis consequentibus Gerundæ Episcopum Comitumq; rerum procuratio propter noui Principis ætatem penes Seniofredum eius patrum Vrgeliæ Comitum diu fuit: qui gradus exitit posteris principatus occupandi. Omnino Seniofredo patruo rempublicam gubernante, anno nongentesimo quadagesimo, conuentus Episcoporum est habitus ad oppidum, cui Fonti cooperto nomen est, in agro Narbonensi. In eo conuentu controuersia inter Episcopos Antigisum Vrgelitanum, & Adulphum Pallariensem agitata de finibus. ac verò de tota ditone Pallariensis, quam ad Vrgelitanos Præsules pertinere Antigisus disputabat. Patrum sententia, Adulpho mortuo sancitum, vti Pallaria vrbs ab Vrgelitano Præsule sacra peteret: quod certissimis documentis probabatur olim in vsu fuisse. Actionum Præsides Arnustus Narbonensis, Tarracone à Mauris occupata: cuius Præsulis partes fuissent controuersias inter vicinos Episcopos componere, iuraque ijs populis dicere. Seniofredo Barcinonensi Comite defuncto, nulla ex se prole relicta, tametsi vxorem habuerat Mariam Sanctij Abarcæ Vasconum Regis filiam, Borellus Vrgeliæ Comes, Seniofredi alterius filius Barcinonensem principatum armis iniuriaq; occupauit. Nam si iure cur Oliua defuncti frater exclusus? Borello Armègaudus frater fuit, sanctitatis opinione præcipua: eoque merito cælestium numero adscriptus, dicatusq; templis. Verùm hæc aliquanto post. Ramirus Rex ætatis flexu, ad pacis artes & religionis cultum conuersus,

conuersus, ex Maurici belli manubijs Virginum cœnobium Legionis constituit Saluatoris nomine: vbi Eloiram filiam vnicam, virginem sacrari ex ritu Christiano curauit. alterum monasterium Andreæ nomine. tertium Christophori ad Cæ ripam. ad Durium quartum Matri Virgini sacrum. aliud denique in Ornenfi valle S. Michaeli Archangelo. His rebus occupatum Regem noui atque intestini motus ad arma reuocarunt. Ferdinandus Gonsaluus & Iacobus Nunnus viri principes, nouarum rerum studio, an aliqua iniuria abs Rege violati, ab eius auctoritate defecerunt. parum præsidij in factione erat. Mauri euocati Accipha Duce, quem Tormes interfuit Salmantici agrum vastant. Alia in parte Roderici armis (quem coniuratis adhæsisse arbitror) Amaiæ fines & pars Asturum vexabantur. Non satis constabat cui primùm malo occurrendum esset. in ancipiti periculo vicit sententia Mauros, quoniam publicè hostes erant, bello persequendos esse. Ij finibus reiecti cum magna suorum strage. Præterea seditionis auctores in potestatem venerunt: haud multo tamen post è vinculis, quibus Legionem cōstrikti asservabantur, sine alia mulcta dimissi: tantum sacramento adacti denuò in Regis verba, leuioris noxæ argumentum, an regiæ in victoria modestiæ singularis. Eo bello confecto Asturum motus vltro confedisit arbitror: præsertim cum Regis clementia ad sanitatem inuitaret. Castellæ Comes Ferdinandus ex Vrraca vxore filiam Vrracam genuerat. magni referebat ad felicem rei Christianæ cursum, foedus inter vtramque nationem inuolatum stare. neque id Ramirus ignorabat. pacis ergo firmandæ studio, Ordonio filio, quem regni successorem designabat, Vrracam connubio iungendam curauit haud inuito eius patre. sub vitæ sinem noua expeditione suscepta, Talaueram vsque in Carperanis penetrauit. Maurorum copias obsessis opitulatum aduenientes prælio vicit. hostium duodecim millia cæsa. septem in seruitutem redacta. Ex ea victoria cum se satis ad auctoritatem nominis tuendam, quæ cum ætate consenescere consuevit, profecisse iudicaret, exercitum spolijs Mauricis locupletatum reduxit in patriam. Ipse religionis ergo Ouetum profectus, propter eius vrbs sanctitatem corpora sanctorum, quæ multa erant veneratum, locis natura grauibus lethali morbo concepto, cum Legionem reductus esset, rebus domesticis compositis, abdicato regno, filioque de manu tradito, pœnitentia & Eucharistia ex Christiano ritu ab Episcopis & Abbatibus, qui animam agenti aderant, procuratus supremum diem obiit, anno nongentesimo quinquagesimo, quinto Ianuarij die. regnavit annos decem & nouem, menses duos, dies quinque & viginti. funus in Saluatoris cœnobium, quod ipse construxerat est illatum. Fuit hic annus insignis multis oppidis aut recens constitutis, aut denuo instauratis, Vxama, Roa, Riata, Clunia in Areuacis, (quæ nunc Corugnia dicitur). Sepuluedam constituerat locis munitis Ferdinandus Gonsaluus Castellæ Comes, cuius maximè virtute res nostræ ea tempestate nitabantur.

*Ordonius Legionis Rex eo nomine tertius.*

*Capit. VI.*

A 2

RAMIRO



**R**AMIRO vita functo Ordonius filius eo nomine tertius Legionis imperium adeptus est: magno vir animo, magna rei militaris scientia, domi prudentia singulari. vitæ breuitas, nam quinque annis tantum & mēſibus ſeptem regnauit, & domestica calamitas effecit, ne diu præſtare poſſet qualem promiſerat Regem. Sub initia enim Sanctius frater regnandi ambitione corruptus, aut quod vero propius eſt, iniuria aliqua prouocatus, Garſiæ Sanctij auunculi Regis Vaſconum, ſed & Ferdinandi Castellæ Comitum arma, quos præſens adiit, in Ordonij exitium concitauit nullo fraternæ caritatis ſenſu. imperandi cupiditas, dolor iniuriæ, vtrunque impotens malum. In Legionenſis regni fines, iun- 10  
ctis Vaſconum & Castellæ copijs impetus factus. Ordonius regni ſtatu nondum firmato, neq; in inſtina diſcordia ſuorum voluntati conſiſus, locis natura aut arte munitis ſe tenere cōſtituit, neq; totius dimicationis copiam facere. hoſtes ardore cum quo venerant ſedato, & aliena ſpe ſuo periculo tandiu arma gerere ſtultum iudicantes, haud magno operæ pretio redierunt in patriam. Ordonius Comitum vlciscēdi ſtudio, qui nullo propinquitatis reſpectu cum fratre & auunculo in ſuam perniciem arma ſociāſſet, cōtinuò Vrraca Comitum filia repudiata, Eluiram duxit (ſic erant mores eius ætatis) vnde Veremundus natus eſt, iſ cui ex aliquanto annorum interuallo, rebus mutatis regnum paternum obuēnit. Calæcorum motus, Sanctij videlicet ſtudio 20  
conſitati, Ordonij armis & diligentia breui pacati. & quo maius operæ pretium eſſet, in eam Luſitaniam partem, quæ Maurorum imperio parebat, immiſſæ copię militares. longè latèq; populationes factæ. Oliſponem vſq; penetratum. inde in patriam reditum. Interea Ferdinandus Castellæ Comes in Maurorum fines inuectus, Carranſum caſtrum Maurico præſidio depulſo occupauit. Abderrahmanus Cordubæ Rex, quamuis ætate inclinata, omnis inſolentiæ impatiens ingenti exercitu conſtato, in quo octoginta millia homines numerabantur, Alhagibo Almanſori magni nominis Duci mandat, in Chriſtianorum ditionem magno impetu inuadere. Comes ex vniuerſo 30  
imperio omnes, quorum ætas idonea erat, ad bellum cōuocat: & cum minores vires copięque eſſent quàm pro imminenti periculo, anxius de belli exitu, in concilio procerum Munione (id oppido nomen eſt) de rei ſumma deliberat. Variæ dictæ ſententiæ: vti in graui metu quiſq; ſerè pro moribus loquitur. Pars in qua plus audaciæ inerat, bellum geri volebat: pars cōmeatu in loca munita collato ſuſtinere, dum barbarorum vires, qui impetu valent, mora conſeneſcerent. Gonſaluus Diacius inducias etiã à Mauris pretio redi- 40  
mendas diſputabat nulla honeſtatis, quam metus non recipit, cura. Quid, inquit, an tãtis copijs & tam exercitijs exiguum noſtrorum numerum obijciemus, temeritateq; in certum exitum ruemus? an non ſentis in vnius prælij euētu diſcrimen rei Chriſtianæ verti? Nimirum in tua ditione bellum geritur. ſi vicerimus parum vtilitatis accedet; ſi victi erimus prouinciã viribus nudatam, metu oppreſſam in hoſtium venire poteſtatem, quod horret animus, neceſſe erit. Vide ne turpe ſit vrbes & oppida tot ſeculis & tam multo Chriſtianorum ſanguine parta, vno puncto vnoq; momento amittere: quod poſteri

poſteri non virtutem, ſed temeritatem interpretentur. vt ſerè audacia conſilia ex euētu famam habent. Atque illud conſidera, maioris ſæpe virtutis eſſe animum ratione compereſcere, quàm hoſtes ferro ſuperare. In hoc magnam ſibi partem fortuna vendicat, illud magnorum virorum præcipuum munus eſt. Quid verò magis temerarium quàm ſacra, patriam, vxores, liberos, penates inani laudis cupiditate in apertum & maximum periculum vocari? Tu quod fert animus id facito, etiam ego nullum ſalutis periculum tuo iuſſu ſubire recuſabo: meo tamen conſilio nunquam cum tanto rei publicæ diſcrimine totius certaminis aleam ſubibis. Comes haudquaquam ignorabat 10  
eam orationem ex ore Gonſalui à multis miſſam. vicit tamē laudis ſtudium. Itaque cum de ſuorum virtute, de diuino præſidio, de gloria parta, cui maculam inuri morte ipſa grauius arbitrabatur, longa oratione diſputaſſet, reliqui aut verò aut ſimulatè ſententiam laudarent: votis ritè nuncupatis obuiam hoſti Laram vſque progreſſum, vbi Maurorum caſtra erant. Eo loco Ferdinandus Comes animi cauſſa venatum egreſſus, dum aprum inſequitur à ſocijs diuulſus eſt. In vicino monte ſacellum operis vetuſti erat hedera conſectum: & Petri Apoſtoli nomine erecta ara. Vir ſanctus Pelagius nomine, & ſocij duo, vitæ tranquillioris genus conſectantes locum domicilio delegerant. aſcenſus difficilis erat, arcta via. fera tanquam ad aſylum in ſacellum ſe recepit. Comes loci religione tactus à vulnere quidem abſtinuit, nixusque genibus Dei opem venerabundus implorabat. Præſto a deſt Pelagius: & quoniam dies in noctem inclinabat, tenui cœna exceptus, in precationibus & lacrymis noctem tranſigit. Cum luce Pelagij oraculo de belli ſucceſſu edoctus hilaris ad ſuos redit, de ipſius ſalute ſolicitos. re omni expoſita, incaleſcunt militum animi ad pugnam, qui timore ſuſpenſi fuerant. Collatis mox vexillis dimicatur. ab exiguo Chriſtianorum numero numeroſa hoſtium multitudo proſtrata eſt. Dux cum ijs qui ex clade euadere potuerunt, fugæ beneficio ſeruatus. Ea victoria res Chriſtiana, quæ inclinata eſſe videbatur, reſtituta eſt. noſtri læti & hoſtium ſpolijs onuſti domos redierunt. Pelagio viro ſancto prædæ pars ceſſit: & procedente tempore Ferdinandi impenſa, ad ripam Aſlanciæ fluminis monaſterium magnificum è bellorum manubijs excitatum S. Petri nomine: vbi Gonſalui patris oſſa 30  
tumulata ſunt. cui monaſterio Pelagij ſacellum in vicina rupe eminens coniunctumque, noſtra etiam ætate monſtratur. Vincentij Martyris corpus dempto tantum capite, atque Sabinæ & Chriſtæ Vincentij ſorum habere ſe eius cœnobij Benediſtini monachi gloriantur: alij eam poſſeſſionem ad alios ablegant. Garſiæ certè quondam eius monaſterij Abbatis, quem in ſanctorum numero reponunt, ſepulcrum eo loci monſtratur. Mauri poſt ſuperiorem cladem haudquaquam animis fracti, denuò de Caſtella cogitabant. Et Ordonius Rex Luſitanica expeditione deſunctus, & vindiſtæ ſtudio ardens, bellum in Ferdinandum Comitem comparabat. Magno in periculo res erat. Verum Ordonij animus vt erat ad modeſtiam compoſitus, legatione Comitum facile mitigatus eſt, omnibus precibus veniam deprecantis: quæ feciſſet non ſua quidem ſponte, ſed eorum

potius fraude perpetrata, qui ipsius facilitate abusi essent. paratum se impetrata facere: nouisque officijs præteritam offensam compensare. Ingentes Maurorum copias in Christianorum perniciem comparari. debere eum priuatis affectibus atque dolori communem nominis Christiani causam potiore habere. Ea legatione non Rex conciliatus modò, sed tantum copiarum adiunctum, quanto opus erat ad Maurorum impetum, qui ad Sancti Stephani oppidum non sine maleficio processerant, propulsandum. pugnae euentus nostris prosper fuit: magna barbarorum strages. Ordonius Rex tantæ victoriæ nuncio lætus bonaque spe plenus, nouam in Mauros expeditionem adornabat, cum Zamoræ morbo lethali oppressus est anno nongentesimo quinquagesimo quinto. Corpus Legionis ad D. Saluatoris, vbi pater tumulatus erat, in sepulcrum illatum regio funere atque apparatu.

*Sanctius cognomento Crassus Legionensis Rex. Cap. VII.*



**R** DONIO superstitè, vbi gentium Sanctius frater fuerit, & an vllam reipublicæ partem attigerit incertum est: ac ne illud quidem constat, fuerit ne inter fratres reconciliata gratia, an perpetuò inimicitia vigerit. pudenda scriptorum huius ætatis incuria, luce sæpe destituatur historia necesse est. Conuenit, defuncto Ordonio Sanctium nullo impediante Legionis imperium suscepisse. Crassi cognomen à multo abdomine factum. corpore erat rebus gerendis inutili, ingenio minimè malo, præstanti animi indole, & rebus aduersis admirabili constantia. Altero regni anno, qui fuit eius seculi quinquagesimus sextus, alienato exercitu atque tumultuanti ob studia partium nondum penitus restincta, ad auunculum Regem Vasconum confugere compulsus est, regnumque relinquere suspensis incertisque amicorum voluntatibus, multis inimicis: quorum studia in Ordonium propensa erant eius Alfonso filium, cui Monacho cognomen fuit. Sanctij discessu Ordonius facile regno potitus est: & quò maior esset auctoritas, Vrracam ab Ordonio patrueli repudiatam patre Comite concedente vxorem duxit. Erat ingenio malo prauoque: vnde illi Mali cognomen. & cum impotenti naturæ frænos daret, quod semper in summa potestate exitiale fuit, odium gentis & ex inuidia contemptum incurrit. Oblatam ex ea re occasionem regni recuperandi non despiciebat Sanctius: prius tamen corporis extenuandi causa auunculi Regis consilio profectus est Cordubam: vbi excellentes medicos esse, ac nominatim eius morbi sanandi peritos fama vulgauerat. Venientem Abderrahmanus benignè accepit. cura adhibita, cuiusdam herbæ (nomen non proditur) virtute, extenuata aruina corpus ad competentem habitum perductum est. Quò maior esset gratia, valida Maurorum auxilia, vt in regnum restitueretur, adiuncta. Gloriosum Regi barbaro erat rerum pace & bello arbitrum esse videri. Sanctij aduētū, æmulus ne tentata quidem defensione in Astures fugit (tātus repente Ordonium timor inuasit) inde pari desperatione ad foci Comitis ditionem. Miseros omnium studia

studia destituunt. in quo præsidium esse debuit, ab eo propter ignauiam exosus vxore ablata finibus Castellæ pulsus est. In Maurorum ille clientelam concedens, egenus & profugus turpem vitam exegit: ac prope Cordubam demum extinctus est. Eodem tempore Castellæ arma mota sunt, intestinique tumultus extiterunt. Vigila ex alterius Vigilæ nepotibus, quem Alauæ principatum tenuisse dictum est, ijs locis atque in finitima Castellæ parte latè dominabatur. Is ætate ferox, familia, opibus & multis clientelis potens, in Castellæ Comitem Ferdinandum Gonsaluum arma sumpsit. Comes vti erat omnis insolentiæ impatiens, Vigilam & socios victos, omnibusque vestigijs insecutus, ac nullo loco consistere sinens, patria relicta ad Mauros confugere compulit. quæ res magnorum motuum occasio exiit. Alhagibus Almanfor, an horum precibus prouocatus, an præteritæ ignominie sanandæ cupiditate ardens, magno comparato exercitu in Castellæ fines excurrit, formidabilis æquè ac infensus nomini Christiano. Ferdinandus delictu suorum habito, Pelagij inuisendi cupidus, ex itinere eius domicilium adiit. decessisse inuenit. sollicito de belli euentu ac dormienti Pelagij oblata species indicat victorem fore. numine fretus progrediretur ad bellum venturi securus, prælio, primo quoque tempore decerneret. Ad Petram Hitam concursus est tanto animorum ardore, quanto nusquam ante. barbari multitudine confidebant. nostri causa, virtute, animis, & diuino patrocinio. exiguus numerus pro hostium multitudine: quadringenti quinquaginta equites, pedites quindecim millia. viuida bello virtus. triduo continenter pugnatum memorant, nisi quantum nox temporis curandis corporibus dedit. postremo die D. Iacobus in acie visus victoriam peperit. Hostes maiori quam vnquam clade oppressi in pugna & in fuga: biduo enim fugientes persecuti sunt nostri. Hoc bello profligato ex vniuersa Castella legati principes ciuitatum, sed & externarum gentium gratulatum Comiti pro diuino munere venerunt, vnius virtute contentium periculo in præsens, in futurum metu magno & grauissimo rem Christianam ereptam. Legionis Rex Sanctius nobilissima legatione missa, secundum gratulationem postulabat, vt quoniam ex vniuerso regno concilium euocare cogitaret de maximis rebus, venire Legionem ne recusaret. Graue id Comiti postulatum visum est, in officij simulatione insidias verito, ne per fidem cõuentus ab astuto Rege circumueniretur iniuriarum memori. nulla tamen detrectandi imperij honesta causa sese ostendebat. venturum dixit. alluit die dicta, magno procerum comitatu prosequente. Rex ipse honoris causa venienti obuiam progressus est. Conuentus habitus est anno nongentesimo quinquagesimo octauo. In eo quid fuerit constitutum clam est. tantum memorant generosum equum & accipitrem pari nobilitate, Regi expetenti cum dono accipere noluisse, ingenti pretio abs Comite fuisse venditos: adiecta lege, vt nisi ad certam diem optima fide appensum esset, singulo quoque die summa vris conduplicaretur. Præterea Therasiæ viduæ Reginae astu, cum patris viciscendi cupiditate æstualet, Sanctia eius soror Comiti pacta est. Vrraca Comitis vxor defuncta erat: Sanctia apud Garisiam fratrem Vasconum

Regem. vi parum processurum sperabant. Sanctius fidem aperte fallere recusabat. insidias Comiti tendere, & Vasconum perfidia pro armis uti parant. Fœderis ignarus Garsias Sanctius irruptione facta per causam superiores iniurias vindicandi, Castellæ terras populandi finem non faciebat. Comes cum rediisset in patriam, per legatos monere damna quæ illata erant refarciret: si negligeret res suorum sibi curæ fore. Ea legatione quoniam bellum denunciare videbatur, ad arma concursus est. Breui, commisso prælio, Comes victor euasit. quò in bello Lupus Diacius Cantabriæ regulus, ut historiæ eius gentis memorant, Comiti affuit, Eneco Ezquerra genitus, Zurix Cantabriæ olim Principis pronepos. Secundum eam victoriam pace facta, Ferdinandus Comes in Vascones abiit, ut ad nuptias inermi turma stipatus in pompæ modum. Res lætitiæ & securitatem magis quam formidinem ostentabat. Ab infido Rege, qui armatus venerat, comprehensus est. Sanctiæ arte cuius amore in eam calamitatem præcipitatum erat, è vinculis liberatus, cum ea fugit in patriam. Affuere ad Castellæ limites in Riuogix ea parte agri, vbi postmodum Villoradum situm est, Castellani milites iurati non prius se domum redituros, quam Comes in libertatem esset vindicatus. Magna vtrinque gratulatio, lætitiæ significatio singularis. Burgos urbem cum ventum esset, nuptiæ celebratæ sunt. Rex Vasconum sororis arte delusus bellum comparat, neque Comes recusat. ad 20 confinia vtriusque ditionis dimicatum est. Rex victus in hostis potestatem redactus est, anno nongentesimo quinquagesimo nono. Quo anno, Arabum imperij trecentesimo quinquagesimo, Abderrahmanus Cordubæ Rex in extrema senectute decessit: ad quem sub vitæ finem Sanctius Legionis Rex honestissima legatione missa, cuius legationis Velasco Legionensis Episcopus princeps erat, pro iure initæ olim amicitix petijt Pelagij Martyris corpus ad se mitti. id munus magni beneficij loco habiturum. Quod Abderrahmanus facere detrectauit, ab eius filio & successore Alhaca, qui à morte patris sedecim annis regnavit & duobus mensibus, non multò post est impetratum: pacis enim studio, cui deditus erat, vicinis Principibus gratificari cupiebat. Garsias Rex Vasconum cum Burgis tredecim mensibus in custodia esset detentus, libertati redditus est. Sanctiæ lacrymæ & principum preces infensum Comitis animum peruicere. Therasia Regina impotentis animo foemina, quoniam fraus in Castellæ Comitem concepta parum successerat, novas insidias comparare constituit: ac Sanctio filio Legionensi Regi persuadet, Comitem ad generales regni conuentus, quibus de supremis reipublicæ rebus deliberandum erat, euocare. Venit ille inuitus, quia dolum suspicabatur. Rex neque obuiam progreditur, ut ante fecerat, & in genua incumbentem, manum regiam de more osculaturum contumeliosus verbis reiectum, custodiæ mancipari mandat. Ex ea re mœror & luctus subditorum animos occupauit. Sanctia virili animo foemina, ingenio callido, viri liberandi causa fingit se Compostellam religionis ergo adire velle. Legionem vbi Comes vincus erat, iter erat. Rex nobilissimæ & propinquæ foeminae (erat enim matertera) aduentu nunciato factus obuiam,

obuiam, benignè accipit hospitio. Illa humillimis precibus inuisendi virum petit facultatem. Nulla neque honestior petitio esse poterat, neque iustiori de causa, quam viri calamitatem subleuandi. Datum à Rege ut ea nocte apud eum maneret. luce dubia Comes vxoris vestibus indutus è custodia emissus est: equoque qui ad eam rem paratus erat in patriam euasit. Sanctia mariti vicaria è carcere Regi nunciat aufugisse Comitem. ne quidquam in foeminam regiam & propinquam sanguine statuatur. viro nullum periculum denegare fas esse putare. quæ fecisset ea de causa, si non laude certè venia digna esse: apud Regem præsertim, cuius præcipua virtus subleuandis calamitosis oppressisque cernitur. Rex dolere primùm sua se spe delusum: deinde animi impetu ad rationem reuocato, regiæ foeminae pietatem admirari, animique constantiam. Demum cum multo verborum honore collaudatam ad virum splendido comitatu adiuncto deduci iubet. Comes successu lætus, tametsi Rex commississe videbatur ut hostis loco esset, quod pro equo & accipitre pretium pactus erat, Regem postulat. Summa vsuris immensum excreuerat. cum solutio differretur, agros Legionensium euasit. neque prius malis finem facit, quam abs Rege quæstores missi sunt ut pecuniam Comiti integra fide penderent. Re ad calculos redacta, inuentum regio thesauros soluendo pares non esse. Conuenit ut debiti compensatione, Castella sui iuris esset, neque amplius Legionensium Regum imperium respiceret. Quod fœdus factum affirmant à partu Virginis anno nongentesimo sexagesimo quinto. Quo anno Maurorū validæ copix in regni fines inuectæ Legionem obsederunt. vnde non leui clade accepta militum qui in præsidio erant, & ciuium virtute repulsi sunt. Ex Oceano maligno nimirum stellarum cõkursu excitata vis flammaram ingens, in terras finitimas effusa & Zamoram usque perlata, multa oppida & agros incendio deformauit. Garsias Sanctius Vasconum Rex diem obiit anno nongentesimo sexagesimo sexto. Reliquit ex Therasia vxore Sanctium & Ramirum: filias præterea Vrracam, Ermesildam & Semenam. Quo loco defuncti corpus fuerit tumulatum clam est. In Leirensi monasterio quidam suspicantur. Aluendenses schedæ in castro Sancti Stephani aiunt. Imperium Vasconum Sanctius cognomento Garsias post patrem adeptus est: & cum eo Ramirus frater, exæquata duorum potestate an diuisa ditione incertum. decem amplius annis regnasse Ramirum ex Alueldensi conciliorum libro hac ipsa tempestate descripto satis constat: cælibem & sine prole decessisse magnæ coniecturæ indicant. Sanctius, qui se Pompelonis, Anagari, & Alauæ Regem dixit, ut vetusta diplomata declarant, regnavit annis viginti septem, nulla re memorabilis propter incuriam eius ætatis scriptorum: nisi quòd satis cõstat Cantabriæ ducatum Vasconum regno adiecisse: Triciumq; eius prouinciæ principem ciuitatem Cantabrigi imperij sedem ea tempestate. religioni amplificandæ deditum fuisse, Leirensiq; S. A. Emiliani ad Anagarum, D. Ioanis Rupensis monasterijs agros & oppida insigni liberalitate donasse. Vxorem habuit Vrracam, vnde Garsias Sanctius natus est cognomento Tremulus, quod initio pugnae vehementius commoueri toto corpore solitus esset, quam is armorum vsus regiaq; dignitas postulare

videretur. quod tamen naturæ vitium, præclaris factis compensare in ipso prælio solitus erat: nullumq; aut prudentis Ducis, aut strenui militis officium prætermittere. Noui motus in Calæcia extiterunt, prouincia in factiones ducta haud idoneo tempore, cum Maurorum arma lacefferent. de causa non constat. Regis diligentia tumultus breui compositi, quibusdam factiosis malè multatis. alij in Lusitaniæ partem eam pulsi sunt, quæ Regis imperio parebat. Comes quidam Gonsaluus nomine, ingenio prauo, pro Rege eam prouinciam gerebat. Is exulum patrociniū vt susciperet (erat enim partibus infectus) arma in Regem sumpsit, atque ad Durij ripam progressus est. Ibi cum virtute diffideret, ab ingenij calliditate præsidium petens, humillimis precibus eorum quæ comissa erant veniam impetrat. Erat in omnia Regis familiaria iura assuetus. In pristinum gratiæ locum receptus, incauto Regi pomum medicatum præbet: quo gustato veneni vis per venas diffusa vitalia sensim occupare cœpit. Legionem deduci se curat. desperata salute prope eam urbem, tertio die ex quo venenum hauserat, extinctus est anno nongentesimo sexagesimo septimo. Corpus in D. Saluatoris illatum. regnauit annis duodecim.

*Ramirus eo nomine tertius, Legionensis Rex. Cap. VIII.*



**R**ERASIAM Sanctio Regi nupsisse exploratum est: Ramirumq; quinque annos natum ex ea à patris morte relictum, regnum obtinuisse annis quindecim. propter teneram eius ætatem, rerum procuratio penes matrem Reginam & Eluiram (Geloiram alij scribunt) amitam erat, lectissimas fœminas prudentia singulari: tamen si sexus & ætatis despectu magni motus excitati sunt. Hermigildi successorem Sisnandum Compostellanum Præsulem, cum nobilitate fretus (erat enim Menendi Comitis filius, Gundesindi Episcopi propinquus) ecclesiasticos redditus & facultates turpiter consumeret, Sanctius Rex exauctoratum carceri manciparat: Rodesindo Cellæ nouæ Benedictino monacho in eius locum substituto. erat is regio ex sanguine Guterrio Comite ex Aldara vxore natus. Sisnandus hoc tempore è custodia elapsus, armis Compostellanam ecclesiam occupat, successoremque ultimi suplicij metu perfusum abdicare cogit: redireque in monasterium suum, vbi vitæ reliquum exegit. Fœdus cum Cordubensi Rege initum extabat: nouisque officijs confirmatum erat, cum Pelagij corpus in noui Regis gratiam Alhaca Cordubensis Rex concessisset: quod in monasterio Sanctij Regis impensa Legione extructum collocatum est: vt ipsi in animo fuerat, sacris exuijs Martyris ædem augustiorem facere. Id cœnobium Ioannis Baptistæ atque Pelagij olim nomen prætulit, nunc D. Isidoro sacrum. Ea pax hac occasione est violata: Vigilæ, quem Cordubam aufugisse monstratum est, quotidiano conuitio Mauri ad arma contra Castellæ Comitem, vnde tam multæ iniuriæ extabant, excitabantur. Alhaca Rex tamen si pacis quàm belli cupidior erat, suorum vocibus prouocatus, numero-

so

so exercitu conflato in Castellæ fines inuasit. Sepulueda, Gormatium, Septimancæ, Donniæ expugnata: & rerum successu faciente animos fœdere contempto in Legionensium fines penetratum est. Zamora in eo tractu vi capta, soloque æquata. Quibus malis victus Ferdinandus Comes anno altero, salutis nongentesimo sexagesimo octauo supremum diem obiit Burgis. Sepultus est ad Allanciæ ripam in D. Petri monasterio: vbi inscriptiones, eius & Sanctiæ vxoris nominibus ad aram maximam cum cippis monstrantur. Funus non magis apparatu suorum celebre fuit, quàm iustissimis vniuersæ prouinciæ lacrymis, optimi atque fortissimi Principis, quo Duce tandiu Christianorum res steterat, interitum deplorantium. Ex duabus vxoribus filios genuit Gonsaluū, Sanctium, Garsiam cognomento Fernandum: nonnulli Petrum & Balduinum addunt. Cæteris aut immatura morte sublatis, aut posthabitis, Garsias Fernandus patri successit: in quo indoles erat, & magnarum virtutum semina, quæ breui ad frugem peruenerunt. reliquit præterea Vrracam filiam, de qua paulò superius non semel mentio facta est. Eodem tempore Nortmanni, qui in parte Galliæ conserant, cui olim Neultriæ nomen nunc Nortmanniæ, Heruei Remensis Pontificis opera ante aliquot annos facti Christiani, cum Hispaniæ littoribus assueuissent, comparata instructaque numerosa classe, in Calæciæ oram excursions faciant. vicos, castella, oppida incendunt. multi mortales cum alia omnis generis præda capti. biennium ea calamitas tenuit. Rex ob teneram ætatem, prouinciæ defendendæ non satis cogitationes explicabat. Sisnandus Compostellanus Præsul, homo armis quàm infulis aptior, raptim collecta incolarum manu ad Fornellos oppidum hostem consecutus, in tumultuaria pugna sagitta fauciatus perijt ad quartum Kalen. Aprilis, anno nongentesimo septuagesimo nono. vitæ exitus consentaneus fuit. illud in reliqua vanitate laudatur, quod Compostellæ mœnibus extruendis, ne hostium iniuriæ loci sanctitas opportuna esset, diligenter operam nauauit. Cæterum Nortmannos præda graues, & impedito agmine procedentes, Gonsaluus Sanctius Comes ei bello delectus Dux, ad mare improviso adortus ingenti cæde prostrauit. cecidit Dux ipse. Gunderedus. præda & captiuū erepti. naues ad vnam captæ, incensæque. magno periculo & sollicitudine Hispania liberata est. Cordubæ per idem tempus Alhaca Rex defunctus est anno nongentesimo septuagesimo sexto, Arabum trecentesimo sexagesimo sexto. Quo anno Rasis Maurus commentarios de rebus Hispaniæ Arabicè à se conscriptos Balharabo misit Miramamolino Africae, eius hortatu ad scribendum incitatus. Alhacæ inter octo filios ætate minores atq; adeo pueros Miramamolino auctore, cuius arbitrio controuersia permilla est, cum Mauri in Hispania voluntatibus discreparent, successit Hissemus annos natus decem & menses quatuor. regnauit annos triginta tres, menses quatuor nomine tenus: cum rerum potestas penes Mahomadem esset virum industrium, qui Alhagibus, hoc est, Prorex initio dictus est, regni modò procuracione consensu procerum eius fidei concredita: deinde Almanfor, id est, victor, cum sæpe de hostibus victoriam reportasset. Hinc intesti-

Aa 5

ni



ni motus nati sunt, Rege in ignavia, otio atque voluptatibus desidente, alijs eius nomine imperantibus. Vberimis Hispaniæ agris, mitissimo cælo, clementibus accolarum ingenijs multum de animorum ferocia mutatum erat, de viribus corporis detractum. neque prius dissidia constiterunt, quam Hissemus paterno regno spoliatus est. Haud multo meliori loco res nostræ erant. molli educatione, vt inter foeminas Regis mores deprauati erant, animi vigor laxatus. Vrraca vxor, quam duxit anno nongentesimo octogesimo primo, viri potens erat. matris & amitæ Eluiræ virginis sacræ, quarum aliqualis reuerentia vitia comprimebantur, consilia repudiata. Aditu difficilis, verbis procax Calæcos proceres irritauit maximè, feroci homines ingenio. 10  
Ab his gradibus suis cõtemptui esse cœpit. malè cogitantibus rempublicam cõturbandi occasio suppeditata est. A Calæcis, vti necesse erat, initium rebel- landi factum. Veremundus Regis patruelis, Ordonij Regis eo nomine ter- tij filius, tumultuantibus ducem se præbuit spe paterni regni, quod iniuria ablatum erat, armis recuperandi. Ramirus suo periculo à torpore excitatus tandem, hostibus occurrit. vno & altero anno, vario successu bellum ge- ritur, scissis regni studijs in ambos: ad extremum æquo Marte pugnatum ad Portellam Arenariam (id oppido nomen prope Monterrosum est). multi vtrinque cadunt. à neutris victoria stetit. ab armis ita secundum præ- lium discessum, vt Calæcia in Veremundi potestate maneret, Compostella 20  
noui regni sede. Pelagius Lucensis Episcopus, eius vrbs Veremundi ex vo- luntate Pontifex creatur, natus Roderico Comite, prauis moribus. Itaque loco excidit. Petrus Mansorius monachus Abbasque virtute spectata, in Pe- lagij locum subrogatus est. hoc Pontifice templo Compostellano restitu- ta sunt quæcunque iniuria superiorum temporum erant ablata. Rodericus Comes filij restituendi causa, Mauros in prouinciam euocat. miserabilis re- rum facies, & ludibrium religionis Christianæ. barbarico impetu atque ar- mis Calæcia vehementer infestata. Compostella ipsa capta, templi paries ad terram prostratus. ab Apostoli sepulcro temperatum, qua de causa incer- tum: nisi quod satis constat, suam sedem suumque templum Iacobum Apo- 30  
stolum esse tutatum, & illatæ iniuriæ graua exegisse piacula. corruptis in- testinis dissenteria morbus toto exercitu vagatus, magnam partem cum in- genti dolore consumpsit. Almanfor ipse, tantæ cladis ecqua causa esse vi- deretur ex quodam percontanti cum esset responsum: vnum è discipulis fi- lij Mariæ loco sepultum, arrepta fuga redire in patriam contendit. Verum in Celtiberis ad Medinam Celinam nobile oppidum, simili fato consum- ptus est. Alia parte repetitis expeditionibus Mauri multa oppida nostris eripere Gormatium prope Vxamam, atque Atiensam, in Vaccæis Septi- mancas longa obsidione fatigatis incolis victoque acie Ramiro Rege, cum ad dissipandam obsidionem accurrisset. nunquam maiori in periculo res 40  
Christiana fuit ex quo resurgere cœperat in Hispania, nostris discordia scis- sis, Alhagibo magni nominis Duce cuncta pro Regibus Cordubæ admi- nistrante, implacabili odio nominis Christiani. Compostellani quidem templi paries discedentibus barbaris Veremundi Regis, & Petri Mansorij Ponti-

Pontificis diligentia instauratur, & Mauricæ superstitionis sordibus procu- ratis, templum ex Christiano ritu, solenni cæremonia expiatur. Petro in eius ecclesiæ episcopatu Pelagius Diacius successit, ex iudice profano re- pente Episcopus factus, malis artibus vique. & hoc deiecto, quoniam info- lentes mores erant, superbæ aures, frater Vimara suffectus vita simili, siue casu siue prodicione in flumine Minio perijt. Vitio illorum temporum mores sacerdotum in leuitatem incubuerant maximè, non in Hispania tan- tum, sed in alijs etiam orbis terræ partibus. Romaque ipsa, quæ caput & domicilium sanctitatis esse consuevit, grauissimo schismate exagitabatur, 10  
Bonifacio, Benedicto, & Ioanne per hæc tempora, de pontificatu conten- dentibus. Morum prauitas quanta fuerit ex Luitprando Ticinensi Diaco- no, qui visa in historiam retulit, cognoscere licet. Vimaræ alius ex eadem fa- milia successor est datus, cuius nomen memoriæ proditum non est (Isqua- riam nonnulli codices habent suspicor falso). Is duobus consanguineis, ni- hilo sanior cum esset, Regis iussu carceri est mancipatus. Ad Ramirum re- deamus, quem otium & ignauia exitiale in Principibus malum, ad vitæ exitum tenuerunt. Obijt Legionem anno nongentesimo octogesimo secun- do. Sepultus est in Destrianæ monasterio, quod in Ornenfi valle. S. Mi- 20  
chaelis nomine à Ramiro auo exstructum fuisse monstratum est. vnde Fer- dinandi eo nomine secundi iussu, post ducentos circiter annos in Asturi- cæ templum maximum migravit. Sampyrus Asturicensis Episcopus, vt de pleraq; mutuati sumus, hic finem scribendi fecit. Progreditur Pelagius Oue- tensis Episcopus, qui Alfonso Imperatore vixit. vtriusque fidem, quoniam plerisque rebus interfuerunt, certissimam arbitramur, Sampyri maiorem.

*Veremundus Podagricus Legionensis Rex. Cap. IX.*

**R**AMIRI obitu, regni successio ad Veremundum eo nomine secundum deuoluta est, tum lege, cum defuncti sine liberis Re- 30  
gis Veremundus patruelis esset, tum necessitate: quoniam re- gni partem armis occupatam obtinebat. regnauit annis septen- decim, neruis æger, vnde illi Podagrici cognomentum. Priscas leges Got- thorum nouo edicto sanxit: & Pontificum Romanorum responsa, vt secun- dum ea ius redderetur, sanctissima lege statuit. Verum priusquam huius Regis res gestas ordine explicare incipimus, ad Garfiam Fernandum Ca- stellæ Comitem reuocanda narratio est. A quo satis constat initi principa- tus initio, cum Mauris ad Gormatium oppidum, ipsamq; Durij ripam acie dimicatum. cæsi proffigatique hostes haud exiguo numero. Accidit in eo prælio, quod memoriæ prodendum esse videtur, vt Ferdinandus Antolinus 40  
vir nobilis & religionis cultui deditus, rei diuinæ procurandæ causa, quod semper ante pugnam facere consueuerat, maneret in templo dum ab alijs dimicatum est. Numini quàm grata eius viri pietas esset, miraculo indi- catum. ipso in templo primum, deinde domi ignominia metu residen- te latitanteque, eius specie quidam, Genius scilicet bonus, inter primos for- titer

titer pugnare visus est: ut eius diei victoria Antolino potissimum tribueretur. recentia vulnerum vestigia, & sanguinis maculæ in equo & in armis inuenta miraculum confirmarunt: reque omni prodita, Antolini innocens virtusque illustrior euasit. Garsias Comes hoc profligato bello, duas uxores duxisse memoratur, priorem Argentinam nomine, formæ dignitate captus, quam pater nobili loco Francus Compostellam religionis causa, ipsam & matrem ducebat. Sexto à nuptijs anno, cum vir ex morbo decumberet, initi coniugij tædio, an patriæ cupiditate procerem quemdam Francum è Compostella redeuntem in Galliam secuta est. Sic nostrates historiæ affirmant. Garsias Comes Egidio & Ferdinando viris principibus, reipublicæ procuratione demandata, in eam Galliæ partem mutata veste contendit, vbi Argentinam morari exploratum habebat. Erat Argentinæ priuigna nomine Sanctia, ex priuata, ut sit, contentione nouercæ infensa. Ab hac spe nuptiarum iniecta, siue foeminei ingenij leuitate, Comiti aditus in ædes præbitus. Argentina & adultero in strato obruncatis Garsiam in Hispaniam secuta est. Nuptiæ magno apparatu & gratulatione Burgis celebratæ. Plerique totius huius narrationis fidem eleuant, & Garsias uxorem Oniam dictam affirmant. S. Saluatoris Oniæ argumento, quod monasterium de uxoris nomine memorant à Garsia Fernando Comite Castellæ constitutum. alij Abbam, ut sepulcrorum ad Asslanciam & Cardeniam vestutæ inscriptiones ostendunt. verum quis certò dispiciat? nos tantam varietatem admirari magis, quàm quid potissimum sequeremur habebamus. Neque multò maiori fide traditur Maurorum irruptione, quo tempore Comes abfuit, cum Burgos vsque progressi essent, S. Petri Cardeniæ monasterium euersum, monachos trucidatos: quod alij ante centum annos contigisse ponunt. nisi fortassis bis eadem calamitas extitit. In Riugia oppido Bosca, Nunilo & Alodia sorores germanæ, ob fidei constantiam ferro occubere. corpora Bononiam, quæ vrbs in Galliæ Cisalpinæ parte est, translata fuisse nonnulli affirmant: resistunt alij, vti ante dictum est. Præterea Victor in oppido Cereso Burgensis agri natus, & Eurosia virgo simili supplicio consumpti. Eurosiæ corpus ad Iaccam urbem in Lacetanis, Victoris sepulcrum in municipio Villorado colitur anniuersarijs sacris. Barbari enim hac tempestate, non cum hominibus tantum bellam gerere, sed cum cælo etiam, & Christiana sanctitate dimicare videbantur. Neque deerant viri, foemina præstanti magnitudine animi, qui se pro religione patriæ in certamen offerrent, suoque sanguine veritati susceptæ darent testimonium præclarum. Efferæ gentis immanitatem atque arrogantiam seuerissimis supplicijs diuinum sæpe numen vindicabat. et ferme vbi impietatis exemplum, ibi animaduersionis documentum deterrendis impijs, pijs confirmandis extabat. vti Alcorrexo Hispalensi Regulo accidit eadem tempestate. Is Ordonio Rege per Lusitanæ fines in Calæciam inuestus, Compostellam urbem euertit in Calæcis primariam augustamque ipsa loci sanctitate. impij ausus continuo cælitus vindicati. Morbi lues repente exorta grassataque omnem exercitum consumpsit. perpauci incolumes redierunt

dierunt in patriam, diuinæ vindictæ præcones, testes deformes acceptæ calamitatis. Eo periculo sublato nouæ calamitates extiterunt: atque aded vt nullæ maiores ex quo resurgere cœpit Hispania. Væcordi Principum dissidio Ordonij Regis & Garsias Comitis, in quibus præsidium esse rebus asperis debuit, in ea mala præcipitatum. Cordubæ Mahometes Alhagibus Issemi Regis nomine, arbitrato suo rem Mauricam administrabat, magni nominis Dux, bello paceque prudentia singulari. Erat is studio incensus nominis Christiani opprimendi. graue erat piorum imperium in Hispania proferri, vires Mauricas consensescere, ludibrioque gentis nomen esse. ægro animo atque incenso faces addebat Vigila, is quem Ferdinando Gonsaluo Comite ad Mauros profugisse monstratum est, nulla patriæ religionis cura, præ vtilitate priuata, præq; studio vindictæ. Contractis Maurorum copijs, adiunctaque Christianorum manu, quæ Vigilæ auctoritatem secuta erat, in Christianorum terras inuadit. Durioque transmissò, qui fluuius vtriusque nationis extremus limes diu fuit, (vnde locis Extremaduræ nomen in aliam partem consequenti tempore deriuatum) ad Asturæ fluminis, quò Legio in Asturibus alluitur, ripam castra posita. Veremundus viribus impar raptim collecto exercitu, improuisò in hostes impetum facit, neglectis custodijs, & omnia magis quàm nostrorum aduentum expectantes. irrum-pitur in castra. tumultus persimilis pugna fuit. plerique inermes cadunt. Vt quemque fors conglobauerat, Maurorum turma pro castris aut interimpedimenta dimicabat. alij fugere, alij arma capere. magna pars vulnerati aut occisi sunt. Rem inclinatam & periculo proximam Maurus Dux prudentia restituit. in diuersa parte aciem suorum instruit. inducitque in Christianos. Hostium illi impetum non tulerunt totis castris palantes, exiguo numero, & longo pugnae labore defatigati. Conuersa repente belli fortuna qui vicisse videbantur, fugæ se mandant. Insistunt barbari fugientium tergis. pauci integri, magna pars confecti vulneribus Legionem tenent: venissetque ea vrbs in hostium potestatem, ni propter anni tempus hibernum frigoris & pluuiarum iniurias ab obsidione recedere cõ-pulsi essent magna gloria parta, spolijs & præda onusti, certique bellum repetere cum primùm se anni tempus aperuisset. Veremundus Rex periculo permotus, neque satis vrbs munitione confusus, Sanctorum reliquias, Regumque corpora, ne hosti ludibrio essent, Quetum transferenda curauit. Ipse eodem se contulit: Legionis muniendæ defendendæque Guillelmo Gonsaluo Comiti cura demandata. pugnatum ad Asturam est anno nongentesimo octogesimo quarto. Quo anno Myro Gerundenfis Episcopus, Myronis Comitis Barcinonensis filius supremum diem obiit. Maurorum præterea valida manus per eum terrarum tractum vagata (tantus belli ardor inceserat) Borellum Myronis patruelem ad Moncadam arcem acie superarunt. è nostris supra quingentos desiderati. reliqui cum Borello Comite Barcinonem sese ex fuga receperunt. Proximus annus nongentesimus octogessimus quintus insignis fuit duorum principum urbium casu, Legionis & Barcinonis. Barcino Kalen. Iulij, seria quarta, Indictione tertia, à Mauris obfessa, ijs qui

qui Borellum acie vicerant, capta est eius mensis die sexta. plerique ciues Cordubam in seruitutem abacti. breui tamen Barcino ad Christianorum ditionem reuocata est, cum Borellus priusquã caperetur ex ea vrbe elapsus, ad colligenda auxilia Minoresæ & vicinis locis delectu habito, iustum exercitum conflasset. Supremum diem octo post annos obiit, Raymundo & Armengaudum ex duabus vxoribus Ledgardi & Aymerudi relictis. Raymundo Barcinonis principatum testamento legauit: Armengaudum Vrgeliæ Comitum esse voluit, Armengaudorum nobilissimæ familiæ in Catalaunis conditorem: quæ bello spectatos Duces consequenti tempore haud exiguo numero dedit. Legionem Mahomad Alhagibus numerofo conflato exercitu denuo petijt, propositi tenax, & superioris belli successu ferocior quàm antea. Annum ferme circumfessã ea ciuitas est. muris continenti ictu machinarum quassatis, ad Occasum & Meridiem aditus ab hoste patefactus est. Quantum in vnus viri virtute præsidij sit, Guillelmi Præfecti exemplo cognitum est: qui continenti tot mensium labore, viribus fractus ex morbo cum decumberet, periculo renunciatu lectica se ad eam muri partem deferri iussit, vbi maxime laborabatur. Suos hortatur vt magno animo resistent: fugæ locum ne ignauis quidem fore: armis salutem, patriam, religionem, libertatem, coniuges, filios tuendos. Nisi defensa vrbe, quæ spes irritatis continenti labore hostibus, nullo perfugio? Sæpe à paucis æquo campo Christianis impiorum multitudinem profligatam. Cælitum opem inuocarent. idoneo tempore haud dubiè affuturam. His verbis confirmati milites triduo hostes aditu prohibuere. postquam ijs diebus exactis captam urbem Præfectus, seque cum paucis relictum videt, memor virtutis pristinæ, memor nominis Christiani, in confertissimos hostes rapitur, ibiq; pugnans cadit. barbari suorum cæde & temporis diuturnitate incitati, nullo neque ætatis neque sexus discrimine in multitudinem sæuierunt. Vrbs direpta, euerseque mœnia, & propugnacula ad terram prostrata. Eandem calamitatem Asturica passa est, Valètia Campestris, S. Facundi monasterium, Gordonium, Alba, Luna, aliaq; oppida & pagi, quæ incensa euerseque, quæ vi capta atq; direpta. Eodem belli impetu in Castellæ finibus Vxama, Valeránica, Atièsa expugnata, incendio & direptionibus deformata. Neque resisti poterat. tantus furor Christianorum animos inuaserat, vt cum tantum externi belli esset, cõuerso in se ferro væcordes atq; amentes rem Christianam intestinis dissidijs conficerent. Nam sequenti mox anno septem nobilissimi fratres Laræ reguli (vulgò Laræ Infantes dicimus) Roderici Velasquij perfidia perierunt, nullo propinquitatis respectu: erant enim ex ipsius sorore nati, nomine Sanctia. Paternum genus ad Castellæ Comites & Didacum Porcellum referebant. ex cuius filia, vt superius est demonstratum, & Nunnio Belchide, præter Nunnium Rasuram Comitis Garsiæ Fernandi proauum, Gustius Gonsaluus natus est. Ex hoc Gonsaluus Gustius Salarum Laræ regulus, pater horum septem fratrum. qui septem fratres non magis in Hispanica historia virtutis fama, quàm infelici exitu nobiles fuerunt. Eodem die à Garsia Comite militiæ honore donati sunt, more & cæremonia per ea secula inter Christianos

nos solenni. Accidit vt Rodericus Velasquius Byllareni regulus vxorem nomine Lambram ex Viruefcano tractu duceret, principi loco fœminam. nuptiæ Burgis celebratæ. affuit Garsias Fernandus Comes, & septem fratres cum patre Gonsaluo Gustio. Exarsit non magna de causa rixa inter Gonsaluum natu minimum inter fratres, & Lambræ propinquum Aluarum Sanctium, haud memorabili euentu: nisi quòd Lambræ ea iniuria violatam se esse interpretata, ad Barbadillum oppidum, quò honoris gratia deducta à fratribus erat, vindictæ studio mandauit seruo vt cucumetem sanguine delibutum in Gonsaluum iactaret: quo factu atrox iniuria Hispanorum more continebatur. Seruus in ipso Lambræ sinu trucidatus. Rodericus Velasquius de tota re factus certior, nam aberat reipublicæ procurandæ causa, iniuriæ impatiens & vxoris conuitio fatigatus, de vindicandis fratribus cogitare cœpit. Optimum visum est in pacis & beneuolentiæ simulatione, quo nihil est exitiusius, insidias tendere. In primis Gonsaluus Gustius Cordubam legatur, per speciem pecunias exigendi, quas Rex barbarus erat pollicitus: re vt procul à patria interficeretur: quod litteris Arabicè scriptis Regem vt faceret deprecabatur. Ille viri caniciem miseratus, an humanitatis respectu, ab innocenti cæde abstinuit, carceri mancipare satis habuit. liberior custodia erat, & Regis sorori ad vincum patebat aditus: ex qua consuetudine Mudarram Gonsaluum natum memorant, Manricorum familiæ in Hispania nobilissimæ parentem auctoremque. Gonsalui calamitate haud satis ferox Roderici animus mitigatus est. ad Almenaram in Arauianæ campis ad Cauni montis radices, quæ forsitan Antonino Barbariana fuit, in dispositas Maurorum insidias septem fratres per speciem Maurorum fines inuadendi, secutos inducit, vt nullo tali metu securos. Tamen Nunnius Sallidus, quo institutore educati erant, fraudem subodoratus, in exitium festinantes morari conatus est, frustra cum fata vrgerent. ducenti equites sequebantur, impar Maurorum numero manus. Itaque ab hostibus circumuenti, cum multos ipsi peremissent, atque illud in primis cauerent ne inulti animam ponerent, neu capti superiorem gloriam & generis nobilitatem seruitute fœderent: fortium virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam barbaris reliquere. ipsi ad vnum cecidere cum Sallido pædagogico. Cæforum capita fratrum Cordubam missa, gratum Regi barbaro munus, seni patri triste spectaculum: cum fluentia tabo oculis explorare & cognoscere iussus esset. nonnullo vt in malis commodo: successit enim ex ea re Regis humanitas, dimissusque in patriam est. Stupro genitus Mudarra, cum quartumdecimum ætatis annum natus, agente matre ad patrem abiisset, Roderici nece fratrum iniuriam vltus est. Lambræ penes quam maior culpa erat, lapidibus obruta igneque consumpra. Ea fratrum vindicta, Sanctiæ nouerçæ, & verò gentilium suorum gratiam promeruit, vsque eo vt paternæ ditionis hæres fuerit institutus, addita etiam Sanctiæ nouerçæ adoptione, cuius hic ritus fuit, rudis quidem sed insignis. Quo die nostra sacra suscepit, & balteo militari donatus à Garsia Fernando Comite Castellæ est, nouerçæ amplissimi indusij manica acceptus, collari etiam indusij capiti inserto, additoque

ditoque osculo in familiam transijt. Ex eo more vulgare prouerbium manauit, Ingressus manica, collari tandem egreditur: de eo qui ad familiaritatem admittus maiora sibi indies sumit. Mudarræ filius Ordonius fuit, nepos Iacobus Ordonius à Lara, is cum quo Ariæ Gonsalui filij, vt patriam perduellionis crimine liberarent, quasi publico consilio Rex Sanctius à Vellido Araulpho venabuli ictu confossus esset, ex prouocatione dimicauerunt. Iacobi Ordonij filius fuit Petrus, Vrracæ olim Reginae amoribus nobilis, nepos Amalaricus à Lara Molinæ regulus, vnde Manricorum gens, & Regum Lusitanorum maternum genus, Malfada Amaliarci filia, Alfonsi Lusitanæ Regis eo nomine primi coniuge. Verum de his aliquanto post sermo recurret. Ad D. Petri Aslantia intra monasterij septa, Mudarræ sepultura monstratur. de septem fratrum tumulo, eius cœnobij, & S. AEmiliani Cucullati monachis lis est, nullo arbitro qui litigantes componat. Quiescebat festina malis Hispania, magisque facultas deerat, quàm voluntas tumultuandi. tandiu quies iterit, donec septimo demum anno ex quo Laræ fratres interempti sunt, salutis nongentesimo nonagesimo tertio, Mauri noua expeditione suscepta, Lusitanæ terras vastarunt: atq; ea parte in Calæciam inuecti, Compostellam urbem vi expugnarunt incenderuntque. ne ab ipso quidem Iacobi Apostoli sepulcro impia sæuitia temperasset, ni repentinus fulgor excitatus diuinitus impios conatus repressisset. templi tamen campanæ, vt de superatis Christianis trophæi instar essent, Cordubam ablatae, diu in summo Maurorum templo lampadum vsum præbuerunt. Consecuta mox diuina vindicta, quæ dissenteria morbo, quæ pestis lue, quæ Veremundi gladio consumpti nouissimum agmen carpentis, & locis omnibus in reditu prementis. pauci in patriam incolumes redierunt. vniuersæ etiam expeditionis ductor euasit Mahomades Alhagibus: qui toties impune Christianorum fines inuaserat. Eodem anno Rex Vasconum Sanctius Garfias defunctus est. Successit Garfias Sanctius cognomēto Tremulus, vt est superius indicatum. Regnavit annis septem, laude bellica clarus, ingenio liberali, ac verò in largitiones profuso: quarum nisi modus adsit, in perniciem vertuntur fonte ipso, publico ærario exhausto (vt Sanctio accidit) & necessitudine imposta eius supplendi causa, noua vectigalia imperandi. In S. AEmiliani tabularijs huius Regis diplomata extant: quibus quanta fides tribuenda sit, quisque ex suo iudicio statuatur. Inde intelligitur Sanctio fratrem fuisse Gosaluum, & cum Vrraca matre Aragoniæ regnum tenuisse. quæ si vera sunt, aut temporarius principatus fuit, aut eo sine prole defuncto ad fratrem & posteros imperium redijt. Omnino Veremundus Legionensis Rex clade Maurorum lætus, atque ex superiori successu cogitans si Christianorum arma, quorum ex discordia tantæ calamitates natae erant, in vnum foedus & quasi corpus conspirarent, rem Mauricam opprimi posse: missis legationibus, Vasconum Regem, & Castellæ Comitē Garfiam ad sociandas vires sollicitauit. Debere eos communi Christiani nominis periculo moueri, & iniurias, si quæ priuatim existerent, patriæ saluti condonare. Nefarios barbaræ gentis conatus communibus armis vindicarent. Ijs legationibus atque postulatis iustissimis vterq;

Princeps

Princeps facile annuit. magnis delectibus ex tribus nationibus, numerosus exercitus collectus est. Rex Vasconum absuit, noui scilicet regni rebus componendis districtus. Veremundus Rex, tamen si neruis æger erat, lectica delatus, & cum eo Garfias Comes, aduersus Mauros profecti sunt. quos superioris cladis sanandæ causa, nouas copias conscribere, atque Corduba egressos esse nunciatum erat: & Calæciæ agris vastatis, direptis oppidis in Castellam impetus vertebatur. Ad oppidum Calacanasorium ad Castellæ & Legionis confines situm, castra castris collata. acre prælium fuit. noctis caligine dirempta pugna est. multi ex vtraque parte ceciderunt, dubia victoria. nisi quòd Mauri per occultam tesseram sequenti nocte profectioe denunciata, peiora tulisse, ac verò nostrorum virtute esse superatos confessi sunt, cum fugæ similis profectio esset: quòd spolia in castris relicta & strages rerum festinandi studio, toto itinere abiectarum magis etiam declarabant. Tanta Alhagibi Ducis impatientia, vt ex rei malæ gestæ dolore, in valle Begalcoraxo obstinata inedia vitam sinijisse feratur anno nongentesimo nonagesimo octauo: cum rem Mauricam procurasset pro oriole Rege & ignauo totis viginti quinque annis. vir acer, minimèque otium patiens bis & quinquages in Christianorum ditionem armis inuasit, sæpe victor. Qua die ad Calacanasorium pugnatum est, quidam piscatoris habitu Cordubæ ad Bætis ripam tanta locorum longinquitate, cecinisse fertur, voce flebili, nunc Arabica, nunc Hispanica lingua modos mutando: Ad Calacanasorium amisit Almanfor tympanum. vnde in specie hominis à genio malo victoriam euulgatam suspicati sunt: præsertim inter manus ellugiente umbra, cum ciues Cordubenses tenere conarentur. Corpus defuncti Medinam Celinam delatum. Successit anno Arabum trecentesimo nonagesimo tertio, ipso quo defunctus est pater, in regni procuratione filius Abdelmelicus: tenuitque gentis principatum sex annis & octo mensibus. Quo ex tempore Maurorum regnum, quod Mahomadis virtute steterat (tantum in vnius viri capite opis plerunque situm est) in occasum aperte cœpit inclinare. intestina dissidia magnorum imperiorum labe, exitio fuere. Abdelmelicus otij quàm belli cupidior, fatalis discordiæ semina, quæ comprimere debuissent negligere visus est. aggressus quidem à morte patris bello Christianos lacessere, magnum terrorem incusserat: Legionemque quidquid ex superiori exitio remanserat, aut noua cura instauratum erat, Abdelmelici impetu disturbatum. lætior tamen principijs, quàm exitu ea Mauris expeditio fuit. Garfias enim Comitē aduentu terga vertere compulsi sunt: atque numero imminuto in patriam exacti. Tanta deinde desperatione, vt à cogitatione belli inferendi, Abdelmelico rerum potiente cessatum fuerit. Nostris rei bene gestæ fructus syncerus non fuit, annonæ angustia, quam pluuiarum malignitas attulit grauissimam. Gudesteus Ouerensis Episcopus, tertio iam anno in vinculis erat iussu Regis, nimirum credulas aures præbere soliti prauorum hominū criminationibus. Ea res in religionem à populo vertebatur. viri sancti, innocentis Episcopi calumniam interpretabantur præfenti malo lvi: & nisi mutarent, pestis luem futuram ominabantur. res ad

B b

fedi.

seditionem spectabat. Nam multitudo religione imbuta facilius sacerdotibus quam regibus paret. emissus ergo Gudesteus è carcere est. Annum qui à Christi ortu fuit nongentesimus nonagesimus nonus, annonæ caritate fœdum, Veremundi etiam Regis obitus insigniuit ad Beritium oppidum podagra doloribus, quibus diu obnoxius fuerat, oppressus est. sepultus in Villabonna, inde Legionem post annos viginti tres in Ioannis Baptistæ æde tumulatus est. Duas vxores habuit, Velasquitam & Eluiram. Velasquitam licentia illorum temporum magis, quam ex Christianæ legis permisso, repudiavit, suscepta ex ea filia Christina. ex Eluira Alfonso genuit & Therasiam. Junior ex duabus sororibus stupri cōsuetudine Ordonium & Eluiram & Sanctiam. Christina filiorum Ordonij natu maxima Ordonio nupsit, cui cognomen Cæco fuit, ex regio sanguine. Ex hoc coniugio Alfonso, Ordonius & Pelagius nati sunt, præterea Alfonso vxor Pelagij cognomēto Diaconi. Pelagius Froilæ Regis eo nomine secundi nepos fuit ex filio notho Froila. Ex Pelagio & Alfonso Petrus, Ordonius, Pelagius, & Nunnus, atque Therasia prognati: vnde Carrionis Comites bello spectari Duces, domi atque militiæ clari prodierunt, quod alio loco explicandum est. ad rationem temporum redeamus. Pelagius Ouetensis, Lucasque Veremundo tribuunt, quæ de Ataulpho Compostellano Episcopo superius commemorata sunt, feroci tauro obiectum, incolumem euasisse. nobis Compostellanæ historiæ potior fides: & mutata tempora indicio erat, nullum Ataulphum nomine per hos annos Compostellæ Episcopum fuisse.

*Alfonfus eo nomine quintus Legionensis Rex. Cap. X.*



**A**LFONSI minorem ætatem Melendus Gonsaluus Calæciæ Comes, eiusque vxor nomine Maior, Veremundi patris iussu gubernandam susceperant, regiisque moribus imbuendam. Alumno cum quinque annos natus esset, Rege renunciato, rem publicam eximia fide procurarunt: sic pater moriens testamento mandauit, sic omnes regni ordines sanxerunt. ætate confirmata quo maior esset auctoritas, & operæ pretium æducationis tutelæque constaret, eorum filia nomine Eluira Regi connubio iuncta est: vnde Veremundus & Sanctia nati. Regnauit annis viginti nouem. Altero regni anno, qui ab ortu Christi secularis maximus fuit, Sanctio Tremulo Vasconum Rege defuncto, successit filius ex Semena vxore (hallucinantur qui Cōstantiam, Eluiram, aut Stephaniam dicunt) patri cognominis Sanctius: quem Sanctius Leirensis Abbas in minori ætate optimis præceptis excoluit, & omni liberali doctrina informauit. Regnauit annis quatuor & triginta, ijs virtutibus insignis, quæ illi Maioris cognomen pepererunt. præcipua felicitate vniuersam Hispaniam, quam latè Christianæ ditionis fines extendebantur, sub vnum ferme imperium reuocauit. tametsi non optimo consilio, tributum in partes maiestate & viribus imminutis, filiis reliquit. Vtriusque Christiani regni quantum quietæ res erant, eorum prouidentia qui ad reipublicæ gubernacula sedebant, tan-

tantopere Castellæ arma primum hac tempestate mota sunt, deinde Mauro-rum. gens vtraque intestinis disidijs tumultuata agebatur in præceptis. Sanctius Garsias ab auctoritate patris Garsia Fernandi Comitis discessit, incertum qua de causa. prauo homines ingenio nunquam desunt alternis criminationibus discordiæ flammam excitantes. Fortè Sanctius paterni imperij diuturnitate fessus, tantum facinus est aggressus, graue arbitratus paucos annos, quot in illam ætatem cadere poterant, expectare. Ad arma ventum: scissisque gentis studijs inter patrem & filium, vires imperij debilitatæ sunt. Ea res Mauros non latuit: prouinciam esse in armis, diuisam nobilitatem, diuisum populum, suas vtrique parti clientelas. Nihil propius factum quam vt pars cum parte confingeret. id ne accideret Maurorum aduentu factum. Eo impetu, Abula tardis principijs ab excidio resurgens, euersa denuò est. Clunia & Gormatium in Vxamensi agro eandem cladem pertulere. In magno periculo res erant: neque externo tamen metu commota factionis studia remittebant. Garsias Fernandus clade suorum prouocatus, cum parte hosti procedit obuiam. atrox dimicatio fuit. victus Comes in hostium potestatem venit, ijs acceptis in pugna vulneribus ex quibus obiit. tenuit Castellæ principatum octo & triginta circiter annos: rerum gestarum magnitudine & gloria patri non impar. fortuna vitam eripuit, nominis famam & claritatem non eripuit. Corpus ingenti summa redemptum in Cardeniæ monasterio D. Petri tumulatum. pugnatum est anno millesimo sexto. Garsia filia fuit, Vrraca nomine in Cosmæ & Damiani monasterio ad Couarruias municipium virgo sacra. Id monasterium à patre Garsia sua impensa ab imo totum extructum, amplissimis prædijs, optimis redditibus locupletatum, multaque veste pretiosa exornatum ea lege est, vt si quæ virgo ex ipsius posteritate nuptias respueret, eius monasterij redditibus vitam sustentaret. Sanctius Garsia filius, extincto patre in principatu successit, hac vna iniuria, quod à patre defecerit, & acceptæ cladi occasionem præbuerit, infamis. cætera pius, magnisq; corporis & animi virtutibus. Cordubæ eodem tempore Abdelmelicus Alhagibus obiit. successit in magistratu Abderrahmanus, ingenio prauo ignauoque: quem ignominia causa vulgò Santiolum vocare soliti erant. hoc intra quintum mensem sublato, Mahomad Almahadius correptis armis Hissenum Regem otio torpentem, sagina inutilem, neque sua virtute sed aliena ope stantem cepit: & occisum prædicans alio ei simillimo iugulato, regnum inuasit Arabum anno quadringentesimo. Almahadium, Hissemi propinquus Zulema ex Africa veniens factionis copijs, & Sanctij Castellæ Comitis viribus adiutus, prælio ad Cordubam vicit. quinque & triginta Mauro-rum millia ceciderunt, robur exercitus Maurici, vnde rueret in præceptis coepit. Sanctij Comitis virtute & industria potissimum victoria constitit. Almahadius intra urbem inclusus, quod ad supremos casus remedium prouiderat, Hissenum ex latebris vbi vinctus fuerat, in lucem produxit, hortatus vt legitimum imperium externo atque inimico præferrent. Præoccupati metu ciuium animi, hortationes eius & monita

respuebant. Itaque vrbe relicta æmulo, Toletum fuga abiit. pro Almahadio, Almaharius Alhagibus constitutus erat. Is aduersus Christianorum vires, à Christianis auxilia petiturus, Catalaunos supplex adiit. Omnibus precibus, vt vires conferant orat. nauatæ operæ ingentia præmia proponit. Raymundus Barcinonensis & Armengaudus Vrgeliæ Comites cum valida suorum manu barbari fidem secuti, se ijs copijs adiunxerunt, quas interim Almahadius Toleti & vicinis locis conscripserat numerosas & validas. Nouem Christianorum millia sub signis erant, Maurorum quatuor & triginta. ad Acanatalhacaram quadragesimo ab vrbe Corduba lapide (nunc Albacarum oppidum, decem & sex passuum millibus Corduba distat) castra castris collata. graue & anceps prælium fuit. vtraque cornua vicerunt. Zulema & Sanctius initio multos ex hostium numero peremerunt. In his Arnulphus Aufæ, Aetius Barcinonis, Otho Gerundæ Pontifices, quod nefas erat & dedecus pro barbaris viros sacros bellum gerere, in primo conflictu ceciderunt. ipse Vrgeliæ Comes peremptus est. Almahadius rem suorum inclinatum virtute restituit, victoriamque hostibus de manu eripuit. Victus Zulema Asafram primùm aufugit: deinde loci munitione diffidens longinqua fuga se tegere constituit. Anno Arabum quadragesimo quarto, salutis millesimo decimo, regnum Almahadio cessit: tametsi Alhamerij ex voluntate cuncta procedebant, belli pacisque consilia. haud diuturnum imperium fuit. Nam Raymundo Barcinonensi in quo præsidium erat, profecto Alhamerij prodicione occubuit. Hissemus tot annorum Rex in regnum restitutus. Alhamadij caput ad Zulemam missum (ad Citauam oppidum, quorsum res motæ euaderent, expectantem) si fortè hoste sublato, Hissemi Regis, pro quo arma suscipere visus erat, imperium agnosceret. Verùm is regnandi ambitione exæstuans, cuius dulcedinem prægustarat, fallax bonum, blandaque specie ingentia tegens mala, vires vndique contrahebat, prædasque identidem de finitimis agebat. Abenhumeiæ factio in Zulemam propensa, Hissemi opprimendi consilia agitabat. fecissetque ni indicio facto insidiarum vitæ essent. Zulema ea spe deiectus, à Sanctio Comite pro iure inita olim amicitia auxilia submitti postulat. cautior ille suam operam licitatus, vnde maior spes ostendebatur, cum Hissemo fœdus fecit ea lege: vt sex arces, superiorum temporum iniuria Mahomadis Alhagibi armis Christianis ereptas redderet. quod ille necessaria re compulsus fecit, ne in eo rerum discrimine conceptas spes corrumpere, simul Christianorum arma viresque in suum caput prouocaret. Interea Almahadij filius Obeydalla factionis ope, Toleti eius vrbs Rex dictus est: Abdallam vocant alij, & Therasiam Alfonso fratre Legionis Rege cōcedente (immane facinus) vxorem habuisse affirmant. prouidebatur eo cōiugio vt vtriusque regni vires alterna ope firmiores euaderent. volente virgine (nam promouendæ religionis occasio erat Mauro nostris sacris iniuriato, quod velle se facere simulabat) Toleti, quo deducta erat, nuptiæ principali apparatu celebratæ. ludis festisque epulis conuiuium ad multam noctem productum. remotæ mensæ. virgo toro geniali imposita. adest

adest Maurus incensus cupiditate explendæ libidinis. Illa, Apage inquit, tantum nefas, tantam fœditatem. duarum rerum optio datur: aut nostra sacra suscipere tu tuque, nostroque amore frui: aut nostri corporis contactu abstinere debes. Alioqui vltionem ab hominibus pertimesce nostram ignominiam non neglecturis: vindictam numinis Christianorum sanctitatis & castimonie vindicis certissimi. Vtrinque exitium capiti tuo imminere vates denuncio. luxuria ne pestis blanda te in præceps agat. Hæc dixit. Libidinis furore Mauri aures occlusæ erant. eluctatus desponsæ virgini vitium affert. simul grauisimo morbo implicitus, salute desperata Therasiam cum amplis muneribus ad fratrem remittit. Illa Legione in D. Pelagij veste mutata, reliqua ætate pietatis studijs, cultuque religionis, acceptam ignominiam solabatur. Obeydallæ haud diuturnum regnū fuit. Hissemi copijs victus, in eiusque potestatem redactus est. fœda rerum Mauricarum colluies erat, mota in omnes partes republica. Christianis lætissima occasio sese dabat impiæ gentis opprimendæ: si iunctis viribus, suis potius auspicijs maluissent bellum gerere, quàm Maurorum controuersijs seruire. Verùm hæc fuit omnium temporum calamitas. rebus communibus priuati affectus potiores sunt, nihilque minus mouet quàm religionis studium. Neque magis Maurorum ditio belli ardore opprimebatur, quàm fame grauisima, deserto tandiu agrorum cultu. Zulema Sanctij ope destitutus, Cæsaraugustæ & Caracæ regulos euocat. Ijs adiunctis Cordubam expugnat, Hissemoque in Africam elapso rursus in regnum inuehitur. Inter Hissemi sectatores Haitanus principem auctoritatis & potentia locum obtinebat. Is Orihuclam ciuium deditione occupat ad Mediterranei maris oram: & loci opportunitate Halim Abenhamitum ex Africa Septæ pro Hissemo Præfectum, regni spe attrahit in Hispaniam. Zulema vtriusque viribus impar, & ad Cordubam prælio victus, ciuiumque deditione captus, ipsius Halis manu, cum verborum contumelia, quasi primus in legitimum Regem arma cepisset, trucidatus est. nulla fides regni socijs. Haitanus ergo conquestus pacta conuenta ab Hali nouo Rege non seruari, cum Mundaro filio Hyaia Cæsaraugustæ reguli fœdus facit. pugna ad Cordubam commissa cum conatus non processissent, ad Abderrahmanum Almortadam ex Humeiæ familia propensus: quoniam imperio idoneus fore videbatur, rei perficiendæ opportunitatem nactus est Halis Regis cæde. Quem Haytani conatibus obuiam progressum, ad Accim in balneo lauante, eunuchi oppresserunt Arabum anno quadragesimo octauo. Successit militari suffragio Halis frater Cazinus Hispali euocatus, vbi ea tempestate morabatur. regnum tenuit annis tribus, mensibus quatuor, diebus viginti sex, haud tranquillum: cum Almortada Haytano & Mundaro adiutoribus, Regis nomine suscepto, Murcia & vicinam oram occuparet. Aures superbas habebat, difficiles aditus. à quibus erat in regnum euectus, eos quasi creditores malignis oculis intuebatur. Id exitio fuit. ad Granatam suorum coniuratione, reque cum eius vrbs regulo communicata peremptus est. Cazinus, Almortada sublato, tum sibi regnare visus est. Nam & eius beneuolentia

tiæ promerendæ causâ occisi æmuli spolia missa à Granatensibus erant. Breui tamen ea lætitia vana euasit, & noua solitudine mutata est. Cordubenses ciues, vt nunquam commoti multitudinis animi in vno gradu resistunt, Cazino Hispalim profecto, Hyaia eius propinquum, nimirum fratris filium, Regem dicunt, ingenio miti, atque munifico: qua vna re maximè populi studia excitantur. Verùm hoc Malacam, quam antea urbem imperio obtinuerat, discedente, Cazinus Cordubam armis recepit anno Arabum quadringentesimo quartodecimo. Nouum eius vrbis imperium breue fuit, omnino mensium septem, dierum trium. Cordubensi enim seditione excitata, cum militum insolentiam ciuitas non ferret, fugatus Hispalim est. neq; ibi diu constitit: cum gentis fauorem regni æmulus præoccupasset. tandiuq; incertis sedibus vagatus est, donec in Hyaia potestatem redactus, carceri mæcipatur. Erant pleriq; horum Reges ex Alauecinorum factione, viribus & auctoritate eo tempore potentissima. Aduersæ factionis ciues reparatis viribus potentiores effecti, Abderrahmanum Mahomadis fratrem, eius qui contra Hissemum (sic arbitror) primus arma cepit, Regem iubent. pari leuitate intra secundum regni mensem sublatus est. acerbum imperium & gentis inconstantia, motusq; exitio fuere. Mahomad quidam in eius locum subrogatus regnum tenuit anno vno, mensibus quatuor, diebus viginti duobus. & hic ciuium cõiuratione periit. Halis filius Hyaia ex aduersa factione imperium adeptus, pari perfidia Malacæ periit. regnavit mensibus tribus, diebus viginti. Idradius Halis frater Hyaia patruus ex Africa, vbi Septam imperio obtinebat, Malacam delatus lege propinquitatis regnum occupauit Granatæ, Hispalis, Almeriæ atq; vrbium finitimarum. mediterranea penes Hissemum erant, quem post Hyaia cædem Cordubenses rebus præfecerant. Principum periculo sæpe ipsorum præfecti peccant: vt Idradij exemplo exploratum euadit. Alhagibus pro eo reipublicæ præfectus acerbè imperabat: publica & priuata bona domum auertere, alienasq; calamitates suum compendium facere solitus. Ex ea re commota ciuitas. Alhagibus occisus est. Rex spoliatus imperio. In ea rerum colluie, Humeia quidam iuuenem globo adiutus, in arcem irrumpit: se Regem dici à militibus postulat. Excusant illi ciuium perfidiam, tēporum calamitatem. alieno exemplo documentum datum haud impunè similes conatus cedere. Ad hæc ille. Hodie, inquit, Regē dicite, cras perimite. vsq; aded est impotens libido dominandi, imperij dulcedo tanta. Vno tempore ciuium imperio Humeia & Hissemus vrbe exacti. præterea Humeia factionis ciues, vnde tantæ calamitates extiterant, ad vnū vrbe pulsi. Hissemus varia fortuna agitato Cæsaraugustæ demum constitit, benignè exceptus ab eius vrbis Rege Zulema Abenhuto, data arce Alsuela: vbi vitam priuatam vsque ad obitum exegit. Ex hoc Maurorum imperium, quod tandiu viribus firmū steterat in Hispania, in plures toparchias abiit, singulis præfectis, prout in quoq; erat auctoritatis plurimum, commissarum vrbium imperia regio nomine occupantibus. neq; in ea rerum Mauricarū perturbatione quisquam erat, qui eorum conatus reprimeret. Multi itaq; deinceps Reges extiterunt, Cordubæ Iahuar, Hispali Albucazinus & filius Habeth.

Toleti

Toleti Haytanus, Halis scilicet Regis Cordubensis adiutor primū, deinde aduersarius. Hissemus filius. nepos Almenon. tamen alij Toletanorum Regum (quoniam ea vrbs sæpe à Regum Cordubensium auctoritate deficere conata est principem sibi locum inter Hispaniæ ciuitates arrogans) antiquiorem originem repetere conantur. In vrbibus alijs noui Reges emerferunt, quorum numerum vt ineamus operæpretium non est, ac ne faciendi quidem facultas. Quæ imperia tandiu steterunt donec Almorauides Maurorum familia & gens potentissima ex Africa in Hispaniam venerunt Iuzepho Tesephino ductore & Rege, Arabum anno quadringentesimo octogesimo quarto. Quod alio loco commodius explicandum est. ad Sanctij Comitis & Alfonsi Regis res gestas sese conuertat oratio.

*Reliqua qua Alfonso Rege contigerunt. Cap. XI*



**S**ANCTIVS Castellæ Comes paternæ necis vlciscendæ studio, adiunctis Legionensium & Vasconum copijs, cum quibus ictum superiori tempore fœdus stabat, Toletanæ vrbis fines igne ferroq; vastauit. Eandem calamitatem Cordubensis ager pertulit: cum nostri studio elati eò vsque populabundi prorupissent. Vtrinque hominum pecorumq; prædæ abactæ: tantusq; belli terror Maurorum animos occupauit, (nam scisci in partes & ex intestinis dissidijs republica labefactata vix consistebant) vt pacem à victore Comite magno redimere compulsi fuerint, imperij maiestate sugillata, paulò ante Christiano nomini formidabiles. Garsia patris corpus, quod eatenus apud Mauros fuerat, ex fœdere traditum, atque in Petri Cardenia monasterio tumulatum est. Sepulueda ad vtriusq; ditionis fines situm municipiū in potestatem redactum. Vxama, Gormatium, aliaque ijs locis oppida, quæ superiori bello amissa erant, ad Christianorum ditionem iusque reuocata. Quo ex tempore Castellæ nobilitati datum, vt plerique auctores sunt, ne suis sumptibus prædæ tantum spe militiam tolerare cogerentur: quod ante facere cõsueuerant, sed stipendio constituto, vt cæteris nationibus solenne erat, receptumq; moribus. Ex his rebus quantam suorum sibi beneuolentiam Sanctius Comes adiunxerat, tantopere superiorem gloriam materna cede fœdasse visus est. Erat illa Mauri cuiusdam Principis amore capta, quem potētissimæ libidinis esse cognouerat. verum illi nubere dubitabat, filij iustum dolorem, atq; ex dolore iracundiam verita. Itaq; necato filio scelestis nuptijs vt locum pararet, venenum temperare constituit. quod ille indicio facto matrem honoris specie quamuis inuitam & recusantem præbire compulit. Vnde nonnulli suspicantur morem illum inter Hispanos quibusdam locis receptum frequentemq; manasse, vt fœminæ viris præbiant. Tanti facinoris expiandi causa, & vt popularem ex ea re inuidiam aliqua ex parte leniret, virginum monasterium extruxisse memorat, & de matris nomine Oniense nuncupasse. quod consequenti tempore Sanctius Rex Vasconum cognomento Magnus monachis Cluniacensibus attribuit, & nostra ætate principem locum obtinet inter

B b 4

reliqua

reliqua eò tractu cœnobia. Nati sunt Sanctio ex Vrraca vxore Garfias filius, præterea Nunnia, Therasia, atque Tigrida. duæ priores viris principibus conituges datæ, Tigrida Oniensi monasterio Præfecta. Nouum iter per idem tempus Compostellam ad D. Iacobi templum Sanctij Comitis impensa apertum atque constratum, per Vascones scilicet, Riuogiam, Viruescanos, agrumque Burgensem: cum prius angustis Christianorum finibus, ex Gallia peregrini per Cantabros & Asturum montes, loca aspera atque impedita, iter facere magno labore consueuissent. Interea Alfonso Rex, & ipse diurnæ tranquillitatis beneficio propter Maurorum dissidia, fœdusque inter Christianos Principes sancitum constansque, ad pacis artes conuersus, Oueti generales regni conuentus agitabat salutis anno millesimo vigesimo. In eo conuentu prisca Gotthorum leges reformatæ. Mox Legio vrbs, quæ Maurorum iniuria ad casas redacta erat, Regis diligentia sumptuq; instaurata: templumque extructum D. Ioannis Baptistæ nomine ex luto & latere compactum. in quod Veremundi patris, aliorumque Legionensium Regum ossa Maurorum metu locis errantia, illata sunt atque stabili sepulcro sedeq; collocata. Pelagij monasterium instauratum, vbi Constantia soror Regis virgo Deo sacra vitam diu egit. Vigilæ (alij Velam nominant) conatus aduersus Castellæ Comites, quibus ex priuata contentione iniuriaque infensus fuerat, quanti extiterint superius est explicatum. Huius filij tres Rodericus, Iacobus, & Enecus à Sanctio Comite in gratiam admisi, atque ad paternos honores restituti sunt. breui tamen ad ingenium redeuntibus & veteres iniurias noua perfidia cumulantes, Sanctio relicto Legionem ad Alfonso Regem abierunt: nam in Mauris parum præsidij esse poterat in tanta rerum colluue & Principum inconstantia. Ab Alfonso benignè accepti, atque ditione non exigua vnde vitam principalem sustentarent, in submontanis donati aliquando quiescere visi sunt. re nouæ perfidiæ depromendæ idoneum tempus expectabant, vt euentus declarauit: quod breui euenit. Alfonso Rege defuncto ad Viscum urbem Lusitanæ, quam cum Mauris cuperet eripere, obsidione premebat, atque dum incautiùs detractis armis, lustrandi studio muro succedit, sagitta ex vrbe emissa interfectus est. funus procurantibus Episcopis, qui Regem ad bellum secuti erant, obsidione soluta corpus Legionem delatum: atque in D. Ioannis, vbi patris & matris sepulcra ipse constituerat, tumulatum est, salutis anno millesimo vigesimo octauo. Filios reliquit Veremundum regni successorem & Sanctiam in minori ætate. Quo tempore Attilanus Legionensis Episcopus, & Florianus presbyter diuini verbi præco eximius, in magna sanctitatis opinione erant: eoque merito cælitum numero adscripti sunt. Barcinonis principatum Raymundi filius Berengarius de aui nomine cognomento Borellus, iam vndecimum annum obtinebat, otio & ignauia ad posteritatem magis, quam vlla virtute insignis. Huius socordia rem Christianam in eo Hispaniæ tractu inclinatam Bernardi Talliaferri Comitis Besaluni virtus eximia, magna ex parte tutata est. & hoc in Rhodano merso, cum in Galliam iter faceret, Vvifredus Cerdaniæ Comes Mauros de finibus laceffentes, ex ea prouincia malè multatos

atos reiecit. Berengarij filij Raymundus Barcinonis, Guillelmus Minoris Comites, & Sanctius Benedictinus monachus, patri superstites fuerunt.

*Veremundus, III. Legionensis Rex. Cap. XII,*



VEREMUNDVS eo nomine tertius ætate puer patre defuncto sumpsit regium insigne, regni proceribus atque Episcopis præsentibus eius seculi anno vigesimo octauo. Quo anno Sanctij Castellæ Comitis mors accidit, cum genti viginti duobus annis iura dixisset. In Oniensi monasterio, quod eius impensa extructum fuisse dictum est, ad aræ maximæ læuam tria sepulcra cum inscriptionibus monstrantur, Sanctij Comitis, vxoris Vrracæ, Garfiæ filij, qui patre defuncto Castellæ principatum obtinuit maxima spe propter virtutum specimen singulare, successu non eodem: cum intra primum principatus annum fuerit extinctus summa eorum perfidia, quorum minimè oportebat, in ipsa nuptiarum lætitia. Erant Garfiæ duæ sorores, Nunnia & Therasia. Nunnia (alij Eluiram nominant, alij ab ætatis vt arbitror prærogatiua Maiorem) Sanctij Vasconum Regis certè vxor fuit: vnde nati erant Garfias, Fernandus, atque Gonsaluus. Therasia aut patre concedente, aut statim ab eius obitu Legionensi Regi Veremundo vxor data est: vnde Alfonso susceptus, breuis æui infans futurus. Garfiæ Castellæ Comiti impuberi tredecim non amplius annos nato, Sanctia Veremundi soror pacta est. His affinitatibus prouidebatur vt fœdus ante aliquot annos inter Christianos Principes ictum, & pax publica, cum qua res communes & priuata resurgere videbantur, immota staret. Ijs nuptijs celebrandis Legio vrbs designata est. Garfiam Principem splendidus tum ex vniuersa ditione, tum ex Vasconum regno procerum comitatus prosequabatur. Ipse Rex Sanctius cum Garfia & Fernando filijs eò profectus, quo maior lætitia esset. sequebatur militum multitudo iusti exercitus in modum: quorum virtute Montio oppidum non procul Palentia situm, aliaque eo tractu oppida, Ferdinando Guterrio Comiti, qui noui atque adolescentis Principis despectu ab eius auctoritate defecerat, erepta atque in ditionem pristinam restituta. Ipsi Ferdinando, quoniam voluntate deditionem fecerat imperata facere paratus, venia concessa. Modicis itineribus Legionem, vt cum tanta multitudine opus erat, procedebatur. Garfias moræ impatientia Sanctio Rege ad S. Facundi oppidum relicto, ipse cum paucis citatò se ad sponsam cuius inuisendæ flagrabat studio, proripuit. Vigilæ filij tempus venisse arbitantes perfidiæ depromendæ, vindicandi iniurias, quas à Sanctio Comite illatas esse, iniquè scilicet conquerebantur, vt erant à multo rerum vsu callidi, quos idoneos arbitrabatur eos in sceleris societatem asciscunt, in benevolentiaq; simulatione insidias comparant. Itaque aduenienti Principi, quasi officij gratia obuiam procedunt: & procumbentes nixique genibus veniam postulant, & manus osculum petunt, solenni inter Hispanos cæremonia. Quis in supplicii habitu coitionem & dolum suspicaretur? fallaces & incertas hominum



voluntates, lætitiã nunquam synceram. culpam in decus vertere venia impetrata cum properare debuissent, noua perfidia cumularunt. Principemque, vt erat candido animo, venturi securum & in ipsa nuptiarum lætitiã haud satis cautum, impetu factõ peremerunt ad S. Saluatoris ædem ipsamque templi ianuam, quo nimirum rei diuinæ procurandæ caussa conuenerat. Immane atque impium facinus. Rodericus ipse inter fratres natu maximus, quem de sacro fonte infantem susceperat, nefarius parricida, primum ferire ausus est. reliqui coniurati ictus ingeminarunt. Sanctia prius vidua quam vxor atroci nuncio exanimata, cum spiritus quem continue rat dolor, in præcordia esset reuocatus, in occisi amplexus ruens cælum, terras eiulatibus complet. miserabilis rerum facies, cum summa lætitiã grauissimo luctu repente mutata esset. vix contineri potuit quin sponsi tumulum viuens subiret. Occisus est tertio decimo die Maij, ipso quo pater defunctus est anno. In D. Ioannis extemporario sepulcro conditus, deinde in Oniensi monasterio. quod vtrouique Garisæ sepulcrum monstratur. Versus ex eo reipublicæ status. Sanctius Rex Vasconum, qui castrorum in modum in Legionis suburbijs se erectis tentorijs continuerat, Castellæ principatu auctus est, Comitibus honore atque nomine regijs insignibus atque appellatione commutatis: vnde eius potentia Legionensi Regi suspecta & formidabilis esse cœpit. Parricidæ ex fuga Montionem sunt delati: forsitan sperantes Ferdinandum Guterrum ob erepta oppida Garisæ & Sanctio Principibus infestum, facile coniurationi assensurum, approbaturum facinus. Verum siue eo prodente siue diligentia Sanctij Regis, cum vestigijs omnibus fugientes insequeretur, in potestatem redacti igne combusti sunt: seueroque supplicio sancitum perfidos conatus haud impune procedere. Interea Veremundus paternæ cædis exemplo à bellis abhorrens, & noua Garisæ Principis calamitate humanarum rerum inconstantiam edoctus, ad religionis studium & pacis artes animum conuertit. Ac primum quæcunque in populi moribus erant deprauata temporum licentia, malitia hominum, corrigendi cupiditate, iudicia constituta, leges ordinatæ: neque minori diligentia latrocinia tota ditio sublatæ: & suppliciorum magnitudine sancitum ne quisquam peccare auderet. Oppida, vrbes & arces, atque in ijs Diuorum immortalium templa, quæ bellorum iniuria euerfa erant, publico sumptu instaurata. His actionibus magnam à prouincialibus gratiam inierat, & pacis optimæ bonis florere videbatur: quam Sanctius Nauarræ Rex importuna ambitione turbauit. Etenim Veremundus prole carebat, & regni successio legibus ad Sanctiam sororem reditura putabatur: quod ne ad externum Principem per eam deuolueretur summa cura prouidebatur. Votum id erat Regis, & prouincialium, quod Sanctio Regi Vasconum clam non erat. audendo, & fallendo, & bella ex bellis ferendo Reges ferè magni euadunt: vnaque & ea præcipua caussa bellandi est praua imperij & diuitiarum cupido. Itaque ex vtraque ditio, valido exercitu conflato, in regiam Veremundi ditioem populabundus irruit, eiusque fines ultra Cææ fluminis ripam submouit: videbaturque cunctam prouinciam, cursu victo-

victoriarum secundo subiugaturus. Veremundus ijs incommodis castigatus, hortatu procerum, qui pacem quam bellum mallebant, ad faciendum foedus animum adiecit, cuius hæ conditiones fuerunt. Sanctia Ferdinando Vasconum Regis filio (is natu secundus erat) nubito. Dotis nomine Veremundus dato in præsentia quidquid armis eo bello esset detractum, in posterum regni successorem denunciato. Castellæ is regnum concedente patre post eius & matris obitum obtineto. Eo foedere pax stabilis Christianis tota Hispania reddita est, vniuersa ditio quam latè Christianorum in ea imperium patebat, ad vnius familiæ ius & potestatem redacta. Coniunctis temporibus gemini principatus Castellæ atque Legionis, quod magnopere mortales detestari solent, externi imperij iugum pertulerunt, duabus sceminis ad vtriusque successionem admisis, quod Legionis regno sæpe antea usurpatum erat exemplo salutari sæpe: sed quod cæteris per orbem nationibus haud satis probare potuimus.

*Sanctius Maior Rex Vasconum. Cap. XIII.*

**S**ANCTIVS ætate prouecta erat cum Castellæ principatu auctus est, & Ferdinando filio ad Legionensis regni successionem patefecit aditum, rebus in omni vita gestis, domi militiæque clarissimus: vnde non tantum Maioris cognomine honestatus est, sed etiam Imperator Hispaniæ vulgò dictus. vt solet populus haud magna de caussa suis sæpe Principibus splendidos affigendo titulos assentari. Omnino urbem Anagarum domicilio delegit: in eaque, quoniam in vtriusque ditiois confinio sita erat, imperij sedem constituit. Ita pacis artes coluit, vt belli curam nunquam dimitteret. Ac primum arma in Mauros conuertit, qui intestinis disidijs tumultuantes iniuriæ opportuni fore maximè videbantur. Inerant milites superioribus bellis exercitati, & prouisi ante commeatus. latæ populationes factæ. Cordubam vsque penetratum. nullus obuiam prodire ausus. Regem tamen terrorem belli circumferentem, Maurorumque oppida, agros & arces vastantem, diripientemque, domestica calamitas retrò reuocauit. Proficiscens in bellum, generosum equum, ac quo nullus erat nobilior, Regiæ sollicitè commendauit: nihil enim ea tempestate equorum armorumque possessione carius erat Hispanis. Garisias Regis filius natu maximus à matre Regina equum sibi dari petijt: neque illa abnuebat, ni molestum id Sanctio fore Petrus Sefsius nobili loco vir regio stabulo præfectus denunciaffet. Garisias ex repulsæ dolore in furorem actus, siue verò interpretatus, haud leui de caussa plus Petri preces, quam ipsius postulatam valuisse: siue simulatò, vt dolorem vlcisceretur, adulterij crimen matri imponere constituit. nec iuuenili impetu rem executus est: quo maior fides esset, solerter Ferdinandum fratrem ad sceleris societatem inuitat. Impium illi & nefarium facinus visum est primum: deinde commento ita conuiuere, vt tragiæ spectator neutri se parti adhæsurum iureiurando polliceretur. Garisias criminatio Regis animi-

mum vehementer perculit. Hinc Reginæ celebrata pudicitia, & integra  
 semper fama mouebat: illinc filius, quem nisi magna de causa in eam caus-  
 sam ingressum esse existimare non poterat. Ferdinandus sententiam roga-  
 tus ancipiti responso, patris animum vehementius conturbauit: atque ita  
 ut Reginam custodiæ mactaret in Anagari arce. In nobilium & procerum  
 conuentu de re tanta disceptari placuit. omnium communi sententia statu-  
 tum, ut nisi esset qui iure, armis ve Reginæ pudicitiam tueretur, ignis pœ-  
 nam subiret. Erat Regi filius ex impari matre, quam alij Vrracam, alij Ca-  
 iam nominant principi in Vasconibus loco, Ramirus nomine. Is innocen-  
 tis nouercæ vicem miseratus, atque Garfiæ fratris fraudem odoratus singu-  
 lari certamine, quod ea tempestate inter Hispanos erat vsitatum, profite-  
 tur se depulsurum calumniam, quæ innocentia obtendebatur. magnum Re-  
 gi ex ea prouocatione parabatur malum vtrauis parte vincete, victave. Ve-  
 rum eam omnem procellam viri sancti diligentia discussit. qui multa mo-  
 nendo hortandoque, cum diceret dedecus Reginæ non ad ipsam tantum  
 pertinere, sed ad Regem etiam, ipsosque, atque adeo Hispaniam vniuersam:  
 viderent ne criminando matrem, quam etiam fontem tueri debuissent, diui-  
 nam vindictam in suum caput prouocarent, grauisissimaque supplicia, quibus  
 impios ausus Deus vindicare consueuisset: eò perduxit regios fratres, ut ca-  
 lumniam confessi primùm, deinde ad patris pedes prouoluti veniam de-  
 precarentur. Rex negat, nisi Regina placata se eis tantum scelus condonatu-  
 rum. Siccine, inquit, tantum facinus in nos regiamque nostram suscipere  
 animis atque designare ausi estis, nefarij sceleratique filij? si eo digni estis  
 nomine, grauisissima iniusta macula nostro generi atque sanguini. Tueri ma-  
 trem quamuis fontem erat consentaneum, manifestæque sceditati vitam &  
 sanguinem velum prætere: nunc innocentem de turpissimo crimine  
 postulasse quantum nefas? Parcite superi. in hoc scelere omnia insunt scele-  
 ra, impietas, crudelitas, furor. tolerabilem aliquam vindictam sumite. Parci-  
 te mortales, in vno crimine summi, medij, intimi violati estis. Externæ na-  
 tiones parcant ad quas tantæ nequitia fama peruenerit, neque ex ea de no-  
 stris moribus coniecturam faciant. Parce ô sanctissima coniux non magis  
 filijs quàm patri. Vix lacrymas teneo, vix me contineo, quin parentum re-  
 uerentiam vestris capitibus sanciam. In ira tamen quid nobis potius sit di-  
 gnus, quàm quid ipsi sitis promeriti considerabo. neque ut in luctu veteri  
 nouus exoriat luctus committam. Detur id ætati, detur temeritati vestræ.  
 Nimia te Garfia fili indulgentia corruptit, ut princeps impietatis auctor fra-  
 trem in fraudem impelleres. Neque pœnas in præsentem expeto, neque in po-  
 sterum veniam do. Matri vestræ sanctissimæ innocentissimæque de vobis  
 arbitrium permitte. quod illa sanxerit, id ius fasque esto. & ipse meæ facili-  
 tatis credulitatisque veniam per omnia numina deprecabor. Sic filij à pa-  
 tre repulsi sunt. Regina procerum precibus fatigata, & filiorum lacrymis  
 victa veniam hac lege dedisse traditur: ut Ramiro pretium operæ atque de-  
 fensæ innocentia merces esset Aragoniæ regnum: in quo natalium vitium  
 eximia virtus & fides compensarent. Garfias penes quem potissimum eius  
 tragediæ

tragediæ culpa fuerat, maternæ ditionis atq; imperij ad quod legibus voca-  
 cabatur, hæreditate careret. Vtrunque patre Sanctio concedente factum. Ta-  
 met si nonnulli huius narrationis fidem eleuare conantur: ac potius Sanctij  
 testamento & voluntate ditionem inter filios partitam fuisse arbitrantur,  
 exemplo quod Ferdinandus filius Sanctij alio tempore est imitatus. Nobis  
 neutrum pro magnitudine satis compertum est. Conuenit quidquid hoc  
 fuerit ante annos aliquot contigisse: Garfiamque siue delicti procurandi  
 causa, siue voti reum Romam abiisse.

10

*Sanctij Regis obitus. Cap. XIII,*



ACE rebus reddita & domestica calamitate mitigata, San-  
 ctius animum ad religionis cultum consequenti tempore con-  
 uertit. Celebris erat ea tempestate Cluniacensis monasterij so-  
 dalium, quod in Burgundia situm est, fama sanctitatis. Laxatam  
 iniuria temporum D. Benedicti disciplinam seuerioribus legibus astrin-  
 gendam curabant. Inde coloniæ in varias Galliæ & Hispaniæ partes mitte-  
 bantur. Sanctius hominum fama permotus in Leirensi monasterium, quod  
 olim veterum Regum munificentia extructum erat, id genus monachos  
 euocauit. Idem in Oniensi monasterio præstitum virginibus, quibus attri-  
 butum erat, Baylenum oppidum ablegatis. Ei cœnobio Garfias primùm  
 præfectus est: qui cum alijs monachis ex Gallia venerat: deinde Enecus,  
 quem in Aragoniæ montibus secretam à conuictu hominum vitam exigen-  
 tem Rex compulit noui collegij curam suscipere. Defuncti corpus, quem in  
 cœlitum numero ponunt, Onienses monachi anniuersarijs sacris colunt.  
 D. Ioannis cœnobium, quod prope Iaccam constitutum fuisse docuimus, ve-  
 terum Regum Suprarbis sepulcris nobile, iisdem Cluniacensibus monachis  
 incolendum est datum. Et ne tantam multitudinem, quantam necesse erat  
 tot domicilijs occupandis euocare ex Gallia necesse esset, prouidus Rex Pa-  
 ternum sacerdotem & duodecim socios in Galliam dimiserat, ut Clunia-  
 censis collegij moribus informati, exculsi institutis eam vitæ rationem tra-  
 ducerent in Hispaniam. Neque in eo tantum optimi Principis cogitatio-  
 nes restiterunt: verum cum animaduertisset temporum perturbatione fa-  
 ctum, ut in iura ecclesiarum & possessiones prophani homines, qui vi pluri-  
 mùm poterant inuasissent, ea in libertatem asseruit. Extatque Sanctij diplo-  
 ma, quo Ioanne. X I X. Romano Pontifice concedente, monachis Leirensi-  
 bus facta potestas est salutis anno millesimo trigesimo secundo, Pompelo-  
 nensem Episcopum creandi. Etenim antiquis temporibus propter frequen-  
 tes barbarorum incursiones Pompelonenses Episcopi in Leirensi mona-  
 sterium sedem transtulerant: ut quoniam in Pyrenæi iugis situm est, loco-  
 rum munitione ab iniuria tuti essent. Nunc Sanctij virtute pace parata, Epi-  
 scoporum conuentus Pompelone habitus est. Conuenerunt Pontius Oue-  
 tensis Archiepiscopus, Garfias Anagari, Nunnus Alaux, Arnulphus Ripa-  
 gorsæ, Sanctius Aragoniæ, hoc est, Iaccæ, Iulianus Castellæ, hoc est, Aucæ  
 Præsules.

1032

Præfules. In eo concilio nihil prius actum est, quàm vt Sanctio Leirensi Ab-  
bate & Pompelonensi Episcopo agente, pro eo quod principem gratiæ lo-  
cum apud Regem, cuius magister fuerat, obtinebat, prisca sedes Episcopo  
Pompelonensi redderetur: quod in præfenti dilatum, successoris demum  
Petri Rodæ tempore executioni est mandatum. Nam fere veteribus vulgò  
homines stare malunt, & noua instituta cum passim repudientur, ægrè à  
populis suscipiuntur, neque facillè in mores abeunt. Sub vitæ finem Palen-  
tiam urbem instaurandam curauit haud magna aliqua de causa. bellorum  
iniuria multo tempore euersa iacebat: parietinæ tantum extabant, & ruda-  
ra stragesque lapidum, priscaë structuræ ædificiorumque vestigia: præterea 10  
vetusti operis rude templum, quod olim D. Antonini nomine dicatum fue-  
rat. Sanctius otij tempora ferarum venatione transigere solitus, ne nihil  
videretur agere, & est venandi ars bellicæ meditatio, ijs in locis aprum in-  
fectatus est ad ipsum vsque templum, quo fera confugit, seu fortè fortuna,  
seu quia in ea vastitate in ferarum lustra versum erat. Rex nihil loci reli-  
gione motus, aprum ad aram decumbentem venabuli ictu transigere para-  
bat: cum fortè animaduertit brachium repentina torpedine diriguissè, con-  
cidisse vires. Vindictam esse numinis interpretatus, quasi loci sanctitati ho-  
norem non habuisset, & ex ea re religione obstrictus D. Antonini opem  
venerabundus implorat: delicti, quod per inscitiam admissum erat, veniam 20  
precat. sentit mox brachium pristino restitutum vigori. Pro eo merito  
fruticibus extirpatis, cæsaque sylua, urbem denuo exædificandam curat,  
exornatq; ædificijs. Templum pro tempore extructum, in antiquum digni-  
tatis splendorisq; locum restituit, instauratæ urbis nouo Episcopo designa-  
to. Tragœdias scribere videor & fabulas: sed ipsis Hispaniæ historijs non  
quasi commentitia sed facta eiusdem generis multa memoriæ sunt cōmen-  
data. nos fidem neq; adiungimus, neq; detrahimus: quam res meretur ex se  
lectores statuunt. Tantis rebus Sanctius bello paceq; peractis, magnam sibi  
gloriam pepererat, amplam posteris ditionem. Hæc nomen eius vehemèter  
illustrabant, illa magis: actionum grauitas, constantia & magnitudo animi, 30  
probitas, fides, excellens in omni genere virtus. Vitæ exitus paulo tristior  
fuit. Ouetum festinabat cupidus inuisendi sacra sanctorum corpora, quo-  
rum possessione ea ciuitas religiosa semper est habita, plenaq; præfenti nu-  
mine. ex insidijs in itinere interfectus est. Res prosperè gestæ multorum illi  
& magnorum Principum odia conciliarant. cædis auctor, neque memoriæ  
proditum est quis fuerit, neq; tunc fortè cognosci potuit. Corpus Oueti, tu-  
mulatum. inferiæ more patrio datæ. Ferdinandi filij Castellæ Regis cura  
inde post aliquot annos Legione in D. Isidori templum illatum. Octobris  
1035 die octauodecimo occisus est, salutis anno millesimo trigesimo quinto, im-  
portuna regni diuisione filijs magna certamina relinquens, parata reipub-  
licæ magna mala: vt ferè Principes subditorum periculo debacchari con-  
sueuerunt, maloque publico peccare. 40

Libri Octauii Finis.

HISTO-

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER NONVS.

*Rerum status in Hispania. Caput. I.*



ONSEQUENTIVM temporum calamitates  
motusque graues, & dissidia inter fratres & necessa-  
rios, documento erunt bonæ posteritati regni hæredi-  
tatem, præsertim cum modica est neque latissimis re-  
gionibus patet, indiuiduam esse debere. Pulcherrima  
opinio & rebus humanis maximè salutaris, potestatis  
naturam esse incommunicabilem: ambitionem regnã-  
di impotens malum esse, impium, suspiciosum, inquietum, fallax: nullo neq;  
amicitiæ neq; propinquitatis respectu frenari, quo minus omnia permisceat  
20 atq; pessundet. Gentem quidem nullam video, neq; tanta humanitate & do-  
ctrina excultam, neque tam feram & immanem, apud quam hæc persuasio  
non peruaferit: & video tamen plerisque ab omni memoria, indulgentia  
videlicet paterna victos, aut præpostera cautione persuasos, imperium in  
plures diuisisse. quos perperam atque ineptè fecisse tristissimi plerunque re-  
rum euentus declararunt: neq; tamen deterruerunt alios, ne maiorum erro-  
rem imitarentur. Nimirum abolitæ opiniones sæpe recurrunt: dum humani  
ingenij vitio præterita præfentibus commodiora fore putantur, & sue quis-  
que spei nimium indulget. quod Sanctio Regi, cuius actiones & vita supe-  
riori libro explicatæ sunt, & Sanctij posteris accidit. Cum enim res Chri-  
30 stiana, quàm latè piorum imperium in Hispania patebat, sub vnus ferme  
imperium esset reuocata non absque diuino munere, vt Maurorum impe-  
rium, quod in præcipiti erat, opprimeretur tandem, ditionem in plures par-  
tes diuisit. Igitur quoniam rerum nouam syluam ingredimur, & vberior  
atque copiosior scriptio deinceps futura est, commodam fore arbitror sub  
lectoris conspectum ponere rerum statum, qui Sanctij Regis morte in His-  
pania esse cœpit. Inter Sanctij filios paternum regnum ita diuisum est.  
Garsias natus maximus Vasconum regnum obtinuit, atque Cantabriæ duca-  
tum: præterea quidquid terrarum ab vrbe Anagaro vsque ad Aucæ montes  
40 pertinet. Ferdinandus ætate proximus Castellæ principatu, patre superstite  
& matre Nunnia concedente auctus fuerat, Comitibus appellatione in Regis  
nomen mutata. Gonsaluo è tribus Nunniaë Reginaë filijs natus minimus, Su-  
pparbe data est, atque Ripagorfa, Loharij & S. Emeterij arces. Ramiro,  
quem ex impari matre, præcipuè tamen nobilitatis genitum fuisse docui-  
mus,

mus, Aragonia imperium fuit, detractis aliquot arcibus; quas prouidus pater concordia inter fratres vincienda causa, in Garsia ditionem contradidit. Reges omnes appellati. vnde intestina bella nata, motusq; exitiales: dum singuli magnitudinem paternam æquare student, seq; angustis finibus clausos esse dolent. Legionense regnum Veremundus eo nomine tertius, Ferdinandi leuir obtinebat imperio, regionibus in Astures, Galæcos, & Lusitaniæ partem fuscum, atque in Vaccæis Pisorica flumine terminatum. In Catalaunis Raymundus Barconis Comes cognomento Senex latè imperabat. qui ipso quo Sanctius Rex defunctus est anno, salutis millesimo trigesimo quinto, patri Berengario Borello in principatu successerat: in exiguo quidem corpore, virtute præcipua & ardore animi cuius maiorum exæquandus. Eius enim auspicijs & armis Minoresæ arx, Galasi Regis prata (nomen id loco est) Tarraga, Ceruera, aliaque vicinis locis oppida, quæ patris incuria ignauiaque amissa erant, Mauris erepta, & in pristinam Christianorum ditionem reuocata sunt. vicinis Maurorum regulis bello fractis, tributa imperata, leges datæ. Duas vxores deinceps habuit, Radalmurim & Almadim. ex priori coniuge geminæ proles factus est pater, Petri & Berengarij. ex altera Raymundus Berengarius est natus, à molli, densa flauaq; cæsarie Stupæ caput vulgò dictus. Atque is erat reipublicæ Christianæ status. Maurorum regna, vt est superius demonstratum, tot ferme erant, quot eorum ditione vrbes primariæ numerabantur. Cordubenses ob imperij vetustatem, tametsi intestinis dissidijs debilitati erant, proximum auctoritatis locum obtinebant. secundum hos Hispalenses, Toletani, Cæsaraugustani, Oscenses. alij præterea minuti Reges genti imperabant, opibus, potentia, auctoritate nostris impares, pronique in exitium, si essent qui præcipitantes vrgerent. Verum ab hac pulcherrima cogitatione, dissidia inter fratres & cognatos nulla idonea de causa repente enata, mentes & animos auocarunt. Garsias Vasconum Rex an voti reus, an impietatis quam matre criminanda susceperat, eluenda causa ante mortem patris Romam abiit (vt paulò ante dictum est) Apostolorum Petri & Pauli templa, vt erat in more positum inuisurus, plena maiestatis & numinis. Ramirus fratris profectioem ad augenda ditionis occasionem verti posse considerans, & alioqui nulla fides vicinis Regibus est, fœdere cum Cæsaraugustano, Oscensi, Tudelanoque Maurorum Regulis factò, iustoque exercitu ex sua gente conflato, Tafaliam in Vasconum finibus aggressus est. Garsias confecto itinere redux in patriam viciscenda fratris audaciæ cupidus, & ferenda opis obsessis necessitate, suorum delectu habito numerosam regni pubem armat: improuisoque aduentu fratrem soluere obsidionem & tota Aragonia spoliatum, in Suprabem & Ripagorsam aufugere compulit: tanta festinatione fugæ, vt repentino fratris aduentu consternatus, nudus ferme in equi, quem sine ephippijs & fræno ad manum habuit, dorsum insiliens vitæ periculum euaserit. Magnorum motuum hæc initia fuerunt. Legionenses enim Ferdinando Castellæ Regi non satis æqui erant. perditissimi assentatores, vt fit, neque bello neque pace boni, Veremundi Regis auribus insidiantes, eius animum

fororium irritabant. Interceptæ sororis dolor stimulabat, atque ditionis imminutæ iniuria, Sanctij & Ferdinandi armis paterni imperij parte detracta, vt est superius indicatum. vtriusque iniuriæ vindicandæ opportuna occasio sese dabat, fratrum dissidio, Ferdinandi virium imbecillitate propter angustiam ditionis. Ergo ex sua gente iusto exercitu conflato, de finibus laceffere constituit. Ferdinandus suarum rerum periculo admonitus, Garsiam fratrem ditionis amplitudine validum, & noua victoria exultantem in auxilium aduocat. Ad Carrionis ripam in Tamaronis valle, atque ad Lantadam oppidum, castra castris collata. totis vtrinque viribus dimicatum. multi ex vtraque parte cadunt. Veremundus ipse ante alios ætate & gloria belli, vt sibi quidem videbatur, præterea equi velocitate confusus, cui Pelagiolo nomen erat, in confertos hostes rapitur, mediumque penetrat agmen, Ferdinandi cum quo armis decernere cupiebat nanciscendi præceptis cupiditate. Verum dum mortis contemptu hostium acies pererrat, militari lancea traiectus atque ex equo præcipitatus occubuit. Idem vitæ atque regni finis fuit. Ferdinandus victoribus armis continuo Legionense regnum, quod alioqui iure debebatur, occupauit. Quod facile fuit, ex aduerso Regis casu omnium prouincialium animis consternatis. Tametsi peruulgato gentium omnium affectu, externi imperij odio arma initio corripuerunt, vtriusque Regis conatibus obsistere parati. Inanis sine viribus audacia est, vani conatus. Itaque cum regni caput Legio, ad quam continuo victor exercitus aduolauit, neque satis munita esset, ex quo à Mauris euerfa fuerat, neque satis instructa armis, milite & comœatu ad obsidionis mala toleranda, victori Ferdinando vrbes portas, quas primo aduentu clauserant, magna vtriusque gentis lætitiæ significatione aperuerunt. Ad D. Mariæ de Regula Legionensis Rex proclamatur, atque regni insignibus & diademate exornatur. Seruandus Legionensis Episcopus totius cæremoniæ Antistes, die Iouis, qui dies Iunij mensis vigesimus secundus fuit, decimo Kalend. Iulij, vt Rodericus scribit, nimirum salutis anno millesimo trigesimo octauo. Regnavit deinceps annis octo & viginti, mensibus sex, diebus duodecim, cum duodecim annis partem patre superstitè, partem defuncto regnasset in Castella, angustis quidem tunc regionibus descripta, lætissima tamen cæli solique facie.

*Ferdinandi bella in Mauros. Cap II.*



ERDINANDVS Rex imperij diurnitatem & magnitudinem, qua parto Legionensi regno, facile omnium Hispaniæ Regum ea tempestate potentissimus euasit, religionis & pietatis castissimo cultu, maximarum laude virtutum, & rei militaris summa ac singulari gloria exæquauit. vnde Magni cognomen eximio gentis fauore peperit, vt veteres historiæ declarant: & eius ætatis schedæ, populo scilicet in assentationem effuso, Imperatorem,

aut Imperatoris parem vocant. Numerosa præterea prole felix fuit. Prius quam Rex esset, Vrracam primum genuit, deinde Sanctium successorem, Elviram Cabræ Comitissæ uxorem, Alfonsum præterea, ad quem consequenti tempore rerum summa redijt, & Garciam natu minimum ex vnis atq; legitimis nuptijs omnes. Filios in tenera ætate ciuilibus, adultos militaribus artibus erudiendos curauit: filias pietatis studia colere, exercereq; ea quæ scemini consentanea sunt. Pace domi parata, atq; reipublicæ statu fundato, pium bellum susceptum: victoriciaque arma in barbaros versa. quod ad noui imperij auctoritatem sancendam haud parum referre putabat, si Mauros ad extremos Durij fines, in veteris Lusitaniæ parte (vnde Extremaduræ nomen fluxisse putant, in alium Hispaniæ tractum, Tagi & Anæ ripis inclusum) bello exagitasset. Itaque Ferdinandus nouis magnisque delectibus exercitu aucto in hostes irruit, Christianorum finibus affuetos, & tunc vicinos agros & oppida vastantes. Victis atque malè mulctatis, præda omnis erepta. Emeritæ atque Pacis Augustæ, cum vincendi studio atque dulcedine vltius progressum esset, fines eodem impetu ferro igneque vastati. non agris, non oppidis parcebarur. multa hominum pecorumque præda abacta. Sena & Gane oppida in potestatem redacta. Visseum vrbs in intima Lusitania circumfessa, ac tandem vi expugnata: tametsi barbari qui in ea ciuitate erant, pro extrema spe enixè dimicarent. eo lætior expugnatio fuit, quod in ea non solum publicas, sed etiam priuatas iniurias Ferdinandus vltus esse visus est: eo sagittario capto, quem sagitta è muro emissa, Alfonsum Legionensem Regem, Ferdinandi socerum peremisse superius est demonstratum. supplicium facinoris fuit effossi oculi, vtraque manus, & pes alter amputati. Eodem victoriæ cursu arces Sancti Martini & Taranse in eodem tractu venerunt in potestatem. Pro quibus rebus Compostellam profectus Ferdinandus ad D. Iacobi, quem Hispaniæ tutelarem esse multis argumentis, à multisque annis comprobatum habebant, rebus diuinis procuratis, vota pro diuino beneficio partim exoluit, partim denuò nuncupauit, quæ cœperant, rata fixaque vt essent precatus: neque belli fortunam, quæ arridere cœperat, ex summo volui contingeret: non ante cessare, atque ab armis discedere certus, quam impium Maurorum nomen in Hispania deleret. atque hæc altero anno gesta sunt ex quo Legionensis Rex factus est. In sequentem annum, qui eius seculi quadragesimus fuit, bello repetiti barbari. Conimbrica obsessa, ac tandem in potestatem est redacta, Mauris vnâ salutem pactis: nam malis omnibus oppressi erant, & diuturna obsidione fatigati: quam septem annis tenuisse confirmant nonnulli, numero proculdubio mensium, per errorem in annos transformato. Vrbs ea ætate in Lusitania celebris Conimbrica: nostra, publicis omniū artium scholis, quæ ingenuo homine dignæ sunt, cum primis nobilibus: quas Ioannes eo nomine tertius Portugalæ Rex non ante multos annos fundauit impensa sua: opimisq; redditibus auxit, vnde professoribus artium ingentia salaria constant. Lormani cœnobij monachi, Ferdinandi conatus magnopere iuuisse memorantur commeatu præbito, quem ex labore manuum,

num, quo vitam sustentare soliti erant, in multos dies clam Mauris rerum dominis comparatum habebant. Subsidijs præbiti quod fuerit præmium ignoratur. His victorijs imperij Legionensis fines vsq; ad Mondaicum fluiuium propagati. Conimbricæ atque reliquis oppidis & arcibus, quæ Mauris eo tractu erepta erant, Sisnandus vir primarius & Mauricarum rerum scientia præstans, ad quos aliquando à Christianis transfugerat, forte inque & fidelem operam Benabero Hispalensi Regi Christianis qui in Lusitania supererant opprimendis nauarat, cum potestate præfectus est: bello paceque reipublicam curare iussus. Dum Conimbricæ obsidio ducitur, Græculus quidam Compostellæ, quod religionis ergo venerat, cum frequenti multorum sermone audisset affirmari, Iacobum sæpe equo insignem & armis in præliorum conflictu visum inter vtrasque acies imminere, nostrisq; opitulari: Iacobus, inquit ille, non miles fuit, sed piscator. proxima nocte, cum se quieti tradidisset, oblata Apostoli species est, nostris ad Conimbricam opitulantis. fides somnio habitæ: cum eadem hora urbem esse captam, post dies aliquot est renunciatum. Ferdinandus rebus omnibus compositis rursus Compostellam adiit, dona magni pretij ex belli manubijs Iacobi templo oblaturus: cuius patrocinio opeque superiores victorias constitisse, & nouas indies pariturum sperabat. Secundum gratias numini & Apostolo tutelari actas, Legionis & Castellæ vrbes atque oppida triumphantis in morem obiuit. reipublicæ procurandæ cura erat, & subsidijs colligendi in belli sumptus: quod denuò maiori mole atque opibus inferre barbaris in sequentem annum cogitabat grauissimum: qua parte Mauri ad Iberi ripas, pecore diuites, eo quod Christianis abstulerant, securè habitare nunciatum erat. Regibus Vasconum atque Aragoniæ, quorum erat acceptas ea parte iniurias vindicare, intestino bello occupatis, quod per hæc tempora magna mole gestum est. Commodum Ramiro accidit Ripagorsæ & Suprarbis imperio auctum esse Gonfalui fratris morte: quem salutis anno millesimo quadragesimo quinto, (alij superstiti patre id contigisse ex veteribus schedis disputant) Ramonetus Vasco ad Monclusi pontem è venatione redeuntem ex insidijs ac proditoriè interfecit. occisi corpus ad D. Victoriani sepultum est. Noui regni opibus Ramirus Rex bellum aduersus Vascones Aragoniam occupantes, administrabat: potentia nequaquam pari, sed rei militaris atque imperatoricæ peritissimus, & finitimorum auxilijs subleuatus: nam Gisbergam, seu vt alij vocant Hermefendam Bernardi Rogerij Bigerronum Comitissæ ex Garfenda vxore filiam, in matrimonio habebat: ex qua Sanctiam & Garciam filios genuit: præterea Sanctiam, quæ Tolosæ Comiti nupsit, & Therasiam Guillelmi Bertrandi Prouinciæ Comitissæ uxorem. Ad hæc ex impari matre filium alium nomine Sanctium, quem Auaris, Xabierris, & Latris, præterea Ripagorsæ Comitissæ nomine, principatu auxit. verum nulla prole suscepta, ad veterem Regum ditionem hæc vrbes ex aliquanto intervallo redierunt. Insignia Ramiro fuerunt crux argentea in cæruleo æquore, quæ à posteris sunt mutata. Ad Ferdinandum redeamus. qui belli imperum

in Carpetanos conuertere certus, agrumque Toletanum, vnde grauius in-  
commoda rei Christianæ à Mauris inferebatur, Gormatium primum, dein-  
de Vadum regium, Aquilariam, & Valeranicam (hæc hodie Verlanga est)  
vi captas præsidij occupauit. Demum Turiasonensem tractum ferro igne-  
que vastauit. Maurorum speculas, quibus per eam ætatem vniuersa Hispa-  
nia distincta erat, vnde vigilæ custodiæque, hostium conatus speculaban-  
tur, fumoque finitimis significabant, magno numero vsque ad Medinam  
Celinam euertit. quibus rebus perfectis in Toletanæ vrbs fines irrupit,  
transcens ijs montibus, qui vtriusque nationis ditionem finiebant. Tala-  
manticæ, Vzede agros depopulatur. ad Fenarij ripam Caracam & Com-  
plutum, & regionibus vicinum Madritum omnibus iniurijs afflixit. Præsen-  
ti calamitate & maioris mali metu Almenon Toleti Rex prouocatus, ma-  
gno auri atque argenti pondere pacem redimere compulsus est. Idem fecerunt  
Cæsar Augustanus, Portugalensis & Hispalensis Maurorum Reges. ve-  
tigalibus annum tributum imperatum. quod gloriosum erat nomini  
Christiano, ignominiosum fœdumque Mauris, ex tanta paulò ante potentia,  
repente vsque ad eò debilitatis, vt neque suis, neque alienis viribus, cum  
proxima esset Africa, consisterent: & leges ab ijs acciperent, quibus ante de-  
derant. Quæ quidem neque nostrorum prudentia, neque humanis consilijs  
contigisse putandum est, sed Dei immortalis præsidio: qui præsens suo numine  
atq; auxilio rem Christianam ferme prostratam erexit, & castissimæ  
religionis cultu, cui exemplo Principis eruditi proceres & populares, dediti  
in primis erant: vsq; dum nostrorum probitate & fide barbari prouocati, re-  
pudiata patria superstitione, vltro religioni Christianæ nomina darent qui-  
dam, sanctorum virorum corpora alij, quæ Christiani venerabatur, auro atq;  
gemmis maiores thesauros esse putarent, quod proxima narratio declarat.

*D. Isidori ossa Legionem Hispali translata. Cap. III.*



RAT Legionem templum Ioannis Baptistæ nomine dicatum, veterum Legionensium Regum sepulcris quidem nobile: cæterum vetustate deforme & male materiatum. Sanctia Regina, vt erat pietatis laude excellenti, viro persuadet vti religionis augendæ causa illud templum instaurandum, & Sanctij patris corpus Oueto, vbi sepultus fuerat, in illud transferri, suæque & Regum posterorum sepulturæ designandum curaret: nam in S. Facundi animo destinarat. Rex æquissimis postularis facile annuit, pietatis studijs vxori non impar, & religionis sanctissimæ amore flagrans. Eiusdem hortatu, cum templum magnis molibus ad culmen vsque perductum cuperet sacris sanctorum reliquijs, quæ multæ erant in Hispania, illustrare: ac eorum præsertim quos Hispali (quæ erat vrbs in Bætica facile princeps, Maurorum autem crudeli dominatu premebatur) olim pro religione magno numero occubuisse erat exploratum: Benabetum eius vrbs Regem armis aggressus est, eiusque fines longè latèque vastauit. Multa oppida in Lusitania

niâ atque Bætica, in quarum prouinciarum parte regnabat, aut cæde, ruinis incendioque fœdata, aut prorsus imperio subdita. Rex Maurus ijs cladibus compulsus magno pacem redemit: atque annum pactus vestigal in Ferdinandi fidem se imperiumque contradidit: quem ille ea lege recepit, si Iustæ virginis corpus, qua potissimum de causa bellum susceptum erat, Regi quàm primum Hispali transmitteret. per eum modum fide vltro citroque data ab armis discessum est. Episcopi Aluitus Legionensis, Ordonius Asturicensis: præterea Nunnius Comes, Gonsaluus, atque Ferdinandus viri primarij Hispalim abs Rege legati, sacri corporis repetendi causa: additum ad omnes casus militare præsidium. Ciues Hispalenses re vulgata, tametsi opinionibus de religione discrepabant, siue sua sponte cum non ignorant quantum præsidij in sacris corporibus esset ad tuendam rem publicam atque salutem: seu à Christianis, qui in ea vrbe supererant, persuasi, repente ad arma excitati, negant se viuis exportandi Christianis Iustæ virginis corpus fore facultatem. Legati ancipiti cura suspensi erant, & quid facto opus esset dubitantes: nam Regem Maurum vrgere periculosum videbant: & re infecta redire tum sibi, tum nomini Christiano ignominiosum fore iudicabant. Aluito Pontifici legationis principi secundum quietem visus augusta pulcherrimæque specie D. Isidorus eius vrbs olim Episcopus, vt ipsius ossa pro Iustæ corpore Legionem deportaret, mandauit. fore vt corpus quo designabat loco inueniret: ipsamque paucis diebus interiturum, veritatis somnij, atque diuinæ voluntatis indicio. vtrunque accidit magno legatorum miraculo. Nam & Isidori corpus in Hispali veteri, quo ipse loco designarat, effossum est, continuoque Aluitus grauius æger, ita vt medici diffiderent, septimo die extinctus est. Reliqui legati certi diuinæ voluntatis, vtriusque Pontificis corpus, Isidori & Aluiti secum Legionem detulerunt. Rex & filij Durium vsque religionis ergo obuiam profecti, sacra pignora solenni supplicatione atque apparatu inter faustas populi acclamationes, præcipuanque lætitiâ, nudis pedibus suis ipsi humeris aliquanto spatio scilicet succolantes, in D. Ioannis Legionensis ædem intulerunt. Multa tum Hispali, tum toto itinere prodigia edita. cæcorum oculi aperti: surdis insinuatus auditus: pedum vitio afflictis gradiendi restituta facultas. Aluiti corpus in templo maximo tumulatum est. Isidori in Ioannis Baptistæ loco sublimi atque præclaro. vnde consequenti tempore factum, vt ædes illa vetus Ioannis Baptistæ nomen, Isidori appellatione mutarit. Miraculum auxit, cum iumenta quæ vtrunque corpus portabant, sponte sua nullo ducente ad vtrunque locum constitissent. Nec me præterit ancipiti hæc hominum opinione æstimari: sed quia non noua dicuntur, sed tradita olim ab alijs, fidem auctores præsertim Lucas Tundensis, qui hæc scripsit libro dicato, sibi vendicent. nostrum est antiquis monumentis testata, integra fide litteris mandasse. Vincentij, Sabinæ & Christetæ corpora, Abula per idem tempus translata sunt, vt Pelagius Ouertensis est auctor: Vincentij Legionem, Sabinæ Palentiam,

Christi in sancti Petri cœnobium, quod ad fluvium Aflanciam situm est. Coitanæ (quæ nunc Valentia in Ouetensi agro est) Rege Ferdinando & Regina Sanctia disceptantibus, procerum, & Episcoporum nouem conuentus est habitus anno millesimo quinquagesimo. In eius legibus promiscuè populo mandatur. Diebus Dominicis nocturnis diurnisque precibus interesse, quæ stans horis in templis decantantur. Tum omnibus diebus Veneris per annum ieiunia ex ritu ecclesiastico instaurare. Præterea duæ regis puellæ, Maurica superstitione abiecta, Christiana sacra susceperunt: Casilda Almenonis Toletani Regis, & Zaida Benabeti Regis Hispalensis filia. Casilda prior cum esset à tenera ætate ingenio facili, & ad humanitatem propenso, in domo paterna Christianos, qui magno numero captiui tenebantur, vitamque in luctu & squalore calamitosam agebant, cibo & rebus omnibus recreare solita erat clam patre. Quem memorant, re indicata, filia latebras aditusque omnes diligenter obseruasse: deprehensamque aliquando, cibos, quos in sinu ad captiuos ferebat, repente in flores, rosasque mutatos, patri ecquid ferret cum magno animi motu roganti, veste explicata monstrasse. Quo illa miraculo percita monitaque diuinitus, si à fluxione sanguinis sanari cuperet, qua curanda medici omnia artis remedia frustra consumpserant, in lacu D. Vincentij nomine, quod in agro Viruefcano est, ablueret, ad nostra sacra adiecit animum. Pietatis officia diuinum numen, Christianæ religionis luce volebat compensare. Itaque à patre, cum quo rem omnem communicarat, pro iure amicitia, quæ illi esse cœperat cum Christianis, ad Ferdinandum Regem missa est, eius morbi curandi causa. Morbo depulso, & aquis salutaribus ritu Christiano expiata, diuini beneficii memor, immemor patriæ: in rupis fastigio quæ ad lacum est, domuncula exædificata, sanctissimam vitam exegit, multis illustrem miraculis. quo merito in cælestium numero locum habet, templisque recepta est. Tertiodecimo Aprilis die, eius memoria anniuersarijs sacris celebris est in nonnullis ecclesijs Hispaniæ. Casildæ exemplo, siue sua sponte incitata Zaida, lauacro Christiano ex nostro more lultrata, in Alfonsi Regis nuptias post aliquot annos concessit. Prodigia, quæ Isidori corpore exportando contigisse diuinitus paulò ante dictum est, multum contulisse visa sunt, vt in suscipiendæ Christianæ religionis voluntatem vehementer incumberet. Accessit somnium, in quo diuum Isidorum viderat in augusta specie, blandaque voce, vt rem maturaret monentem. Rex pater consilij incertus, cum nec filia precibus resisti possêt, & suæ gentis animos alienare nollet, si eo concedente intelligeretur filiam factam esse Christianam: re cum Alfonso Ferdinandi filio tandem communicata, optimum visum est, vt simulatis inimicitia causis, cum manu militari in Hispalensem agrum ipse irrumperet: filiamque ex composito idoneo loco constitutam, eiusque aduentum expectantem, quasi vi captam raperet, in patriamque deduceret. Quæ res cum ex sententia processisset, Zaida Christianis moribus informata, nostris imbuta sacris, atque Elisabethæ nomine indito

indito (Mariam Rodericus ait) Alfonso deinde nupsit, quo tempore rerum in Hispania potitus est, vti competenti loco explicabitur. Pelagius concubina fuisse ait, stupri cum eo iunctam consuetudine. verum hæc post aliquot annos contigerunt.

*Garstas Rex Vasconum occisus. Cap. IIII.*

**P**SO anno quo Isidori corpus Ferdinandi cura Legionem perlatum est, Christi millesimo quinquagesimo tertio, Garstas Vasconum Rex in prælio occisus est: animo ferox, militari laude præstans, non Ducis modò prudentis, sed etiam militis fortissimi partes implere solitus. Discordiæ fraternæ semina superioribus annis iacta ad maturitatem hoc tempore peruenerunt. à paruis quidem initijs orta (vt fit) in magna tandem odia exarserunt, Garstæque perniciem, quod minimè oportuit. Ferdinandus Viruefcæ agrum & Riugis partem, tanquam sui iuris repetebat. exoletis videlicet annalium exemplis, ad Castellæ ditionem pertinere disputabat. Garstas contra iniuriam sibi factam regno diuiso querebatur: iusque suum in priuata controuersia, recentissimæ consuetudinis vsu, & patris testamento tuebatur. Regnandi inexhausta auaritas fraternos animos in præceps agebat: dum vterque paruum quiddam instar corum, quæ spe ac magnitudine animi concepisset, regni ditionem ducit, quæ humanæ felicitatis magna labes est. Ferdinandum aliquando officij causa inuisentem, Garstas frater cum Anagari æger esset, retinere voluit donec postulatis satisfaceret: nisi indicio ille opportunè factò, fuga periculum declinasset. Inuidiæ, quæ ex ea suspitione grauissima exarsit, quasi pro officio maleficium reddidisset, studio depellendæ procurandæque, Garstas Burgos abiit: vbi Ferdinandum fratrem ex aliquanto spatio & ipsum ex morbo decumbere nunciatum erat. Ille tempus venisse ratus iniurias vindicandi, iusque obtinendi, in causa de qua disceptatio erat, Garstam fratrem in custodiam tradit ad Ceiam oppidum. Inde breui custodibus corruptis in Vascones euasit: & doloris vlciscendi cupiditate inflammatus, magnis delectibus tota ditione habitis, Maurorum præterea auxilijs euocatis, in Castellæ fines irrumpt: atque Aucæ montibus superatis, latè populationes facit. Ferdinandus collecto numerofo exercitu, quem ex superioribus bellis valde exercitatum habebat, obuiam procedit bellum defendere, quod tanta vi inferbatur, quàm iniuriam facere paratior. Ad Ataporcam (nomen id oppido est sextodecimo ab vrbe Burgis lapide) in conspectum ventum est: & positis castris vtræque acies ad pugnam instructæ. non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis quisquam ea tempestate Ferdinando par erat. Garstas ferox natura, rapidus in consilijs, ac lingua immodicus militum animos vehementer alienarat: nam multos antea importuna auaritate tota ditione, bonis euerterat, criminibus siue veris siue assimulatis: & sub ipsum conflictum de ea re à plerisque appella-

tus, ut damna reponeret ijs qui pertulerant, eorum preces constanter repulit: ne alieno tempore, cum audacia opus erat, timoris significationem daret, & expressa necessitate benignitas esse videretur. alioqui superbas aures habebat, dicta contumeliosa, aditus difficiles, & contagione rerum alienarum erat corruptus animo. Vir primarius, cuius nomen clam est, de facto constat, pro eo quod Garfiæ Regis teneram ætatem rexerat, gratia apud eum & auctoritate plurimum valens exacta prudentia, & ipsa canicie venerandus, cum in quanto periculo res essent prouideret, fœdere sanciendo satagebat à prælij cogitatione Reges auocare. tentata pacis spes eo annitente, datumque à Ferdinando ut prior de pace fratrem appellaret. missus 10 caduceator varios & commutabiles præliorum euentus esse docuit. quæ à fratre per errorem commissa erant, debere eum humanæ imbecillitati, communi omnium saluti, condonare: neque dum priuatum dolorem vlcisci parat, rem Christianam in præceptis dare, alienasque iniurias innoxio suorum sanguine vlcisci velle. Paratum se satisfacere, quantum delecti arbitri in præsentis iudicarent. Quod ætatis auctoritati, & fraternæ indulgentiæ datum erat ut prior de pace interpellaret, caueret timorem interpretari. infirmi id animi significationem esse suspicari, fore proculdubio exitiale. se enim cum numerosas & validas copias sub signis habeat, quod ne ipse quidem ignorabat, modestia, iustitia, atque æquitate superare voluisse: orbique 20 testatum facere, haudquaquam sua voluntate ingentem cladem suscipi, quam iam prouidebat animo. Additæ ad hanc orationem pædagogi preces & lacrymæ. Regem tamen, quem in exitium fata rapere videbantur, neque gratia flectit, neque auctoritas frangit, neque præsens periculum mouet. Ergo ab vtraque parte pugniæ signum datur, & magno animo in prælium concurritur. Garfiæ pædagogus paucitate, imbecillitate, & alienatione suorum perspecta, cum de victoria desperasset, neque patriæ exitio superesse vellet, deuouit se: & inermis arreptis tantum gladio & lancea militari, in aciem hostium irrupit, præliansque occidit. Reliqui Ferdinandi impetum non tulerunt. res trepidæ, metus ingens, malum vrgens Vascones exagitabat. duo milites Vascones, cum à suo Rege paulò ante defecissent, ad regiam cohortem ferro penetrantes, Garfiam hasta traiectum peremerunt. Cadente Rege reliqui omnes in fugam acti. Ferdinandus victoria lætus, fratrisque casu conturbatus, militibus suis mandauit, ut Christianis parcerent. Mauros ex fuga palatos passim per agros, magno numero aut interfecerunt, aut in captiuitatem egerunt. Garfiæ Regis corpus militibus datum, Anagarique tumulatum est in D. Mariæ, quam ipse ædem ab imo totam extruxerat. Ex Stephania vxore, quam ex Gallia duxerat patre superstite, quatuor filios reliquit, totidem filias. Sanctium, qui continuo in regno successit, Ramirum cui pater Calagurris principatum, quam Mauris abstulerat 40 dono dederat, Ferdinandum & Raymundum, Ermesendam, Semenam, Maiorem, atque Vrracam quæ Garfiæ Comiti nupsit, ei de quo sermo nobis deinceps est rediturus. Occisi imperium, vtriusque fratris armis laceratum imminutumque est. Ferdināus oppida & vrbes, de quibus controuersia erat, nullo

nullo resistere auso in potestatem redegit: Viruescam, Aucæ montes, & Riuogæ partem eam quæ ad Ogiam pertinet: quod flumen in vicinis montibus, vbi D. Dominici Galciati fanum est, ortum atque in vicinam planiciem dilapsum locis Riuogæ nomine dato, ad Harum municipium in Iberum influit. Reliqua Riuogæ pars, & Vascones, atque Cantabriæ ducatus, Anagarum, Lugrunium, aliæque vrbes & oppida in Sanctij ditione manserunt. Aragoniam huius belli progressu, beneficioque Ramirus armis recepit, spe complexus regnum vniuersum occisi fratris. Nam se Aragoniæ, Suprarbis, Ripagorsæ & Pœmpelonis Regem, ut schedæ veteres testantur, per hæc tempora nominabat. & successu elatus Mauris, quorum reliquiæ supererant in Ripagorsæ agro ditioneque, Benauarrium illato bello abstulit. Demum inter Ramirum & Sanctium nouum Regem fœdus ea lege est factum: ut vtriusque arces inter se traderent loco obsidum. Ruesta & Pitilla Sanctio data. Sanguesa, Lerda, & Onduesium Ramiro. Cura vtriusque sollicitabat, ne dum mutuis disidijs indulgent, Ferdinandi viribus, quæ formidabiles esse ceperant, finitimis carperentur. contra eum ergo arma sociare, eosdemque inter se amicos & inimicos habituros esse pacti sunt.

*Ab imperio Germanico eximitur Hispania Cap. V.*

10 **V**O tempore bellis ciuilibus ardebat Hispania, Germaniæ imperium (nam in eam prouinciam annis superioribus ex Gallia migrauerat) Henticus eo nomine secundus regebat. Romanæ ecclesiæ Pontifex supremus & maximus erat Leo nonus. Leonis successor Victor eo nomine secundus pontificatum adeptus, cupiensque sacri ordinis mores & vitam superiorum temporum licentia nimium laxatos, maiori seueritate coercere, Florentiæ, quæ Hetruriæ caput est, Episcoporum cōcilium egit anno millesimo quinquagesimo quinto. Ex eo conuentu Hildebrandus ex Cluniacensi monacho 30 Subdiaconus Cardinalis, cuius magna erat opinio probitatis, & ingenij dexteritate ad versandos hominum animos valebat maximè, in Germaniam atque Galliam dimissus est, ut Imperatorem de reuocanda veteri disciplina appellaret: Turonis Galliæ vrbe eos motus compesceret, quos Berengarius eius ecclesiæ diaconus, nouis de religione opinionibus excitarat. In eodem conuentu, ut nostrorum historijs memoriæ proditum est, Henrici legati eius iussu & verbis querimonias & mandata ad Patres detulerunt, quorum hæc summa erat. Regem Ferdinandum contra morem maiorum & legum præscripta facere, qui se imperij Romani iure exemptum ferret, & incredibili arrogantiâ ac leuitate in ipsum imperij nomen inuaderet. Atque ego, 40 inquit, eam iniuriam libenter tolerarem (tantum apud me tranquillitatis studium potest) si nullam præterquam dignitatis nostræ iacturam fieri viderem. Sed in consilio capiendo Patres omnem orbem, quam latè imperium Christianorum patet, respicite: cuius incolumitas stare non potest, nisi sit vnus, cuius auctoritatem cuncti respiciant, cuius imperio deuincti sint, ob-



temperant voluntati. Respicite sacrosanctam Pontificum maiestatem, quorum fluxa auctoritas est, nisi Imperatorum (quos ea de causa in orbe Christiano proximum potestatis locum obtinere voluerunt) armis & potentia muniatur. Nascentem temeritatem in ipsis incunabulis comprimate: ne prauum exemplum cessatione nostra, dissimulatione vestra ad alios promanet: & cæteris omnibus prouincijs ad dulce & sæpe fallax libertatis nomen arreptis, imperij & pontificatus sacrosancta maiestas ad inanem appellationem perducatur. Sacrificijs ex ritu Christiano Hispaniam interdicite, Regisque insolentis caput diris execrationibus defigite. quod si feceritis, honori ecclesiæ me non defuturum profiteor, & reipublicæ salutem vnâ vobiscum curaturum, quæ in periculum vocatur: sin timore defugitis, me honori imperij non desore, mihi que priuatim consulere certum habeo. Secundum eam orationem Patres eam rem sibi curæ fore respondent. re deliberata, Victor pronunciauit, Henricum (cuius rebus vt faueret natura cogebat: erat enim natione Sueuus) videri æqua postulare. Missi legati Ferdinandum verbis Pontificis & Patrum monuerunt, vt imperio deinceps satisfaceret, & Imperatoris nomine abstineret: quod neque legibus, neque auspiciatò desumpserat, dira omnia nisi continuo pareret comminati. Rex accipiti cura anxius siue morem gereret siue parere recusaret, ne ex vtraque parte grauissimis perpetuisque malis Hispaniam implicaret: concilio gentis coacto de tanta re disputare constituit. Variæ dictæ sententiæ. Pars, quorum religione animi tacti erant, obtemperandum iudicabant: ne Pontificem & Patres in suum caput irritarent, & bello implicarent Hispaniam, quod futurum prouidebant, & quod omni ratione vitandum videbatur: cum vires prouinciæ in plures Reges distractæ, & intestinis motibus debilitatæ essent: tantumque hostium Christiani nominis, Hispaniæ viscera fatigaret. Pauci pristinae virtutis memores iugum Hispaniæ libertati imponi grauissimum si morem gererent, disputabant: quod ceruicibus admissum, haudquaquam excuti posset. præstare in acie mori, omnesque acerbitates pati, quam tanto malo & indignitate rempublicam implicari. Rodericus Diacius ea tempestate, opinione virtutis singulari, viuido ingenio, in ipso ætatis vigore circiter annos triginta natus erat, bonus consilio, manu promptus: qui Gormatij Comitem Gometium non multò antea, in priuata contentione, adacto in viscera gladio peremerat. Occisi patris, pro quo supplicium debebatur, merces Semenæ filia coniugium fuit: cum illa iuuenis virtutem admirata, sibi virum dari, aut lege in eum agi Regem postulasset. Rodericus ad paternam ditionem, dotali principatu occisi soceri auctus, viribus & potentia validus, quinque Maurorum Regulos, qui Aucæ saltu superato, in Riuogia excursions faciebant, cum tumultuaria manu prælio vicit: prædaque omni adempta captos ea lege dimisit, vt sibi vestigales essent, & quotannis tributum quod imponebatur ex fide penderent. Accidit vt Zamoræ (quam urbem ex quo Ramiro tertio Rege euersa erat, iacueratque prostrata, Ferdinandus reficiendam curarat, datumque ciuibus, vt suis legibus, hoc est antiquis Gotthorum viuerent,) pactum vestigal

quinque

quinque Regulorum legati repræsentarent, Gidumque honoris causa vocarent: quod nomen Arabum lingua dominum significat. vtrunque coram Rege & alijs principibus factum. quæ res multorum illi inuidiam conciliavit. & est natura insitum vt recentem aliorum felicitatem malignis oculis aspiciamus: modusque fortunæ à nullis magis exigatur, quam qui in æquo fuerunt paulò ante. Rex id nomen ratum illi esse voluit: coque deinceps per totam vitam cohonestatus est, veteris appellationis nulla ferme memoria. Sunt qui de Calagurris possessione vrbis ad Iberum sitæ, Ferdinandus & Ramirus Reges cum disceptarent, rem ad singulare certamen deductam affirmant, & pro Ramiro Martinum Gometium, pro Ferdinando Rodericum pugnasse. Victum ac trucidatum in certamine Martinum, vnde origo generis ei familiæ, cui à Luna cognomen est in Hispania vetustæ & nobilissimæ, & quæ tot insignes viros procreauit. quæ vt tanquam falsa reiiciam, facit Garsia Vasconum Regis armis eam ciuitatem Mauris ablatam esse, vt paulò ante dictum est: nihilque in ea iuris Aragonio Regi esse potuisse. Omnino Rodericus noui coniugij illecebris, multisque ex negotijs implicitus, quo tempore de imperij iure suscepta deliberatio est, concilio gentis non interfuit. Regis animus cum ætatis inclinatione ad pacem quam bellum propensior erat: tametsi non ignorabat haud à paruo initio ius libertatis imminui: rogari tamen Roderici sententiam placuit, priusquam certi aliquid constitueretur. Negat ille consilij rem esse. armis defendendum, quod armis erat partum. Iniquum videri alienæ virtutis fructum ad eos redire, qui rebus perditis periculum & laborem non communicassent. Nonne, inquit, emori per virtutem præstat, quam libertatem à maioribus partam ludibrio esse genti barbaræ & immani: quæ præ se omnes homines contemnit: cuius superbæ sunt aures, contumeliosa dicta, aditus difficiles, nouæ crapulæ, inhumana crudelitas? An qui modò vix Maurorum seruitutem euasimus, nouum à Christianis paratum seruitium suscipiemus? Ludibrio nos & nostra habent. Vniuersus orbis, quam latè nomen Christianum patet, Germanis Imperatoribus pareat scilicet? Omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ nostro & maiorum sanguine parta Germanis cedent: nobis relinquent pericula, repulsas, iudicia, egestatem? Romani imperij iugum, quod maiores nostri excusserunt, reponet Germania? erimusque vulgus sine gratia, sine imperio, sine auctoritate: ijs obnoxij, quibus si vigeret animus, si viri essemus formidini esse deberemus? At difficile est Imperatoris conatibus resistere, Romani Pontificis iussis non obtemperare. verum infirmi animi est, pro belli timore incerto, certissimis malis rempublicam implicare. multa experiundo fiunt, quæ segnibus ardua esse videbantur. Occupauit nescio quæ multos torpedo, quos neque gloria mouet, neque flagitij infamia: satis magnam libertatem ratos, quod à flagris abstinetur. Tam auersas Sanctissimi Pontificis aures à rebus nostris fore non arbitror, vt non iustissimis precibus, atque æquitate causæ moueatur: mittantur modò, qui nostræ libertatis causam audacter coram eo tueantur, doceantque iniqua petere Germanos. Mihi stat sententia, armis susceptam à maioribus libertatem

tueri,

,, tueri, aduersus omnium hominum conatus. hocque ipso gladio defendam  
 ,, patriæ proditores esse nequissimos, quicunque aut ineptæ religionis simu-  
 ,, latione, aut præposteræ cautionis specie diuersum consilium dabunt: neque  
 ,, maiori cura statuent feruitutem repudiandam, quàm illi dominationem  
 ,, appetunt. Quantum quisque patriæ libertati studebit, tantum illi aut ami-  
 ,, cus ero, aut infensissimus aduersarius. Vicit Roderici sententia, atque secun-  
 dum eam Pontifici quidem responsum datum. aduersus autem Imperatoris  
 conatus, magnis tota prouincia delectibus, numerosus exercitus constatus.  
 in quo decem millia militum erant, adiunctaque Maurorum auxilia, ex ijs  
 vrbibus, quæ Regi vectigales erant. copijs omnibus Rodericus præpositus, 10  
 cuncta administrare iussus. Ad hunc imperij summa respiciebat. Placuit  
 ad ostentationem virium superatis Pyrenæi saltibus in Vascones penetra-  
 re. Tolosam vsque peruentum, urbem ea tempestate amicam (sic puto): vn-  
 de honestissima legatio ad Pontificem missa, obtestatum vt re diligentius  
 perpensa mitteret, qui coram in re præsentis de iure imperij disceptarent.  
 Eius legationis princeps Rodericus Comes erat, alius à Cido, & Aluarus  
 Fannius Minaia. ijs agentibus facile ab æquissimo Pontifice est impetra-  
 tum, vt Rupertus Sanctæ Sabinæ Cardinalis cum amplissimis mandatis,  
 præterea Imperatoris legati, eius controuersie componendæ causa veni- 20  
 rent in Hispaniam. Tolosæ vbi legati constiterunt, Ferdinando Rege in-  
 terea in patriam reuerso, agitata causâ, atque pro libertate Hispaniæ pro-  
 nunciatum est: decretumq; Germanis nullum deinceps ius in Hispaniæ Re-  
 ges fore. Quod ab eo initio susceptum, confirmatumque populi deinde mo-  
 ribus, consensu cæterarum gentium, & publica iureconsultorum sententia,  
 & iudicio est comprobatum. tantum plerunque præsidij rebus communi-  
 bus, in vnus viri virtute & prudentia situm est. Romani præterea Ponti-  
 fices Hispaniam sibi vectigalem reddere cogitarunt: vti argumento sunt  
 litteræ Gregorij septimi ad Reges, Comites, cæterosque Principes Hispani-  
 niæ, id confirmantis antiquis temporibus obseruatum, priusquam à Mauris  
 Hispania esset euersa. Verum ijs conatibus nihil esse profectum, ac verò pa- 30  
 ri animorum constantia itum obuiam, rerum euentus declarat, retenta sem-  
 per à nostris immunitate. Roderici genus ad Lainum Caluum referebatur  
 Castellæ Iudicem, vt est superius indicatum. Ex eo enim & vxore Eluira  
 Nunnia Bella Ferdinandus natus est. ex Ferdinando Nunnus. hic ex vxore  
 Egilona genuit Lainum Nunnium, cuius filius fuit Didacus Lainus, ne-  
 pos ex eo & Therasia Nunnia Rodericus cognomento Cidus. Ex Roderi-  
 co & Semena vxore Didacus Rodericus natus est: qui patre superstite in  
 prælio à Mauris fuit interfectus. præterea filiarum duarum, Eluira, & Sol, de qui-  
 bus deinceps in historia sermo recurret. Aliquot deinceps Episcoporum  
 concilia sunt coacta. Primum Compostellæ anno millesimo quinquagesi- 40  
 mo sexto. Actionum præses Cresconius Cõpostellanus, qui se Apostolicæ se-  
 dis Episcopum dicit. Assuere Suarius Dumienensis, & Vistrarius electus Lu-  
 censis Metropolitanus. præterea presbyteri, diaconi, clerici, Abbates. In eo  
 concilio multa sunt constituta præclare, tum illud: Vt Episcopi & presby-  
 teri

teri quotidie diuina hostia sacrificarent. Canonici cilicium penes se habe-  
 rent, quod induerent ieiunij tempore, & quoties diuino numini litanijs pla-  
 cando datur opera. Iaccæ in ditione Ramiri Regis alter Episcoporum con- 1060  
 uentus habitus salutis anno millesimo sexagesimo Sanctij Aragonij, Pater-  
 ni Cæsaraugustani, Arnulfi Rotensis, Guillelmi Vrgelitani, Heraclij Big-  
 gerronum, Stephani Olorensis, Gometij Calagurritani, Ioannis Lectoren-  
 sis, Austindo Auxitano Archiepiscopo actionum Præside. Sacrorum ritus,  
 qui temporum iniuria deprauati erant, restituti. Sacerdotum mores nouis  
 institutis excolti: ijsque mandatum ne alio more quàm Romano precaren-  
 tur. Episcopi sedes Iaccæ constituta, quæ olim Oscæ fuerat: ea lege, vt captæ  
 de Mauris Oscæ honor pristinus redderetur, Iacca etiam vrbe illi contribu-  
 ta, quod consequentibus annis est factum. Biennio post in D. Ioannis Ru-  
 pensis, Ramiro Rege præsentis, concilium Episcoporum fuit ad septimum  
 Kal. Iulij, Sanctij Aragonij, Sanctij Pompelonensis, Garfiæ Naiarenensis, Ar-  
 nulfi Ripacurtiensis, Iuliani Castellensis, Pontij Ouetensis, atque aliorum  
 Episcoporum magno numero. In eo concilio à Sanctio maiore superiori-  
 bus annis factum decretum, vt Aragonij Episcopi ex eius cœnobij mona-  
 chis legerentur, communi Patrum consensu sancitum est. Per hæc tempo-  
 ra (nam de anno scriptores variant, nec certum quid constitui potest) Hugo à  
 20 Pont. Ro. in Hispaniam Legatus Barcinone in Episcoporum & procerum  
 conuentu Raymundi Barcinonensis Comitum voluntate, Gotthicas leges,  
 quibus ante utebantur Catalauni abrogauit, nouasque sanxit, vnde iura po-  
 pulis ad nostram ætatem dantur. Hunc esse Hugonem illum Cardinalem  
 puto cognomento Candidum, qui anno huius seculi sexagesimo quarto ad 1064  
 Principes Hispaniæ est Roma legatus, cum duo summum pontificatum  
 gereret: & vterque legibus creatum se diceret, Alexander & Honorius.  
 Ab Alexandro, à quo Hugo missus erat, quoniam meliori iure nitebatur,  
 Hispani Reges steterunt. Is Legatus vt Gotthica precandi ratio abrogare-  
 tur, quamuis magno conatu obtinere non potuit. Missi contra Mantuam in  
 30 Gallia Cisalpina, vbi de schismate conuentus Episcoporum habitus sunt, Epi-  
 scopi tres, Munio Calagurritanus, Eximius Aucensis, Fortunius Alauensis  
 Gotthicos libros quos secum detulere Pontifici & Patribus probarunt qua-  
 si orthodoxos, nullaque vitiosos parte.

*Reliqua actiones Ferdinandi. Cap. VI.*

40 **R**OXIMOS reipublicæ motus & licem quæ cum imperio  
 extitit, Mauri ad occasionem vertentes rebellandi, excutiendiq;  
 imperij iugum, quod illis imposuerat Ferdinandus superiori-  
 bus annis: eodem tempore quasi ex composito correptis armis,  
 in Carpetanis & Celiberia à regia auctoritate deficere visi sunt. Erat Rex  
 ætate grauis, bellis fessus, quæ per totam vitam multa & grauiora gesserat. Erat  
 præterea tantis sumptibus regium ærarium exhaustum, vectigalium graui-  
 tate, vt sit, fessi prouinciales. Sanctia Regina virilis animi femina, religio-  
 nis

nis propagandæ cupidissima, noui belli suscipiendi auctor extitit: auroque & argento, quod in priuatos vsus cultumque corporis comparat, Ferdinandum vtrò iuuit. Ille his subsidijs subleuatus, contracto vndique numero exercitu, in hostium fines impetum fecit. secundum Iberum flumen latè populationes factæ. in Catalaunos & Valentia agrum cum ferro penetrasset, exercitum præda Maurica grauem reduxit. In Carpetanos pari exitu & felicitate bellum administratum. vtrouique victor cum victis leges dedisset, Regesq; vectigal, vt facere consueuerant, pendere in præsens, & in futurum polliceri compulisset, triumphantis in morem in patriam redijt. Ad Valentiam quidam Isidori, quem per totam vitam coluerat, & cuius per quietem formam videre sibi visus fuit, oraculo monitum esse tradunt diem obitus ipsi instare: proinde expiandæ animæ superos propitiandi, ad quos breui discessurus erat, diligentem curam gereret. Oraculi veritatem morbus qui continuò Regem inuasit, manifestò declarauit. Rex fide data, & captiuis receptis, prædaque omni abacta quam ceperant, gentes eas in ditionem cum accepisset, castris inde motis, Legionem se deferri curauit, lectica scilicet militari, quam pro se quisque milites, ac viri primarij subire certabant. tantus erat cunctorum ordinum amor. Eius seculi anno sexagesimo quinto, nono Kalend. Ianua. die sabbathi in urbem peruenit: vbi de more sacra corpora sanctorum veneratus, & felicem vitæ exitum precatus, lacrymis toto ore manantibus & corpore ad terram prostrato: tametsi ægritudo ingrauescere videbatur, ipsa nocte qua Christi Dei inter homines nati memoria recurrit, nocturnis precibus interfuit. sequenti luce re diuina procurata, corporis & sanguinis Domini perceptione expiatus est. die altero, ad D. Isidori delatus magnis vocibus, vt omnes exaudirent, ad Deum conuersus coram Isidori sepulcro: Tua est, inquit, potentia, tuum est regnum Domine: tu es super omnes Reges: tuo imperio omnia sunt subiecta: quod te largiente accepi regnum tibi restituo. tuam tantum clementiam implo-ro, vt animam meam in æterna luce iubeas collocari. Hæc dixit: positisque diademate, & insignibus regijs, trabeaq; detracta, quibus exornatus venerat, ab Episcopis qui magno numero aderant, pœnitentiæ & sacrae vnctionis remedijs ex ritu Christiano procuratus, indutus cilicio, conspersus cinere, die tertio, qui Ioannis Euangelistæ memoria sacer est, hora sexta extremum spiritum edidit. Iuxta patrem suum in eodem templo tumulatus est. Exequiæ funeris verissimis totius populi lacrymis celebriores fuerunt, quàm pompa & apparatu principali: quæ tanto Principi deesse non potuit. Hæc ex Roderico Præfule, & Luca desumpsimus: haud ignari esse qui Cabezonij oppido prope Vallisoletum noto, extinctum fuisse Ferdinandum affirmant, ac ne de tempore quidem conueniunt. Nos quod veritati proximum visum est, id secuti sumus, neque ad arbitrium nostrum reuocamus de tantis rebus disceptare, statuereque. Sane Ferdinandus dum vixit, insigni pietate fuit, quo merito Legionem anniuersarijs sacris eius memoria celebratur: & in cælitum numero locum habet. Præcipua liberalitate & munificentia pleraque tota ditione templa, aut denuò excitauit, aut muneribus auxit, Legionem

gione præsertim D. Isidori, & D. Mariæ de Regula, monasteria. In Vaccæis. S. Facundi cœnobium, in quo præsertim cum ætatis inclinatione, quo tempore in pietatis studia diligentius incubuit, multus interesse solitus erat: vsque eò vt cum sacerdotibus diuinas laudes publicè caneret, atque in communi triclinio cibum cum monachis sumeret paratum scilicet frugalemque. Accidit vt vas vitreum ab Abbate acceptum, inter Regis manus esset collapsum, quod ille aureum continuò restituit, vt Rodericus Præful est auctor. ad ditque Legionem in templo maximo ob angustiam rei familiaris templi ministros nudis pedibus incedere: (tam rude seculum, tanta rerum necessitatis inopia inter Hispanos erat) id Rex cum vidisset, annuos redditus ad comparandos ministris calceos designasse: mille aureos Cluniacensi monasterio annuos ex regijs vectigalibus pendere mandasse. Regina Sanctia pari pietate: scemina à viri morte biennio decurso in contemplatione vitæ per virtutem actæ, & pietatis studijs, Legionem tertio decimo Decembris die extincta est, & prope viri sepulcrum posita.

*Ramirus Aragonia Rex occisus. Cap. VII.*

**X** Ferdinandi Regis testamento, regnum trifariam diuisum in trium filiorum eius ius ditionemque concessit. Sanctius natu maximus Castellæ imperium, Pisorica atque Ibero terminabat: quidquid enim à Garciæ Regis morte Vasconibus ablatum erat, ad veteres Castellæ fines subiunctum est. Legionis regnum Alfonso legatum: Campania, & Alturum pars, quæ ad Deum fluuium pertineret, qui Ouetum præterfluit: præter hæc nonnullæ in Calæcia ciuitates. Garciæ natu minimo reliqua Calæcia data est, & Lusitanæ pars illa, quæ in Christianorum potestatem domitis pulisque barbaris erat redacta. omnes Reges vocati. Vrracæ Zamora, Eluiræ Taurus cesserunt. Quæ vrbes Infantasticum dictæ sunt, voce ea tempestate vsitata ad eam hæreditatis portionem, quæ minoribus Regum filijs vitæ sustentandæ causa obueniebat, significandam. Haud quietæ res esse poterant, in tot imperia, Regesque distractæ: & Ferdinandi obitu, expectatione magnorum motuum & consiliorum suspensa erat Hispania. quod nonnulli proceres prouidentes prohibere conati sunt, grandæuumque Regem à diuidendi regni sententia, menteque deducere, quo tempore in regni conuentibus de ea re suscepta deliberatio est. In his Arias Gonsalvus præfati moris vir, qui magnum sibi locum apud superiores Reges bellica fortitudine, rerum vsu, generis nobilitate, prudentiæ opinione, atq; multis & magnis in rebus spectata fide comparauerat. Salutaria monita patrius amor, & potentior fortuna discussit. Sanctius eximia formæ dignitate erat, virium robore præstanti, belli quàm pacis artibus instructior, vnde illi Fortis cognomen. Tractabili ingenio, & miti, nisi aliqua iniuria prouocaret, & specie bonarum artium amici falsi, & fallaces corrumperent. Is defuncto patre iniuriam sibi factam regni diuisione querebatur: quod ob ætatis prærogatiuam integrum debebatur, mul-

tis imminutum partibus debilitatum. Hæc arcandò cum amicis, & palàm præ se ferebat. Cæterùm ne continuò in fraternam ditionem armis inuolaret, matris quandiu vixit auctoritas retinuit: præsertim cum mortuo viro, Legionensè regnum, quoniam dotale erat, ad eius arbitrium reuocatum esset. Regnavit annis sex, mensibus octo, diebus quinque & viginti. & initio quidem initi principatus nouum illi bellum in Mauros primum natum est: deinde etiam in Aragonios: vt ferme bella ex bellis apta nexaque sunt, neque res commotæ semel in vno gradu resistunt. Ramirus Aragoniæ Rex felicibus armis imperij fines proferendo, barbarorum reliquias, quæ supererant, vniuersa ditione expulerat. & victoriarum cursu Almugdadirium Cæsaraugustanum, & Almudafarem Ilerdensè Reges, vectigales beneficiariosque reddiderat. Oscæ Regem aliquot prælijs vicerat. Erant Carpetani finitimi Celtiberis, vtrique, Edetani, ad quos Cæsaraugusta pertinet. armis Ferdinandi ij domiti, pactique annum tributum, pacem à victore redemerant. nunc partim Regum mutatione confisi, partim Ramiri Regis armis, rebus nouis studere nunciati sunt. Sanctius nouus Rex expedito consilio validas copias in eas gentes ducit. Nihil in nouis motibus celeritate salutaris. Itaque Carpetani priusquam se planè commouere possent, ad officium redierunt. cum Celtiberis maius negotium, maiorque belli moles extitit. Agri longè latèque vastati. oppidis & pagis illatæ clades. Cæsaraugusta princeps eo tractu vrbs circumfessa à nostris, & belli malis tandiu fatigata, donec ditionem facere compulsæ est: ea lege, vt quoniam ab Aragonio fœdere discedendum erat, Sanctij armis à Mauris & Christianis, sicunde bellum ingrueret tuta esset. Eo fœdere haud dubium Aragoniæ arma mouebantur. & Ramirum Regem Sanctius non obscure querebatur cum Rege Vasconum iurato hoste arma communicasse, in Castellæ fines irruptione facta. Celtiberos Castellæ beneficiarios suæ ditionis subiugasse. Gradus arcem, quam Mauri ad Eseræ fluminis ripam magnis operibus munierant, Ramirus obsidebat. Eam obsidionem vt ex fœdere dissiparet Sanctius occurrit. Improviso eius aduentu Aragonij percussis, & subita Maurorum irruptione à tergo & à fronte circumuenti alij fugere, alij arma capere: temporis momento magna pars vulnerati aut occisi sunt. Rex ipse dimicans in pugna occubuit annum circiter millesimum sexagesimum septimum: cum supra vnum & triginta annos genti imperasset. Corpus ad D. Iohannis Rupensis primorum Regum sepulcris nobile templum, sepultum est. tristissima victoria fuit, calamitosa nomini Christiano, Sanctio ipsi victori malè ominata: cum à patruî cæde rerum suarum cursum auspicatus esset. Extat Gregorij septimi, qui proximo tempore Romanum pontificatum adeptus est, præclarum de Ramiro Rege testimonium: quo primum Hispanorum Regum ait, Toletanæ superstitionis (sic Gothicam precandi rationem vocat) per gentes fusa, & quæ mentes hominum stulta persuasione imbuerat, repudiat erroribus, maiestatem Romani moris, & cultus lucem in Hispaniæ terras inuexisse. Sedi Apostolicæ imprimis & maximè deditus fuit: prorsus vt regnum, seque, & liberos Romanis Pontificibus obnoxios, vectigalesque fore, lege

lege in æternum lata voluerit & sanxerit. Sanctium è filijs natu maximum successorem habuit annos natum duos de viginti, pari pietate virum: cuius ætate annoque millesimo sexagesimo octauo, Perpinianum in extrema Galliæ ora, haud procul Ruscinonis vetustæ vrbs vestigijs, Guinardi Ruscinonensis Comitis opera condita est, loco vbi gemina diuersoria Bernardi Perpiniæ erant: inde nouæ vrbi nomen. Sanctium Ramiri successorem memorant Gothicas leges abrogasse, Barcinonis exemplo scilicet: sanxisse Cæsareas, & secundum eas iura populis dari. Vxorem habuit Feliciam Ermengaudo Vrgelitano Comite natam. ex ea filios tres, Petrum, Alfonsum, atque Ramirum deinceps Reges. stupro genitum Garciam, qui alio tempore Iaccetanus Episcopus est creatus. Compostellanam ecclesiam ad hæc tempora Cresconius obtinuit, prisca moris integra probitatis opinione, præstanti vir ingenio. Defuncto successit Gudesteus ex eadem familia, Cresconij propinquus. Hunc ecclesiæ suæ oppida repetentem, anno altero ex quo Pontifex renunciatus erat, in lecto nocturna vi oppressit, atque membratim discerpit Froila auunculus. Diram rabiem, tetramque dominandi cupiditatem. In huius locum Didacus Pelagius cooperatus est. quo Pontifice in Hispania lex Toletana est, & lex Romana recepta: sic historiæ Compostellanæ auctor ait. Legem nos Toletanam, sacrorum ritus interpretabamur, siue diuina hostia sacrificandum esset, siue laudes diuinæ decantandæ ex Gallia Toletum aduectos: inde in alias vrbes & oppida fusos, Gothicis antiquatis, vti competenti loco explicandum est. Legem Romanam cœlibatus necessitatem viris sacratis impositam inuectamque in Germaniam, Galliam, Hispaniamque, Pontificum Romanorum diligentia: quoniam ecclesiastica disciplina multum ab antiquo collapsa, ac penitus labefactata erat.

*Sanctius Castella Rex fratres inuadit. Cap VIII.*

**P**ATRVELES tres vno tempore in Hispania regnabant, eodem omnes nomine, potètia non pari, vitæ exitu haud dissimili. Sanctius Castellæ Rex recenti facinore contaminatus ferebatur in præceptis: tametsi ditionis amplitudine, magnoque rei militaris vsu, cæteris formidabilis erat. Sanctius Vasconum Rex angustis ditionis finibus imperabat. iunctis tamen eius & Aragonij Regis viribus, ambo aduersus præualidum hostem alterna ope tuti erant, & paternas inimicitias communibus auspicijs persequabantur, non minori conatu, quàm gloria. Ad Viciam in Vasconibus, quò victor Rex Castellæ præoccupandi studio hostium conatus ferro penetrauit, insigni prælio dimicatum est. victus Castellæ Rex, & magna suorum clade in patriam est repulsus. Duo Reges eodem victoriæ cursu in Viruescanos & Riuogiam irrumpentes, quæcunq; Vasconum Regum ditione, Ferdinandi armis erant ablata, pristino imperio restituerunt. Conuersis ad hunc modum nostrorum animis ad ciuile bellum, externa sine cura erant. ac præsertim Sanctius Castellæ

stellæ Rex, ne acceptas superiori bello iniurias armis persequeretur, no-  
 uo bello impeditus est: quod aduersus germanos fratres impium ac nefa-  
 rium suscepit. imperij audus, præcepsque ad explendam cupiditatem fere-  
 batur, viribus & potentia ferox. fratrum imbecillitas animos faciebat: neque  
 satis concordans animi ad propulsandum periculum commune communibus  
 armis. æqui atque honesti abiecta cura. tantum apud Sanctium Regem  
 auaricia poterat, & vtilitatis studium. Igitur quàm maximas potest copias ar-  
 mat, omni paternæ ditioni imperare parans. Alfonsus in quem primùm  
 irruere volebat, tametsi ad Garsiam fratrem, Regesque patruales legatos  
 miserat, vt aduersus communem hostem vires communicarent, omnium  
 telis peti debere feræ instar crudelis & immanis: fretus tamen multitudine  
 militum, & temporis angustia interclusus, armis contendere parat. 19  
 Vbi res ad certamen venit, viribus impar & copijs, victus ex prælio profu-  
 git, ac deinde Legionem contendit. Ad Plantacam oppidum pugnatum.  
 deinde cum Alfonsus vires reparasset, ad Gorpelaram, vt Pelagius Oueten-  
 sis ait, (Rodericus Vulpeculariam vocat, oppidum ad Carrionis ripam si-  
 tum) iterum acie dimicatum est. conuersa belli fortuna, victæ fusæque Ca-  
 stellæ copiæ. Ex re prosperè gesta securitas nata victoribus. Rodericus co-  
 gnomento Cidus Regem Sanctium, vt par erat, his omnibus bellis secu-  
 tus, in re militari (vt superius dictum est) virtute magnus, magnus discipli- 20  
 na, cum quod futurum erat animo prouidisset, militem ex fuga retractum,  
 summo mane hostium castra iubet inuadere. Illi vino somnoque sepulti,  
 nihil minus quàm de prælio cogitabant. In repentino metu, vt fit, sibi quis-  
 que pro moribus consulit. pars fugere, pars arma capere, omnes præcipere,  
 nulli exequi quod faciendum videbatur. Itaque breui victi oppressique ab  
 hostibus. Alfonsus ipse in templo B. Virginis, quod militari præsidio mu-  
 nitum erat, in oppido Carrione, quò præsidij causa confugerat, captus  
 missusque Burgos, (anno millesimo septuagesimo primo dimicatum est)  
 in eius vrbs arce in custodiam est traditus. Inde concedente Rege San-  
 ctio, in S. Facundi cœnobium, quod ad Cœæ fluminis ripam situm est, ea le- 30  
 ge migravit: vt vita principali abdicata, & in sacerdotis cucullati morem  
 deponens, vitæ Christianæ institutis purioribus excolendis per totam vitam  
 vacaret. Vrraca soror impensè Alfonsi rebus fauebat, propter ingenij suauitatem,  
 morumque modestiam. Petrus Ansurus Comes ab eius latere, rebus  
 quamuis profligatis nunquam discessit. Ij Sanctio primùm eius consilij au-  
 ctiores extiterunt, melioris fortunæ occasionem non defore cogitantes:  
 deinde Alfonsum hortati sunt, vt veste monastica, quam temporari inferuiens  
 inuitus susceperat posita, Toletum ad Almenonem Regem pro ea neces-  
 situdine, quæ illum inter & patrem fuerat, confugeret. Fecit ille quod  
 monebatur: Toletumque ex fuga delatus, deductusque ad Regem Mau- 40  
 rum, hanc summam orationis, cum inter se salutassent, habuisse fertur.  
 „ Quam vellem, Rex Almenon, quando ita futurum erat, vt Rex paulò  
 „ ante felix potensq; patria extorris, inops, & coopertus miserijs externo præ-  
 „ sidio indigerem, ad vosque confugerem supplex, meo aliquo merito tuam  
 „ beneuo-

„ beneuolentiam promeruisse. Verùm neque ætas mea, neque discrepantes  
 „ de religione opiniones id hætenus tulerunt: & magnanimis Principibus,  
 „ qualem te esse fama vulgavit, beneficij faciendi idonea satis causa esse solet  
 „ iniuria oppressos subleuare. Ego vt in malis gaudeo, à te potius quàm ab  
 „ alio quoquam Rege, præsidium fuisse postulandum: quem eximia benigni-  
 „ tate pollere perspectum habeo. Tu quoque lætare venisse tempus, quo Ma-  
 „ gni Ferdinandi proli benefacere possis. Quid etiam agerem, aut ad quem  
 „ potissimum confugerem? præsidia omnia extincta sunt. regni opibus fra-  
 „ ter germanus, si fratrem nominare fas est hominem omnium, quos terra su-  
 „ stinet crudelissimum: sed Sanctius tamen frater per iniuriam spoliavit.  
 „ Belli causa dominandi ambitio fuit. in Garsia fratre parum opis erat, cum  
 „ in eum irruere præiudicatum habeat. patruales insenti rebus nostris. Lon-  
 „ ginq; ergo fuga me tegere consilium fuit, atque ad tuam opem confuge-  
 „ re. Neque peto vt præiudicatum hostem mea causa irrites, tuisque viribus  
 „ in regnum profugum restituere coneris. tametsi hæ preces sæpe apud præ-  
 „ claros Reges locum habere solent: tantum exilio locum peto, rebus profligatis  
 „ perfugium. In mœrore & luctu vitam, quæ tantum relicta est morte  
 „ ipsa tristiore apud te exigam vna spe lætam, quod breui futurum mihi  
 „ persuadeo, vt qui nunc sceleribus suis ferox est, rebus repente commutatis,  
 „ excruciatas omnibus malis, impietatis susceptæ in fratres & necessarios po-  
 „ nas reddat. Quod si contingat spei nostræ exitus par, si exorata numina ali-  
 „ quando opem tulerint: ingratum hominem beneficijque immemorem haud-  
 „ quaquam senties. Almenon gloriosum ducens tantum paulò ante Regem  
 „ ad se supplicem venisse, eiusque aduentum rebus suis commodum futu-  
 „ rum cogitans, lætus pauca respondit. Eius se calamitatem misereri. fe-  
 „ rendum tamen æquo animo casum, quem nulla sua culpa aliena inhu-  
 „ manitas attraxit. Varias esse humanarum rerum vices. proinde aduer-  
 „ sam fortunam ferret in præsentem: in futurum meliora speraret. Secum  
 „ quandiu vellet viueret: atque ita viueret, vt præter regiam dignitatem & pa-  
 „ triæ desiderium, quæ ad victum cultumque principalem forent necessaria,  
 „ nihil defuturum certò sciret. filij eum loco habiturum esse. Domus prope  
 „ regium palatium, vt habitaret, designata: quo ferme nunc loco Conceptio-  
 „ nis nomine virginum collegium extat ad Carmelitarum monachorum tem-  
 „ plum, quod eo tēpore in potestate Christianorum erat. vnde rei diuinæ pro-  
 „ curandæ opportunitas, Regisque conueniendi, quodocunque libitum esset.  
 „ Fidem illius iurisiurandi religione astringi placuit, Regisque & regni com-  
 „ moda conceptis verbis iurare. Erat Alfonsus eximia foranæ dignitate, mode-  
 „ stus, prudens, à cupiditate omni remotus, insigni morum facilitate. Hæc in  
 „ natura inerant: maiora ipse industria faciebat ijsque virtutibus, quibus cum  
 „ vsus erat, facile studia conciliabat. Vrraca soror de fratris incolumitate  
 „ sollicita, tres Ansurios fratres, Petrum, Gonsaluum, Ferdinandum San-  
 „ ctij Regis permisso, quorum opera & consilio rebus omnibus vteretur,  
 „ cum his multos alios, vt præsidio simul honori & solatio essent, Toletum  
 „ amandauit. Hos omnes Rex Maurus stipendia militaria facere voluit, vt

esset unde vitam sustentarent. & quoniam eorum opera forti & fideli sicunde bellum ingrueret, ut cogitabat: quod aduersus finitimos Mauros libenter illi factitabant. Et cum à bellis otium erat, frequenti venatione vitam in exilio propagabant, loco idoneo villa exædificata, ubi venatores erant: quæ deinde in oppidum excreuit, cui nunc Brioca nomen est. Alfonso ipse Toleti multus apud Regem esse, & frequenti usu barbari animum indies magis promereri. Accidit die quadam, ut remittendi animi causa ad vicinum vrbi viridarium, quod Tagus amnis interfluit, eiusque aquis tolonibus in sublime elatis irrigatum, prouentu maximo præcipua amœnitate est, Regem prodeuntem prosequeretur. Alfonso somnus inuasit. Rex & proceres sub vicina arbore confidentes Toletum loci natura munitissimam esse disputabant: prorsus ut nulla arte, nullis viribus expugnari posset. Tunc quidam ex astantibus maiori prudentia vir: Vnam, inquit, esse rationem vrbs capiendæ video, si quidem toto septennio cõtinuata clade hostis fruges & fructus terræ corrumpat, obsessam haud dubium ciuitatem hanc annonæ difficultate rediget in potestatem. Id Alfonso non planè dormiens, auidissimis auribus accepit, memoriæque commendauit. Nam quod vulgò sine locuplete teste auctoreque fertur, Regem Maurum periculo admonitum, ut experimento disceret, dormiret Alfonso, an somnum simularet, liquatum plumbum in manum coniecisse, indeque perforatæ manus illi cognomen factum, ad nutricum cunas ablegamus: & ab eximia potiùs liberalitate id cognomen partum arbitramur. Contigit præterea alio tempore Alfonso Regi assidentis capillos erigi, Rege barbaro semel, iterum, & tertio manu componere conato, quoniam denuò erigebantur: coniectores Mauri malum omen continere prædicabant, regnumque illi portendi, ac de medio tollendum quamprimùm iudicabant: suadebantque ostenti vim & significationem negligendam non esse. Barbarus & sua natura ad humanitatem propensus, & Alfonso beneuolentia conciliatus, induci non potuit ut fidem datam & iura hospitij violaret. instaurari tantùm iusiurandum voluit, & Alfonso animum fidemque noua religione obstringi. Dum hæc Toleti gerebantur, Sanctius frater post victoriam ferox, ditionem Alfonso occupauit. vrbes aliæ vi, aliæ voluntate imperio eius adiunctæ. Legio vrbs aduenienti quidem portas clausit: deinde obsidione compulsa deditionem facere in victoris potestatem venit. Omnes qui sub Alfonso imperio fuerant, metus inuaserat, & victori omnia prona erant. Calæcia mox bello petita, ubi frater alter regnum obtinebat in factiones scissum obnoxium periculo: prouinciam enim vetricigalibus exhauserat, quæ indies maiora imponebantur. Verna nimium gratiosus, Regis potens publica & priuata consilia gubernabat, maiori auctoritate quam grauitas illius ætatis, & imperij prudentia postulabat. Ea res multorum illi inuidiam conciliabat: & est non magni Principis argumentum magnos habere aulicos: solentque Reges rectè factorum ad se gratiam trahere: eorum quos intimos habent, inuidia & periculo peccare. Itaque proceres rei indignitate permoti, libertum

in Regis

in Regis oculis trucidarunt. Quo facinore, quoniam ad multos pertinebat, contaminati animis, simul se muniendi ad omnes casus studio, in Regem arma ceperunt. In ea regni alienatione Garsias veritus, ut præualidi hostis viribus par esse posset, cum trecentis tantùm militibus, qui se sequi voluerunt, ad finitimos Mauros, qui Lusitaniæ partem obtinebant, profugit. Suadet omnibus precibus, ut vires conferant: Regis inopis, exulis, atque eiectionis, causam aduersus fratris iniuriam tueantur. Superesse in prouincia ciuium studia integra, opportuno tempore eruptura. Debere eos humanitatis respectu moueri, atque fraternæ ambitionis odio, quem vniuersæ paternæ ditionis potitum, propediem hostem infensissimum expecturi essent: nisi priusquam imperium confirmaretur, nascenti malo opportunè occurrerent. Se vna vindicta contentum fore, atque recepti regni finibus. belli præmia, quæ ipsorum opinione suaque prædicatione maiora futura erant, illis omnia cesura. Ad hæc Mauri moueri se quidem eius calamitate dixerunt: ut periculum communicarent adduci non posse: ac multò minus, ut hominis eiectionis & exulis, qui sua seruare non potuisset, magnificis promissis considerent. Hac spe deiectionis, ad priuatam suorum manum multis alijs adiunctis attractisque, qui noui imperij odio aut spe prædæ ex vtraque scilicet gente sequi priuato consilio voluerunt, in prouinciæ fines incurrit. Portugalix oppida & vrbes non pauca sub ditionem reuocata sunt. Sanctius ad Scalabim vrbs, cui à S. Irene nomen est, obuiam procedens, collatis signis magna; hostium strage edita fratrem viuum cepit: atque ad Lunæ arcem, quæ in Calæcis sita est, missum, in custodiam tradi mandauit: ubi vitam omnem exegit in squalore & tenebris, homo ingenio ignauus, procax ore, minimèque tantis reipublicæ fluctibus sustinendis par.

*Sanctius ad Zamoram occisus. Cap IX.*

**A**NCTIVS patris consilij voti compos, postquam omni paterna ditione potiebatur, neque facinus per otium reputare, neque timere Deum sceleris vltorem, impietatis vindicem: neque inconstantiam rerum humanarum considerare, longævam vitam sibi polliceri, cæteros mortales præ ingenij saltu contemnere. Quod vnum supererat, vtroque fratre in ordinem redacto, sorores etiam paterna hæreditate spoliare aggressus est. Causabatur iniuria à patre regni vrbes in plures hæredes distractas esse. litem Marte arbitro cætenus secundum se diiudicatam considerabat: sorores multò imbecilliores fratribus esse. Primùm Zamoram vrbs peti placuit magnis operibus munitam. Vrraca enim in cuius potestate erat, & Arias Gonsalvus, cuius auspicijs & consilio respublica bello paceque gubernabatur, prouisa tempestate, com meatu, milite, & rebus omnibus ad sustinendam obsidionem opportunis vrbs instruendam curarant. Ciuium eximia fides erat, magnaque virtute communem salutem tueri, atque aduersus Regis insolentis

Dd 3

impetum

impetum propugnare parati erant. Circumfessa vrbs atque omne genus machinis impugnata, in Regis potestatem haud dubium redacta esset: ni ex ciuium numero Vellidusqu idam Atraulphus, sua sponte an re cum alijs communicata incertum, certus tamen Regis ex insidijs perimendi, vrbe egressus esset, atq; in Regis gratiam insinuatus, quasi vrbs arcana proditurus, si pretium operæ sit, aditum se monstraturum promittens. vno eo comite ad speculandum locum, quo in vrbem erat penetrandum, circum vrbs mœnia deambulantem, incautumque, neque cauendis insidijs intentum, venabulo quod manu gestabat transixit. Immane facinus, scœda mors, sed vitæ tamen meritis & actionibus consentanea. Cædis auctor patrato facinore pedes in fugam concitat. sequuntur regij milites, Regis in suo sanguine volutantis gemitu & clamoribus exciti: atque inter eos longo proximus interuallo Rodericus cognomento Cidus, vindictæ studio ardens. ille se proxima porta in vrbem infert, patefacto à custodijs aditu. Ex ea re coitionem & dolum regij suspicati, extrema omnia ciuibus comminabantur. Mortuo Rege, Legionenses & Calæci infaustam militiam auersati, cæloque & hominibus iniuriam, è castris alius aliò dilapsi. Castellani, quos Regi fauere natura cogebat, pars Regis corpus ad Oniense monasterium mœlti detulerunt: vbi iusta funeris haud magno apparatu & celebritate facta. multò maxima militum pars ad Zamoram mansit, in vltionem parricidij intenta. Zamoræ ciuibus, quasi cædis conscij fuissent, proditiõnis crimen impositum. Didacus Ordonius ex Laræ familia, ante alios ætate, virium robore, & rebus gestis præstans, equo vectus, armisque fulgens, ex loco vnde exaudiri posset, hominibus, auibus, iumentis, piscibus, herbis & arboribus, cladem, exitium, vastitatem minabatur: maria, terras, cælum inani verborum sonitu complens. mussabant ciues inter metum præsentem, & verecundiam absentium fluctuantes. Maior periculi quàm honesti cura erat. Arias Gonsaluus quamuis ingrauescente ætate bellicis muneribus inutilis esse videbatur, decori tamen tenax, contumeliæ impatiens, se & filios pro patriæ salute certamini offert. Erat in more positum, vt quicumque vrbi aut oppido proditiõnis crimen imponeret, paratus ex prouocatione dimicare singulari certamine cum quinque hominibus aduersus singulos sigillatim pugnaret. Tres Ariæ filij, Petrus, Didacus, & Rodericus ex ordine in campum pugnaturi processerunt. Incredibili Ordonij felicitate & virtute interempti omnes. Rodericus tantum, cum accepto lethali vulnere in vindictam præceps ferire conaretur aduersarium, aberrante ictu, gladio habenas, quibus Ordonij equus regebatur, discidit. equus eo vulnere percitus, Ordonium frustra retinere conantem, è diffinito ad certamen spatio, quod transilire Hispanorum more nefas habebatur, inuitum rapuit. In lite an causa decidisset eo casu, dati iudices in neutram partem pronunciantes, ipso silentio ciuibus fauere visifant. Sic certamen diremptum. quod cum primis nobile fuisse historiæ nostrates declarant: atque vulgaria carmina, quibus peruetusto more Hispani elarorum hominum virtutes ad lyram in conuiujs decantare concentu non omnino rudi neque insuauis soliti sunt.

Alfonfus

Alfonfus reuocatur in regnum. Cap. X.



AE C ad Zamoram gerebantur. Vrraca verò de rerum summa sollicita, veritaque ne noui motus existerent, nuncium Toletum mittit, qui Alfonso fratri res gestas, infelicem Sanctij Regis casum denunciaret. Instruit secretis notis, quibus haud dubiè intelligeret mandata sua esse. dat litteras insolentibus characterum formis descriptas: vt quid sibi vellent, si fortè interceptæ essent, cognosci non posset. Illarum hæc summa erat. Nihil syncerum esse in rebus humanis. mixtum dolori gaudium nunciare. Sanctium Regem interemptum Atraulphi dolo. qui & si communis hostis, erat tamen germanus frater: eiusque vicem dolere æquum esse, ac verò necessarium. Sanctij morte Zamoræ vrbs obsidionem breui dissipatum iri. tamen si certamen erat susceptum: cum Ordonius ciuibus conscijs cædem proditoriè patrata affirmaret. Quod caput, & diuos semper erat precata, ipsum ad regnum vocari. celeritate opus esse ad præoccupandos prouincialium animos, studia concilianda. Videret ne inutili cunctatione agendi tempora dubitando, consultandoque consumeret. Hæc litteris continebantur. Verùm Vrracæ nuncios multi Maurorum exploratores, qui inter Christianos erant, fama denique ipsa sua celeritate occupauit. Petrus Ansurus rerum mutationem propediem futuram expectans, quotidie Toletum ad tertium lapidem progressus ex viatoribus res omnes sciscitari solitus erat: nouique nuncij comprimendi studio, in itinere vnum & alterum exploratorem, qui gesta nunciarant, occultè ferro peremerat. Tandem Vrracæ nuncium nactus, & de re tota diligenter edoctus, Toletum redit. Dabat consilium vt clam Mauro Rege in patriam profugeret. magnos casus intercedere posse. neque barbaris fidem inesse, vt rationibus suis potiore honestatem haberent. Alfonso animo anceps, & quid consilij captaret dubitans, tutiora tandem consilia & honesta periculosis potiora fore iudicans, Regem Almenonem adiit: rem omnem vt nunciata erat, exponit, regni hæreditatem ad quod vocabatur cernendi petit facultatem. Eo inscio, à quo tantis beneficijs deinctus esset, discedere in patriam inhumanum & inurbanum fore iudicasse: quod à suis moribus procul abesset. Salutare id consilium Alfonso fuit. Rex enim Maurus re prodita, omnes Alfonso aditus obseruabat, itinera obsederat, & diligenti custodia munierat, ne se posset commouere. Itaque Alfonso comitate fideque victus, vehementer se lætatum ait, cum ex aliorum prædicatione cognouit Sanctij morte, ipsum ad regnum vocari. & tunc gaudere amplius sublatam occasionem superiora officia, quæ fuerant ipsius meritis, suaque voluntate minor, aliquo maleficio mutandi, si se inuito in patriam discedere cogitasset. Quod felix, faustum, auspiciatumque esset, quamprimùm iret: fraterna regna capesseret: in itæ tantum amicitie memor nouo iureiurando fidem obstringeret, sibi & Hisslemo filio maiori perpetuò amicum futurum. Deum testem, atque arbitrum conuentorum fore, ne datam

Dd 4 vltro

vltro citroque fidem, eosdem amicos inimicosque habituros, fallerent. Igitur rebus omnibus compositis discedentem Alonsum pecunia iuuat, & aliquanto spatio honoris causa profectus, continentiae atque fidei singulari exemplo in Rege barbaro abs se liberum dimittit. Hæc veriora arbitror, quam quæ Lucas ait: deluso barbaro per dispositos equos aufugisse in patriam. Zamoram primum itum, vbi Vrraca erat, quam matris loco semper habuit. Cum ea consilio communicato, de eius aduentu missis in omnes partes nuncijs, eximia provincialium voluntate, propensisque studijs, quæ superiori tempore excitarat, in Legionis regnum receptus est. Garsias frater temporum mutatione euaserat, regnumque pristinum armis recuperare cogitabat. legati ad eum de pace sunt viri primarij. Erat homo ingenio minimè malo. itaque nihil periculi subesse ratus, atque à fratre sperans omnia facile impetraturum: nulla fide accepta ad eum venit. capto libertas ad vitæ finem erepta. crudele exemplum publicæ tranquillitatis respectus excusauit, cultusque & victus principalis: ita vt præter regnum nihil desideraret, si ereptæ libertatis vlla esset idonea satis compensatio. Castellæ proceres interea Burgis conuentus agitabant, decreuerantque Alonsum quidem ad regnum euocandum videri: recipiendum tamen non esse, priusquam se inscio Sanctij mortem patratam esse iureiurando confirmaret. Cùm in eam urbem ventum esset, cæteris dubitantibus, ne facti memoria fraudi aliquando esset apud nouum Regem, cuius gratiam promereri commodius rebus suis fore cuncti iudicabant: Rodericus cognomento Cidus, qua in cæteris vt solebat animi magnitudine, Alonsum conceptis verbis in D. Agathæ iurare compulit. Diræ imprecationes in eius caput additæ, si fratris cædes ipsius consilio perpetrata esset. Cæremonia peracta, magno omnium qui aderant plausu & acclamatione, Castellæ Rex renunciatus est: haud obscure Roderico infensus, vt rerum euentus deinde declarauit. Præui homines, qui principum offensas acriter speculantur, & alienam felicitatem ægris oculis aspiciunt, eius animum amplius exacerbabant. Erat Alonsum natus minimum triginta septem annos, cùm in regnū reuocatus est. bello strenuus fuit, vnde Fortis cognomen tulit, pacis artibus instructus, ingenio facili & modesto. Has virtutes natura insitas res aduersæ, quibus exercitus erat, multum auxerant. liberalitas profusa fuit prorsus, vt regni opes exhaustisse videretur. Salutaris anno millesimo septuagesimo tertio Sanctius occisus est, & Alonsum redijt in patriam. Quo anno Romæ quidem Hildebrādus ad summum pontificatum euectus, Gregorij. VII. nomen suscepit: singulari vir animi magnitudine atque constantia, qui pro ecclesiæ libertate cum Henrico Imperatore, eo nomine tertio, inimicitias suscipere grauissimas, & exercere non dubitauit per totam vitam. In Hispania autem Dominicus Exiliensis præcipua vir sanctitate, tertio decimo Kalen. Ianuarij, sexta feria defunctus est. Memoria eius anniuersarijs sacris in Hispania celebratur. In Riugogia Canis oppido natus, ex opitione ad S. A. Emiliani Cucullati monachus effectus, atque consequenti tempore eius monasterij Abbas, quod monachorum iura constanter tueretur, à Rege Vasconum Garsia, superioribus annis in exilium missus

missus fuit: vnde illi (sic suspicor) Exiliensis nomen. Monasterium Exiliense, quod priscis temporibus S. Sebastiani nomine dicatum erat, Ferdinandi Regis ope suaque diligentia instaurauit: vnde alio tempore in Dominici Exiliensis nomen vetus appellatio mutata: non ipsi tantum monasterio, sed etiam coniuncto municipio, quod locis confragolis ad vallem Tablatellum, quadragesimo ab vrbe Burgis lapide situm est, ipsa militari via, qua itur Gorinatium. Hæc propter antiquitatis notitiam, loci nobilitatem, prætermittere consilium non fuit. Nunc ad Regum res gestas, & historiæ ordinem redeo.

*Alonfi Regis initia. Cap. XI,*



ALFONSI initia turbulenta fuere, læti progressus. Anno quidem altero ex quo regnum recepit, salutis millesimo septuagesimo quarto, Reges Mauri Cordubensis & Toletanus armis de finibus decertabant. Alonsum officij memor, cõflato numero exercitu in Carpetanos mouit. veritus initio Almonon, ne is belli apparatus ad se opprimendum pertineret: deinde quod res erat intelligit auxilio venisse. collatæ ab vtraque parte vires. Cordubenses fines incursionibus vastati, corruptæ fruges, deformatus ager. pagi, villæ, oppida incensa. prædæ hominum, pecorum, armentorum actæ. Iulto prælio pugnatum non est, Rege Cordubensi vniuersi certaminis aleam subire detrectante. Exercitus victoria lætus, spolijs grauis, in patriam reductus. Quo tempore Agnete prima Alonfi vxore defuncta, alteram Constantiam nomine ex Gallia, vbi nata erat, aduectam duxit. Ex hoc coniugio Vrraca Alonfo nata est, regni deinde atque fortunarum hæres, vt competenti loco declarabitur. Constantiæ horratu (sic arbitror) missa abs Rege Romam legatio enixè Pontificem postulante, vt rei ecclesiasticæ, in quam vitio temporum, hominum culpa deprauati mores incubuerant, constituendæ nouisque institutis componendæ causâ, Legatus in Hispaniam cum amplissimis mandatis & potestate mitteretur. Missus à Gregorio septimo Pontifice Maximo Ricardus Massiliensis Abbas, anno huius seculi septuagesimo sexto Burgis in Citeriore Hispania concilium Episcoporum agitauit. In quo regiæ voluntati morem gerens, in omni regno eius Romanum ministerium confirmauit. Sic Pelagius Ouetensis loquitur (vt ego interpretor) leges ecclesiæ veteres in mores reuocatae, ac præsertim quod in Germania non absque motu factitatum erat, vxores sacerdotibus detractæ: quas prisci moris obliti, & voluptatum illecebris superati, plerique habere consueverant. Quæ res sanctissimo Pontifici inuidiam peperit, vsque eò vt conuiijs & contumelijs probrosisque carminibus passim eius nomen proscinderent. Ad eò graue est assueta relinquere, & veteres mores noua censura mutare. Præterea Aragoniæ exemplo, precandi ritus ex Romano more sanciti, prisca Gothorum instituta rebus diuinis procurandis, propitiando numine antiquata. Mauri Reges Cordubensis atque Hispalensis, cùm vectigal quod



superiori tempore pacti erant, pendere recusarent, Rodericus Cidus ad eos legatus est ea de causa. Granatenses eo tempore & Hispalenses armis de finibus certabant. Regis Granatensis stipendia nonnulli milites Christiani faciebant. Cidus pacificatoris persona assumpta, dissidentes in pace ponere conatus primum est: deinde aduersus Granatensem Regem, quoniam ad nullam pacis conditionem adduci poterat, pro Hispalensi in acie stetit. Insigni prælio victi Granatenses ad ea consilia recurrere compulsi sunt, quæ per imprudentiam antea repudiarant. Roderico arbitro pax inter Reges facta. milites præda diuites, atque vestigali Cordubæ & Hispali, pro qua re venerat representato, in patriam reduxit: Bellatoris ex his rebus nouum cognomen adeptus, egregia militum & totius prouinciæ voluntate, virtutes eius admirantium, ipsum nouis honorum titulis, quoniam re non poterant, exornantium. Proceres Castellæ atque Legionis ex iisdem rebus inuidiæ flammis urebantur: prorsus ut nouis criminibus apud Regem petitem peruertere constituerent. Prope spem res erat à superiori tempore Regis animo alienato. Ex ea spe inuidis ardor animorum crescebat. Accidit Regem in Bætica nouo bello implicari aduersus eos Mauros, qui tributa pendere denuò recusabant. Maurorum alia manus è Celtiberia, vbi latè ea tempestate dominabantur, per Medinæ Celinæ fines in Castellam irrupit. Gormatij agros omni maleficij genere vastabat. Cidus quem importuna vis morbi tenuerat in patria (fortassis etiam morbi simulatione procerum inuidiam declinare studebat) tumultuario delectu habito, Maurorum latrocinia prohibuit: ipsos regni finibus magna celeritate dimouit. Ad hæc studio prouectus in Maurorum fines Toletum vsque excursions fecit. Ingens ex ijs locis præda abacta. agri & oppida deformata. supra septem vtriusque sexus millia in seruitutem abducta. Inuidis & malè cogitantibus proceribus, qui Regis auribus Roderici felicitati insidiabantur, ex ea re criminandi noua materia suppeditata. Violatæ fidei Mauro Regi criminibus petunt. videret ne dissimulando impotenti homini atque ambitioso habenas laxaret. supplicio cogendum, æquo cum cæteris iure viuere: neque se præ cæteris fastu & arrogantia animi eximium putare. Auctore Rege, ac decreto principum punitur exilio: mandatumque, ut intra nonum diem vniuersæ regiæ dittonis finibus exiret. Tempori ille cedendum arbitratus, apud Abbatem S. Petri Cardeniæ, cuius monasterij per totam vitam religionem præcipuè coluit, vxorem & filios reliquit, certus aduersus Christiani nominis hostes maiori impetu bellum gerere. Erant Mauri per id tempus vitiorum licentia enervati. voluptatum illecebris virtus & gloria, cum qua venerant in Hispaniam extincta erat. Itaque cum priuata Rodericus militum manu, quos in armis exercitatisimos habebat, multi præterea amici & necessarij nomina dabant, tanta erat cupiditas eo Duce aduersus Mauros bellandi, in Carpetanos primum irruit: & aduersi Fenarij fluminis ductum secutus, in Celtiberos penetrauit, Alhamamque peruenit, qua parte Salo fluuius Idubedæ montes penetrans Celtiberiæ maiorem partem irrigat. In eo tractu Alcoce-  
rium arcem natura loci munitissimam, sitamque in prærupto monte expugnat.

gnat. duos Duces Mauros cum iusto exercitu à Rege Valentia missos aduersus eius conatus insigni prælio superat. Ex ea arce agros populatur: omni iniuria belli Mauros finitimos vexat. Ex prædiuiti præda equi triginta, totidem Maurici gladij ex ephippijs pèdentes ad Alfonso Regem dono missi. pari numero captiui equos regere iussi, eximia magnitudine corporum, decore habitu. vestes auro purpuraque distinctæ. Muneris magnitudini quanta maxima à legatis potuit verborum gratia adiuncta. quos Rex quidem hilari vultu suscepit, & cum verborum honore: populus Cidi laudes ad cælum prædicatione ferre: patriæ liberatorem, Maurorum terrorem, reipublicæ patronum vocare. Vnum esse, qui beneficijs maleficia vinceret, & benignitate cum offensa certaret. veteres heroes quos æmulari videbatur, rerum gestarum gloria, magnitudine animi exæquare. Exilij decretum supplicium, propter Mauros scilicet mutari non placuit: concessum tamen prouincialibus ut impunè qui vellent, Cido militarent. in quo reipublicæ tranquillitati bene consultum est. plerique enim in armis educati, rebus Bæticiæ ab Alfonso compositis, otium quo sibi marcescere videbantur, ægris animis ferebant. Hæc quamuis plures per annos gesta, narratione iuncta sunt, ne diuisa memoriam perturbarent. Nunc retro reuocanda oratio est: & quid præterea rerum in Hispania gestum sit anno salutis millesimo septuagesimo sexto, alio ex principio explicandum.

*Sanctius Rex Vasconum à fratre occiditur. Cap. XII.*



ANCTIO Vasconum Regi frater erat Raymundus, homo leuis, inconstanti, turbidoque ingenio: cui discordiæ, rixæ, seditiones cordi erant, rerum nouarum cupiditas: honesti sanctiq; nulla cura præ studio atsequendi quod animo destinasset. vastus in consilijs & immodicus, regnandique ambitione exarsuans.

Rex quietis cupidior quàm belli, pietatis studijs deditus: quod veteres scheda indicant, agros eum villas, prædia magno numero cœnobijs monachorum donasse. Ex ijs rebus calumniandi materia, vicina vitiorum nomina virtutibus asfingendo: quæ magna peruersio est. religionis studium, animi angustiam: morum tranquillitatem, ignauiam interpretabatur & metum. Aderant studia perditorum hominum, quicumque decoctores, æreque alieno exhausti, inopesque erant, modò nequam homines & audaces cognosceret, eos in familiaritatem libenter admittebat. his ut cuiusque studium ex ætate flagrabat, liberaliter pecuniam, vestes, arma, equos largiebatur: neque sumptui neque modestiæ parcens, dum illos sibi obstrictos obnoxiosq; redderet. Rex ex vxore Placentia Ramirum filium in spem regni genuerat: addunt alij Garfiæ nomine secundum, tertiumque nulla appellatione designata: quos defuncto patre ad Alfonso Castellæ Regem confugisse pro certo ponunt. Ij ætate minores erant. Rex annis grauis. Raymundo regnandi spes nulla nisi in scelere, in malo obstinata voluntas. factionis ergo viribus, quas potest arces & oppida præsidijs occupat. & quoniam ad sanitatem re-

uocari

uocari non poterat, Rege auctore decreto senatus reipublicæ hostis esse iudicatur: qui aliena inuaserat, sua perderet, regni que finibus excederet. Ex eo tempore uterque in alterius perniciem armari. Raymundus insidijs parandis quam Sanctius cauendis intentior, ad Rotam municipium patrandi facinoris opportunitatem nactus, fratrem proditoriè obruncat. Cædis auctorem Rodericus Præsul ne nominatim proderet, gentis unde ipsi genus, patriæque amori tribuendum putauit: aut mea me potius fallit coniectura. Cæsi fratris filius Ramirus ad Cidum profugit. Ramiri fratres ad Alfonso Castellæ Regem. infirma puerorum ætas erat, vires imbecillæ ad sustinendos tyranni impetus: qui prouinciæ studia teneret, regnumque armis inuasisset. Procures rei indignitate permoti, communicato consilio inter se, Sanctium defuncti Regis patrualem Aragoniæ Regem, ad regnum Vasconum euocant. Assuit ille continuo, & maiorem prouinciæ partem breui occupauit. Viruescani, Riuogia, ac nominatim Anagarum, & Calagurris, præterea Cantabria vniuersa Alfonso Regis Castellæ armis celsit. meliori is quam Sanctius iure nitens, cum Ferdinandus pater ex iusta vxore, Sanctij pater Ramirus vulgò conceptus fuisset, de reliqua prouincia Aragonio Regi litem intendit. ne armis dimicandum esset, conuenit ut Vasconum regnum Alfonso vectigale esset. Antiquis monumentis Sanctium & Petrum filium, pactum tributum appendisse proditum, testatumque inuenimus. Raymundus inter vtriusque Regis arma & studia destitutus Cæsaraugustam aufugit. Homo impurus, superis, hominibusque inuisus, scelerum conscientia exagitabatur, neque suis neque alienis fidebat. à Rege tamen Mauro prædia domosque accepit, unde inopem & calamitosam vitam sustentaret. neptis eius Marchesia nomine Aznarij Lupi viri nobilis vxor, ea prædia Alfonso Aragonij Regis eo nomine primi tempore, eius vrbs templo maximo, quod D. Mariæ nomine sacrum est, legasse fertur.

*Almenon Tolet. Rex, & Raymundus Barc. Comes obunt. Cap. XIII;*

1077 **P**ROXIMVS annus ex quo hæc gesta sunt, qui ab ortu Christi millesimus septuagesimus septimus erat, duorum Principum funere, quam vlla re alia insignior fuit, Almenonis Toletani Regis, & Raymundi Comitum Barcinonensis cognomento Senis. Almenonis filius natus maximus Hissemus nomine, anno integro, ex quanto tempore paternum regnum obtinuit, Alfonso Regis amicitiam patris exemplo & præceptis institutus persanctè coluit. Hissemi frater & successor Hyaia Aladirbilis, moribus patri & fratri dissimilis & toto vitæ genere, neque bello strenuus neque pacis artibus instructus, in lustris & popinis vitam exigere solitus, atque illustrium foeminarum pudicitiam attentare, grauissimum tum Maurorum tum Christianorum, qui in ditione supererant, odium & inuidiam incurrit. Videbatur enim cum pudicitia non pudorem tantum, sed etiam humanitatem exuisse, crudelis in omnes & ferox. Alfonso Castellæ Rex sacramenti religione, quo

quo se obstrinxerat Almenoni & Hissemo solutus, vtriusque gentis litteris atque quotidiano propemodum suorum conuitio sollicitabatur, ut urbem principem ac totius ferme ditionis Mauricæ propugnaculum, impia & crudeli tyrannide eriperet: temporis opportunitatem negligendam non esse distitantium, quam superi offerrent ex Regis imbellis ignauiam: in quo neque vigor animi esset, neque rei militaris disciplina. præterea in tanta ciuium alienatione, Christianorum viribus haud parem fore prædicabant. Hæc initia eius expeditionis, qua Toletum capta est, atque prima fundamenta ponebantur. Raymundi defuncti corpus Barcinone in templo maximo, quod sua impensa ab imo totum extruendum curarat, tumulto contextum est. iusta funeris magnificè facta. Dicitur ut ipse moriens testamento mandauit, bifariam diuisa est. pars Berengario data, pars Raymundo, cui Stupæ caput cognomentum fuisse diximus, procero corpore, eximia formæ dignitate. Moribus formæ consentaneis, prouincialium studia, sed & patris beneuolentiam sibi conciliarat: prorsus ut fratri qui maior natu erat, principatu prælatus Barcinonem prouinciæ caput obtinuerit. Ea res illi malo fuit, exitiumque attulit fraterna ex inuidia, uti mox dicemus. Almodiam (sic non nemo vocat) Roberti Guiscardi Nortmanni, quæ gens hac tempestate magnam virtutis opinionem excitarat, & ad extremam Italiam ac Siciliam latè dominabatur, filiam vxorem habuit, insigni pietate foeminam. cuius sumptibus gemina cœnobita constituta sunt: alterum in Mariæ valle in agro Cabrera: Danielis nomine alterum prope Gerundam. In quo, viro defuncto vitæ principalis illecebris abdicatis, virilis concubitus expers, vitam sanctissimè exegit. vtrunque D. Benedicti regula & institutis temperauit. Ex eo coniugio Raymundus Arnaldus natus est, qui patri in principatu successit. Hoc sanè tempore Armengaudus Vrgelitanus Comes, Maurorum in ditione reliquias armis: Guillelmus Iordanus Ceretaniæ Comes Arianam sectam in Ceretanis renascentem, decretis, supplicijs, atque malis omnibus exagitabat. Multa oppida secundum Sicoris amnis ripam Mauris ablata: ac nominatim vrbs Balagueris sub Christianorum imperium missa est.

*Nortmanni veniunt in Italiam Cap. XIII.*

40 **N**ORTMANNORVM nomen Hispaniæ olim & Galliarum cladibus nobile, per hæc tempora nobilius est redditum: cum in Italiam virtutis & imperij gloriam propagarunt, magnam eius partem armis peruagati, ac noui tandem in ea regni conditores, quod ad nostram ætatem inter varias Principum familias sæpe alternauit. Huius gentis originem (quoniam cum rebus Hispaniæ res Nortmannorum confusæ non parum sæpe sunt) & occasionem aduentus eorum in Italiam hoc loco intelligi, aliquid lucis afferre posse cogitavi. Nortmannorum appellatione, ut vox indicat, vocabantur quicumque Daniam

Daniam inter & Cimbricam Chersonesum oram Germanici maris & vicinas insulas incolebant: feri homines & barbari, cultu vitæ agresti, inhumanis moribus, rei nauticæ periti, & plurimum piraticæ dediti. Luithprandus proximæ superioris ætatis scriptor, eosdem Nortmannos & Rhussios facit. nimirum eodem tempore, hi in Orientis, illi in Occidentis prouincias sese torrentis instar infudere. In parte olim Galliæ, Carolo Simplice Francorum Rege concedente, confederunt ea, cui antea Neustriæ nomen erat, deinde Nortmanniæ: vt superius dictum est. Rholo Dux fuit genti natura imperij auidæ: quiduis simulare & dissimulare assuetæ, eloquentiæ studijs & aucupio deditæ, laboris, inedia, æstus & frigoris patientia obduratæ. indumentorum elegantiam consuebantur: alioqui impotenti effrænique ingenio. Atque hæc virtutes & vitia Nortmannis inerant, postquam mitiori cælo & mansuetioribus Gallorum ingenijs, feritas cum qua venerant mitigata est. Rholonis ex progenie Guillelmus cognomento Nothus, septimus Neustrie Dux, ex Eduardi Regis Sancti testamento, ad veterem Nortmanniæ ditionem Angliæ regnum adiecit. is belli sacri, quod proximè susceptum est tempore, classe in Angliam delatus Haroldo æmulo, prælio vnico victor vitam regnumque abstulit. Inde Gallos inter & Anglos bella diuturna & grauissima haud multò ante hæc tempora, ad quæ nostra perducta narratio est. Ex Gallia valida Nortmannorum manus in Italiam hac occasione venerat. Est in Nortmannia ciuitas, quæ Constantia Castra olim dicta est. in eius agro Altauilla municipium: quod Tancredus nobili genere Princeps, & multarum imaginum obtinebat, numerosa prole felix, ex geminis nuptijs duodecim filiorum pater nihilominus. Ex priori coniuge Guillelmus cognomento Ferreabrachia, Drogo, Vvifredus, Gaufredus & Serlo nati. posterior Fransendis nomine septem filios peperit, Robertum, Guiscardum, Malgerium, Guillelmum, Alueredum, Humbertum, Tancredum, & natu inter fratres minimum Rogerium: qui gloria rerum gestarum & ditionis amplitudine, atque diurnitate cæteros facillè superauit. Mater filios & priuignos pari amore prosequi videbatur. hoc illis mutui amoris conciliandi, depellendæ inuidiæ incitamentum fuit. pater ciuilibus & bellicis artibus instituendos curauit. Manu prompti erant, boni consilio. temeritatem ratio comprimebat, metum depellebat audacia. Ditionis paternæ angustia exclusi, veriti que ne hæreditate diuidenda, rixæ & contentiones extarent, aliò migrandi consilium capiunt. Italia in plures principatus diuisa, intestinis motibus æstuabat. Siciliam & vicinas inferi maris insulas Mauri obtinebant. virtutis ostentandæ occasio ex vtraque re opportuna. Maiores natu fratres cum militari manu primùm petiuerunt Italiam. & cum in Gallia Togata virtutis specimen præbuisent, atque in Hetruria: inde in Campaniam itum: vbi Capuanus & Salernitanus Principes armis de finibus certabant. Capuano primùm adhæserunt, deinde liberalioris militiæ spe Salernitano. Victoria parta belloque sedato inuitati à Maniaco, qui magnæ Græciæ & Apuliæ parti pro Græcis Præfectus erat, in Siciliam aduersus Mauros transmiserunt. breui operæpretium factum.

multæ

multæ in ea insula vrbes ad Christianorum ditionem restitutæ sunt. victi acie, fugatique barbari. Mox inter Græcos & Nortmannos suspiciones & simultates natæ. superati Græci, fugatique. fratres bello victores in Sicilia atque Italia eius principatus fundamenta posuerunt, quæ breui in iustum imperium excreuerunt. Nam fratres natu minores, duobus tantum ex suo numero relictis in patria, ij ex omni numero qui fuerint clam est, sed relictis tamen in Gallia, rebus quæ in Italia gerebantur cognitis, cum supplemento militari ex Gallia præsto fuerunt. Partum in Italia imperium diuisum inter fratres: cæteris defunctis tandem in Roberto Guiscardo constitit, atque Rogerio. Robertus Apuliæ atque Calabriæ Dux fuit. Rogerius Siciliæ Comes, Mauris & Græcis, eius & fratris armis ereptæ. Robertus ex duabus vxoribus Alberada gentili, & Sigelgaita Salernitani Principis filia, Boamundum & Rogerium filios reliquit, filiam Almodiam: si vera sunt quæ auctores Catalauni tradunt, Raymundo eam Barcinonensi Comiti nupsisse, vti antea dictum est. Ex Rogerio Siciliæ Comite, Rogerius is natus est, qui paterni imperij nomen regia appellatione mutauit. & cognatis omnibus quæ defunctis quæ oppressis in ordinemque redactis, Nortmannorum ditionem vniuersam in Sicilia atque Italia occupauit felicibus armis: Africam atque Græciam vestigales effecit. Hæc ferme ex Gaufredo monacho, qui res à Nortmannis gestas in Italia, ipsiusmet Rogerij Comitis hortatu proprio commentario explicuit. Verum Italia missa in Hispaniam recurramus.

*Bellum in Toletanum Regem decernitur. Cap. XV.*

**N**ORTMANNORVM arma in Italia mouebantur. In Hispania Toletanorum ciuium frequentibus litteris & nuncijs nostrorum animi ad nouum bellum capessendum sollicitabantur. Hyaia Regem neque mora temporis fanari, neque periculi magnitudine à turpitudine reuocari: impunitate confirmari audaciam, crudelitatem augeri: præter spiritum, quem ægrè inter tot ærumnas ducebant, & spem vitionis, qua vitam calamitosam sustentabant, miseris ciuibus relictum nihil esse. Nisi quid in Christianis præsidij sit, Maurorum auxilium euocare certum esse. quamcunque seruitutis conditionem, depellendæ eius tyrannidis studio, libenter fore suscepturos. Esse quidem omnem seruitutem miseram: seruire autem amenti, impudico, impuro, nunquam ne in discrimine quidem sobrio, grauissimum atque intolerandum. Aifonli Regis animus anticipati cura suspensus in diuersas partes, hinc honesti specie, inde commodi quod ostendebatur, spe maximi trahebatur. In procerum concilio de re tanta disceptari saluberrimum fore visum est. non vna omnibus sententia fuit. Plerique quibus audaciæ plus inerat, bellum continuo sumendum iudicabant. priuatis id singulorum rationibus commodam fore, vniuersæ Christianæ reipublicæ honorificum & salutare: Expugnata

pugnatæ vrbis prædam ad milites redituram. Maurorum imperium euer-  
tendi, quæ sese offerebat occasio, firmissimo eo propugnaculo totius Mau-  
ricæ ditioris capto, negligendam non esse. bellumque, quod opinione fa-  
cilius fore pollicebantur, esset quamuis periculosum & graue, libentissi-  
mis animis sumendum esse: in cuius euentu rei Mauricæ summa verte-  
batur. Proceres alij bellum detestabantur, & ex amicitia quæ Alfonso  
erat cum Regibus Toletanis religiones captabant. Consilio honesti spe-  
cies prætendebatur. Ex eo numero quidam exactæ prudentiæ opinione.  
„ Quo, inquit, iure, ô Rex, quo ore ciuitatem eam armatus inuades, quæ  
„ te domo profugum, egenum, sine lare familiari vagantem accepit hospiti-  
„ tio: omnibus officijs coluit, vnde tibi ad regnum quod obtines, factus  
„ est gradus? Quæ pietas eius filio bellum indicere, sit ille quamuis nequis-  
„ simus, qui te cum in potestate esses, suis opibus adiutum, patriæ, & lo-  
„ co vnde excideras, reddidit? Nimirum vt filium benignè accepit, habuit-  
„ que, vt eius posteros fratrum loco esse tibi putares. Neque enim minor  
„ voluntatis & officij coniunctio, quàm naturæ necessitudo esse debet. Suade-  
„ re Principi quod decet, multi laboris est: assentatio sine periculo peragitur.  
„ vt quisque est animo ignauus, (absit inuidia) ita procax ore: bella, victo-  
„ rias, vrbium euerfiones loquitur. ignauissimi cuiusque consilio bellum  
„ suscipi potest, strenuissimi labore & periculo administratur. Quanta sit  
„ eius vrbis firmitas, quantis operibus sit munita, nemo ignorat. At inui-  
„ tamur à ciuibus. Quasi multitudini fidendum sit leuissimæ & inconstan-  
„ ti, atque eò vela conuertere solitæ, vnde se aliquis fauoris & melioris  
„ spei flatus ostenderit. At tyrannidem euertere pulchrum est. Honefca sci-  
„ licet species, minimèque fallax, ni simul humanitatis & grati animi leges  
„ euerterentur. At Hissemi morte iurisiurandi religione soluti sumus. Verum:  
„ sed superos vtriusque voluntatis & perpetuæ beneuolentiæ, quam pacti  
„ estis, testes fallere non possumus: eosdem ne ultores sentiamus, proui-  
„ dendum est. Hæc non eò pertinent, vt laborem & periculum defugia-  
„ mus, ô Rex. Idem animus nobis est, qui fuit semper, promptus & ala-  
„ cer. inermes quoque, nudi & exsanguis, si stat sententia pugnandi ad bel-  
„ lum sequemur: sed in consilio dando accipiendoque nobis liberæ voces,  
„ tibi propitiæ aures esse debuerunt. Commotus ea oratione Regis ani-  
„ mus videbatur: atque eo magis quod ex ore multorum & prudentiorum  
„ mitti videbatur. vicit tamen pugnandi studium, vrbisque nobilissimæ ob-  
„ tinendæ commoditas. atque in eam sententiam hanc summam orationis  
„ habuit. Non ignoro, viri nobiles, multa esse, quæ animos ab huius bel-  
„ li cogitatione abducant: plura per hosce dies de indultria à quibusdam  
„ ad terrendum esse iactata. Sed neque improuisa vobis esse debet men-  
„ dacij vanitas. Ignauia metusque omnia in maius auget. De religione  
„ non dicam, ac ne de ingrati quidem animi nota, quæ nobis opponitur.  
„ Hyaia sceleribus procurandis satis vtrunque credimus expiari. patre iu-  
„ dice & arbitro, qui pœnas grauissimas daret, an æquum est vt paternæ  
„ amicitia respectu liber euadat? Vrbis fortissimæ difficultas obijcitur:  
„ sed

„ sed virtuti vestræ omnia peruia erunt. sic magnam Hispaniæ partem,  
„ nostra & Sanctij fratris auspicijs securi, armis subiugastis, barbaros sæ-  
„ pe acie vicistis. munitissimas vrbes & arces vestra virtute captæ sunt.  
„ Omnia virtuti peruia, quæ ignavis terribilia sunt. Hostium multitudo  
„ opponitur. nunc scilicet primùm inconditam sustinebitis turbam, quæ  
„ ipsa se sua multitudine impedit? imbelles sunt, quibus bellum inferre  
„ paramus, & longa armorum desuetudine eneruati. iam Toletum capta quo-  
„ minus longissima spatia emensi ad Hispaniæ finem, atque laborum me-  
„ tam peruentimus, nihil obstabit. Nomini Christiano, regnoque nostro,  
„ & vobis ipsis, labore non maximo gloriam immortalem parabitis. Ca-  
„ uendum ne cunctando metuendoque agendi tempus elabatur: & quod  
„ euenit in tardis consilijs, optima deinceps videantur, quorum tem-  
„ pus effugerit. Regis oratione cunctorum qui aderant animi inflamma-  
„ ti sunt: propensaque omnium voluntate bellum in Mauros decernitur.  
„ arma, equi, tela, commeatus comparantur, pecuniaque in stipendium mi-  
„ litare. magni tota prouincia delectus habentur. veterani milites, vt in  
„ quoque erat virtutis plurimum, magnis propositis præmijs nominatim  
„ euocantur. Hæc omnia eo maiori festinatione administrantur, quod vno  
„ tempore nunciatum erat, Pacis Augustæ Regem Maurum à ciuium To-  
„ letanorum parte euocatum, cum validis copijs ad eam vrbem capien-  
„ dam aduentare, propediemque affore. vtriusque Regis copiæ Toletum  
„ eodem tempore peruenerunt. Verum Alfonso inuictas copias atque tot  
„ bellis exercitatas sub signis trahebat. Maurus numero & viribus infe-  
„ rior in patriam reiectus abiit. Christiani milites, tametsi vrbis potiun-  
„ dæ spe depulsi, quoniam Rex Maurus bello nunciato, se & vrbem ad om-  
„ nes casus egregiè munierat, Regis Alfonso iussu agros incendunt, cor-  
„ rumpunt segetes, direptiones faciunt. atque hæc anno millesimo septua-  
„ gesimo nono inchoata. idem secundo, tertio & quarto anno factitatum:  
„ neque consequentibus annis cessatum est. Canales & Vlmus oppida vr-  
„ bi vicina præsidijs occupata firmataque sunt. inde excursions continen-  
„ ter factæ. His iniurijs calamitosi ciues re frumentaria angustè uteban-  
„ tur, commeatus omne genus inopia laborabant. Toletani importata plu-  
„ rimum annona vitam tolerant. circum vrbem solum sterile, nudum, sa-  
„ xeam, deforme, rebus omnibus indigens. cælo terraque aquarum penu-  
„ ria, quod longissimè abest à mari, & tota regio præ reliqua Hispania  
„ sublimis est: nisi qua parte planiciem Tagus amnis interfluit lætorem  
„ prouentu, longioremque, quam latam spatijs. Vno tempore Cidi arma in  
„ Celtiberia prosperum cursum tenebant: Maurorum oppida, & arces eius  
„ virtute, & diligentia carpebantur. ad Regis Alfonso gratiam planè restitu-  
„ tus non erat. id vnum ad felicitatis cumulum deesse videbatur. Commo-  
„ dum accidit, vt anno eius seculi octogesimo Maurorum intestina ar-  
„ ma in Bætica mouerentur. Almosala regulus arcem Grados vi abstu-  
„ lit. ad Alfonso præsidium Adofirus ditioris spoliatus confugit, eius ar-  
„ mis sperans arcem recipere, vlcisci iniurias. Occasionem rei bene geren-  
„ dz,

dæ, haudquaquam Alfonsus negligendam iudicabat. præmissa militum manus. Ipse paulò post cum iusto exercitu in interiorem prouinciam penetravit. Varijs Mauri artibus, & ludificationibus cum bellum duci videret, neque totius dimicationis copiam fieri, & Toletanæ expeditionis cura sollicitabat: bello Bætico Cidum tanti nominis Ducem præficiendum curavit. Ex Celtiberia euocatus continuo affuit. Venienti Rex complexum fert, facetus natura, & consuetudine edoctus simulare benevolentiam blandis sermonibus: non modò exilij mulctam remisit, verumetiam eo expetente perpetua lege sancitum, ne ingenuæ conditionis viris, quoties solum exilio vertere cogentur, ante diem trigesimum è regni finibus discedere necesse esset: cum antea moribus fixum esset, vt nonus modò dies parando exilio præscriberetur. Belli eius confecti laus penes Cidum stetit. arcem Grados vi expugnauit. Almosalam regulum redegit in potestatem: ad Regemque transmisit eius arbitrio plerendum. Anno proximo huius sæculi octogesimo primo Gasias Alfonsi frater in vinculis obiit, dissectis vltro venis. Emitti custodia eatenus non placuerat: ne ingenij leuitate rempublicam conturbaret. Neque enim regnandi ambitione crediderim, Gasiam tandiu à fratre in carcere retentum fuisse. Conuenit liberio rem custodiam à morte Sanctij fuisse. auctor etiam quidam sub vitæ finem, propositam à fratre libertatis conditionem affirmat, siue vitæ tædio, siue quoniam ea calamitate diuinum numen propitiari volebat, constanter repudiasse: ac ne compedes quidem, quibus innexi pedes erant, eximi voluisse. mandasse præterea in testamento, vt cum ferreis compedibus sepeliretur: quod vt iussit factum est Legionem in D. Isidori tumulo composito. funus magnificè factum, vtraque sorore procurante, Episcopis, atque proceribus. Anno captiuitatis decimo, regni quindodecimo ex hac vita migravit. Quo tempore Cidus Bæticiæ rebus compositis, cum in Celtiberiam redisset, Dianij regulum Alfagium, & Sanctium Aragoniæ Regem, qui Mauris auxilio venerat, collatis signis deuicit. Noua ea victoria auctus, in Castellam ad Alfonsum inuiratus redijt. Nauatæ operæ, & tantorum laborum præmium Viruesca, Valerianica, Arceionia fuere, insigni Regis liberalitate perpetuo iure donata. Rursus Alfagius, qui Consaburionem vsque vindictæ studio inflammatus processerat, viribus & potentia formidabilis, abs Rege qui vastando Toletano agro operam dabat, Maurus acie victus, in arcem euasit. in prælio & in fuga barbari magno numero prostrati sunt. Victoris animum inopinatus casus perculit, multumque de victoriæ lætitia minuit. Didacus Viuar Cidi filius, qui paternæ virtutis æmulatione ad parem gloriam niti videbatur, Regemque ad bellum profecutus erat, in acie importuna cade perijt. Defuncti sepulcrum in D. Petri Cardeniæ ad nostram ætatem monstratur, extatque. Neque constiterit gemina clade compressi Alfagij conatus. denuò reparatis viribus in fines Christianorum populabundus inuasit: atque in Mediæ Campestris conspectum venit. Eo loco Aluarus Fannius Minaia Cidi propinquus obuiam progressus,

gressus, cum barbaris acie dimicans victor euasit. Atque hæc salutis anno millesimo octogesimo secundo gesta sunt. Quo anno Raymundus Bareinonensis Comes cum Gerundam contenderet, ad oppidum Percham, Ostarlitum inter & Gerundam, Berengarij fratris insidijs circumuentus perijt. Sepultus est Gerundæ in æde maxima. Successit Arnaldus Raymundi filius, ætate quidem infans, neque integrum annum natus: diuturnitate tamen imperij, ditionis amplitudine, & rerum gestarum gloria, cuius maiorum Principum par. Parricida dolorem initio & luctum ex casu fratris simulare: mox re prodita, persona detracta, à prouincialibus odium est redditum. procerum armis non modò fraterno principatu, ad quem occultè nitebatur, sed etiam suamet ditione spoliatus, exul & vagus, & linguæ vitio mutus repente effectus, vitam calamitosam exegit Hierosolymis, vbi defunctus est post aliquot annos. Vrgeliæ & Besaluni Principum progenies à stirpe defecit: ijque principatus ad Arnaldi Barcinonensis Comitum ditionem subiuncti. Accessit in parte Gallia Narbonensis, Prouincia Phocænsis dotis nomine cum vxore Alfonsa (Dulcem alij vocant) Gilberti certè Prouinciæ Comitum filia. Ex eo coniugio Raymundus & Berengarius nati sunt. tres filia viris principibus olim in Gallia iunctæ. Earum vni Berengariæ nomen fuit. duarum nomina interciderunt. Cum Alfonso Tolosate bellum fuit varium ancepsque: deinde pax ea lege sancita est, vt ipsi & posterij, quasi æternæ adoptionis iure inter se succederent, familia altera sublata extinctaque. Verùm hæc consequentibus annis acciderunt. nunc ad iter institutum sese conuertat oratio.

*Toletum capitur. Cap. XVI.*

**F**REQUENTIBVS nostrorum incursionibus Toletani ciues fatigati Christianorum, qui in ea vrbe habitabant, animi ad dulce libertatis nomen arrecti erant: & quamprimum se Rex in vrbis conspectum cum iusto exercitu dedisset, se portas aperturos pollicebantur. Nostrorum vires exhaultæ erant: à belli cogitatione auersi animi. multæ difficultates opponebantur, magni labores, pericula grauia. hæc omnia Regis constantia peruicit. Ergo supremo conatu bellum reparat: non ante in patriam redire certus, quam nobilissimam vrbem redegit in potestatem. Is erat vrbis situs, ea locorum asperitas & natura, vt si negotium confici, vrbemque obsidere vellet, diducendi in plures manus milites, & plura castra metanda essent. multo maiores, quàm antea fecerat, copiarum conscribendæ erant. Quantum felicitatis rebus afferant finitimorum Regum & Principum opes, inter se id quod per raro accidit, consentientes, huius expeditionis apparatu intellectum est. primi Castellani, Legionenses, Cantabri, Calæci, Altures, Lusitani magno numero nomina dant. affuit Sanctius Aragoniæ & Vasconum Rex, na-

uandæ operæ studio incensus. ex Italia Germaniæque auxilia venerunt. belli quod susceptum erat, fama toto orbe volitabat. Francorum quoniam Hispaniæ finitimi erant, maior numerus fuit, præcipua homines alacritate ad suscipienda bella, corporum patientia non eadem. Ea gens quoniam hoc & consequentibus bellis rem Christianam multum iuuit, & qui in Hispania remanere voluerunt, magnis præmijs affecti inuitaque abs Regibus sunt, vectigalium immunitate donata ipsis & posteris: ex ea re factum arbitror, vt immunis atque ingenuæ conditionis homines, vulgari Hispanorum lingua Francos vocemus. cuius rei veteres tabulæ & diplomata Toletanis per hæc tempora concessa indicio sunt. Conflatus ex tot gentibus exercitus numero & viribus præstans ductore Rege Toletum mouit. hilares animi, victoriæ certa spes. Rex Maurus de hostium apparatu certior factus, excitatusque periculi magnitudine, nihil de sua comparatione omittebat. milite & comœatu instructus erat. præsidio quod in ciuium caritate & beneuolentia est firmissimum, septus non erat: neque id barbarus ignorabat. Loci tamen natura, facile se defensurum cogitabat: quod vrbs prope ex omnibus partibus altissimis rupibus, quas medias Tagus anis penetrat, circumdata vnum habet & perangustum aditum ad Septentrionem, arduum ascensu & duplici muro munitum. Septenis castris abs Rege vrbs circumdata est. ingrediendi egrediendi- que facultas sublata ciuibus. Cum maxima copiarum parte Rex in planicie, quæ ad radices montis pertinet, in quo ciuitas est posita, locauit castra. Obstinatis vtraque pars animis erat. pro vrbs mœnibus leuibus prælijs dimicatum vario euentu, successu haud memorabili. Hispano par in pedestri pugna Maurus non erat, velocitate æquali, virium robore præstanti: equestri prælio aliquanto melior erat, more gentis sequi solitus, deinde cedere. Turres à nostris, plutei, vineæ, aliaque subruendo muro idonea machinamenta, magna diligentia comparata admirationi magis erant hostibus talium rerum inexpertis, quam vsui: muro enim quamuis parte prostrata difficilis aditus in urbem erat, propter prærupta loca & propugnantium virtutem. Inter hæc vario euentu obsidio ducebatur: Vno tempore vtrosque belli tædium cepit: & quacunque ratione ab armis discedere cogitabant. Nostros inopia rerum: quoniam ex longinquis locis comœatus hominibus, iumentis pabulum petendum erat, & ex diuturno labore vulgati per castra morbi, & anni tempus in æstatem vergentis mouebat. Quo tempore Cypriano Episcopo Legionensi dormienti visus est venire Diuus Isidorus, qui diceret, non placere obsidionem solui: intra quindecimum diem, urbem Christianorum futuram. eas sedes diuinum numen sibi in perpetuum delegisse. Somnio Episcopi inter milites vulgato (nam continuò ille Regi renunciandum curauit) cum spe potiendæ vrbs animis ardor est additus. Obsessos maior premebat inopia. iumenta equosque, profana fœdaque in cibum necessitas verterat. bellum trahi non posse intelligebant, fortunas in extremo sitas. Hostem obstinato animo vincendi, spem auxiliij nullam.

cateruatim

cateruatim Regem adeunt: atque inconditis clamoribus, de pace agi petunt. fatis pœnarum diuturna obsidione datum. neque corporibus labores, neque animo mœrorem pati diutius posse. Ad hæc Rex barbarus. Nominem, inquit, pax dulcis est, re ipsa salutaris. prouidendum tamen, ne pacis specie seruitutem amplectamur. Pax est tranquilla libertas: seruitus, extremum malorum & maximum, non modò armis, sed morte ipsa procurandum. Animi est ista mollicies non virtus, paulisper inopiam ferre non posse. Qui se vltro morti & seruituti offerant plures inueniantur, quam qui famem & rerum necessariarum penuriam magno animo ferant. Si parumper sustentatis, vltro hostes discessuros, vobis polliceor. milites quotidie ex castris dilabi: neque minori angustia premi exploratum habeo. Aderunt præterea gentis auxilia: quæ de nostro periculo sollicita haudquaquam conquiescit. Regis oratione quoniam simulata videbatur, neque cum verbis vultus consentiebat, haudquaquam ciues conqueuere: videbanturque agmine factò continuò portas hosti patefacturi. Ergo de deditioe agi cœptum est. Misi de ea re in castra legati dato senatu, factaque dicendi potestate, conqueruntur primum, iniusto se bello ab Alfonso petitos. Beneficia quæ in ea vrbe acceperat in memoriam reuocant. Intelligere se haud multo minorem in castris inopiam, quam in vrbe esse: pacis tamen studio facturos fœdus, modò honestis conditionibus. Ac ne vectigal quidem, si modicum imponatur, pendere recusaturos. Ad hæc Rex negat pacis vllam conditionem nisi vrbe dedita fore. legatis vltro citroque comœantibus dies aliquot consumpti sunt. inopiæ malum crescebat in vrbe. nostris augebatur animus, quoniam priores de pace essent appellati. Conuenit tandem, vt vrbs dederetur his conditionibus. Arx vrbs portæ, pontes, regium viridarium, quod vrbi coniunctum est, Alfonso Regi cedunt. Rex Maurus in urbem Valentiam, aut quocunque gentium placebit abire permittitur. Eadem Mauris quicunque sequi eum velint: suaque vnicuique asportandi facultas esto. Qui in vrbe permanere malint, ij domos & possessiones retinento: & ex ritu gentis, rei diuinæ procurandæ causâ, templum totius vrbs nobilissimum & maximum. Maiora vectigalia, quam Mauris Regibus pendere consueuerant, imperandi fas non esto. Qui iura dicant, iuxta ipsorum leges, ex sua gente iudices dantor. Hoc fœdus ab vtrisque iurisiurandi religione, & datis vtrinque obsidibus est confirmatum. Rex tantæ vrbs accessione lætus, triumphantis in morem in arcem inuectus est, inter faustas vtriusque gentis acclamationes, octauo Kalendas Iunij, qui dies Vrbanus Pontificis & Martyris memoria facer est, salutis anno millesimo octogesimo quinto. alij ex hoc anno numero biennium detrahunt, veterum schedarum fidem secuti: ex quibus Alfonso eo ipso tempore se Toleti Regem in publicis tabulis nominasse fatis constat. Omnino annis trecentis sexaginta nouem in Maurorum ditione fuerat: quo tempore ex antiqua vrbs elegantia & nitore plurimum erat detractum. Vici enormes erant, non tam

Ec 3 locorum

locorum natura, quàm quòd barbari incuria ædificandi & inciticia maxima essent. Arx regia ex formaceis parietibus extructa, quibus nunc locis Petri Cardinalis impensa nosocomium est constructum. Templum maximum in vrbe media, loco aliquantulum decliui, rude & male materiatum, quod ea tempestate Mahumetanæ superstitioni seruebat, & paulò post ex ritu Christiano extructum est. Urbis captæ fama toto orbe breui peruagata, omnium piorum animos lætitiâ compleuit, tanta vrbe detracta, quæ instar propugnaculi barbaris erat: multum virium decessisse reputantium, pijsque reliqua prona fore sperantium. Toletum capta, Regeque Mauro optima fide Valentiam cum militari præsidio, vbi regnum deinde tenuit, amandato variz militum manus in omnes partes diductæ, vicinum vrbi tractum facile in potestatem redegerunt. Urbis casu percussi erant Mauri. Multa oppida, & municipia sub ditionem adiuncta, Maqueda, Ascalona, Illescæ, Talauera, Caraca, Mora; Consaburo, Madritum, Valeránica, Butracum, Fita, Medina Celina, Caurium: pleraque vetustate antiquissima, locorum propinquitate opportuna, splendore ædificiorum, & agri nobilitate honestissima. Interea Rex veritus, ne ciuitas tantis laboribus capta ciuium prodicione, quos ex gente Maurica magno numero remansisse dictum est, amitteretur: in ea domicilium constituit, diuque moram traxit, non prius discedere certus, quàm frequentia Christianorum ciuium, & nouis operibus ad omnes casus munita esset. Magnis præmijs ex tota ditione inuitati multi mortales in ea vrbe fortunarum, & vitæ domicilium delegere. In hoc numero Petrus quidam fuisse traditur, natione Græcus, ex Palæologorum nobilissima familia, quæ Orientis quidem prouincijs quondam Imperatores dedit. Is cum in obsidione Toletana suam Regi operam & industriam probasset, ædes in ea vrbe & amplas possessiones, vnde vitam sustentaret, accepit. Ab hoc genti origo, cui à Toletum nomen est, cum primis nobilissimæ, opibus atque clientelis præpotenti. Nam Petri filius Elianus Peresius fuit, nepos Petrus Elianus: pronepos Stephanus Elianus: cuius effigies equaltris retro aram maximam templi Toletani in summa fornacis abside monstratur. Stephani rursus filius Ioannes fuit, nepos Gonsaluus, cuius in D. Romani æde sepulcrum extat. Vicum Toleti regium, ex eo hoc nomen accepisse memorant: quod nouis incolis, concedentibus Mauris, Regis voluntate fuerit ad habitandum designatus. Nouæ præterea arcis, quo loco nunc cernitur, totius vrbe editissimo & munitissimo fundamenta abs Rege iacta sunt. Quæ omnia eò spectabant, ne Maurorum ciuium multitudo se aduersus Christianos commouere posset. Omnino ex hoc tempore Alfonso Rex Imperatoris sibi (iure an iniuria non disputo) sed nomen tamen desumpsit imperij. Felix rerum successus animos faciebat: & tot accessione regnorum beatus sibi esse videbatur. Tametsi vrbe captæ lætitiâ Vrracæ sororis obitus, quæ eodem tempore defuncta est, non parum imminuit: quam in matris loco semper habuerat,

rat, & à Ferdinando patre, Vrracæ res Alfonso enixè erant commendatæ. Supererat Eluira soror altera: quam Gabræ Comiti, quem inclementi dicto violarat, ne vindictæ studio suis & familiæ opibus motus in prouincia concitaret tempore minimè idoneo, vxorem dedisse, auctor historiæ affirmat, quæ Alfonso Regis cognomento Sapientis nomine circumfertur.

*Bernardus creatur Archiepiscopus Toletanus. Cap. XVII.*

10 **N**ihil tum quidem Regi longius erat, quam vrbe nobilissimam Hispaniæ columnen, sanctissimæ olim religionis arcem, & Gotthici sedem imperij, prisco splendore reddere, atque ornamentis omnibus amplificare. Deligendi noui Præfulis, quod in tanta rerum perturbatione, tantisque tenebris aliquot ætatibus intermissum erat, spes tentata haud pertinaciter initio: quoniam Mauri ciues nondum planè domiti, repugnabant. Biennij mora cum maior Christianorum frequentia in vrbe esset, & veterum ciuium quantum cuique credendam esset, quibus se committeret, & à quibus cauere deberet, Regi exploratum esset: rei perficiendæ causâ quò maior esset auctoritas, Mauris tumultuandi opportunitas minor, ex vniuersa ditione conuentum habere constituit. Episcopi & proceres euocati ad quintumdecimum Kalend. Ianuarias assuerunt frequentes. In eo conuentu primum diuinæ benignitati gratiæ actæ, quòd cælesti potissimum opere tanta vrbs ad ius Christiani imperij reducta esset. pro se quisque, vt in quoque auctoritatis & eloquentiæ plurimum erat, beneficij magnitudinem verbis amplificabant. Deinde de creando Toletano Præsule deliberatio suscepta. Omnium communi suffragio delectus Bernardus, S. Facundi Abbas, qui sacris in ea vrbe præesset. suauissimi & optimi mores, præstantissimum ingenium, opinio doctrinæ, spectata magnis & multis in rebus integritas animi, prorsus vt illustre exemplum veteris sanctitatis referret, gentis voluntates homini externo & in Gallia nato conciliarunt. Garumna flumen Aagenum vrbe præterfluit in Aquitania. in eius vrbe territorio oppido cui à Salute nomen est, ex honesto genere natus erat Bernardus. pater Guillelmus, mater Neimiro. iuuenis militiam exercuit, ætate adulta in S. Aurantij Auscio siue Auxitano cœnobio in Sacerdotis cucullati morem detonsus est, excellenti colendæ pietatis studio incensus. Inde ad Hugonem Abbatem Cluniacensem eius accitu migravit. ab eo ad Alfonso Regem in Hispaniam ablegatus est. S. Facundi cœnobium quod reliquis tota ditione monachorum collegijs Rex præficere cogitabat, seueriori disciplina attingere, & nouis institutis temperare cupiebat. In eam rem idoneum virum ex Gallia mitti abs Hugone postulauit. missus Bernardus eius tunc monasterij curam suscepit, & nunc ad amplissimum dignitatis & honoris gradum ascendit. atque quò maior nouo Præsuli esset auctoritas, Alfonso Rex intelligens, tantum

homines honoris vulgò deferre solitos, quantum quisque virum, & copia-  
rum habeat, vanum sine viribus esse nomen dignitatis & magistratus: ar-  
ces, oppida, municipia, (qui eius concilij postremus actus fuit) magno nu-  
mero Toletanæ ecclesiæ donauit: Briocam, (quod oppidum exilij tempo-  
re Almenonis dono tenuerat) Rodillas, Canales, Cabanias, Couexam, Bar-  
cilesium, Alcoleam, Melgarium, Almonecirum, Alpogrebam. sic Rode-  
ricus Præful scribit: Alfonsi Regis Sapientis historia Complutum addit &  
Talaueram falso, vt prudentiores existimant. horum oppidorum quædam  
nota sunt, aliorum ne nomina quidem extant. Vetustas omnia obliuione  
obruit. nobis ex coniecturis diuinandi, neque otium neque voluntas erat. 10  
Omnino in vrbe, hortos, molas trusatiles, ædes priuatæ magno numero, at-  
que tabernæ, vnde annum vectigal constaret, donata: ex redditibus at-  
que prouentu sacerdotes Toletani templi vitam sustentarent. ij regij ex eo  
tempore beneficij memores, statis diebus ex ritu Christiano Alfonsi Regis  
manibus parentare soliti sunt. His rebus constitutis, conuentus solutus est.  
Composito ciuitatis statu, Regem aliæ reipublicæ curæ Legionem vocarunt.  
Regina Constantia, & Bernardus Præful Toleti relictæ. additum militare  
præsidium. Erant præterea noui incolæ pro multitudine Maurorum ad-  
modum pauci, pro conditione temporis satis multi. His omnibus præsi-  
dijs vrbem ad omnes casus paratam, instructamque Rex non ineptè cogita- 20  
bat fore. prudenter excogitata, noui Præfulis temeritas dicam, an impruden-  
tia? an vtrunque? certe nimia festinatio planè conturbauit. Erat Episcopi  
sedes pro tempore in D. Mariæ collocata, æde Carmelitis nunc monachis  
attributa: vt ferè consentiens opinio est eorum, quibus ista præscrutari cu-  
ræ est. Mauri templum in vrbe maximum obtinebant, atque in eo rebus di-  
uinis ex superstitione eius gentis vacabant. Ignominiosum id nomini  
Christiano, scædumque visum est, in vrbe capta religionis hoïtes augustio-  
ri templo vti. quod occasionis tarditas attulisset, Bernardi festinatione præ-  
cipitatum. Ergo cõsilio cum Regina communicato, cum militum manu per  
noctem Maurorum templum occupare cõstituit. A fabris, qui comitabantur 30  
conuulsæ ianux. publicæ operæ Mahumetanæ superstitionis sordibus loco  
repurgato, altaria ex ritu Christiano erigunt. In summa templi turre æs cam-  
panum constitutum, quo ad rem diuinam procurandam proxima luce Chri-  
stiani sunt conuocati. Repentina re commoti barbarorum animi, atq; ex suæ  
religionis cõtumelia in furorem acti, vix retineri potuerunt, quin ad arma  
concurrerent, & Marte arbitro iniurias vindicarent. Calamitosus is dies no-  
mini Christiano parabatur: ni paratum nostris exitium, qui numero & viri-  
bus vincebantur, diuinum numen discussisset. Vna Mauros spes sustentabat,  
quod Rege incio tantum facinus perpetratum esse erat persuasum. alij spe  
vindicte, alij viuendi cupiditate retenti sunt. Rex iniquissimè tulit fidem 40  
publicam, iurisiurandi religionem, regij nominis maiestatem, importuna  
Bernardi festinatione violatam, scædatamque. Considerabat præterea quan-  
to in periculo res essent Mauris furentibus. & ne vrbi aliquid secus accide-  
ret, verebatur. varios esse & commutabiles rerum humanarum casus dis-

puta-

putabat. Itaque citatò Toletum se prorripit tanta festinatione, vt ex S.  
Facundi cœnobio, vbi rei gestæ nuncium accepit, intra tertium diem To-  
letum peruenerit iracundia exæstuans, furorem & minas in Reginam &  
Bernardum spirans. Nullæ preces ad aures admittebantur, nulla ope huma-  
na placabatur atrox ira. stabat sententia vindicandæ audaciæ in ligni ali-  
quo supplicio. proceres Toletani, plebs, atque sacratu ordo obuiam pro-  
gressi in atrata veste squalidi, perfusiq; lacrymis cum infulis ac velamentis,  
veniam miserabili gemitu postulant. nihil obstinatus Regis animus moue-  
tur. Graue malum rei Christianæ parabatur, nisi Mauri proceres Regis ani-  
mum ad misericordiam flexissent. Etenim animorum impetu confidente, 10  
& dolore, quem ex iniuria conceperant mitigato, si Rex grauius aliquid in  
Reginam & Bernardum decreuisset, fore prouidebant, vt eius facti inuidia  
penes ipsorum gentem maneret, & præsentem lætitiã perpetuo Chri-  
stianorum odio luerent: quod ipsorum rationibus exitiale fore prudenter  
iudicabant. Magno ergo numero ad pagum Maganum obuiam Regi proce-  
dunt. Stabant ancipiti animorum motu mœsti, fixis in terram oculis. hinc  
iniuriæ dolor vrebatur, inde exitij metus sollicitabat. ad Regis aduenientis  
conspectum in genua procumbentes, ac lacrymis, quæ toto ore manabant,  
scædatos ac dicere conantes, Rex occupauit: cum diceret, eo factò non ipso-  
rum patientiam læsam, sed ipsiusmet maiestatem violatam esse. suam eam 20  
iniuriam fuisse, se vindice vltionem expectarent. Exemplum seueritatis cru-  
dele editurum, quo Maurorum genti testatum fieret sua voluntate haud  
quaquam iurisiurandi religionem spretam fuisse: & posteri intelligerent re-  
giam fidem constantem fore, neque importuna cuiusquam audacia fore te-  
merandam. Ad hæc illi magnis clamoribus veniam postulare, se quidem  
erratum quod necessitas attulisset, & vis quædam penè fatalis libentissimis  
animis condonare. Rex, Maurorum postulato percussus substitit. tum è Mau-  
rorum numero quidam præcipua auctoritate in hunc modum locutus fer-  
tur. Quantum dolorem ceperimus, inuicte Rex, cum templum ex scædere 30  
nostrum, sanctitatis opinione præcipuum, iniuria ereptum est, ex se quiuis  
, æstimare potest: oratione explicare superuacaneum fore sum arbitratus. Ne-  
, que tantopere loci religione mouebamur, quàm quod ab eo initio immi-  
, nuendæ nostræ libertatis, tuæ fidei violandæ haud obscura fundamenta ia-  
, sta esse videbamus. Quod in communem ædem factum est, quin in singu-  
, lorum domos irrumpant, atque in fortunas nostras inuadant, quæ fides?  
, quæ religio frænabit? cum nostra gente violanda diuinum numen prome-  
, reri vestri homines persuasum habeant. Quod ne contingat tibi prouiden-  
, dum est, atque maioribus præsijs nostræ gentis incolumitati consulen-  
, dum. Alioqui Reginæ, & Archiepiscopo iniuriam libenter condonamus.  
40 Ipse nobis auctoribus & hortatoribus idem facies: ne quorum iniuriam  
, vindicare pergis, ipsis exitium afferas. neque enim religionis vestræ Anti-  
, tistem, Reginam nobilissimam, posteri & cognati, te defuncto inultos ceci-  
, disse patientur. Itaque per eam dexteram, qua nobis fidem dedisti, oramus  
, atque obsecramus, vt iracundiam ex nostra ignominia conceptam deponas.

E c s

maius



„ maius nobis beneficium dare nullum potes, nisi impetramus in urbem haud  
 „ quaquam redire, sed nouas & longinquas ad habitandum sedes quærere cer-  
 „ tum est. Tu vide ne dolori indulgendo, maius nobis malum parias, tibi lu-  
 „ ctum sempiternum concilies, nomini Christiano dedecus atque ignomi-  
 „ niam singularem. Hæc dicente Mauro, reliqui nixi genibus, lacrymis toto  
 ore manantibus, manus tendere, idem precari. Regis animus varijs moti-  
 bus, atque contrarijs agebatur, quod ex vultu dignoscere promptum erat,  
 nunc læto, modò pallido. demum cum animi impetum ad rationem reuo-  
 casset, & Dei nutu consilia hominum moderantis, rem omnem euenisse co-  
 gitaret, Maurorum precibus flexus, pro ea volûtate gratias agit: eius diei me- 10  
 morem perpetuò se fore profitetur. Urbem adit, Reginâ veniæ spe hilarem  
 lætus aspicit. cum Bernardo gratia reconciliata. dies ex atro in candidum  
 repêre versus erat. Omnia vrbis loca festa lætitia & faustis acclamationibus  
 personabant. Annuis sacris eius diei memoriam celebrari mādatum Ianua-  
 rij mensis die vigesima quarta, cui à Pace nomen est. Tametsi non id solum  
 agitur eo die, sed etiam vestis de cælo Illesonso allatæ memoria renouatur.

*Gotthica precandi ratio abrogatur. Cap. XVIII.*



**RICHARDUM** Massiliensem Abbatem à Gregorio septi- 20  
 mo Pontifice Maximo Legatum in Hispaniam concilium Bur-  
 gis Episcoporum agitasse, atq; in eo Romanæ ecclesiæ leges, ri-  
 tus & sacrorum cæremonias sancita fuisse paulò superiùs indi-  
 catum est. Multa is insolenter facere videbatur, & concessa ad salutem pote-  
 state maxima & amplissima ad quæstum & tyrannidem abuti. respublica  
 sursum deorsum agebatur. Romani Pontificis nomen & maiestas importu-  
 nis Legati actionibus sugillabatur. Bernardum pro ea persona quam gere-  
 bat, eius rei cura sollicitabat: Legati tamen conatus validiores erant, aucto-  
 ritas maior quàm vt obsisti posset. Erat præterea ea tempestate moribus  
 Hispaniæ fixum, ex concilij postremi Constantinopolitani (sic arbitror) 30  
 præscripta lege: vt Metropolitanis priusquàm inaugurarentur, electionem  
 legibus iubentibus esse factam, neque vitio creatos esse, Romano Pontifici  
 probarent. priusquàm id factum esset, sacrari aut aliquam reipublicæ par-  
 tem attingere nefas erat. pontificij assensus indicio lanceum pallium, quod  
 sacris peragendis insigne gestare soliti sunt, vt impetrarent, in more po-  
 situm erat. Id institutum ab hoc initio susceptum, tempore procedente ad  
 alios Episcopos, causas explicare non attinet, sed ad inferiores certè Præsu-  
 les deriuatum est. Hoc effecit, vt nullius Episcopi rata electio sit, nisi Pon-  
 tificis auctoritate firmata fuerit. Vtriusque rei componendæ causa Bernar-  
 dus Romam contendere parat. Longinqua profectio erat, periculi labo- 40  
 risque plena. Itaque priusquàm itineri se daret, Rege consentiente, templum  
 quod Mauris ereptum erat, ex ritu Christiano est sacratum. Episcopi ea de  
 causa ad cōuentum iusto numero euocati. Sacra cæremonia peracta est die

1086 Crispini & Crispiniani, octauo Kalen. Nouembris, salutis anno millesimo octogesimo

octogesimo sexto. Sanctæ Mariæ, Apostolorum Petri & Pauli, Stephani, atq;  
 S. Crucis nominibus templum dedicatum. In ara maxima multæ & magnæ  
 sanctorum reliquiæ collocatæ. Rodericus Præsul id factum affirmat post-  
 quàm Bernardus Roma redijt: nobis aliorum auctoritas potior fuit cum ra-  
 tione temporum magis consentiens. Omnino Gregorio Pontifice atque, qui  
 illi successit, Victore eo nomine tertio defunctis, Romam peruenit: quo tem-  
 pore Urbanus secundus Romanam ecclesiam gubernandam susceperat, quar-  
 to Idus Martij, anno millesimo octogesimo octauo. Ab eo, pro quibus vene- 1088  
 rat, integra omnia impetrata, Legatum Richardum reuocari, pallij vsus:  
 20 præterea vt totius Hispaniæ & Galliæ Gotthicæ Primas ipse esset. pro qua  
 potestate cum in Hispaniam rediret, Tolosæ vicinorum Episcoporum con-  
 uentum habuit, facileq; homines minimè malos ingenij dexteritate & Gal-  
 licæ linguæ commercio, qua ab infantia vsus erat, vt imperium agnoscerent  
 adegit. ijdem Toletum cum inuitati essent, concilij celebrandi causa,  
 sese venturos professi sunt. Cum primùm Toletum applicuit, priusquàm  
 Legatus se potestate abdicasset, communi consensu de Gotthica precum ra-  
 tione antiquanda actum: qua Hispani vulgò utebantur ab antiquissimis  
 temporibus, præterea ex Isidori, Illesonsi & Iuliani, quos in cælitum nume-  
 ro habent coluntque, auctoritate. Tentatum id quidem aliquoties erat, neq;  
 20 tamen successerat: quòd vulgo homines, sed & primores gentis antiquis sta-  
 ri mallent: nihilq; tenaciùs inhæret, quàm quod religionis specie defendi-  
 tur. Hoc tempore tanta à Primæte & Legato contentio adhibita est, vt cum  
 Regina eorum conatibus enixè faueret, tandem peruicerint. Singularem cer-  
 tamine homines militares, & in armis nutriti rem tantam diiudicari volue-  
 runt. Die dicta, duo milites ab vtraque parte delecti in arenam descende-  
 runt. vicit qui antiquum Hispanorum morem & vetustissimam precandi  
 rationem retinendam esse tutabatur, Ioannes Ruizius ex familia Matancia,  
 quæ ad Pisoricam fluuium habitabat, & cuius posterii ad nostram ætatem  
 eius certaminis memoria illustres manent. Verùm aduersæ partis studia cum  
 30 nihil eo casu remitterent, neque victa vincerentur, visum est controuersiam  
 ignis iudicio permittere: sic eius seculi mores erant rudes & agrestes, neque  
 satis expensi ad Christianæ pietatis regulam. rogo in platea accenso liber  
 vterq; Romanus & Gotthicus in ignem proiecti. & Romanus quidem con-  
 tinuò ex igne prosiliit. id populus victoriam interpretabatur: nam liber al-  
 ter sub igne & flammis diu permanens, illæsus inuentus est. Rege arbitro,  
 populo nihilominus persuasum, vtranque precandi rationem superis place-  
 re: quando vterque liber ex incendio euasisset incolumis. Quodam tempe-  
 ramento eam controuersiam componendam videri. in antiquis vrbis tem-  
 plis, quæ Mozarabum vulgò dicebantur, vetus precandi ratio retineretur.  
 40 quod hoc etiam tempore, ltatis anni diebus, ijs in templis factitari videmus.  
 præterea in templo maximo sacellum extat, vbi ex Gotthica precandi ratio-  
 ne, Francisci Ximenij Cardinalis impensis: ne tantæ rei memoriam vetu-  
 stas obrueret, sacerdotes constituti sacris dant operam. In reliquis templis,  
 quæ denuò Toleti sacrata erant, constitutum vt ex Romano ritu rem diui-  
 nam

nam procurarent, & diuinas laudes stans diei temporibus decantarent. Ex eo factum in proverbium vulgare abiit inter Hispanos: Leges pro Regum arbitrio versari. Ea controuersia composita, Toledo splendor antiquus, & ciuium Christianorum frequentia reddita est. Nam Mauri ex ea vrbe passim alij alia de causa dilabebantur. in eorum locum noui substituebantur incolæ: quibus tributorum immunitas, multæ præterea prerogatiuæ concessæ sunt, vti huius temporis schedæ & publicæ litteræ indicio sunt, quæ in tabularijs Toletanis seruantur. Neque eatenus Bernardi conatus substituerunt: sed Regem secutus in vltiorem Castellam, Legionem vrbe primaria nouum  
 1091 Episcoporum concilium habet, anno eius seculi nonagesimo primo, vt Lucas Tudësis est auctor. Affuit Raynerius ex Cluniacensi monacho Presbyter Cardinalis, ab Urbano Pontifice in Richardi Abbatis Massiliensis locum ad Regem Legatus. Vtroque annitente, tum alia decreta promulgata disciplinæ ecclesiasticæ in mores reuocandæ causa, quæ iniuria temporum nimium laxata erat: tum illud constitutum: Gotthicis litterarum characteribus, quas Vlfilas Gotthorum Episcopus, priusquam venirent in Hispaniam excogitarat & inuenerat primus, ne amplius vsus esset, in publicis tabulis, sed pro ijs Gallicos characteres substitui. Etenim ab antiquissimis temporibus Gotthi, Longobardi, Vandali, Sclauj, Francique proprios singulæ nationes characteres litterarum forma à Latinis discrepantes, quibus utebantur, inuenerunt. Franci & Sclauj veterem vsum retinent: cæteræ nationes progressu temporis abdicarunt. commercio id cæterarum nationum, quæ Latino plurimum caractere utebantur, datum est.

*Origo Primatus Toletani. Cap. XIX.*



LOCVS admonet, vt de principijs Toletani Primatus, quem in reliquas Hispaniæ ecclesias sibi eius vrbis Præsules tribuunt, & qua ratione auctoritas ducta ab humili venit ad summum, altius differamus. Rerum omnium obscura principia sunt. antiquitatem, quod propius abest à diuina progenie, mortales affectant. ambiguis originibus liberum fuit alijs alias coningere: & auctoritatem gentis aut imperij à primis temporibus repetere. Itaque plerique ecclesiæ Toletanæ Primatum ad ipsa Apostolorum tempora referri disputant, Eugeniumque Martyrem, qui in Hispaniam aduenit Euangelij euulgandi causa, in Toletanis Præsulibus primum ponunt. Toletanos ciues sacra Christiana suscepisse in Hispania, Episcopumque habuisse primos omnium contendunt. Verum quæ tanta confidentia animorum dicuntur, vetustis litterarum monumentis destituta sunt: ac ne scriptor quidem vllus ante hanc ætatem Eugenium in Hispaniam venisse memoriæ prodidit: ne Gregorius quidem Turonensis, qui de rebus Galliarum scripsit: vnde Eugenium venisse, & vbi interemptum pro fide esse vulgus sed & doctrinæ studijs expoliti homines persuasum habent. quæ eò pertinent, non vt fixæ vetustate opiniones importuna disputatione moueantur: sed ne pro certis ambigua suscipiantur. quid enim

enim ij faciant, si pari argumento Compostellani, auctoritatem Primatus, tanquam manu assertam in suam vrbe traducant: in quam Iacobus Apostolus Euangelij lucem primum tulit: & sacrum eius corpus nauj appulsum ad vicina littora in ea vrbe esse sepultum, antiquiore multo litterarum fide traditur. Nobis nihil esset antiquius quam eius vrbis, vbi hæc cudebamus commentaria in vmbilico Hispaniæ de rebus Hispaniæ, & prope quam nati & instituti sumus, dignitatem illustrare: verum historiæ leges exigunt ne incertos populi rumores & ambiguas rerum origines colligamus: atque per imprudentiam ad eundem (quod in alijs accusamus) lapidem offendamus.  
 10 & indicio est eam prerogatiuam auctoritatis, de qua suscepta est disputatio, antiquam admodum non esse: quod videam in conuentibus Episcoporum, qui in Hispania habiti sunt, rerum potentibus primum Romanis, deinde Gotthis Toletanum Præsulem haudquaquam primum confidendo subscribendoque locum occupasse. Honoratus Toletanus Præsul in Eliberrino concilio, quod antiquissimis temporibus habitum est, post octo Episcopos nonus ponitur. In ipsis Toletanis concilijs, vbi maxime oportuit auctoritatem ecclesiæ Toletanæ vindicare, & Regum ac populi fauor aderat, non parum sæpe in numero Metropolitanorum inter postremos collocatur. Ergo vt originem ab antiquissimis temporibus, & auctoritatem Primatus repetamus, sic statuo. Quinque Archiepiscopos in Hispania extitisse olim, qui aliquando Metropolitanj, aliquando Primatej dicti sunt, diuerso nomine sententia non alia: Tarraconensem, Bracarensem, Emeritensem, Hispalensem, Toletanum: & præter hos Narbonensem in Gallia Gotthica, quæ Gotthorum tempore Hispaniæ contributa erat. A Equo hi iure parique potestate subnixi erant, nullius maiori imperio deuincti. (Romanum Pontificem excipio.) In concilijs eum locum obtinebant, quem ordinationis antiquitas dabat. Horum Præsulum multitudinem aut vetus Hispaniæ diuisio effecit, in quinque partes tributæ, Baticam, Lusitaniam, Tarraconensem, Carthaginensem, Calæciam: totidemque iuridicundo conuentus supremi, rerum potentibus Romanis: aut gentes barbaræ pepererunt, (sic mea sententia est) cum primum in Hispaniam irrumpentes, ea prouincia in plures partes distracta, multa condiderunt imperia. Narbonensis Metropolitanus in Gallia erat: Tarraconensis in ea Hispaniæ parte, quæ in ea rerum perturbatione diutissime Romanum imperium agnouit: Hispalim Vandalli obtinuerunt: Lusitaniam & Calæciam, vbi Emerita & Bracara sunt, Alani atque Sueui. Toletum in ditione Gotthorum erat, quæ gens cæteras nationes barbaras multitudine & imperio vincebat: vnde Toletanæ vrbis auctoritas cæteris maior esse cœpit, ac præsertim cum verso reipublicæ statu Hispaniam vniuersam Gotthi in potestatem redegere, iure & legibus commutatis, Toletique imperij sedem constituerunt: sensim mutatis rebus Toletanorum Episcoporum auctoritas crescere cœpit. Futuræ amplitudinis haud obscura fundamenta posita sunt in concilio Toletano septimo, cuius canon postremus est: Vt vicini vrbis Episcopi admoniti à Metropolitanò, singulis per annum mensibus Toletum veniant, messis duntaxat & vindemiarum

demiarum ferijs exceptis. Regis id reuerentiæ, vrbis regiæ honori, Metro-  
 politani solatio datum. Ab his initijs Toletanorum Præfulum creuit aucto-  
 ritas, prorsus vt Eruigio Rege concilij Toletani duodecimi Patres canone  
 sexto decreuerint Episcoporum Hispaniæ electiones, quas Rex facere con-  
 suerant, Toletani Præfulis iudicio, assensuque ratas fore. Quo ex tempore  
 primas Episcopi alij deferre Toletano: in subsequentibus Episcoporum con-  
 uentibus, Toletani Præfulis prima semper auctoritas esse: primumq; seden-  
 do subscribendoque locum occupare. Atque his se finibus Toletani Episco-  
 pi auctoritas continuit. Cætera Primatum iura, qui ijdem Patriarchæ sunt  
 solo nomine discrepantes, vt leges ecclesiasticæ docent, haudquaquam obti-  
 nuit. nulla dignitatis insignia præcipua. potestas præterea nulla maior in  
 subditos. Postquam rebus commutatis insignem illam plagam accepit His-  
 pania, Maurique rebus præfuerunt, Primatis dignitas & maiestas conticuit:  
 & progrediente tempore tanta rerum extitit perturbatio, vt ne Episcopi  
 quidem ritè sacratu Toleti essent, quod multis annis tenuit. Demum ea vr-  
 be ad Christianorum ditionem restituta Toletanus Præful, non modò Me-  
 tropolitani honore auctus est, sed etiam Primatis dignitatem impetrauit  
 agente Bernardo nouo eius vrbis Pontifice, Urbano secundo Romano Pon-  
 tifice concedente: non absque aliorum Episcoporum obtrectatione, qui vno  
 prælato iniuriam factam esse cæteris querebantur. Urbani de hac re litteræ  
 alio sunt loco explicandæ. primus Berengarius, quem Bernardus ipse Aufa  
 Tarraconem transtulit, de Primatu litem intendit, in qua victus est: nam  
 Urbanus secundus datam semel Toletano Præfuli auctoritatem ratam fore  
 iudicauit. Urbani iudicium Paschalis & Gelasius eius in pontificatu succes-  
 sores nouis diplomatibus comprobarunt. Calixtus eo nomine secundus au-  
 thoritatem imminuisse visus est: cum Iacobo Compostellano Episcopo  
 Emeritensis Metropolitanus iura ea vrbe (quoniam in Maurorum ditione  
 erat) translata concessit. auxit præterea Legati pontificij maiestate in pro-  
 uincias Emeritensem & Bracarensem, exemitque nominatim à Bernardi  
 Toletani Præfulis imperio. Honori id fratris Raymundi datum est, qui  
 Compostellæ erat tumulatus: & in Iacobum Apostolum studio incitato.  
 Verum Raymundo Bernardi successore Honorius, Innocentius, Celesti-  
 nus, Lucius, Eugenius eo nomine tertius Toletanum Præfulem Hispaniæ  
 Primatem fore sanxerunt. Raymundo Ioannes successit. quo Pontifice, tum  
 ab Hadriano quarto Romano Pontifice Primatus Toletanus sancitus nouo  
 diplomate est, Compostellano abrogato: tum Ioannes Bracarenis Episco-  
 pus, qui Toletano de Primatu litem intenderat, atque obtemperare recusa-  
 bat, Toletum venit, atque in eius, cuius imperium refugiebat, verba iurare  
 compulsus est. Cerebruno Ioannis successore exemptionis priuilegium ab  
 Anastasio Romano Pontifice, Pelagio Compostellano Præfuli concessum,  
 ab Alexandro eo nomine. III. abrogatum est. Quo tempore Iacinctus  
 Cardinalis in Hispaniam Legatus præter alia quæ sapientissimè tota pro-  
 uincia constituit, secundum tabulas Toletanæ ecclesiæ litem diremit: atque  
 veteris controuersiæ Cerebrunus, vt nouus victor esset effecit, pronunciata  
 sententia.

sententia. Alexandri eo nomine tertij litteras ad Cerebrunum, quæ à maio-  
 ribus erant instituta præclare nouo decreto confirmantis, huic disputationi  
 ,, inferendas esse iudicauimus. ALEXANDER Episcopus seruus seruorum,  
 ,, Dei, venerabili fratri Cerebruno Toletano Archiepiscopo salutem & Apo-  
 ,, stolicam benedictionem. Cum pro negotijs commissæ tibi ecclesiæ immi-  
 ,, nentibus, nuncium suum ad nos tua fraternitas destinasset, in sede Apo-  
 ,, stolica, quæ iusta petentium vota semper consuevit admittere, per eundem  
 ,, nuncium suppliciter postulasti, antecessorum nostrorum felicitis memoriæ,  
 ,, Paschalis, Calixti, Honorij & Eugenij priuilegium tibi & litteras innoua-  
 10 ri: in quibus Hispaniarum Primatus Toletanæ ecclesiæ noscitur indulge-  
 ,, ri. Nos autem quoniam te syncera in Domino caritate diligimus: & perso-  
 ,, nam tuam, quæ inconcussa est columna ecclesiæ & stabile firmamentum, qui-  
 ,, buscunque modis conuenit proposuimus honorare: postulationem tuam du-  
 ,, ximus admittendam, & desiderium tuum effectu suo passi non fuimus de-  
 ,, fraudari. Verum communicato fratrum nostrorum consilio, ad exemplar  
 ,, prædecessoris nostri bonæ memoriæ Hadriani Papæ, Apostolicæ sedis au-  
 ,, thoritate statuimus, vt iuxta præpositæ petitionis iudicium deberet priuile-  
 ,, gium simul cum litteris innouari: & sicut ecclesia tua ex antiquo habuerit  
 ,, in tota Hispaniarum regione Primatum, sic tu & ecclesia Toletana, cui Do-  
 20 mino auctore præesse dignosceris, eundem Primatum debeas super omnibus  
 ,, in perpetuum obtinere. Adijcimus priuilegio, quod Pelagius quondam  
 ,, Archiepiscopus à prædecessore nostro bonæ memoriæ Anastasio Papa vi-  
 ,, delicet, quod iure Primatus non deberet ecclesiæ tuæ esse subiectus, dicitur  
 ,, impetrasse, scilicet priuilegium iam dicti antecessoris nostri, sanctæ recorda-  
 ,, tionis Eugenij Papæ, prædecessori tuo super concessione Primatus, indul-  
 ,, tum illi modis omnibus præiudicare decernimus: præsertim cum illud  
 ,, Anastasij, neque de communi, neque de sanioris partis fratrum consilio fuis-  
 ,, set elicitum. Decernimus itaque vt ipse Compostellanus Archiepiscopus, si-  
 ,, cut reliqui Hispaniarum Pontifices, tibi tanquam Primati suo & successori-  
 30 bus tuis obedientiam de cætero & subiectionem iure Primatus impendant:  
 ,, & dignitas ipsa tibi, tuisq; successoribus semper firma permaneat, & perpe-  
 ,, tuis temporibus illibata. Statuimus ergo vt nulli omnino hominum liceat  
 ,, hanc nostræ concessionis & confirmationis paginam ausu temerario infrin-  
 ,, gere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpse-  
 ,, rit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolo-  
 ,, rum eius se nouerit incursum. Datis Beneuenti per manum Gerardi san-  
 ,, ctæ Romanæ ecclesiæ Notarij. VIII. Kalendas Decembris, Indictione ter-  
 ,, tia, Incarnationis Domini anno. M.C.LXXIII. Pontificatus vero Domini  
 ,, Alexandri Papæ. III. anno. XI. Longum esset singula recensere. omnino  
 40 Gonsaluo Cerebruni successori Urbanus eo nomine tertius auctoritatem  
 Primatus ratam habuit. Gonsaluo Petrus Cardona successit: Petro Marti-  
 nus. quo Episcopo Celestinus eo nomine. III. pro ea cognatione & necessitu-  
 ne, quæ illum inter & Reges nostros erat, dum adhuc esset Cardinalis, vt ma-  
 iores templi Toletani sacerdotes Episcoporum ad instar mitris vterentur,  
 dum

dum res diuina peragitur, impetrauit. auxitque id priuilegium Pontifex renunciat. Exceptit Rodericus Semenus Toletanus Præful, magno animo vir, doctrinæ opinione singulari. res eo tempore miraculi instar. Hic in concilio Lateranensi primo coram Patribus & Innocentio tertio Pontifice Maximo, suæ ecclesiæ causam declamantis in morem luculenter egit: liteque contestata, reliquos Hispaniæ Metropolitanos vicit. Eidem quoniam Bracarenensis iugum excutere cupiebat, Legati partes Honorius. III. concessit. Honorij. III. successor Gregorius. IX. legem abrogauit, quæ Tarracone aduersus Toletani Præfulis iura & merita promulgata erat, ne in ea prouincia Primatis auctoritate fungeretur. Roderico Ioannes, Guterrus, Sanctij duo, vterq; ex regio genere successere ordine. præter hos Ioannes Contre-  
 10 rarius, qui Martini. V. tempore vixit, & deinde concilio Basiliensi interfuit. præterea Contrerij successor Ioannes Ceresuela Aluari Lunæ Magistri equitum vterinus frater. Hi ferme omnes à Põtificibus Romanis diplomata in eandem sententiã abstulerunt: vt veteres tabulæ indicant, quæ in templi Toletani maximi scrinijs cum fide seruantur. Iam Alfonso Carrillio Toletano Præfule aduersus Alfonso Carthagenam Episcopum Burgensem iniquè ferentem crucem Toletano in sua ditione præferri (quod erat potestatis insigne) eam controuersiam Ioannes eo nomine secundus, Castellæ Rex, suam litem fecit, tabulis confectis, quibus Toletum vrbis Imperatoriæ cogno-  
 20 mentum dat: suamque illi præ cæteris ciuitatibus prærogatiuam constare sancit: arbitratus, quòd res erat, Toletani Præfulis auctoritate multum splendoris ipsius regno accedere. Alfonso exemplum, multi alij priores & posteriores eius vrbis Episcopi imitati sunt, crucemque tota Hispania præ se sublimem tulerunt. In his Petrus Gonsaluus Mendoza, & Franciscus Semen Cardinales, argumento Toletanos Præfules Primatum iura & auctoritatem obtinuissè, ex quo tempore à Mauris Toletum recepta est: tamen nunquam defuerunt qui obsisterent auctoritati, detrectarent imperium: ac ne nunc quidem præter nomen vllam eius potestatis partem exercent in  
 30 alias prouincias Hispaniæ: neque componendis litibus, neque fontibus ple-ctendis, neque legibus promulgandis.

*Alfonsi Regis vxores, & progenies. Cap. XX.*



V A S hætenus Alfonso Regis vxores fuisse, Agnetem & Constantiam, atque ex Constantia Vrracam genuissè, superius est dictum. Constantia post Toletum receptam defuncta est: quo tempore Eluira glos eius decessit, atque Legione cum Vrraca sorore & maioribus tumulo connecta est. In Regis torum, Benabeti Mauri Hispalensis Regis filia suscepta est, superstitione prius Mauri-  
 40 ca abiurata, & Zaidæ nomine Mariæ appellatione mutata. quidam Elisabethæ dicunt. Ex hoc coniugio Sanctius est natus, si vita diuturnior contigisset, magnus Princeps futurus, & paternam æquaturus gloriam: sic virtutum indoles in tenera ætate pollicebatur. præclaras dotes Hispaniæ fata inuiderunt.

inuiderunt. quartis deinde, quintis & sextis nuptijs Bertam de Tuscia aduectam, Elisabetham ex Gallia: præterea Beatricem, qua ex gente incertum, sed postremo tamen vxorem duxit. ex Elisabetha duas filias suscepit, Sanctiam Roderici Comitis vxorem, & Eluiram, quæ Rogerio Siciliæ Regi Rogerij Comitis filio post aliquot annos nupsit: vnde Guillelmus Rex & Ansfusus Capuanus Princeps, aui scilicet nomen referens, nati sunt: vt Alexander Celestinus Abbas est auctor, qui Rogerij Regis gesta conscripsit ipsius æqualis. Ex concubina Semena totidem filiarum Alfonso Regi natarum sunt, Eluira atque Therasia. Eluira quidem Raymundo nupsit Tolosano Comiti: vnde Bertrandus & Alfonso Iordanus geniti sunt. Therasia autem Henrico Lotaringio data est vxor: vnde Lusitanis Regibus generis origo & perpetua propago. Nam ex concubina altera, cuius nomen memoriæ non proditur, & cum qua stupri consuetudinem habuit, nullam Alfonso prolem suscepit. Vrracam ex Constantia filiam natu maiorem, Raymundi Comitis vxorem dedit, Comitis Burgundi fratri, atq; Guidonis Archiepiscopi Vienne-  
 20 nensis primum, deinde Romani Pontificis, cui Calixto secundo nomen fuit. Ex Raymundo & Vrraca, Sanctia prior, deinde Alfonso est natus, is qui multorum regnorum adiunctione præpotens in Imperatoris nomen inuasit. Hæc ex grauissimis auctoribus selecta sunt. præstat tamen de Alfonso vxoribus & progenie Pelagium Ouetensem audire, proximæ ætatis auctorem, sinem scribendi ferè facientem his verbis. Hic (de Alfonso Rege loquitur) habuit quinque vxores legitimas: primam Agnetem, secundam Constantiam Reginam, ex qua genuit Vrracam Reginam, coniugem Comitis Raymundi: de qua ipse genuit Sanctiam, & Aldefonsum Regem: tertiam Bertam Tuscia oriundam: quartam Elisabeth, ex qua genuit Sanctiam coniugem Comitis Roderici, & Geloiram, quam duxit Rogerius Dux Siciliæ: quintam Beatricem, quæ mortuo eo repedauit in patriam suam. Habuit etiam duas concubinas, tamen nobilissimas: priorem Semenam Munionis, ex qua genuit Geloiram vxorem Comitis Raymundi Tolosani, patris ex ea  
 30 Aldefonsi Iordanis: & Therasiam vxorem Henrici Comitis, patris ex ea Vrracæ, Geloiræ: & Aldefonsum. posteriorem nomine Ceidam filiam Abenabeth Regis Hispalensis, quæ baptizata Elisabeth fuit vocata. ex hac genuit Sanctium, qui obiit in lite de Ocles. sic Pelagius. Has Alfonso vxores habuit, hos filios & nepotes, bello quàm pace clarior, rebus gestis aliquanto quàm prole felicior, in vtraque fortuna admirandus. Quæ consequenti tempore quasi ex summo repente conuerti, & graues Regi regnoque calamitates attulissè visa est: vt sequens narratio declarabit.

*Libri Noni Finis.*

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER DECIMVS.

*Nova bella in Hispania Syriaque. Caput. I.*



**O**RIENTIS & Occidentis regna vno ferme tempore nouis bellorum procellis quassata sunt. Almorauides Mahumetana gens Alauecinorum familia, qui ad hæc tempora rerum potiti erant in Africa, oppressa, in ora Mauritaniae, quæ ex aduersum Hispaniæ ad fretum Herculeum inter vtrunque mare porrecta est, imperium primum constituerunt. deinde in Hispaniæ parte multo maxima: cum torrentis ad instar se in eam prouinciam infudissent feroces & rapidi. In Hispaniam hæc occasio traijciendi fuit. Hispalensis Regis filiam Alfonso Rex toro iunctam habebat, vti paulò ante dictum est. Rex Maurus Hispaniam quam latè in ea Mauricum patebat imperium spe complexus, si nouis ex Africa viribus & copijs esset adiutus: pro iure cognationis à genero petijt, vt communibus litteris Iuzephum Tephinum Almorauidum Regem viribus & potentia præualidum, & perpetua rerum gestarum felicitate ferocem, euocarent in Hispaniam: vt suo periculo atque labore alienæ ambitioni seruiret. quod contra accidit. Dat Alfonso litteras cum ætatis inclinatione vxorius factus. pestiferum consilium atque capitale, nullique magis exitiale, quam ipsi auctori futurum. Iuzepho non negligenda videbatur occasio in Hispaniam arma vertendi. paruis momentis magnos sæpe casus intercedere. alieno nomine bellum inchoari posse & inuidia, concludi suo ipsius commodo. Veniendi quidem ipsi an voluntas an factus non fuit. Missus Hali Abenaxa magni nominis Dux, virtute factisque clarissimus: cui consilia callida erant, audacia rebus inchoandis, conatus perficiendis, ac secundi demum exitus. sequebatur iustus exercitus. cum his copijs Hispalensi Regi se adiunxit, vti iussus erat. haud diuturna concordia fuit (neq; vnquam satis fida potentia, vbi nimia est). dissidio certè nulla magna de causa inter vtranq; gentem repente exorto ad arma concurritur. Mauri cum Mauris configunt. Africano par Hispanus non erat, diuturno otio & voluptatum debilitatus illecebris. victus Hispalensis Rex Alfonsi focer, atq; in acie trucidatus eo minori suorum dolore, hostisq; inuidia, quòd ex arcano nostræ religioni fauere, nosterq; esse credebatur. Abdalla interfecto. eius ditionem omnem victores suam continuo fecerunt. Anno Arabum

10

Arabum quadringentesimo octogesimo quarto ea clades accepta: sic in historia de Arabibus Rodericus ait, hoc est anno Christi millesimo nonagesimo primo. Mauricæ gentes quæcunque erant in Hispania ad nouam spem erectæ sub eius imperium adiunctæ, quædam vi, pleræque voluntate, rem Mauricam, quæ in præcipiti erat, Hali virtute & præsidio sustineri posse cogitantes. Nulla fides barbaris, præsertim arma tenentibus. Itaque Dux Africanus ditionis amplissimæ viribus fretus, suo quàm alieno nomine imperare genti maluit. Aderant gentis studia: & si qui contra sentiebant, inuidia in occulto erat, palàm allentatio. se Hispaniæ Miramolinum dicit, quod erat inter Mauros regiæ potestatis nomen insignne. Noui præterea imperij fiducia Reges Mauri, qui tota Hispania Alfonso stipendiarij erant, quasi seruitute depulsa, erectique ad libertatis spem, annum vestigal pendere recusant. sic res Hispaniæ erant. Piorum armis in Syria bellum sacrum inchoatum est, rerum gloria & magnitudine, atque consternatione terrarum omnium aduersus bellicosissimos Reges atque Imperatores Orientis nobilissimum. Hierosolyma vrbs antiqua nobilitate celebris, & Christi Dei natalibus, vita, morteque sanctissima barbaræ genti, feræ & immani parebat, grauiore indies seruitute. Petrus ex nobilitate Ambianensi in Gallia natus, cum adolescens militia corpus durasset, & vir effectus, rebus humanis spretis, in eremo vitam egisset, religionis ergò Hierosolymam abiit. Inopia, vilique cultu, & specie corporis indecora, breuique statura inter barbaros tutus, omnia circumlustrans, quàm atrociam & quàm barbaræ crudelitatis exempla nostri homines paterentur, animaduertit. Simon ea tempestate Hierosolymitanus Episcopus erat. cum eo re communicata, acceptisque ad Pontificem Maximum litteris & amplissimis mandatis, in Europam reuertit. Urbanus audito Petro, lectisque litteris maximum animo dolorem cepit. Vrebat ignominia Christiani nominis. Terram Christi Dei vestigijs impressam, vnde origo religioni, vbi domicilium sanctitatis extiterat, cultoribus vastam, orbam sacerdotibus. Barbaros non cum hominibus modò, sed cum sanctitate locorum, bellum gerere odio Christianæ religionis inexpiabili atq; grauisimo, securos agere angebatur scilicet. neque tamen eius ignominie procurandæ consilia explicabat. Id grauisimum videbatur. Græci Imperatores, in quibus opis aliquid esse debuit ob locorum propinquitatem, metumque impendentem à Turcis barbara gente & immani, de suis rebus solliciti parum aliena curabant. Occidentis regna sine metus suspitione res communes negligere: nihilque minus mouere videbatur, quam religionis iniuria. Urbanus Pontifex his quamuis anxius curis, nequaquam se animo denittit. Consilium capit specie arduum, rebus satutare. Proceres & Præsules ex vniuerso Occidenti ad conuentus de religione habendos euocare constituit: vnde velut classico omnium Christianorum animos ad bellum sacrum excitare inflammareque cogitabat, optime causæ sperans numinis patrocinium haudquaquam defuturum. Claromons

Ff 2 in

in Aruernis vrbs præcipua nobilitate concilio designatur. Dum hæc in Italia atque Gallia parantur, missisque à Pontifice legationibus nationes omnes vt vires conferant, re & consilio adiuuent sollicitantur, eiusque belli apparatu cæteræ prouinciæ ardent: in Hispania res Christiana fluctuabat, pronaque in occasum esse videbatur, Almoravidum ob aduentum armæque. Nunquam neque maiori impetu, neque maiori Hispaniæ periculo concursum est. genti feræ & immani victoriarum cursus, secundi bellorum exitus, imperiorum accessio spiritus addebat. Nouo in Hispania imperio fundato, arma in nostros vertunt: atque in Carpetanos inuadunt. Toletanos fines & oppida igne & direptionibus vastant. vrbes quæ in eo tractu & Celtiberis, dotis nomine Zaidæ datæ erant à patre, armis ereptæ, Concha, Vrcesa, Opta. Alfonso Comites duos Garsiam Sororium & Rodericum Mauris obuiam mittit, adiuncta valida militum manu. victi acie nostri ad Rhodam oppidum (quod Plinio Virgao esse creditur, Bætium inter & Oceanum) atque fugati sunt. Alfonso tot cladibus castigatus, & impendentis periculi metu, intelligens quantopere peccatum esset, noua diligentia, præterita mala compensare satagens, magnos toto regno delectus habet: auxilijsque vndique contractis iustum exercitum conflat. Multi vltro ex vicinis prouincijs rei Christianæ periculo permoti, in Alfonso castra confluxere. Ad Cazalliam, quod municipium non ita procul Pace Augusta situm est, totis vtrinque viribus dimicatum. victi Christiani, cæsisque magno numero. Noua ea clade Alfonso haudquaquam demittit animum, neque secundis rebus insolens, neque aduersis debilitatus. Expedito consilio bellum reparat, nouisque auxilijs & copijs priorem exercitum auget. cum ijs copijs Cordubam vsque ferro penetratum. in homines, & pecora sæuitum: ac ne tectis quidem & agris parcebatur. Tyrannus viribus difissus, exercitu veteri magna ex parte dilapso, Cordubæ mœnibus se tenet vrbs munitissimæ. læuia modò prælia commissa. Accidit vt Abdalla noctu improuisus, piorum castra inuaderet. cæteris pulsis cæsisque nostrorum accursu, Dux ipse captus, proxima luce in ipsis Maurorum oculis, qui ex vrbe despiciebant, membratim laniatus, viuusque combustus est: cum eo è socijs alij. crudele exemplum. sed dolor quem ex Benabeti socii casu Rex ceperat, supplicij acerbitate excusabat. eo victoriæ fructus maior. Maurus diuturna obsidione fatigatus deditioem facit, paratus imperata facere. magno in præsentia auri & argenti pondere mulctatur: in posterum annum vectigal impositum. ditio relicta quam ceperat, quasi Castellæ Regum beneficiario. Gloriosum id Alfonso fuit, prouinciæ salutare: nam ab eo initio intellectum est barbarorum arma vinci posse. Rebus in Bætica compositis, in Celtiberiam bellum est versum. Cæsaraugusta positis iuxta castris circumflessa est, magnisque operibus impugnata. ciues vectigal annum pendere non detrectabant, dummodo eos in fidem reciperet, totaque ditioe continuo sine maleficio discederet. Honorifica Regi conditio proponebatur. vicit tamen studium & spes

vrbs

vrbs potiundæ, vt in proposito perstaret. Verum dum maiora captat, vtrunque amissum est. Iuzephus enim nouo Almoravidum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copijs instructus & formidabilis ex Africa in Hispaniam traiecit, ad comprimendos Halis Ducis conatus, perfidiam vindicandam. Eius aduentus vno tempore in vrbe & in castris nunciatus, Mauris cum spe melioris fortunæ animos addidit: Alfonso maioris mali periculo metuque obsidione soluta compulsi retro redire. Et Iuzephi quidem arma prosperum cursum habebant. Nam Hispalim vbi tyrannus erat, primo aduentu rededit in potestatem: tyranno caput amputatum. Mox Corduba ex deditioe capta est. Harum exemplo reliquæ vrbes Bæticiæ, ac verò quæcunque tota Hispania Maurico imperio tenebantur, breui tempore ad ditionem subiunctæ, imperata quædam vi, aliæ voluntate fecerunt: nouique Regis virtute & felicitate confisæ, Christiani imperij iugum plurimæ detrectabant. Graue id Alfonso visum est, neque dissimulanda ignominia. Et maioris periculi metus proponebatur, ne rursus Africæ & Hispaniæ viribus, quæ longo interuallo iunctæ erant, res Christiana in Hispania periclitaretur. Priusquam mora vires conualescerent, Maurorum confirmaretur audacia, bellum comparari placuit. Tumulus decernitur, iustitium indicitur, saga sumuntur non à profanis tantum hominibus, sed etiam à viris sacratis. sublaris vacationibus, tota prouincia delectus habentur. externa aduocantur auxilia. & plerique Hispaniæ periculo permoti, nauandæ in eo bello operæ studio incitati, vltro ex Gallia magno numero venerunt. Raymundus, Burgundionis Comitis frater germanus: horum cognatus Henricus, domo quidem Lotaringius, quamuis Vefontione natus vrbe Sequanorum maxima, vnde Vefontinus dictus est, Lusitanæ gentis & regni conditor: atque Henrici propinquus Raymundus Tolosæ & Sancti Egidij Comes. Hos inuicta Francorum manus sequebatur, magna atque incredibili ad bellum alacritate. Affuit præterea Sanctius Aragonius Rex, quamuis ingrauescente ætate magno animi vigore, dexteritate maxima: quam perpetuo bellorum vsu aduersus Mauros compararat. Ex his omnibus gentibus numerosus exercitus conflatus: prorsus vt hostes de sinibus lacessere non dubitarent. In Bæticiam intiniam penetratum est. populationes, vastationes, direptiones locis omnibus factæ. Ad Alaguetum (nomen id loci est) castra castris collata. Iuzephus viribus impar, consilio cautus, certamen detrectauit. Fugæ per similes profectio fuit: quod festinatio discedendi & impedimentorum pleraque relicta indicabant. Alfonso satis se ad nominis auctoritatem tuendam effecisse existimans barbaro fugato: & alioqui exercitus ex tam multis gentibus lingua, moribus & institutis discrepantibus contineri longo tempore non poterat: militem præda diuitem, successu lætum, reduxit in patriam. Almoravidum arma hac ignominia accepta aliquandiu conquieuerunt: & Iuzephus noui regni statu componendo distinebatur. Alfonso tamen nihil de sua comparatione interea omittere: quoniam bellum

Ff 3

maior.

maiori mole futurum propediem exploratum habebat. Nouis cognationibus externorum Principum animos sibi conciliare constituit: ac tribus proceribus, qui ex Gallia venerant, totidem filias vxores dare. Nauaræ operæ ea merces fuit. Raymundo Tolosano Comiti Eluira nupsit. Henrico Lotaringio Therasia, vtraque furto quidem genita (vt superius est demonstratum,) cæterum regio cultu, & in spem magnæ fortunæ educatæ. Raymundo Burgundo Vrraca legitima Alfonsi filia connubio iuncta est. Hic urbem Salmanticam instaurasse foci Regis iussu fertur. Præterea Roderico Comiti Sanctia Regis ex Elifabetha vxore filia nuptui data est. (ad hunc Gironij reguli cum primis nobiles in Hispania genus referunt.) Henrico quidem dotis nomine datum est quidquid terrarum in Portugalia Christianorum armis partum erat, Comitibus nomine: atque ea lege, vt Regum beneficiarius esset: ad comitia regni veniret: & ad bellum quoties inuitatus esset, prosequeretur armatus. Noui ea regni initia atque fundamenta fuerunt: quod paulò post in Hispania fundatum supra quadringentos annos Henrici posteros Reges habuit. Burgundo Calæciæ præfectura data Comitibus nomine, quo nomine prouinciarum rectores vti soliti erant, proximaque spes ad quam destinabatur, Sanctio Regis filio si quid humanitus contigisset. Tolosano Comiti varia supellex, vestis pretiosa, auri atque argenti pondus dos fuit, ditio nulla in Hispania: cum de Gallia cogitaret, vbi latè dominabatur. Auctor quidam Alfonsi armis eius seculi anno nonagesimo tertio Olisiponem captam esse ait: verò an falsò affirmare non possum. Illud dico: non parum sæpe inter vtriusque nationis arma urbem eam alternasse: ac consequenti demum ætate Mauris ablatam, stabili possessione ac perpetuò in Christianorum ditione permansisse.

*Sanctius Aragonius Rex occiditur.*  
*Caput. II.*

1094



**R**O X I M V S certè annus à Christi ortu millesimus nonagesimus quartus, nobilis quidem Alfonsi ortu fuit eius, qui Henrico Lotaringio & vxore Therasia natus, felicibus armis Portugaliæ nomen illustrauit, ditionem extendit: primusque in regium nomen Pontificum Romanorum venia inuitis Castellæ Regibus inuasit. Infaustus autem Sanctij Aragonij Regis infelici casu cædeque: cui vni non modo benè gestæ, atque conseruatae reipublicæ, vti prioribus faciunt, sed etiam auctæ & bonis omnibus comulatæ laus ab Aragonijs datur. Primus enim ex impeditis atque præruptis montibus, vbi priores Reges imperij fines tutati erant haud minori locorum quam armorum fiducia, in subiectos campos & planiciem delatus, vrbes & oppida magno numero armis occupauit: cum regulis Maurorum Balagueris, Ilerdæ, Montionis, Barbastris, Fragæque continenter bella gessit: victosque stipendiarios habuit

buit primùm, deinde longa ac difficili obsidione Barbastrum cepit, ad Verum annem præcipua regionis amœnitate nobilem urbem. Vndique copiarum admotæ. mœnium munitio opponebatur. pertinacia nostrorum omnes difficultates superauit: dum vndique circumstrepit terror, nec remittitur ardor, obliuioque vulnerum & mortis contemptus occupat animos, impetu expugnata direpraque est. Salomoni Rotensi Episcopo attributa, alij Arnulfo affirmant, nobis neutrum satis compertum est. Omnino Armen-gaudus Vrgelitanus Comes in ea obsidione obiit. ditio Barcinonensi Comiti cessit. Eius calamitatis vindicandæ studio, quoniam Regis focer erat, in captos ciues grauius sæuitum. Bolea in Vasconum atque Ilergetum finibus, ad Cingam amnem, vbi diu bellum fuit, Mauris erepta: Montioque validum in Ilergetibus municipium situ arceque. alia præterea oppida & vrbes, quorum numerum inire longum esset. Omnino in Vasconibus Stella condita, exiguum tunc oppidum, nunc vrbs eo tractu cum primis nobilis. & quoniam de Cælaraugusta cogitabat, ad Iberi ripam viginti supra eam urbem millibus passuum Castellare oppidum extructum est, ad arcendas barbarorum incursiones. crebris præterea eruptionibus ex eo oppido infesta circà omnia vrbi faciebat: vt interdum interclusis comitatibus obsessa esse videretur à nostris. In Vasconibus Luna municipium conditum, nulla re nobilior, quàm gentis origine, eius quæ à Luna nomen habet, vetustæ & nobilissimæ. generis conditor Bacalla vir primarius, cui Sanctius id oppidum dono dedit, Rex verè magnus & virtutum omnium splendore clarissimus, insignis pietate: qui ab Alexandro secundo Romano Pontifice D. Ioannis Rupensis, sed & multa alia tota ditione monasteria ab Episcoporum iure exempta esse impetrauit. Præsulum auiditas obtendebatur in eorum bona inuolantium: sed & monachorum mores ea tempestate (quod D. Bernardus conqueritur) nimium in studium libertatis incubuerant: passimque eorum Præfetti, vt insignia Episcoporum mitram, baculum, breue circum humeros pallium gestare fas esset, libertatis indicio impetrabant. ea fraudis inuenta via est. Quod in Episcopis accusabatur, idem crimen auiditatis Regem perstrinxit, qua vna nota deformis fuit. Nam in templorum & sacerdotum bona licenter inuasit. ærarij tenuitas atque inopia, ingentes bellorum sumptus excusare videbantur: data præterea ante annos aliquot à Gregorio septimo Pontifice Maximo facultas, decumas & vectigalia templorum, quæ extructa denuo, aut Mauris erepta essent, pro arbitratu permutandi, inuertendi, attribuendique quibus mallet. Illustri ipse modestiæ & Christianæ pietatis exemplo conceptam ex eo facinore religionem, procurandam curauit, odiumque popolare, ante aliquot annos Rotæ in D. Victoriani, ad aram D. Vincentij humillimo corporis habitu, cum gemitu & lacrymis publicè veniam precatus. Assuit Raymundus Dalmatius eius vrbs Episcopus, cui quæ ablata erant omnia, reponi integra fide mandauit. Et miror nostra ætate quosdam viros principes, cuius exempla imitantur templorum bonis occupandis, eius neque

poenitentia moueri, neque perhorrescere exitum. Oscensem Regem Abderrahmanum continenti bello vexare solitus, omnem circa ditionem armis occuparat: Montaragonem quarto ab ea vrbe lapide municipium ceperat, magnisque operibus muniendum curarat, vt arcis instar barbarorum ceruicibus immineret. vrbs ipsa tandem circumfessa, copijs omnibus vndique contractis. vicini colles præsidijs occupati: ne exeundi commeandique in vrbem facultas esset. castra in cliuo posita, qui ab eo tempore Sanctij podium dictus est. Vrbs munitissima erat, totiusque Mauricæ ditionis ea parte propugnaculum: vt fuerat Romanorum tempore, à quibus firmitudinis indicio vrbs Victricis nomine nuncupata est. Ergo obsidio ducebatur: vi expugnari non poterat. Oscenses Alfonso Castellæ Regem, vt opem ferat obfessis, sollicitant. annuit ille, vt solent Reges, cum spes utilitatis ostenditur, priuatis commodis magis quam religioni famæque seruire. Apertè Mauris fauere ignominiosum erat. Itaque consilium capit, per Cantabriam Vasconum fines inuadendi. quo facto prouidebat vtrique bello Aragonias vires impares futuras. Missus in id Comes Sanctius: verum Petro & Alfonso à patre Sanctio, contra Alfonso Castellæ Regis conatus destinatis, retro iter hostes conuerrere re infecta compulsi sunt. Incommodè accidit vt Sanctius Rex diuturnæ obsidionis tædio mœnia vrbs circumlustraret, & idoneum locum notatum qua parte irrumpi posse cogitaret, contento brachio comitibus designaret. cum sagitta ex muro emissa sub ala confixus est. lethale id vulnus fuit: numinis vindictam ob templorum bona occupata prouinciales interpreta- bantur. Obijt quarto mensis Iunij die. corpus Montaragonem delatum, atque in Iesu Nazareni, quod ipse monasterium extruxerat, extemporario sepulcro conditum est, inde vrbe capta in D. Ioannis Rupensis: quo loco Feliciæ vxoris superioribus annis defunctæ, inscriptio cum cippo monstratur. Filij, vt erat à patre imperatum, in castris perstiterunt, haud ante discedere certi, quam vrbs clade iniuriam vindicassent. Petrus superstite patre, Ripagorsæ & Suprarbis Rex erat renunciatus, & ex Berta vxore (alij Agnetem volunt) filium sibi cognominem (alij Sanctium vocant) genuerat: nunc totius regni paterni hæres institutus est. Alfonso oppida legata. Ramirus natu minimus rebus humanis contemptis in S. Pontij Tomerij, quod cœnobium in territorio Narbonensi ad Iauri ripas erat, vestem mutarat patre auctore: vt ipsius diploma declarat, proxime superiori anno eius monasterij præfecto Frotardo datum: in quo amplæ possessiones, fundi, prædiaque in Monachorum vsum abs Rege donata sunt. Oscensis obsidio diuturna fuit atque semelstris, vt quidam affirmant. alij vltra biennium productam fuisse contendunt. Obsessi fatigati omnibus malis, & ad supremam annonæ difficultatem redacti, Almosabenum Cæsaraugustæ Regem auxilio euocant, Garsiam Cabræ Comitum, & Gonsaluum virum principem: nam in ea temporum face, morumque labe Christianos Mauris opitulari aduersus Christianos religio non erat. Gonsalvus non venit, misit tamen validam suorum manum, affuit

affuit Garsias. Rex Maurus supremo conatu infinitam multitudinem Maurorum sub signis habebat: cum his copijs Cæsaraugustam mouent. Adducta erat res in maximum periculum, & extremum penè discrimen. Garsias ipse, siue sincero animo, siue beneuolentiæ simulatione Petrum monet, nisi res perditas vellet, quamprimum rediret in patriam. Vicit tamen honesti respectus & sacramenti religio, quo se fratres patri morienti obstrinxerant, nisi capta vrbe non cessaturos. vrbi vicina planities protenditur cui Alcoracio nomen est, huius prælij euentu maximè nobilis. In ea planicie vniuersi certaminis aleam subire constituunt freti numine, cuius propitiandi causa corpus D. Victoriani in castra delatum erat. Concubia præterea nocte oblata Regi species augustior humana, monentis, vt prælium magno animo inuaderet de victoria certus. In primo agmine Alfonso curabat, in postremo Rex ipse, mediam aciem Lisana & Bacalla viri nobilissimi regebant. equites in fronte erant. ab his pugna cœpit. mox Legionum signa inuicta aduersus barbaros, qui sua multitudine subiectos campos & vicinas valles compleuerant. Acerrima pugna fuit, nulla eo seculo neque maior periculo, neque feliciore euentu. Gemitus cadentium, clamor pugnantium, fragor armorum, nihil præterea exaudiebatur. Ex vrbe viros & foeminas vt Maurorum res erant, modò lætos, modò pauidos considerare fas erat. In noctem pugna producta haud satis intelligebatur, vtra pars meliora tulisset. nostri causa, virtute, & scientia pugnandi, hostis superabat numero. in armis vsque ad sequentem lucem perlitum: tanta erat cupiditas instauranti pugnam, tantus instantis periculi metus piorum animos occupabat. Cum cognitum esset Mauros deseruisse castra, Almosabenum contenta fuga Cæsaraugustam petere, fugientibus insistunt. cædendi finem fatietas, & defatigatio attulit. In pugna fugaque hostes quadraginta millia cæsi, ex nostris vix mille desiderati. pauci quidem, minorque pro tanta victoria numerus, neque ij genere aut laude bellica præstantes. Garsias Comes à nostris captus. secundum pugnam lecta spolia. campi cadaveribus strati. arma, tela, vestes, equi iacebant, corpora nondum planè extincta, trunci artus, perfossa ferro pectora. terra perfusa, inundansque sanguine. Quidam D. Georgium inter vtrasque acies visum, eiusque præsidio victoriam partam aiunt. Alij ex Moncadarum gente, quendam cum eodem die in Syria ad Antiochiam pugnasset, equo vectum huic prælio interfuisse. vulgus portentorum audum, & vt lætiora sint quæ nunciantur, affingere fabulas veritati consuevit. nos si quæ verisimilia sunt pro veris accipiantur satis habituri sumus. Conuenit deinceps Aragonijs Regibus insignia fuisse crucem in argenteo clypeo, & quatuor circum clypeum capita rubra sanguine eorum Regum & Ducum, qui in hoc prælio interfecti sunt. Pugnatum est ad quartum decimum Kalend. Decembris. nono post die vrbs nobilissima spe omni defensionis abiecta, ex deditioe venit in potestatem. consequenti mense sextodecimo Kalend. Ianua. templum maximum ex ritu Christiano sacratum. Berengarius, quem Bernardus Tolanus Aufa Tarraconem transtulit, vt mox dicemus, Anatus Burdigalensis,



Petrus Iaccetanus antea, & iam Oscensis Episcopus, Fulcho Barcinonensis, Petrus Pompelonenſis, Sanctius Lascarenſis ſacræ cæremonix Antiltites. Eodem tempore Pompelone templi maximi noua fabrica cœpta eſt, cuius veſtigia ſuperſunt. Sacerdotum vita & mores ad D. Auguſtini leges & regulam conformati: quod ab eo initio ſuſceptum, noſtra etiam ætate retinetur. Petro Pompelonenſi Episcopo Gomelanus æqualis fuit Burgenſis Præful Semeni ſucceſſor. Semeno Episcopo Auca, vbi eateſus fuerat, ab antiquiſſimo tempore pontificia ſedes Burgos translata eſt. de ijs Episcopis vtri eccleſiæ contributi eſſent, Tarraconenſis, & Toletanus Præfules diu inter ſe diſceptarunt. Romani Pontifices, quoniam controuerſia compo-  
ni non poterat, ab vtriuſque imperio liberos, ſuique iuris fore ſanxerunt.

*Bernardus Toletanus Præful ad bellum ſacrum  
contendit. Cap. III.*



VO tempore hæc in Ilergetibus, alijsque Hispaniæ regionibus geſta ſunt, orbis Chriſtianus in belli ſacri apparatu totus erat. equi, arma, tela, ſaga, tympanorum crepitus, tubarum clangor, nihil præterea exaudiebatur. maria, terræ, agri, op-  
pida permixtione gentium omnium, & belli rumoribus per-  
ſonabant. Urbanus ipſe Pontifex Claromonte (quæ vrbs Sidonio & veteribus Aruernum fuit) Præfulum & procerum ex omnibus prouincijs gene-  
rales conuentus agit anno milleſimo nonageſimo ſexto. Inde bellicum  
gentibus omnibus canit, quam latè imperij Chriſtiani fines extendebantur.  
Lectæ in eo conuentu Simonis Hieroſolymitani Episcopi litteræ: expoſi-  
ta à Petro Ambianenſi mandata: multi Hieroſolymitani, Antiochenique  
ciues, ſancti nobileſque viri domo profugi lacrymis, voce, & ſqualore om-  
nium, qui aderant, animos ad miſericordiam permouerant. Concitatis ſe-  
mel animis Pontifex declamantis in morem hanc ſummam orationis ha-  
buit. Audistis, inquit, filij cariſſimi mala, quæ fratres veſtri in Aſia tole-  
rant. eorum calamitates noſtra ignominia ſunt, probum, & dedecus reli-  
gionis Chriſtianiæ ſanguine ipſo & vita, ſi viri eſſemus, procurandum. Mor-  
tem quidem omnibus natura propoſuit: eſt autem poſtremum in malis ma-  
ximam turpitudinem ſuſcipere, ferreque vitæ cupiditate. ſpiritum, ſalutem,  
animam Chriſto, à quo accipimus reddere conſentaneum. Ignominiam  
virtus propulſare ſolet, quæ propria eſt Chriſtiani nominis & ſeminis. eas  
vires & copias, quas hæcenus ciuilibus bellis conſumpſiſtis, ad decus & ho-  
neſtatem conuertite. Chriſti Dei contumeliam depellite, qui quotidie ab  
impia & barbara gente cæditur, pulſatur, occiditur: cum Chriſti ſamuli pre-  
muntur, vexantur, exagitantur: terræque inſultatur illi, quam Chriſtus ſuis  
veſtigijs ſacrauit. An cauſſa iuſtior eſſe vlla poteſt belli ſumendi, quàm reli-  
gionis vindicandæ, ſeruitutis depellendæ à Chriſtianiſ, quos Deus immor-  
talis omnibus gentibus voluit imperare? Si ex bellis commoda expectantur,  
quid vtilius quàm gentem imbellem impugnare, ſpolia potius quàm arma  
feren-

ferentem? Nunquam Aſia Europæ par fuit. ibi diuitiæ, opes, aurum, gem-  
mæque, quæ prima mortales putant. Si gloria quæritur, ecquid honeſtius,  
quam clariffimum virtutis exemplum filijs & poſteris relinquere: orbis  
rectores vocari: domitores Orientis: religionis vindices? Habemus pubem  
ætate, robore, conſilio, fortunisque præſtantem, in armis exercitam. an  
etiam his præſidijs muniti, impuræ genti nominis Chriſtiani maiestatem  
ludibrio eſſe ſinamus? Chriſtus dux erit, vexillum crux. nihil virtuti, nihil  
pietati erit inacceſſum. conſpectum tantum veſtrum ferre non poterunt.  
Ego quidem quod debeo vobis, quod religioni Chriſtianiæ, pro qua velut  
in ſpecula cuſtodiaque conſtitutus, dies noctesque vigilandum eſſe mihi  
ſtatui, quantum cura, labore, vigilijs, auctoritate, conſilio eniti poterò, tan-  
tum incumbam in hanc cauſſam. & niſi alij ſequantur in medios hoſtium  
gladios irruere certum eſt: noſtroque ſanguine tantam ignominiam, & fra-  
trum noſtrorum calamitates ærumnaſque grauiffimas procurare. Nullum  
caſum dum vixero, nullum laborem, nullum vitæ periculum reipublicæ  
& religioni denegabo. Pontificis oratione, omnes qui aderant inflammati  
ſummi, medijs, infimi arma, arma depoſcunt. omnis mora grauis eſt. Ade-  
marus Anicij Vellaunorum Episcopus, & Guillelmus Arauſij, principes  
ex omnibus ad pedes Pontificis poſtrati crucem ſumunt. ea pro militari  
teſſera erat. ſecundum eos Gallia, Italiaque & Hispaniæ clariffimi Prin-  
cipes. & eorum exemplo infinitus hominum numerus. Hugo Philippi Re-  
gis Francorum frater, Gotifredus Eultachij Bononienſis filius Duxque  
Loringiæ, qui vrbe Hieroſolyma capta, quod prius in vrbem irru-  
piſſet liberis omnium ſuffragijs Rex Solymorum dictus eſt, æternum  
Gallia decus, & Bononia patriæ: quæ vrbs in Gallia Belgica ad Occa-  
num ſita eſt. præterea Gotifredi fratres Eultachius, & Balduinus, Ro-  
bertus Flandriæ Comes, Stephanus Bleſenſis, Alpinus Bituricenſis, Ray-  
mundus Tolofas: quem Theraſia vxor ad bellum proſecuta in Syria, fi-  
lium alterum peperit, cui Alfonſo Iordano nomen fuit, quod in Ior-  
dane flumine aquis ſalutaribus luſtratus eſſet. Præterea ex Hispania Gui-  
llelmus Ceretaniæ Comes, qui ſagittæ icu periit in ea expeditione ad  
Tripolim Syriæ vrbeſ, vnde illi etiam Iordani cognomen: Guitar-  
dus Ruſcinonenſis, & Guillelmus Canetenſis Comes, Boamundus Apu-  
liæ Princeps, Rugerio fratri de quo contentio erat, principatu relicto,  
cum duodecim armatorum millibus cæteros Principes ad bellum ſacrum  
proſecutus eſt. Bernardus Toletanus Præful, qua erat animi magnitu-  
dine, cum eccleſiæ Toletanæ ſtatum compoſuiſſet, & triginta ſacerdo-  
tes in ſummo templo conſtituiſſet nihilominus, quos Canonicos vulgo vo-  
cant, totidem Portionarios, cruce ſumpta ad bellum ſacrum proſectus eſt.  
Vix vrbe diſceſſerat, cum Toletani ſacerdotes, an hominis externi  
inuidia an reditus desperatione, collatis ſuffragijs nouum Præfulem  
in Bernardi locum raptim ſubſtituerunt. minor & melior pars (vt sæ-  
pe fit) à maiore victa, vrbeque pulſa eſt. ij ad Bernardum atrocem  
nuncium detulerunt. Ille conuerſo itinere Toletum redijt: pulſisque ſacerdo-

facertotibus, qui nefarij consilij auctores ministrique extiterant. Ex S. Facundi cœnobio (cui in minori fortuna præfuerat) euocatos Monachos, eorum loco substituit: unde multæ Monachorum voces, ritusque templo Toletano adhæsissè quidam disputant: quæ per manus ductæ ad nostram ætatem in vsu sunt. Rebus compositis propositi tenax, de nouo iter arripuit ille quidem: sed Romam tamen delatus ab Urbano Pontifice, cum tantum belli in Hispania superesset, & nuper erepta ciuitas rectoris præsidio, & diligentia indigere videretur, retrò redire compulsus est, voti religione, qua se implicarat exoluta, legeque imposita vt ijs sumptibus & pecunia, quam in bellum sacrum compararat, Tarraconem instaurandam curaret. quæ vrbs Comitum Barcinonensis virtute armisque per hæc tempora ad Christianorum ditionem reuocata est, ipsa antiquitate & imperij Romani maiestate, cuius in Hispania sedes fuit, nobilissima olim & valida: cæterum ea tempestate ad casafas redacta, atque oppidum ignobile, Bernardi cura & impensa restituta. Ausetanus Episcopus Berengarius, Archiepiscopus datus est, quo maior esset auctoritas Ausetana vrbe contributa: tamen beneficii immemor, litem postmodum Bernardo, à quo creatus erat, de Primatu intendit, exoletis vetustate annalium exemplis & tabulis ecclesiæ suæ iura libertatemque defendens: cum recentissima Urbani Pontificis indulgentia Toletanus Præsul non modò totius Hispaniæ Primas esset lege perpetua renunciatus: sed etiam Romani Pontificis Legatus in præsens, componendo ecclesiarum statu cæteris ecclesijs iura daret. Omnino ex Gallia cum per eam prouinciam in Hispaniam rediret, præcipua eruditionis & probitatis laude viros secum Toletum adduxit: quos honoribus in præsentis & opimis sacerdotijs auctos, virtus consequenti tempore ad maiora prouexit. Gerardum Mosiaco, qui mox Toletanus Primicerius, deinde Bracarensis Præsul fuit. Petrum, quem Bituricis natum, ex Archidiacono Toletano Vxama Pontificem habuit. Vtrunque vitæ sanctitas, animi candor cælestium numero inseruit. Præter hos Bernardus & Petrus patria Aagenses deducti. Bernardus ex Primicerio Toletano Seguntinus Episcopus fuit, ac deinde Compostellanus: Petrus ex Archidiacono Toletano Segobienfis Pontifex. Petrus alter Palentinus Præsul, Hieronymus Petragorius, qui annitente Cido Valentiniæ ecclesiæ curam suscepit, cum primum ea vrbs Mauris erepta est, & ea amissa Zamoræ Propontificem egit. hoc defuncto Bernardus quidam ex eodem comitatu iure suo Zamoræ Pontifex esse cœpit. Ex hoc numero in dissimili vitæ genere Raymundus, & Burdinus fuerunt. Raymundus Bernardi Primatis ciuis Vxamæ post Petrum Episcopus fuit, deinde Toletanus Præsul, Bernardi successor. Burdinus Lemouicensis ciuis, ex Archidiacono Toletano Conimbricensis Episcopus, deinde Bracarensis, postremo pseudopontifex Romanus orbem Christianum importuno dissidio turbauit: seque indignum excellentium virorum, qui Bernardum profecuti ex Gallia erant, numero &

ro. & comitatu esse declarauit: quod commodiori loco explicandum est.

*Rodericus cognomento Cidus Valentiam capit.*  
*Caput. llll.*

**I**NTEREA Roderici cognomento Cidi haud quieta arma erant. vir tantus opera, consilio, virtute, incredibilique studio rei Christianæ promouendæ, & quam se cunque in partem daret, ea tempestate omnium facilè princeps otium pati non poterat. quin Alfonso Rege concedente, quo tempore Bætico ipse bello occupatus erat (vti superius dictum est) cum priuata suorum manu Celtiberos (pro eo quòd in magna apud eas gentes gloria erat) repetijt. Venientis amicitiam cuncti eo tractu Maurorum reguli certatim appetebant. Albarracini, quam vrbs veteres Lobetum Turiamve dixerunt, regulus ad colloquium primum, mox ad fœdus admissus: deinde Cæsaraugustanus, quem propter vrbs amplitudinem præfens adijt. & barbarus in magnam spem venerat vrbs Valentiniæ potiundæ, Christianorum ope, qui Cidum prosequerantur. Valentia vrbs in Ederanis sita est, ad maris littus, locis irriguis atque amœnissimis, prouentu læta, commercio exterarum gentium & ciuium frequentia atque elegantia peræquè nostra ætate atque eo tempore nobilissima. Hyaia, quem Toletum pulsum fuisse docuimus, eam vrbs imperio obtinebat, paterno iure repetito (nam in Almenonis ditione fuerat) Alfonso Regis armis, vt in fœdere conuenerat, quo tempore Toletum dedita est. Dianij regulus, qui imperio præterea Scabim & Dertusam obtinebat, ex priuatis offensionibus, an dominandi cupiditate Hyaia infensus eam vrbs obsidione fatigabat. Cæsaraugustanus regulus ex aliena calamitate & dissidio lucrum captans, à Valentinis auxilio euocatus, ire quamprimum cupiebat, haud defuturam occasionem vtrosque opprimendi cogitans. Itaque iunctis cum Cido viribus eò contendit. Dianij regulus viribus impar, eo apparatu nunciato, ab obsidione recedit, fœdere cum Valentinis facto. Cidus vt Valentini Regem bello impeteret, quòd Cæsaraugustanus flagitabat adduci non potuit: cum eum diceret, in Alfonso Regis fide esse: negaretque, nisi eius concessu, sibi fas fore eam vrbs impugnare. Ergo Cæsaraugustanus in patriam redijt. Cidus Valentini Regis partes dum tuetur, omnes circa Maurorum regulos stipendiarios efficit: oppidis & arcibus annum vectigal imponit. unde & ex præda, quæ ex agro vberi copiosa erat, bellicos sumptus aliquandiu sustentauit. Hyaia Rex cum ad veterem inuidiam ex Christianorum amicitia nouo odio flagraret, Almorauides qui latè fines imperij protulerant, à ciuibus in vrbs aduocati sunt. Rex occisus. vrbs capta. auctor consilij Abeniamus rerum potitus est. Cidus prodicionis vindicandæ studio inflammatus, & occasionem venisse gaudens

gaudens nobilissimæ vr̄bis occupandæ, copijs omnibus Valentiam expugnare parat. Rerum omnium quæ ad bellum vsui erant, summa facultas in ea vr̄be erat: militare præsidium, ciuium numerosa multitudo, commeatus in multos menses comparatus, arma equique. Cidi constantia & magnitudo animi cuncta peruicit. diuturna obsidione malis omnibus obsessi, fatigati, atque ad supremam annonæ difficultatem redacti, præterea auxilij spe omni sublata, tandem deditioem faciunt. Cidus qua virtute cœperat, eadem vr̄bem retinere satagit: audax facinus, & magnis Regibus formidandum, cum tantum ex omni parte Mauro-  
 10 rum circumfusum esset. Certus tamen vr̄bis retinendæ Hieronymum To-  
 leto euocat, vt Valentiam Pontifex esset. præterea vxorem & filias duas, quas in Cardeniæ Abbatis cura relictas esse superius dictum est. Regi quod  
 benignè eius votis annuisset, ex præda Maurica, generosos equos bis  
 centum, & totidem Mauricos gladios ex ephippijs pendentes, dono  
 mittit. Sic Cidi res erant, nomini immortalis gloria parta. Carrionis  
 reguli Dieghus & Ferdinandus (Infantes vulgo dicimus) viri ea  
 ætate in Hispani genere & copijs nobilissimi, animo ignaui, ex Ci-  
 di copijs audiratem explere posse cogitantes, quoniam mascula pro-  
 le orbis erat, Regem adeunt: petuntque eius opera & auctoritate  
 Cidi filias Eluiram & Solem sibi vxores dari. Annitente Rege Reque-  
 nam oppidum, quod non procul Valentia situm est, ad colloquium  
 20 ventum: & re deliberata Carrionis reguli Valentiam Cidum prose-  
 cuti, voti compotes facti sunt. Nuptiæ regio apparatu, festaque lætitia  
 celebratæ sunt. Adolescentes culti magis mundicijs, quàm virilis ac milita-  
 ris animi, mores suos socero & aulicis in armis educatis haud satis pro-  
 babant: semelque leone è cauea, fortè an consilio incertum, sed egresso  
 tamen, cum præ metu se in turpes latebras condidissent: & iterum in  
 tumultuario prælio aduersus Mauros qui ex Africa venerant, certamen  
 exhorreere visi essent, ignauitæ atque timoris significationem dederant.  
 30 Dedecus quod virtute procurare debuissent, turpiter vlcisci cogitant: &  
 est ferme crudelis ignauia. Suerus adolescentum patruus, in quo propter  
 ætatem præsidij atque prudentiæ aliquid esse debuisset, in ægris animis  
 facis instar maius incendium excitabat. Re constituta patriæ se deside-  
 rio teneri simulant: petuntque volente socero discedendi sibi faculta-  
 tem esse. Annuit Cidus eorum postulatis, filiasque & generos aliquan-  
 to spatio prosecutus, mœstus flentes, & quasi tacita diuinatione persu-  
 sas lachrymis abs se dimittit. honestissimo stipante comitatu, ad Ca-  
 stellæ fines peruentum: Durioque amne superato, in Valeranicæ fini-  
 nibus Corpesia roborata facinori perpetrando locus idoneus fore vide-  
 batur. Comites alij aliò consuetis de causis amandati. ipsi vxores à mi-  
 40 litari via in interiorem syluam seductas, & nequicquam diuorum ho-  
 minumque fidem implorantes, nudas flagris cedunt. Feriendi finem fa-  
 tigatio satietasque fecit. Exanimas atque in suo sanguine voluntates, pro  
 mortuis dimittunt. Ab Ordonio, quem Cidus cum fraudem suspicaretur,

10 tur, præcedentium iter dissimulato habitu prosequi mandarat, repertæ  
 sunt, atque in proximo vico medicamentis ciboque recreatæ. Iniuria atrox  
 erat, neque ferenda inhumanitas. & re cognita Carrionis reguli inui-  
 dia maxima flagrare cœperunt. indignum passim iudicabatur tanta be-  
 neficia, tam insigni contumelia compensata esse. Iuuenes ex stultis amen-  
 tes planè esse factos dictitabant. Cidus vindictæ studio, honesti cura Re-  
 gem adiit. Toleti tunc generales regni conuentus agebantur: aderant-  
 que Carrionis reguli tanto facinore foedi turpesque. iudices abs Rege,  
 Cido expetente in causa dati. in ijs princeps Raymundus Burgundus  
 20 Regis gener. Disceptata causa, primùm quæ à Cido data erant omnia,  
 gemmæ, vasa aurea & argentea, vestisque pretiosa, vt redderentur in-  
 tegra fide, mandatum est. deinde de illata iniuria, vt singulari certami-  
 ne dimicarent duo iuuenes & consilij auctor præcipuus Suerus patruus  
 pronunciatum. Bermudius, Antolinus & Gultius Cidi milites, virique  
 primarij sibi certamen depoposcerunt. Cum Carrionis reguli imparatos  
 venisse se excusarent, Cidus Valentiam, illi in patriam discesserunt.  
 Rege agente, quoniam redituros Toletum designato tempore non pu-  
 tabant, Carrione depugnatum esse memorant. Victi omnes in certami-  
 ne sunt: atque Marte arbitro declaratum, iniquè eos fecisse. Victores ad  
 30 Cidum profecti. Cidi filia Ramiro Sanctij Regis Vasconum filio, eius  
 quem à Raymundo fratre occisum fuisse docuimus, & Petro Petri Ara-  
 gonij Regis filio, vltro per legatos expetentibus, coninges à patre datæ  
 sunt. Ramiro Eluira nupsit, Petro Sol. Ijs nuptijs accepti dedecoris &  
 infamiæ memoria oblitterata est: auctaque vehementer lætitia, quam ex  
 prioribus generis vindicatis ceperat maximam. Præterea à Rege Persarum  
 missi ad Cidum legati, cum rerum gestarum fama toto orbe diffusa es-  
 set, publicæ lætitiæ multum addiderunt: à Rege potentissimo, tanta ter-  
 rarum longinquitate vltro de foedere fanciendo, iungendaque amicitia  
 appellatum esse. Pro Valentiam mœnibus cum Buccaro Rege, qui ex Afri-  
 40 ca venerat, semel & iterum acie pugnatum. Cidi virtute & perpetua  
 felicitate victi acie barbari: vr̄bisque possessio quandiu vixit (vixit autem  
 quinquennio post captam vr̄bem) retenta est. moriens cum nouis Mau-  
 rorum exercitus circumfusum esset, parum ipso defuncto in vr̄be præsidij,  
 vt omnes vno agmine in Castellam redeant, testamento mandar. Cum  
 viri, feminae, pueri, impedimenta prodirent, numerosus exercitus species  
 barbaris obiecta est: atque ex ea re incussa formidine victi fugatique.  
 Nimirum tanti viri felicitati debebatur, vt quos sæpe viuus vicerat  
 Mauros, defunctus profligaret tandem. Nostri contento itinere in Ca-  
 stellæ fines abeunt. Valentia omni præsidio nudata, rursus in Mauro-  
 rum potestatem redijt. Cidi corpus Burgis in Diui Petri Cardeniæ tu-  
 mulo coniectum. iusta magnificè facta Alfonso Rege, atque vtroque ge-  
 nero funus procurantibus. quod gloriosum Cido fuit, sed tantis meri-  
 tis debitum. Huius narrationis multo maximam partem inter aniles fa-  
 bulas quidam ponunt: ipse etiam multo plura transcribo quam credo: nam  
 neque

neque subtrahere, quæ ab alijs traduntur, audeo: neque affirmare possum de quibus dubito. In Cardeniæ templo quinque sepulcra monstrantur: Ciddi, Semenæ vxoris, Didaci, Eluiræ atque Solis filiorum: nisi fortè quædam cenotaphia sunt, gratæ posteritatis diligentia beneuolentiæ indicio, ad ostentationem memoriamque posita.

*Vrbani, Iuzephus & Sanctius defuncti.*

*Caput. V.*



**I**DI obitu magnam plagam res Christiana accepisse videbatur, eo Duce sublato, quo superstitè respublica stetit in tanta atrocitate temporis, tantaque rerum omnium perturbatione. defuncti virtutem, grauitatem, constantiam, fidem in religione tuenda, & amplificanda curam omnis posteritas admirata est. De anno quo decessit scriptores variant: neque facile est auctorem auctori, aut opinioni opinionem præferre. nos quod fidei propius visum est anno millesimo nonagesimo octauo extinctum putamus. Quo anno Vrbani Pontifex à Giberto pseudopontifice varijs curarum fluctibus exagitatus, & vndique subsidia conquirens, Salernum abiit, Rogerij Siciliæ Comitis inuisendi causa: cuius præcipua ea tempestate pietas aduersus Romanos Pontifices commendatur: & rebus gestis nobilissimus erat. Pro ijs meritis ipsi & hæredibus datum est, vt in Sicilia Legati pontificij partes implerent, auctoritatem obtinerent. Diplomatis quoniam publicè cognosci interest, & Regibus Hispanis magna controuersia de eo iure nata sunt, exemplum subiicimus. VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei carissimo filio R. Comiti Calabriae, & Siciliae, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernæ maiestatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Sarracenorum finibus ecclesiam Dei plurimum dilatauit, sanctæque sedi Apostolicæ deuotam se multis modis semper exhibuit: nos te in specialem, atque carissimum filium eiusdem vniuersalis ecclesiæ assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promissimus, ita etiam litterarum auctoritate firmamus: quod omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra potestatis vestrae, præter voluntatem, aut consilium vestrum, Legatum Romanæ ecclesiæ statuemus: quinimmo, quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam Legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere nostro miserimus ad salutem videlicet ecclesiarum, quæ sub vestra potestate existant, ad honorem beati Petri, sanctæque eius sedis Apostolicæ, cui deuotè hæctenus obedisti: quamque in opportunitatibus suis strenuè ac fideliter adiuuisti. Si verò celebrabitur concilium, tibi mandauero quatenus Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot & quos volueris mittas, alios ad seruitium ecclesiarum & tutelam retineas. Omnipotens Dominus

Dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat: & te à peccatis absolutum ad vitam æternam perducatur. Dat. Salerni per manum Ioannis sanctæ Romanæ ecclesiæ Diaconi. III. Nonas Iulij Indictione. VII. Pontificatus domini Vrbani secundi. XI. Hæc in Italia: in Hispania autem eodem Pontifice concedente, Iriæ sedes & nomen Compostellana cathedra, & appellatione mutata: exemptaque ab imperio Bracarenfis Metropolitanæ. Dalmachij eius vrbis Episcopi diligentia, vtrunque impetratum est, ea de causa primi in Compostellanorum Episcoporum numero. Alfonsus Rex quamuis ingrauescente ætate ita reipublicæ curam gerebat, vt rei bellicæ curam nunquam intermitteret, aliquoties per hæc tempora in Mauricæ ditionis fines delatus, & in Bæticæ agros excursiones faciens. Iuzepho postquam noui imperij statum in Hispania fundauit, in Africam reuerso, respublica respirare tantisper visa est. Rex otium ad religionis amplificandæ exornandæque curam conuertit. Toleti Seruandi & Germani nomine in podio saxeo ex aduersum vrbis, vbi eo nunc nomine vetustæ arcis structura cernitur, cœnobium Benedictinis monachis exædificauit, (instaurasse alij putant, & Gotthorum tempore extitisse disputant) S. Victoris Mafsilienfi monasterio contributum: vnde noua monachorum colonia venerat. Intra urbem gemina sacratarum virginum collegia Regis impensa exædificata: alterum D. Petri nomine, quo loco nunc Petri Cardinalis nosocomium extat: D. Dominici alterum Exiliensis, quod hoc tempore à D. Dominico veteri nomen habet. Burgis ciuitate D. Ioannis nomine quartum cœnobium ædificatum extra vrbis mœnia: quod hodie D. Ioannis Burgensis appellatione nuncupatur. Fortunio Abbati noui monasterij, quod ea tempestate D. Sebastiani nomen habuit in Vardulis nobile, deinde D. Dominici Exiliensis, quoniam in eo sanctissimam vitam exegit, & vitæ consentanea morte decessit honestissimè innocentissimèque actæ, oppidum constituendi ei monasterio coniunctum concessit facultatem: quod nostra ætate centum septuaginta familias numerat latiori murorum ambitu: & in Magistri equitum Friensis Ducis ditione est. Proximus annus millesimus nonagesimus nonus Vrbani Pontificis obitu, atq; vrbe Hierosolymitana à Christianis militibus capta insignis fuit. Successit, qui ab Vrbano prædecessore Legatus in Hispaniam venerat, Raynerius Cardinalis insigni probitate vir, magno rerum vsu, Paschalis secundi nomine. Is Pontifex renunciatus templo Compostellano dedit, vt Canonicos Cardinales Romanæ amplitudinis æmulatione haberet: Episcopi Compostellani pallium maioris potestatis insigne. Annus secularis, qui proximè secutus est, Iuzephi morte lætus fuit: qui duodecim annos Mauricum in Hispania imperium tenuerat, triginta duos circiter in Africa. infaustus Sanctij morte, quem Garsias Cabræ Comes in spem paterni regni educandum Alfonsi Regis iussu susceperat. Hali enim Iuzephi successor noui imperij auctoritatem à præclaro aliquo facinore auspiciari cupiens, transmissio mari, magnisque in Africa & Hispania delectibus numerofo exercitu conflato in Carpetanorum fines, ipsosq; Toletanæ vrbis agros populabundus

inuadit. ferro, flammaque segetes, arbores, oppida euastat. pecorum & hominum prædas abigit. Alfonsus summa senectute, & corporis valetudine non satis firma, præterea rebus gerendis fessus hosti ferocienti obuiam prodire non potuit. Garfiam tamen Comitem bello pro se vicarium præfecit: & quò maior esset auctoritas Sanctium filium quamuis ætate puerum adiunxit: ipse Toleti mansit, vbi in extrema ætate multus esse consuevit. Ad Vrceſiam castra castris collata: ac mox totis vtrinque viribus dimicatum. infelix euentu prælium fuit. Sanctius enim primum cecidit, deinde Garfias Comes: cum iacentem puerum clypeo tegeter, gladio circumfusos barbaros submoueret, tanta virtute vt cum vnum procul tot manus peterent, nemo propius accederet. Pugnabat pro eo singularis in puerum amor, atque animi desperatio, magnum ad honeste moriendum incitamentum. Sed cum subinde hostes vrgerent, multis debilitatus vulneribus super puerum moribundus iacubuit. miserabilis casus, atroxque clades victoriam barbaris continuò dedit. Regem quantus ex ea re dolor ceperit, explicare non attinet, res ipsa indicat. neque filij magis casu mouebatur, quam rei Christianæ calamitate tanti imperij hærede vnico sublato: qui paternarum virtutum imaginem referebat, & ad laudem natus esse videbatur. Sciscitanti ecquæ nam causa esset cladis toties à Mauris acceptæ: responsum à quodam martiam virtutem militum extinctam copia voluptatum, illecebris, securitate: corpus otio eneruatum, animum imminutum libidinibus. sublata ergo voluptatum instrumenta, corruptaque balnea: quorum multus vsus erat more à Mauris mutuato. Aliquid spei supererat in Alfonso nepote, quem ex Vrraca Regis filia Raymundus Burgundus reliquerat, defunctus superiori anno, & Compostellæ tumultus: verum exiguum id doloris leuamen erat, propter matris imbecillitatem, pueri ætatem flexibilem, teneram, tantisque rebus imparem. His curis suspensus Regis animus, noctes diesque de rerum summa sollicitus erat.

*Didacus Gelmirius Compostellanus Episcopus.*  
*Caput. VI.*



COMPOSTELLANA ecclesia magnis per hæc tempora procellis vexata, non secus ac gubernatore destituta nauis portum tandem occupare visa est nouo Præsule creato: cui Didaco Gelmirio nomen fuit, viro prudenti cum primis ea ætate, magnorum spirituum, industriæ singularis. Didacum Pelagium, quem Sanctio Castellæ Rege Compostellanæ ecclesiæ rectorem impositum & Episcopum, dictum est generis nobilitate præcipua, inquieto tamen ingenio atque turbido, & factionibus seruientem, Alfonsus Rex in custodiam tradiderat. audax facinus viro sacro manus iniicere. Auctoritate opus erat. à Richardo Cardinali, quem à Pontifice in Hispaniam Legatum diximus, ad concilium Compostellam euocati Episcopi in re præſenti disceptaturi. productus in conuentum Pelagius, metu an

spe

spe spontè abdicare visus est: certæque voluntatis argumento annulum baculumque potestatis insignia coram Cardinali tradidit. In eius locum Petrus Cardineſis Abbas cooptatur. Urbanus Pontifex re cognita factum accusat præcipiti temeritate. Cardinalem Legatum grauissimis verbis castigat. ad Regem litteras dat hoc exemplo. VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei Regi Ildefonso Galiciæ. Duo sunt, Rex Ildefonse, quibus principaliter mundus hic regitur: sacerdotalis dignitas, & regalis potestas. sed sacerdotalis dignitas filii carissime, tanto potestatem regiam antecedit, vt de ipsis Regibus hominum rationem posituri simus Regi vniuersorum. Quapropter pastoralis cura nos compellit, non solum de minorum, sed de maiorum quoque salute pro viribus prouidere, quatenus pastori vero suas oues illæſas restituere, quæ nobis commissa sunt, valeamus. Tuæ præcipuè debemus salutem prospicere, quem Christianæ fidei propugnatorem, & suæ propagatorem ecclesiæ Christus effecit. Memento ergo, memento filii mi amantissime, quantam tibi gloriam diuinæ contulit gratia maiestatis: & sicut ipse tuum præ cæteris regnum nobilitauit, ita tu ei studeas præ cæteris deuotius ac familiarius deseruire. Dicit enim ipse Dominus per Prophetam: Honorificantes me honorificabo: qui autem me contemnant, erunt ignobiles. Gratias itaque Deo & laboribus tuis agimus, quòd de Saracenorum iure Toletana ecclesia est liberata. Fratrem autem venerabilem Bernardum eiusdem vrbs Præsulem tuis exhortationibus inuitati, dignè ac reuerenter excepimus: & ei pallium contradentes, priuilegium quoque Toletanæ ecclesiæ antiquæ maiestatis indulimus. Ipsum enim in totis Hispaniarum regnis Primatem statuimus. & quidquid Toletana ecclesia antiquitus noscitur habuisse, nunc quoque ex Apostolicæ sedis liberalitate in posterum habere censuimus. Tu illum, vt patrem carissimum exaudias: & quæcumque tibi ex Deo nunciauerit, obedire curato: & ecclesiam eius temporalibus non desistes auxilijs ac beneficijs exaltare. Inter cætera verò laudum tuarum præconia, peruenit ad aures nostras, quòd sine graui dolore audire nequiuimus: Episcopum scilicet S. Iacobi à te captum, & in captione ab Episcopali dignitate depositum. Quod canonibus nostris omninò contrarium, & catholicis auribus non ferendum, quòd tanto nos amplius contristauit, quanto te ampliori affectione complectimur. Nunc tibi Rex gloriosissime Ildefonse, Dei & Apostolorum vice mandamus, orantes quatenus eundem Episcopum suæ integrè restituas per Toletanum Archiepiscopum dignitati. Neq; id per Richardum Cardinalem sedis Apostolicæ factum excusaueris: quia & canonibus est omnino contrarium, & Richardus tunc legatione sedis Apostolicæ minimeungebatur. Quòd ergo ille tunc gessit, quem Victor Papa, sanctæ memoriæ tertius legatione priuauerat, nos irritum iudicamus. In remissionem ergo peccatorum, & sedis Apostolicæ obedientiam, suæ dignitati Episcopum restituo: & ad nostram præſentiam cum legatis tuis ipse perueniat, canonicè iudicandus. Sin autem, facere nos erga dilectionem tuam compelles inuitos: quòd nos quoq; fecisse nollemus. Memento religiosi Principis Constantini, qui sacerdotum iudicia

nec audire voluit, indignum iudicans Deos ab hominibus iudicari. Audi  
 ergo in nobis Deum & Apostolos eius, si te ab ipsis velis, & à nobis in  
 his quæ postulas exaudiri. Rex Regum Dominus cor tuum gratiæ suæ ful-  
 gore illustret, victorias tibi tribuat, regnum tuum exaltet: itaque te semper  
 vivere concedat, vt & temporali regno perfruaris feliciter, & æterno peren-  
 niter gratuleris. Amen. Acta sunt hæc anno primo Vrbanus secundi Pon-  
 tificatus. Quod in annum Domini. M. C. LXXVIII. incidit. In  
 Richardi locum Reynerus Cardinalis in Hispaniam Legatus concilio Le-  
 gione habito Petrum loco mouet, neque legibus neque auspiciò rebus  
 præfectum. vt Pelagius libertati ecclesiæque restitueretur, impetrari 10  
 non potuit. agente tantum Raymundo Burgundo Regis genero tunc su-  
 perstite, Pontifici persuasum, vt Dalmachius Cluniacensis monachus eò-  
 que Pontifici, nimirum ex eodem ordine, carus ecclesiæ Compostellanæ  
 præficeretur Episcopus. ab hoc, cum Claromontem ad generales de bello  
 sacro conuentus, vnus è multis Episcopis abiisset, impetratum est: vt  
 ecclesia Compostellana sui iuris esset, ac Romanæ tantum contribu-  
 ta. Eius prærogatiuæ argumento Compostellani Præsules, non ab alio,  
 quam à Romano Pontifice præsentis sacrentur. vt pallium daret præ-  
 cipuæ dignitatis insigne, adduci non potuit, quamuis magna ad id conten-  
 tione à Dalmachio adhibita, supremoque conatu. Lux aliqua reddi- 20  
 ta rebus, breui obscurata est. Dalmachij obitu nouæ lites extiterunt.  
 Pelagius liberatus vinculis Romam abiit, honorem quo iniuria spolia-  
 tus erat, (sic ille ferebat) iudicio repetiturus. controuersia in quartum  
 annum tenuit. Paschalis Pontificis Romani auctoritate Pelagio abdi-  
 cato, Compostellani sacerdotes de nouo Episcopo substituendo agunt. Ven-  
 tum in comitia. Dieghus Gelmirus antea vacuæ ecclesiæ impositus re-  
 ctor pro Episcopo, id specimen virtutum dederat, vt si vita suppete-  
 ret, idoneum esse qui Episcopus præficeretur, nemo dubitaret. Cæteris  
 ergo canonicis prætermisissis, vnus aliorum omnium voluntate præla-  
 tus est ipsis Iulij Kalend. datum etiam vt propter motus reipublicæ acce- 30  
 ptas impendentesque calamitates à barbaris, in Hispania sacrentur. Addi-  
 tum nouo diplomate, vt septem Cardinales sacerdotes, ad instar Ro-  
 manæ ecclesiæ, Compostellæ essent. Ijs tantum in ara templi maxima  
 ius esset diuina hostia sacrificandi. Gelmirus ab hoc initio studio elatus  
 ecclesiæ, quam regendam susceperat, nouis honoribus amplificandæ Ro-  
 mam abiit: & quamuis multis repugnantibus pallij vsum Pontifice conce-  
 dente abstulit. qui illi atque Compostellanæ ecclesiæ gradus extitit ad Ar-  
 chiepiscopatus honorem: quo à Calixto Pontifice Romano post aliquot  
 annos est auctus. vti subsequens narratio declarabit. Hæc quamuis per  
 plures annos gesta, ex Compostellana historia repetere atq; in hunc locum 40  
 conferre visum est.

*Petri & Alfonsi Regum obitus. Cap. VII.*

CLADIS



CLADIS in Castella acceptæ memoria famaue ne magno-  
 pere lætarentur barbari, Aragonij Regis perpetua felicitas  
 effecit: armaque, quibus barbari in diuersa Hispaniæ parte  
 impares erant. Calasancium castrum prope Boleam ablatum  
 Mauris erat. Pertusa peruetus Ilergetum oppidum ad Caria-  
 dris ripam, præterea Barbastrum vrbs recepta est. nam ad Maurorum di-  
 tionem redierat. Pontius Rotensis Episcopus Romam abs Rege legatus  
 à Pontifice impetrauit, vt Barbastrum Episcopus deinceps nominaretur &  
 esset. Præcipua belli moles in Cæsaraugustanos vertebatur: quæ vrbs vete-  
 ri Regum stirpe sublata, in Almoravidum potestate esse cœperat. Hi au-  
 tem Reges in ea vrbe imperium tenuerant: primus Mudiris, deinde Hyaia,  
 tertius Almudafar, & ex alia gente Zulema, Hamas, Iuzephus, Almu-  
 zacimus, Abdelmelich: ac postremus huius filius Hamas cognomento Al-  
 muzacayrus, cui Almorauides abstulerunt imperium. In Gallia Atho, qui  
 Raymundo Barcinonensi Comiti Arnaldi patre defuncto Carcaſonem  
 urbem ipsius fidei commissam proditorie occuparat legitimo imperio re-  
 pudiato, ciuium coniuratione vrbe pulsus: ciuitasque ad veterum do-  
 minorum imperium reuocata est, anno millesimo centesimo secundo. 1102  
 Quo anno Armengaudus Vrgeliæ Comes in Baleari maiore, quo vir-  
 tutis ostentandæ causâ transmiserat, à Mauris interfectus est: vnde illi Bæ-  
 learis cognomentum accessit. Pinciati, quæ nostris Vallisolerum esse  
 creditur in Vaccæis, Petrus Ansurus copijs & clientelis, genereque no-  
 bilissimus sub Alfonsi Regis imperio obtinebat, vxor Elo, filia Maria,  
 quæ Armengaudus Vrgelitano Comiti filium genuerat: cuius teneram  
 ætatem auus Ansurus rexit, & idoneo tempore ei Arsendam principi  
 loco foeminam connubio iunxit. Quartus huius seculi annus tribus cla-  
 rissimis funeribus foedus fuit. Petrus Aragonij Regis filius & Elisabetha  
 soror, eodem die ad quintumdecimum Kalend. Septembris decesserunt.  
 Rex ipse proximo mense, quarto Kalend. Octobris, dolore victus, an in-  
 cidentis morbi vi superatus. ad D Ioannis Rupensis sepultus est. Petrò sa-  
 nè sub initia belli sacri, posterisque Regibus, atque regni proceribus Vr-  
 banus Pontifex Maximus indulſit, vt templorum, quæ denuo extructa es-  
 sent, vel Mauris eriperentur: decumas & redditus ipsi perciperent, exceptis  
 tantum ijs templis, vbi Episcoporum sedes erant. tanta erat cupiditas im-  
 pia gentis extirpandæ, vt quid incommodi ea indulgentia allatura esset in  
 posterum, non satis considerare viderentur. Omnino mœrorem, quem ex  
 tribus his funeribus vniuersa prouincia ceperat maximum ac propemo-  
 dum singularem, spes de Alfonso defuncti Regis fratre, qui mox in regno  
 successit, concepta animis magna ex parte mitigauit. cuius diuturnius im-  
 perium fuit: maior rerum gestarum fama, atque felicitas, grauitas, constantia,  
 fides, virtusque bellica, amplitudo ditionis maxima. Nam altero regni anno  
 Vrracam Alfonsi Regis filiam patre expetente toro sibi iunxit. Tamet-  
 si regni proceres id ægrè tulisse visi sunt: Regemque senio morbisque  
 debilitatum, ægramque vix animam trahentem hortari conati erant,  
 vt

vt Gometio eam Candespina Comiti diuitijs ac potestate reliquos Castellæ regulos superanti, vxorem potius daret, quam externum aliquem Principem aduocare esset necesse. satis externorum hominum in prouincia versari: sacri atque profani imperij summam penes ipsos esse, cum nominis Hispani ignominia probroque. Eius consilij, quoniam pro se quisque Regis iracundiam verebatur, renunciandi cura Iudæo cuidam medico imposita est: quo valetudinis curandæ causa multum ac familiariter vti consueuerat. Iussus est molles aditus captare: & quantam posset verborum gratiam postulato addere. Maganij (alij Mascaraquij scribunt) prope Toletum Rex animi leuandi causa morabatur. Iudæus occasione nactus, Regi quod iussus erat, renunciat. ille iniquissimo animo tulit, proceres tantum sibi sumere, vt filia nuptias ad suum arbitrium reuocarent: atque ita vt medicum perpetuo regis aditu suoque conspectu prohiberet: moxque Bernardi Præsulis hortatu, qui à Regis latere non discedebat, filia & Alfonsi Regis nuptias maturaret. Quæ regio apparatu ac celeberrima pompa Toleti celebratæ sunt anno millesimo centesimo sexto. Rex ea læticia animo tantisper recreato, & doloris quem ex casu filij conceperat vlciscendi cupidus, id ætatis ne quam contumeliam remanere in exercitu Christiano sineret, arma rursus induit. Rursus in Bæticiæ fines penetratum. in homines & iumenta sæuitum: ne tectis quidem, segetibus, arboribus parcitur. omni belli iniuria prouincia tota vexatur. Reliquum vitæ tempus ad otium & dignitatem contulit: ad quod extrema ætas, regni fortuna, & rerum gestarum gloria inuitabat, non militaribus solum, sed ciuilibus etiam muneribus, quantum fas erat in tanta curarum mole, abscedens. Vrbes Salmanticam & Segobiam, (vt Lucas Tudensis est auctor) bellorum iniuria deformes, vacuasque incolis instaurandas, muniendas, exornandasque curabat. Petrus Ansurus, quem ego ea ætate in primis grauem hominem & sapientem comperio, Vrracæ in minori ætate institutor extiterat: & nunc auctoritatis & gratiæ proximum locum apud Regem occupabat. Eius auspicijs bello paceque consilia gubernabantur: rerumque summam & molem vnus maxime virtute & prudentia regere videbatur. Quo tempore Regem annis fessum, nam septuaginta nouem annos vixit, ad ætatis incommodum annua atque septimestris valetudo afflixit: quamuis medicorum iussu equo quotidie veheretur, si exercendo corpore morbum leuaret. à causis remedia omnia superata, nullis salutaribus succis sanitate reuocata. Toleti decessit feria quinta Kalend. Iulij, salutis anno millesimo centesimo nono, vt Pelagius Ouetenensis auctor est locuples: nam & testis oculatus per ætatem esse potuit. Regnavit à patris morte, annis tribus & quadraginta, rebus secundis modestus, aduersis haudquaquam fractus. Nam tulisse illum fortunæ impetus fortiter & patienter ferunt. magna laus omniumque maxima ferre quod necesse est: & quidquid homini accidere possit id præmeditatatum habere. prudentis est prouidere ne accidat, constantis animi fortiter ferre rerum humanarum vices. Multitudo præsertim

sertim popularis mobili impetu regitur, neque maiora sunt formidinis principia, quam remedia. Itaque Alfonso defuncto, cuius anima res communes stare visæ erant, Toletani ciues, qui plurimum ex colluione multarum gentium constabant, de deferenda ciuitate consilia agitabant. Dum eorum animi confirmantur, Regis corpus ad vigesimum diem in vrbe mansit. tumultu composito sedatisque animis, Bernardo Toletano Præsule curante, alijsque Principibus prosequentibus funus, in S. Facundi cœnobium ad Ceam amnem illatum est, magifico apparatu, non magis Regis casum quam reipublicæ iacturam vniuersa prouincia verissimis lachrymis deplorante. Eas lachrymas, ac vero consequentes ex tanti Regis morte calamitates, lapides ipsi Legionem portendisse visi sunt ad altare D. Isidori, vbi sacerdos pedes ponere consuevit rei diuinæ operaturus, octo diebus ante Regis obitum aquis vltro, magno omnium qui aderant miraculo, tribus diebus ex interuallo manantes. Pelagius continuis tribus diebus accidisse ait, Iouis, Veneris, Saturni: affuisse cum supplicatione Pontifices sacrosque viros: luctumque significatum, qui optimi Principis obitu Hispaniam occupaturus erat. Alfonso Rege, Burgis quidem, Lescmius homo natione Gallus, atque excipiendis hospitio peregrinis nobilis, in præcipua opinione sanctitatis vixit. Eius memoria anniuersarijs sacris temploque dicato, ea in ciuitate celebratur. Ab Anagaro autem sextodecimo milliari Dominicus quidam natione Hispanus, aut vt alij volunt, in Italia ortus, æquè celebris est habitus eodem officio pietatis: quoniam vijs muniendis atque complanandis, qua Compostellam ibatur, diligentem operam dabat, Calzadij vernacula Hispanorum lingua cognomentum inuenit. Huius viri industria Regem vsum arbitror pontibus extruendis, quos Lugrunio Compostellam vsque constituendos curauit. Extat Dominici templum eius nomine extructum per amplum & magnificum, pagusque coniunctus, qui deinde in urbem excreuit, primum Calagurritani Episcopi subiectam ditioni, deinde Hispaniæ Regibus. De qua re extat diploma Ferdinandi Regis, eius cui vitæ merita Sancti appellationem pepererunt. Præterea Iudæus quidam Moyses nomine, eruditionis laude, & multarum linguarum cognitione prestans, sub extremam Alfonsi ætatem abiurata patria superstitione, Christiana sacra suscepit. Rex ipse de baptismi fonte suscepit: vnde Petrus Alfonsus nuncupatus est. Iudæorum & Maurorum sectas de scripto exagitandas suscepit: multique ex vtraque gente eius opera ad sanitatem sunt perducti. Aragonij scriptores huius Iudæi conuersi laudem, ad Alfonsum Aragonium Regem ablegant: & Oscæ ad tertium Kalen. Iulij anno millesimo centesimo sexto Christianis sacris initiatum esse ab Stephano Oscensi Episcopo Rege Aragonio susceptore affirmant. Nobis in neutram partem pronunciare placuit. quisque ex suo iudicio quod verissimilius videbitur, id sequatur.



VO tempore Alfonso Castellæ Rex decessit, Vrraca filia ad quam iure regnum deuoluebatur, virum secuta aberat. Qui non satis fidendum putabat procerum Castellæ voluntatibus, quos ab eo coniugio auersos fuisse nō ignorabat: neq; se eorum fidei committere, nisi valido suorum præsidio ad omnes casus munitus. præterea varia regni negotia distinebāt, ne uouam & amplissimam cerneret hæreditatem. Cuncta tamen ad noui imperij decorem composita, dilata voluptates, dissimulata Reginæ libidines: quæ non sine fugillatione maiestatis nimium in leuitatem atque turpitudinem incubuerant. vrbibus, arcibus, atque præsidijs, præfecti ex Aragonia gente dati: ne se Castellani rerum nouarum cupiditate commouere possent, scilicet agebatur. Petro tamen Anfurio, cuius cum vtraque gente magnæ necessitudines erant, summa reipublicæ gerendæ cura imposta est: ad eum imperij summa redibat, belloque & pace rerum omnium gubernator erat. Eius auspicijs reipublica felicem cursum tenere videbatur. Haud diuturna potentia fuit. Regina impotenti animo fœmina, cum præmissa in Castellam à viro esset, quem parentis loco habere debuit, iniuste Anfurium peruertit: ditioneque paterna eiecit (Principum gratia nihil inconstantius lubrica fluxaque: procliuus est, iniuriæ quàm beneficio vicem exoluere) nulla id iustiori de causa, quàm quod in litteris Regem Castellæ Alfonso Aragonium scripsisset. id palam iactabatur. initi coniugij Reginam haud obscure pœnitere cœperat, frænos iniicientis impotenti naturæ: & ut ipse suspicor grauissimi viri increpationes ob malè tactas libidines, ferre non poterat. Graue id Regi visum est, viro clarissimo fraudi esse suam innocentiam, & merita virtutum, pro quibus debebatur præmium. Itaque Anfurio ditionem quæ ablata erat, restituit. Ipse Reginæ iracundiam veritus Vrgeliam contendit: quam urbem in eius procuratione fuisse dictum est. Magnorum motuum hæc initia fuerunt. neque tranquillæ res esse poterant in tanta voluntatum & studiorum colluione, tanta alienatione Reginæ, licentiaque vitæ. Ex Bætica nouum periculum ostentatum. Hali Rex Maurus cognita Alfonso morte, in nostros fines irrupit, ferox & validus. Azecham arcem, & S. Seruandi monasterium in ipsis ciuium Toletanorum oculis euertit. agris villisque fumantibus ipsam urbem circumfedit, & diebus octo omnibus machinis impugnavit. rem Christianam periculo proximam, situs natura, noua mœnia ab Alfonso Rege nuper instituta ad inferiorem vrbis partem, Aluari Fannij virtus tutata est, viri ea tempestate cum primis potentis, strenuique: cuius extat sepulcrum in Campo Sicutendensi in parte Celtiberiæ: vbi multorum oppidorum principatum obtinebat. Barbari spe vrbis obtinendæ deiectioni, Madrito & Talauera in reditu direptis, mœnibusque nudatis, ingenti præterea præda abacta redierunt in patriam. In alia Hispaniæ parte, bello Aragonius Maurico distentus, Exeam in Vasconibus nobile oppidum cepit, salutis anno millesimo centesimo decimo. ad Valterram Abuhafale-

mus, quem vulgò historia Cæsaraugustæ Regem vocant, acie superatus. His rebus patris Alfonso socii exemplo se Hispaniæ Imperatorem dicit, si amplitudinem ditionis consideres, haud temerè cum Regum potētissimus euasisset, omnium qui post Hispaniæ cladem exiterant: imprudenter tamen cum ex alieni iuris ditione atque temporario imperio tantus spiritus sumeret. Omnino in Castellam rebus domi compositis delatus, proximo anno, comitate morum atque benignitate, gentis voluntates promereri studet. Ius ipse dicere populis, viduas, pupillos, egenos à potentiorum vi iniuriaque tegere. Optimates pro suis quemque meritis colere atq; augere, rempublicam bonis omnibus ornare atque amplificare. vnus Reginæ per-uicax animus non flectitur. Bilforadum in Beronibus, Valeránica, Soria, Almasanum in Areuacis, quæ oppida bellorum iniuria vasta erant, colonijs deductis instaurata Regis cura. Repetita Aragonia Rex, non ignarus instandum famæ, & prout prima euasissent, fore vniuersa, aridentem fortunam vrgere, maioriq; conatu bellum in barbaros instaurare cogitabat: cum res in Castella importunissimo sanè tempore turbata est. Alfonso Vrracam vxorem à patre tertio propinquitatis iure attingebat. proauus vtriusq; Sanctius Rex Vasconum cognomento Maior. nondum moribus receptum erat vt Pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta, coniugia inter cognatos coirent. Itaque passim consideramus per hæc tempora connubia Principum direpta esse, cognatione inter coniuges illegitima iniustaque. Hanc vnã arbitror esse causam cur Alfonso hic in nullo Castellæ Regum numero ponatur apud veteres scriptores. neque verum est, fixas vetustate opiniones nouis placitis conuellerè: quod quidam faciunt Regem hunc Alfonso nomine septimum inter Castellæ Reges numerantes: in quam quid iuris habere potuit, legitimo hærede ex priori coniugio nato, posteriori matrimonio vitioso, & legibus repugnantibus inualido? Regina ob importunas actiones ad arcem Castellare in custodiam tradita, re cum suis communicata in castellam euadit. verum à regni proceribus ad virum remissa, carceri denuò mancipatur Caleciæ proceres, vbi Vrracæ filius Alfonso ex aui testamento rerum potiebatur, inter se inire societates aduersus Aragonios cenatus: coniugium, quod inauspicatò coierat inuita nobilitate, dissoluendi occasionem naçti. Ex ea re in animis hominum religiones excitatæ, ei obtemperare fas esse negantium qui legitimus Rex non esset. Ad Paschalem Romanum Pontificem missa legatio: causa omnis exposita: ab eoque diploma ablatum: quo causæ cognitionem Didaco Gelmirio Compostellano Præsuli mittebat. Eius diplomatis fragmentum subiicimus

„ PASCHALIS seruus seruorum Dei venerabili fratri D. Compostellano  
 „ Episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Ad hoc te omnipotens  
 40 „ Deus populo suo præesse constituit, vt eorum peccata corrigas, & Domini  
 „ annuncies voluntatem. Stude igitur secundum datam tibi diuinitus facultatem, tantum incesti facinus, quod à Regis filia perpetratum est, debita vltione corrigere: vt vel à tanta præsumptione desistat, vel ecclesiæ confortio, & seculari potestate priuetur. Quid dati iudices, seu potius mali vindictio, & seculari potestate priuetur. Quid dati iudices, seu potius mali vindictio, & seculari potestate priuetur.



ces designati constituerint, memoriæ proditum non est. Illud constat, ex eo tempore Alfonso in Præfules iniquo animo esse, atque adeo sæuire cœpisse. Burgenfis & Legionensis loco pulsi: Palentinus captus, S. Facundi Præfectus spoliatus, atque in eius locum Regis frater Ramirus monachus ipsius nominatione & opera cooptratus. Bernardus Toletanus extra diœcesim biennium exulare compulsus, nihil prohibente legationis pontificiæ sacrosancta maiestate. Quo tempore concilium Palentinum, cuius acta extant, & Legionense habuit cum alijs episcopis & proceribus, ac in primis Gelmirus Compostellanus interfuit. vna cura pacis in prouinciam reuocandæ vniuersos sollicitabat. In Calæcos Aragoniæ & Vasconum arma mota. Montero-  
 10 sum arx ijs locis vi expugnata. uiris sanctis internuncijs Aragonius arma ponit. Agebantur omnia raptim atque perturbatè, neq; quid legibus liceret, considerabat. præsidia tantum vndique conquirere videbatur, regno quod occupabat, obtinendo. qui repugnabant bonis euerfi dignitatis gradu deiciebantur. Calæci metu depulso Henricum Portugaliæ Comitem in partes trahunt. Alfonso puerum Compostellæ Regem salutant in templo maximo, & sacro oleo inungunt. Gelmirus Præsul totius cæremonię Antistes. Petrus Trauæ Comes qui Alfonso ætatem regebat, omnium consiliorum auctor. Alfonso Aragonius eo nuncio percussus repudio factò, Reginam  
 20 Soria dimittit, in cuius vrbs arce custodiæ rursus mancipata erat: imperandi tamen dulcedine illectus, dotalem ditionem non deponit. Id iniquum esse omnibus videbatur. Urbium, & arcium præfecti cum iurisiurandi gratiam non faceret, quod in eius verba conceperant, quasi soluti religione, passim in Reginæ potestatem concedebant. Idem facit Petrus Ansurus prius vir moris. Qui de fide tamen data sollicitus Alfonso Aragonium collum laqueo implicatus adiit, vt iurisiurandi tradendis arcibus suæ fidei concreditus violati pœnas sumeret, quo se imprudenter implicarat. Com-  
 30 morus primum Rex eius aspectu, deinde à proceribus admonitus præclare eum in vtraq; re officio defunctum, animo ad humanitatem reuocato, cum multo verborum honore noxam condonauit. Proceres tota prouincia in commune pro salute, & libertate patriæ conspirant, quiduis pati potius parati, quam Aragonium imperium. Gometius Candespiniæ Comes, qui olim Reginæ nuptias ambierat, & modò ætatis flore amplius conciliatus fuerat, quam regia maiestas pudorq; foemineus pati posset: se principem ex omnibus bellum defensurum, illaturumque vltro Aragonijs profitebatur. Petrus Lara Comes in Reginæ amoribus riualis, proximum auctoritatis & potent-  
 40 tiæ locum occupabat. Ducum dissidio, neque pax publica stare, neque bellum ex sententia geri poterat. Alfonso valido suorum exercitu conflato, in Areuaces limitimos irrupit. Occurrunt Castellæ copiæ, ad Sepuluedam vtraque castra posita sunt. vtrinque pugnæ signum propositum. In prima acie Lara regulus erat, in postrema Gometius Comes: medium agmen alij proceres gubernabant. Rex quadrato agmine in pugnam inuadit. in campo cui Spiniæ nomen est, dimicatur. Lara regulus primum certaminis impetum non tulit, fugaque Burgos ad Reginam aduolat de prælij euentu sollicitam,  
 mollis

mollis æquè & ignauus. Gometius aliquanto melior vim hostium solus sustinet: fulis que atque fugatis copijs in prælio pugnans occumbit. id virtutis extremum testimonium reliquit. nec minori constantia fuit Bolea Gometij signifer, qui equo confosso, & vtraque manu amputata vexillum vtroque brachio amplexus, inclamansque Boleæ nomen, multis acceptis vulneribus occubuit. Henricus Portugaliæ Comes magis turpitudinis odio, quam quod Alfonso causam probaret, se Aragonijs adiunxerat. magno id momento ad victoriam fuit. Ex rebus initio lætis magna confidentia nata. Itaque Durio transmissò, per Palentinos fines Legionem vsq; Aragonij penetrant.  
 10 omni belli iniuria agri, oppida, pagi vexantur. Calæci proceres reparatis viribus, denud certaminis aleam subire constituunt. ad Fontem Anguium (loco id nomen est Legionem inter & Asturicam) supremo conatu dimicatum. eadem prælij fortuna fuit, Aragonijs secunda, a Castella auersa. Petrus Trauæ Comes in prælio captus, magna vir auctoritate potentiaque: qui Vrgelitani Comitis Ermengaudi filiam Maiorem nomine connubio iunctam haberet. Alfonso puer à Gelmirio Præfule à pugnæ periculo subductus Orsilonis arcem petijt, vbi Regina mater erat. Nulla ea ætate nobilior pugna fuit, Castellæ clade strageq; cum primis memorabilis. Tritium, Burgi, Palentia, Legio secundum eam victoriam abs Aragonio Rege in fidem  
 20 acceptæ. pecuniam in stipendium Aragonius non habebat. Lusitani consilio in templorum thesauros manus iniectæ, quos inde mouere religio erat. Isidorus alijsque Diui grauibus inflictis pœnis eam iniuriam vindicarunt: odiumque populare vocesque, impium facinus accusantium graua violatores manere piacula. sic repente belli fortuna mutata. In Carpetanos belli impetus conuersus est. mox Asturica obsessa: quoniam ea parte bellum contractis vndique copijs Reginam reparare nunciatum erat. Martinus Munio supplementi causa, Aragonios trecentos equites cum ad Regem adduceret, hostium insidijs circumuentus, cæteris fugatis cæsisque viuus ipse captus est. Rex ea calamitate commotus, & maioris periculi metu, copijs immi-  
 30 nutis numero, atque per præsidia diductis, Carrionem loci munitione confusus se recepit. ab hostibus intra id oppidum aliquandiu est circumfessus: donec Abbatis Clusensis, qui à Pontifice pacis componendæ causâ Legatus venerat, opera, & auctoritate induciæ dierum aliquot pactæ. nec multo post obsidio est dissipata. Raptim & temerè collecti milites, nullo duce, cuius imperium cuncti respicerent, vagi per agros, non principia noscere, non seruare vigilias, neque militarem disciplinam pati poterant: neque diu retineri in castris. Aragonia arma depulso periculo, in Larenfis reguli oppida & arces conuersa. Alia parte Reginæ arma mouebantur. arx Burgenfis diuturna obsidione fatigata Reginæ deditioem fecit, deiecto Aragonio præsi-  
 40 dio. Petrus Lara cum Reginæ nuptias ambiret, seque pro Rege ferret, morum superbia atque arrogantia, multorum animos alienarat: ac verò publica flagrabat inuidia. nomen eius & Reginæ probrosus carminibus proscindebatur: prorsus vt in Mansiliæ arce captus à Guterrio Fernando Castrio, custodiæ primum mancipatus, deinde custodia elapsus, longinqua fuga se

se regere fuerit compulsus, Barcinonemque petere: cum omnes circum finitimos infensos haberet. Ea Petro Laræ regulo fugæ causâ fuit. erat is natus patre Diegho Ordonio, eo qui pro Zamoræ portis aduersus Arias fratres singulari certamine dimicauit. Alfonsus puer propensa omnium ordinum voluntate, Castellæ Rex renunciatus est. regnum armis erat recuperandum, tricipiti factione, atque ambitione conuulsum. Ex Alfonsi pueri inauguratione, non minor matri quam vitrico dolor erat. Cum eius incrementis suum ipsorum casum implicatum fore, vates minimè vani diuinabât. Vrraca filij iracundiam verita, & inter suorum odia destituta, Legionis se arce tenere constituit: loci munitione confisa, in tanta quamuis alienatione prouincialium regiam dignitatem tueri posse. verùm arcem obsidente filio, pax tandem ea lege facta est, vt redivitibus vnde vitam sustentaret designatis, regnum ipsa filio cederet: quod populi & procerum eximia voluntate delatum erat. Rationem annorum rebus singulis designare in tanta opinionum varietate promptum non est: ac mirari magis possis in rebus non antiquissimis hallucinari scriptores, quàm quid verum sit constituere. Ac ne satis quidem constat, quo anno Vrraca decesserit. plerique septimodecimo circiter anno putant à morte patris. pudicitiam sanè dum vixit haud satis honestè habuit. in Saldaniæ arce ex partu extinctam ferunt, æternum Hispaniæ dedecus. alij Legionem affirmant, cum thesauros D. Isidori expilasset, quos auferre nefas erat, in ipso templi limine ruptis visceribus, manifesta numinis vindicta expirasse. Illud minori fide nititur: ex Regina & Gometio Candespina Comite, Ferdinandum quendam natum, cui furto concepto Furta-di cognomen fuit, eius familiæ conditori, cui idem cognomentum insigne est in Hispania nobilissimæ atque præpotenti.

*Bellum Balearicum Cap. IX.*



**H**UNC cursum commotæ in Castella res tenebant, quo tempore Christianorum armis Balearici & Cæsaraugustani Mauri multarum gentium conspiratione impetebantur. Gibertus Prouinciæ in Gallia, & Aimilliani Comes decesserat, Dulcia filia principatus hærede. Raymundus Arnaldus Barcinonensis Comes, cui Dulcia nupsérat, viribus & potentia validus, tantique principatus accessione formidabilis, vtriusque gentis viribus Baleares insulas occupare constituit: vnde Mauri piraticam exercentes, in finitimam Hispaniæ & Galliæ oram excursiones facere, & omnia circum direptionibus vexare consueverant. id meditati classe opus erat valida & numerosa. nouam ipse in suis littoribus curat ædificandam: quo ab initio Catalauniæ classes celebrari fama, latèque maris imperium obtinere cœperunt. Genuenses & Pisanos ea tempestate mari potentes præfens adit: & ad Balearici belli societatem inuitat, victoriæ præmia proponit, nominis immortalitatem, si eorum virtute barbari deiecti ijs insulis essent: vnde velut ex munitissima arce piorum ceruicibus imminebant. Pollicentur illi milites & naues: mituntque

tuntque ad tempus constitutum. his auxilijs ad copias Catalaunorum adiunctis, in insulas traicitur. bellum graue atque difficile fuit. Mauri enim viribus diffisi, & ad artes conuersi, pars arcibus & oppidis, pars montibus se tenere constituunt: neque vniuersæ dimicationis subire aleam, varios & multiplices bellorum casus esse cogitantes: nostros inopia aut morbis, aut diurnitate temporis frangi posse. victæ tamen nostrorum constantia omnes difficultates, vrbsque præcipua in maiori Baleari expugnata est anno millesimo centesimo quindicesimo. Raymundus Barcinonensis Præful in ea expeditione decessit. successit Oldegarius qui paulò post defuncto Berengario Tarraconensi Episcopo, in eius locum cooptatus est. Vrbe capta, reliqua procliuia videbantur: cum barbaros in cõtinenti nunciatum est, an spe prædæ, an vt Comitem suo periculo commotum ex insulis retraherent, in Barcinonenses fines inuectos prouinciam omnem formidine, trepidatione, luctuque complere: vrbe ipsam obsidere. Is nuncius multiplicem animo Comitum curam iniecit. hinc timor amittendi sua, illinc conficiendi noui belli cupiditas in diuersum trahebant. Vicit tamen periculi metus, precesque suorum: & Ligurum fidei Balearibus commissis, ipse in continentem traicit. Barbari continuò obsidione soluta ad Martorellum victi, fugatique sunt. agmine magis, quàm acie pugnatum. multi ex eorum numero ceciderunt. Eius victoriæ lætitia vt minor esset, gemina incommoda secerunt. Ligures Maurico auro corrupti insulas barbaris reliquere, vt Catalauni scriptores affirmant. nam in Genuensium historijs de hac expeditione mirum silentium est. In Galliæ Narbonensis ora Carcaso vrbs amissa. Atho dudum eius vrbs imperium occuparat armis, nullo iure. cum acerbè imperaret, ciuium conspiratione pulsus est: vrbsque principatus Comiti Barcinonensi restitutus, cuius ab antiquo erat: vt paulò ante monstratum est. Atho Guillelmi Comitum Pictauiensis viribus ciues ad deditonem compulit. Rugerius Athonis filius natu maximus intra moenia acceptus, arma deponere iubet. cum dicto paruissent in miseros ciues sæuitum: crudelitatis, inhumanæ superbiam edita in dedititios exempla. plerique ex vrbe elapsi Barcinonem confugiunt. Horum precibus Arnaldus Comes sollicitatus, comparato valido exercitu in Galliam irrumpit. Annitentibus viris sanctis, quibus ægrè erat optimi Principis vires à belli sacri cogitatione abstrahi ciuili bello excitato, pax ea lege composita: vt quod Guillelmo Pictauiensi promissum erat, mutata fide Atho posteriq; vrbe retenta Barcinonensium stipendiarij essent. Atque is Guillelmus Pictauiensis Comes, nulla honesti cura ex aliena calamitate bellaque ex bellis ferendo ditionem augendi occasiones captare videbatur. nam Raymundo Tolosate Comite ad bellum sacrum in Syriam profecto (vt superius dictum est) eius ditionem omnem in Gallia armis occuparat, homo immodicus, & iudicia hominum nihil reformidans: neque quid de eo fama loqueretur pensi habens. Raymundi filius Bertrandus per hæc tēpora ex Syria vbi Tripolim ditione obtinebat, patre in eius vrbs obsidione sagittæ ictu sublato, peractis stipendijs redux in patriam, veteris principatus recuperandi consilia cum finitimis Principibus cœpit commu-  
nicare:

nicare: ac cæteris desperatis ad Alfonso Aragonium Regem, cuius virtutum fama celebris erat, & magnæ inter vtramque familiam necessitudines à maioribus initæ, confugere constituit. Quantum nefas? patrem amiserat & florem ætatis in bello sacro, tam procul a patria: multos labores & maxima pericula tolerauerat: & ablata tamen patria principatuq; , alienæ misericordiæ præsidium petere coactus est. Barbaltri benignè exceptus Rhutenos, Agathenses, Cadureos, Albigenes, Narbonenses, Tolosates, & his finitimas vrbes Aragonijs Regibus ea lege vectigales esse voluit: si eorum armis ipse & posteris patriam ditionem recepissent. quod foedus salutis anno  
 1116 millesimo centesimo sextodecimo initum est. neque tamen Bertrandus restitutus, magna Pictauiensium potentia, Aragonijs armis partim ciuili bello aduersus Castellam, partim pro aduersus Mauros occupatis. aliquot tamen post annis Alfonso Iordanus Bertrandi frater, cum in arce à Pictauiensi Comite captus teneretur, à ciuibus Tolosatibus è custodia eductus ad imperium vrbs est Guillelmo Morello deiecto: qui pro Pictauiensi Comite eam urbem præsidio obtinebat. Ex Alfonso Raymundus filius, Raymundus nepos, pronepos item Raymundus pregnati, eius vrbs principatum tenuere: donec Raymundi postremi filia Ioâna nomine, cum alia is prole careret, Alfonso Pictauiensi Comiti nupsit. Ex eo coniugio cum nulla esset proles suscepta, Ludouicus Sanctus Galliæ Rex Alfonso frater, eo defuncto Pictauienses, & Tolosates ad suum imperium adiunxit.

*Cæsaraugustanum bellum. Cap. X.*



ALFONSI Aragonij imperio Cæsaraugustani Mauri finitimi erant: propter vrbs nobilitatem & amplitudinem potentes in primis & validi. identidem in vicinos Christianorum agros excursions faciebant: neque vlla prætermittebatur clades, quæ à barbaris hominibus edi poterat. His malis Alfonso prouocatus, quamuis Castellæ bello nondum planè confecto, eam urbem copijs omnibus & viribus expugnare parat. Magnus labor, ingentia pericula proponebantur: quæ inuicti Regis constantia facilè contemnebat. Tahustum ad Iberi ripam lautissimum municipium Bacallæ opera captum est. Borgia ad fines Vasconum, & Magalona, aliaque eo tractu oppida, & arces. Almogaraues, hoc est, veterani milites præcipua dexteritate, & multis bellis aduersus Mauros exerciti, Castellare arcem, quam supra Cæsaraugustam loco edito ad Iberi ripam extructam esse superius est demonstratum, valido præsidio obtinere iussi sunt. commeatum, arma, tela inferre, vt infesta circa omnia hosti facerent: si casus ferret, obsidionem etiam quamuis longi temporis sustinerent. Id Cæsaraugustani belli initium fuit: ad cuius famam  
 40 multi ex vniuersa ditione, sed & ex Galliæ finibus viri principes exciti ad arma auxilio venerunt. Galto Bearnensis, Rotro Perticarum, Centullus Bigeronum Comites. Ex vtraque gente validus conflatus exercitus, Cæsaraugustam omni ex parte circumferre cœpit salutis anno millesimo centesimo

mo octauodecimo, mense Maio. suburbium, quod interficiente flumine ab vrbe direptum est, intra octauum diem expugnatum. Rotro Perticarum Comes ipso obsidionis tempore cum sexcentis equitibus abs Rege missus Tudelam nobile Vasconum oppidum, ad Iberi ripas loco munito constitutum, improviso occupat. nauatæ operæ merces fuit eius municipij principatus. Mauri ex Hispania, cum in eius belli euentu totius imperij Maurici discrimen verti considerarent, magno numero obsessis opem ferre conuenerunt. Affuit ex Africa Teminus cum valida Maurorum manu. ad Orbæ tamen fluminis ripam, supra urbem ad Mariæ arcem, quam Mauri obtinebant castris positus, cum numero & virtute nostros superiores esse cerneret, in intimam Celtiberiam abiit. Ciues rerum inopia, & quod in malis supremum est, auxilij desperatione laborabant. nostri obsidionis diurnitate fessi, nouis operibus urbem expugnare parant. extructæ ligneæ turres & propugnacula: agebantur ad mœnia vineæ: dolabris subuebantur lapides: cum Cordubensis reguli (Temini is frater erat) filium supremo conatu in urbem penetrare iussum, appropinquare iamque affore nunciatum est. Nouo periculo commotus Rex Alfonso, cum copiarum parte occurrit pugnandi certus: ne si barbari in urbem penetrarent, re ipse infecta discederet. & erat illi cum hyemis asperitate, non minus quam cum hoste certamen. Ad Cutandem vicum non procul Daroca signa collata. cæsi fugatique barbari. Dux ipse captus. Cæsaraugustani Mauri euentu eius prælij cognito, spe omni defensionis abiecta, ad quintumdecimum Kalend. Ianuarias, urbem octauo obsidionis mense dederunt. Latissimus is dies Christianis illuxit, non magis præsentis fructu, quam certissima spe imperij Maurici extirpandi, firmissimo eo propugnaculo sublato. Petrus Librana ad spem vrbs potiundæ iam antea Cæsaraugustanus Episcopus sacratu, expiandæ vrbs curam suscepit, sacraque gubernandi. Galtoni Bearnensi, & Rotroni Perticarum Principibus præmia fuere, singuli in vrbe vici abs Rege perpetuo iure contraditi. sic ea tempestate mores erant, vt plures in vna  
 30 vrbe Principes constituere non formidarent. Ad Iberum trigesimo sexto ab ea vrbe lapide, Iulia Celsa nobilis quondam Romanorum colonia sita fuit: locus nunc vastus, & tribus inde millibus passuum oppidum Xelsa. id vnum antiquitatis vestigium conseruatur. in ea loca regia cæstra promotæ, cum primum per anni tempus licuit. in vicinos Maurorum agros irruptiones factæ. Inde in Celtiberos itum, gentem virtutis bellicæ opinione, locorum asperitate & regionum amplitudine cum primis validam armisque potentem. Ea prouincia alternantibus finibus olim, nunc latior nunc angustior fuit. proprie tamen ab Occasu ad Ortum à Salonis fluij fontibus, qui ad Medinam Celinam (quibusdam hæc Ecelesta fuit) scatent, ad Nertobrigam, quæ nunc Ricla est, protendebatur. Caunum montem ad Septentriones, ad Austrum Tagi fontes habet prope Albarracinum: quæ vrbs antiquis Lobebetum fuisse creditur. Ijs in locis belli fortuna nostris prospera, Mauris aduersa fuit. Victoribus omnia prona videbantur esse. itaque breui is tractus sub ditionem nostrorum missus: Turiaso, Alauona, Epila (quæ olim Segontia

tia fuit,) Calataiuba non procul antiqua Bilbili à Mauris extructa, Aiubi Mauri opus. in vicino mōte, Bombolæ nomen loco est. id vnum antiquæ vr bis vestigium remanet. præterea Hariza, Darocaq; captæ. vltra quam vr bem ad Silocæ amnis fontes Regis diligentia loco munito vrbs ædificata est, Montis regalis nomine: vt pro munimento esset aduersus Valentinorum Maurorum impetus. Carthusiani & Cistercienses monachi recenti memo ria vigere cœperant, præcipua morum & sanctitatis opinione. Hierosoly mis præterea Templarij & Hospitalarij milites, quadam inter se religiosa societate deuincti, rei Christianæ promouendæ diligentem operam naua bant. Itaq; Bernardi hortatu præcipui Cisterciensium conditoris noua vrbs 10 Templarijs militibus extructo cœnobio abs Rege contradita. Alij præte rea reditus attributi, quinq; spoliolorum, quæ in bello Maurico capta essent: vnde sacræ militiæ sumptus tolerarent, finesque Aragonij regni ea parte tu tarentur. Guillelmus Auxitanus Præsul ad id bellum suscipiendum, nouæq; militiæ conatus iuuandum, & Aragonij Præsules prouincialium animos inflammabant. Hoc initium Templarijs militibus in Hispania fuit earum opum, quæ cum immensum creuissent, deinde malo ipsis fuisse creditæ sunt. Verum hæc aliquanto post.

*Schisma Burdini Lemouicensis. Cap. XI.*

20



ROMANAM ecclesiam per id tempus Gelasius eo nomine II. Paschalis paulò ante defuncti successor obtinebat, magno vir animo: qui aduersus Henricum Imperatorem eo nomine III. pro ecclesiæ libertate, & personæ quam gerebat maiestate tuenda, inimicitias à maioribus susceptas persequi non dubitauit. atque ita vt Romam adueniente Imperatore, cum viribus esset impar, auctario per Tiberim Caietam, vbi natus erat, primùm euaserit: deinde in Galliam con tenderit, conuentu Episcoporum Remos vr bem indicto. Eius conatus mors oppressit. annuus pontificatus fuit. Cluniaci in ipso itinere decepsit: con 30 cessa paulò ante venia militibus Cæsaraugustam obsidentibus alijsque, mo dò in templi fabricam aliquid opis conferrent. Eius diplomatis, quoniam in primis est nobile, exemplum subiicimus. GELASIVS Episcopus ser uus seruorum Dei, exercitui Christianorum ciuitatem Cæsaraugustanam obsidenti, & omnibus catholicæ fidei cultoribus salutem & Apostolicam benedictionem. Litteras deuotionis vestræ inspeximus, & petitioni quam pro Cæsaraugustano electo ad sedem Apostolicam duxistis, fauorem liben ter accommodauimus. Eundem ergo electum nostris tanquam beati Petri manibus largiente Domino consecratum remittentes ad vos, benedictio nem vobis Apostolicæ visitationis impendimus. AEquam omnipotentis 40 Dei misericordiam implorantes: vt per sanctorum preces & merita opus suum ad honorem suum & ecclesiæ suæ dilatationem vos faciat operari. Et quoniam vos ipsos & vestra extremis obijcere periculis decreuistis: si quis vestrùm accepta de peccatis suis poenitentia in expeditione hac mortuus fuerit,

fuerit, nos eum cunctorum meritis, & totius catholicæ ecclesiæ precibus à suorū vinculis peccatorum absoluimus. Cæterum qui pro eodem Domi ni seruitio vel laborant, vel laborauerint, & qui præfatæ vrbs ecclesiæ à Sarracenis & Moabitibus dirutæ vnde reficiatur, & clericis ibi Deo famulan tibus vnde pascantur aliquid donant, vel donauerint secundum laborum suorū, vel beneficiorum suorū ecclesiæ impensorum quantitatem, & Episcoporum arbitrium, in quorum parrochijs degunt, poenitentiarum suarum remissionem & indulgentiam consequantur. Datum Alesti. III. Idus Decembris. Ego Bernardus Toletanæ sedis Archipræsul hanc abso 10 lutionem facio & confirmo. Ego Suboschitanus Episcopus hanc abso lutionem facio & confirmo. Ego Sanctius Calagurritanus Episcopus hanc absolutionem facio & confirmo. Ego Guido Lascurrensis Episco pus hanc absolutionem facio & confirmo. Ego Bolo sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis hanc absolutionem facio & confirmo. In Gelasij lo cum Cardinalium, qui aderant, nominatione Guido natione Burgundio frater Raymundi Burgundionis, Alfonso Castellæ Regis patruus, præte rea Viennensis Archiepiscopus, ipsis Kalendis Februarij, eius seculi anno nonodecimo, coopatus est, Calixti secundi nomine. tametsi delatum ho 1119 norem non ante suscepit, quàm cleri Romani suffragium & voluntas ac cederet. Itaque non ante pridie Idus Octobris sacratus est. In Remensi concilio, cui præfens interfuit, Imperatorem sacrificijs interdixit. Simo niacam labem baptizandis infancibus, sepeliendisque defunctis suscipi so litam, nouis decretis coercuit. Presbyteros, diaconos, hypodiaconos à concubinis arcendos curauit: quas illi passim in ea temporum atroci tate, & rerum omnium perturbatione, vxorum iustarum loco & nomine habebant. nondumque in Hispania is mos exoleuerat: ex quo à Vvritiza im pio Rege inductus erat: neque eradicari penitus potuerat, magna quam uis piorum Pontificum diligentia: præsertim in Calæcia, vbi sacerdotum mores maximè in turpitudinem incubuerant. Quod indicant litteræ ad 30 Didacum Gelmirium Compostellanum Episcopum à Paschali Pontifi ce missæ ante aliquot annos, hoc exemplo. PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili Didaco Compostellano Episcopo sa lutem & Apostolicam benedictionem. Ecclesia quam regendam dispo nente Domino suscepisti, iam diu etiam cum pastorem habere videre tur, pastoris solatijs caret. Idcirco strenuitati tuæ vigilantius insisten dum est, vt in ea ritè omnia iuxta normam sedis Apostolicæ disponan tur. Cardinales in ecclesia tua presbyteros seu diaconos tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi ecclesiastici regiminis onera sustine re. Porro quæ presbyterorum intersunt presbyteris, quæ diaconorum 40 diaconibus committantur: vt in aliena stipendia nullus obrepat. Si qui sanè ante Romanæ legis susceptionem, secundum communem patriæ consuetudinem coniugia contraxerunt, natos ex eis filios neque à secu lari, neque à dignitate ecclesiastica repellimus. Illud omnino incongruum est, quod per regionem vestram monachos cum sanctimonialibus habi tare

tare audimus: ad quod refecandum experientia tua immineat: vt & qui in præsentiarum simul sunt, diuisis longè habitaculis separentur, prout arbitrio & religiosorum virorum cõsilio melius visum fuerit: neq; in posterum consuetudo huiusmodi præsumatur. Datum Laterani Incarnationis Dominicæ anno. M. C. III. nostri pontificatus III. Imperatoris anathematis ignominia notandi ea causa fuit: quòd Gelasio Pontifice Roma ob metum elapso, in eius locum Bracarensem Episcopum Burdinum, Romanum Pontificem, quod nefas erat, creandum curauit, atque perfecit, Gregorij VIII. nomine indito. Sic importuno duorum Pontificum dissidio, tempore sanè minimè opportuno, ecclesiæ tranquillitatem turbauit: cum vterque se legibus, æmulum vitio creatum ferret. Erat Burdinus Lemouicis natus, & Bernardum Toletanum Præsulem in Hispaniam secutus, (vt superius dictum est) mox per omnes sacerdotij gradus, eius opera ad Conimbricensis ecclesiæ Episcopatum erat euectus. quo tempore ipse Burdini nomen Mauricij appellatione mutauit: morum prauitatem non deposuit. Conimbrica Bracaram ad eius ecclesiæ pontificatum migravit agente eodem Bernardo. pro quibus meritis haud parem gratiam rependit. Nam corrasis vndique pecunijs, in quibus maiorem spem habebat, quàm in causa, Romam profectus, corruptisq; aulicis, Bernardi senectutem rebus gerendis inutilem causatus, in eius locum Paschalis Pontificis venia se substitui postulabat. Parum spei erat ab æquissimo Pontifice iniquissima postulata extorquendi. Ergo vt erat ingenio callido, ex dissidio inter Imperatorem & Pontificem crescendi occasiones captans, ad artes conuersus, Imperatoremque adiens eius voluntatem deuinxisse visus est: prorsus vt eius opera Romanam ecclesiam inuasit pseudopontifex factus. Extant Gelasij litteræ ad Bernardum Toletanum Præsulem: quibus Burdini nomen diris à Paschali Pontifice deuotum esse declarat: mandatque in eius locum Bracarensis ecclesiæ Præsulem alium substituendum curaret. Tandem Burdinus Calixti diligentia Sutrij captus, tertio anno circumactò ex quo ecclesiæ pacem turbare cœpit homo impotens & ambitiosus flagitioque nobilis, per Romanas plateas triumphi specie camelo traductus est: atque in extremam Italiam ablegatus in cœnobio Caua Trinitatis nomine, in quod custodiæ mancipatus est, obiit. Id præmium ambitioni fuit. is finis magnorum motuum, quorum expectatione metuque orbis Christianus suspensus fuerat.

*Pax inter Aragonios & Castellanos.*  
*Cap. XII.*



ROPINQVI Pontificis inauguratio Regi iuueni gratissima fuit, Hispaniæ vniuersæ salutaris: cui vt impenis faueret magnæ necessitudines cogebant superiori tempore cum nostra gente contractæ: Castellæ magis, cum qua miscuerat sanguinem. In ea prouincia præcipuæ vrbes, & munitissimæ arces Aragonijs præsidijs occupatæ detinebantur nullo meliori iure, quàm quòd Regibus

Regibus in armis esse solet. plerique prouinciales consuetudine seruiendi, partim ita timidi erant, vt omnem memoriam libertatis & dignitatis abieccisse viderentur: partim Aragonijs beneficijs deuincti, hosti fauere præ se ferebant. Rex iuuenis, ætate maior, animi magnitudine nulli priorum Regum cedens, æquo animo vitrici contumeliam ferre non poterat. missæ vltro citroque ea de re legationes. Rex Aragonius neque apertè negare, neque continuò annuere æquissimis postulatis. diem tantum ex die ducere: aliam ex alia moræ causam necere: & varijs artibus priuigni conatus ludificari. prorsus vt ad extremum illud deueniretur: faciales arces re-  
petitum missi sunt: nisi acquiesceret, bellum denunciare iussi. nihil pro sano Rex Aragonius facturus esse videbatur, priuigni ætate despecta, & ex continua rerum gestarum felicitate, humanæ fortis atque inconstantia immemor. Ad arma concursum. maximi in vtraque ditione delectus militares habiti sunt. externa auxilia conquisita. prior Aragonius à rebus omnibus quàm aduersarij paratior, per Vasconum fines Riugizæ agros armis hostiliter inuasit: commodum fore arbitratus, si hostes in suis sedibus opprimeret, cogeretque non de præda modò, sed de ipsis etiam liberis, coniugibus, parentibus & rebus carissimis certare. Magnum malum vtrinque parabatur, insignisque nomini Christiano clades, vtrauis parte vincente, victave. Viris sanctis Præsulibusque vtriusque prouinciæ annitentibus concordia-  
viam, quod toties irritum fuerat, tentare placuit. Id consilium non ratione prudentius, quàm euentu feliciter fuit. Rex Aragonius ad pacem ijs deprecatoribus flexus est: cum dicerent, iusta Castellanos petere. Alfonso priuignum iusti filij loco futurum. non rectè neq; pro bono facturos Aragonios si arces retinerent amplius. Eatenus aliquam excusationem fuisse, propter, imbecillem Regis ætatem: & quoniam Vrracæ vxoris iura repetebatur. nunc ætate confirmata, regnoq; ad priuignum deuoluto matre concedente: præterea coniugio dirempto, iniquum videri alienam ditionem armis occupare velle: atque propinquis & necessarijs iugum seruitutis imponere. Incertos belli exitus esse, martemque communem. sæpe diuinum numen à quibus ius stat, eorum innocentiam tueri consueuisse. Conuenit tandem, vt tractu terrarum, qui à Bilforado Calagurrim pertinet, retento, quoniam ad Regum Vasconum ius pertinere non incommodis rationibus, certæque fidei tabulis disputabatur, præterea ijs veteris Cantabriæ partibus, quibus Guipuscoæ & Alauæ nomen est, quoniam recenti memoria Alfonso armis occupatæ erant, ex reliquis tota prouincia vrbibus & arcibus, ac Toleto nominatim Aragonia præsidia deducerentur. patru id Romani Pontificis reuerentiæ datum magna ex parte arbitror. In quo fœdere fanciendo nescias vtri Regi palma tribuenda sit: cum modestia & comitate certare viderentur. vitricus liberalitate: priuignus patientia, prudentiaque laude: cum regni auiti parte, pacem publicam redimendam sibi fore iudicaret. moderati animi exemplum memorabile. Itaque ab ijs Regibus maxima concordia, tanquam à duobus coniunctissimis fratribus, respublica domi forisque administrata: & ab suis ingruentium vndique bellorum

1122 procellis industriè fortiterque defensa deinceps est. Atque hæc anno à Christo nato millesimo centesimo vigesimo secundo gesta sunt: tamen nonnulli huic numero aliquot annos addunt. Omnino sancito fœdere Rex vterque ad bellum sacrum propensus, arma in Mauros vertit. Aragonius regiones eas depopulatur, quæ Cinga & Sicori fluminibus continentur. Alcolea oppidum cum ad Mauros rediisset, Christiano imperio est restitutum. in Edetanos & Contestanos Sucrone amne transmissio, penetratum. Alcaracium nobile ijs in locis oppidum oppugnatur. expugnari non potuit. vterque in Bæticam intimam arma prolata. oppida & vrbes, ne vastarentur agri, passim deditioem fecere, annum vectigal pactæ. ad Arin-  
 1123 zolum oppidum eum Cordubensi Rege & decem alijs Maurorum regulis acie dimicatum anno millesimo centesimo vigesimo tertio. victoria penes nostros sterit. Proximo anno Medina Celina in Celtiberiæ & Carpetaniæ finibus edito colle munita, vi expugnata. Sic Aragoniæ res erant. Contra Castellæ Rex virtutis ostentandæ cupidus otij pertasus, quo diutino regni vires consenescere videbantur, diuersa ex parte in Maurorum fines incurrit. Cauria vrbs, quæ post Alfonso aui obitum à barbaris occupata erat, denuo recepta est. sacrorum & religionis statum Bernardus Toletanus Præsul Rege annuente composuit. Regionem inde vniuersam, quæ Ana & Tago fluminibus continetur, veteris Lusitaniæ partem, armis hostiliter percurrit. ingentes populationes factæ. hominum & pecorum abactæ prædæ. Mauricis spolijs lætum exercitum reduxit in patriam: cum ab his inijs satis se ad tuendam nominis auctoritatem profecisse iudicaret: earumque virtutum specimen præbuisset, quibus præditus fuit maximè, fidei, liberalitatis, constantiæ, religionis cultu castissimo. Bernardo Clareualensi, quem perspecta vitæ probitas cælestium numero inseruit, magnique pro religione labores, gentili suo in primis deditus erat: eoque auctore plurima Cisterciensis familiæ monasteria extruenda curauit: ac ferme quæ hoc tempore toto illo Hispaniæ tractu magnificentissima locupletissimaque extant. Humanarum rerum contemptu id genus homines initio paruo contenti, multis eorum studia certatim iuuantibus, quod ad numen propitiandum referre multum habebant persuasum, breui intervallo immensas diuitias construxerunt. (Venisse in Hispaniam D. Bernardum sub vitæ finem, ex eius ad Petrum Cluniacensem litteris perspicitur.) Sed & templa reliqua & monasteria, quæ tota ditione extructa erant, magnis beneficijs Rex auxit: vt argumento sunt veteres tabulæ, quæ tota Hispania cum fide seruantur in veteribus scrinijs, Dominici Calzadij, AEmiliani Cucullati, Michaelis Petrosi, Dominici Exiliensis. quæ templa ea tempestate, opinione sanctitatis, & concursu hominum celeberrima erant. A patruo Pontifice impetratum, vt Zamora vrbs pontificiæ sedis maiestate exornaretur. Bernardus Archidiaconus Toletanus, natione Gallus (vt superius est indicatum) ei ciuitati Præsul est datus. Successit Stephanus: cuius ætate Opilionis indicio, cui species viri humano habitu augustioris visa erat per quietem, locus designatus est, vbi  
 D. Ille-

D. Illefonfi corpus sepultum erat, ex superiori temporum perturbatione prorsus incognitus. atque eæ voces propter auctoris humilitatem contemptæ quidem tunc sunt. vanas tamen non fuisse Alfonso Regis eo nomine octauæ ætate intellectum est: cum Suero eius vrbs Episcopo, templum D. Petri ruinosum & malè materiatur, reædificari cœptum est. effossis enim fundamentis, marmoreum sepulcrum repertum Illefonfi nomine, vnde halitus miræ fragrantæ efflabatur. Re explorata, ad ipsam D. Petri aram sacri cineres sepulcro composito contacti. Compostellana ecclesia Metropolitanano iure & maiestate aucta est eodem Pontifice concedente. atque  
 10 Emeritensis ecclesiæ, quæ in ditione Maurorum erat, iura & potestas omnis, quo maior esset auctoritas, Compostellam translata. Accessit regius consensus: vt ipsius litteræ indicant. Duodecim Episcopi contributi: Salmantica, Abulæ, Zamoræ, Mirobrigæ, Cauriæ, Pacis Augustæ, Luci, Asturicæ, Orensis, Mindonij, Tudæque: quibus consequenti tempore Placentia adiuncta est. Præterea Legati pontificij partes Gelmirio Compostellano datæ sunt, non sine obrestitutione Bernardi Toletani motuq. Vicit tamen Gelmirus. & pro iure acceptæ potestatis concilium Compostellæ habuit: Episcopis & Abbatibus duarum prouinciarum Emeritensis & Bra-  
 20 carensis ad conuentum inuitatis. sic fundamenta ponebantur amplitudinis Compostellanæ. Loci id religioni, & Raymundi Burgundi memoriæ, qui in eo templo sepultus erat, tum à Rege filio, tum à Pontifice fratre datum est ipso circiter anno salutis millesimo centesimo vigesimo quarto. Quo anno, mense Decembri Calixtus ipse Romanus Pontifex decessit, Honorio successore, qui fuit eo nomine. II. Anno proximo ciuilia arma in Gallia Narbonensi mota sunt. Alfonso Tolosæ Alfonso Regis consobrinus, vxorque Faidida bello Prouinciæ comitatum tanquam sui iuris repetebant. Barcinonensis Comes & Dulcia vxor paternam hæreditatem ab omni iniuria tuendam existimabant. ex magno dissidio, pax tandem ea lege facta, vt Ar-  
 30 gentia & Belicadrum iuris controuersi oppida, atque ea Prouinciæ pars, quæ Druentia & Isara fluminibus comprehensa est, Tolosati cederent: cætera oppida & vrbes: præterea Auennionis vrbs partem multo maximam, quæ vltra Rhodanum sita est, Barcinonenses Comites retinerent, pacta alterna inter se & posteros successione, si alterutri sine liberis decessissent.

*Regni Portugalia initia. Cap. XIII.*



40 **N**OVVM in Portugalia (quæ prouincia maiori ex parte veteribus Lusitania fuit) regnum auspiciatè per hæc tempora fundabatur, ditione non amplissimum, tempore postremum, magnitudine rerum gestarum cum primis nobile pelendis olim tota ditione barbaris. Sed & nostra auorumque ætate Lusitani homines incredibili virtute & felicitate omnes orbis terrarum partes obeuntes, Africæ partem subiugarunt: innumerabiles

insulas mortalium primi patefecerunt, ijdemque occuparunt: Asiam sibi atque Indos stipendiarios fecerunt: veræque religionis lumen in remotissimas nationes & gentes magno pietatis incremento intulerunt. secundum Oceanum occiduum fusa, atque Ana & Minio fluminibus ad Meridiem Septentrionesque comprehensa, longitudine quadringenta millia passuum colligit, multo minori latitudine: & vbi latissimè se pandit centum amplius sexaginta millium: vbi arctissimè coit octoginta. Diuisa est in partes tres Cistaganos, Transtaganos, & tractum eum qui Minio Durioque comprehensus est, prouentu lætissimus: vbi Bracara sita est, citra Tagum Olisipo, vltra Eboræ Metropolitanæ vrbes. Solum maiori ex parte sterile est. incolæ aduecto aliunde frumento plurimum vtuntur. gens cupidissima laudi, eximieque fortis, ac præ cæteris Hispaniæ in victu cultuque frugalis. dedita pietati sapientiæque studijs, & omnis humanitatis atque elegantia. Huius prouinciæ exiguam partem, quæ Regum Castellæ armis erepta barbaris erat, Henrico Lotaringio data est (vt est superius demonstratum) Comitibus nomine dotisque cum Therasia vxore Alfonsi Regis eo nomine sexti filia. Ex eo coniugio Alfonsus, Eluira, Sanctiaque nati sunt. Henricus pater prole auctus, post Gotifredi Regis Hierosolymitani obitum, præstandæ operæ Balduino defuncti fratri, suoque gentili & propinquo (vt quidam putant) studio inflammatus, in Syriam nauigauit, consilio, si humanas rationes expendas, haud satis probabili cautoque: cum vxorem & filios iniuriæ obnoxios relinqueret, & belli sacri tantum in ditioe superesset. Sanè in Hispaniam reuersus, haud magno in Oriente operæpretio facto, vrbes Bracaram, Conimbricam, Viseum, Lamecum, Portum, quas imperio complectebatur, Episcoporum sedibus postliminio restitutis, amplificari impetrauit à Bernardo Toletano Præsule: cui componendi ecclesiastici status, cura à Romanis Pontificibus erat demandata. Verùm de Bracaræ restitutione, atque vrbibus ei olim subiectis præstiterit ex Calixti. II. Romani Pontificis litteris cognoscere, earumque partem adscribere. **BRACARENSEM** Metropolim insignem quondam fuisse, atque in Hispaniarum regna multis & dignitatis & gloriæ titulis claruisse, tam antiquæ nobilitatis indicia, quam & veterum scripturarum testimonia manifestant. Verùm quia consistentis in ea populi peccata corrigere diuinæ dispositioni complacuit, irruentibus Mauris seu Moabitibus, & Metropolis dignitas imminuta, & parochiarum termini sunt confusi. Sanè post longa temporum interstitia, diuina rursus miseratio Metropolim restituere, atque parochias ex parte maxima dignata est ab infidelium tyrannide liberare. Vnde Dominus prædecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis Papa pristinam ei dignitatem redintegrans, sua quæque membra ei per Apostolicæ sedis priuilegium coniuuit. Eius itaque nos vestigijs subsequentes, charissime frater & coepiscopus Pelagi Bracarensis ecclesiæ, cui Deo auctore præfides, integram ipsam vrbem Bracaram cum cauto illo integro, quod Comes Henricus & vxor eius Therasia eidem ecclesiæ contulerunt, & cum terminis Bracarensis Episcopatus,

patus, sicut in descriptione prædicti domini continentur, præsentis priuilegij pagina confirmamus: & eidem Bracarensi metropoli Galitiam prouinciam & in ea Episcopatum cathedrarum vrbes redintegramus. Item Asturicam, Lucum, Tudam, Mindunium, Auriam, Portugale, Columbriam: & Episcopalis nominis nunc oppida, Viseum, Lamecum, Egitaniam, Britoniam, cum parrochijs suis. Hæc Calixtus. Asturicæ in Calæcia ante annos omnino quatuordecim, Henricus defunctus est, cum intestinis Castellæ motibus pacandis nauaret operam. Corpus Bracaræ in humili sacello tumulatum. nondum sepulcrorum apparatus in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerat. Therasia vxor viro defuncto, haud multo honestius, quam soror Vrraca, pudicitiam habens Ferdinandum Paecium Traстамaræ Comitem sibi adiungit, aut iniusto, aut humili matrimonio. (sic erant eius seculi mores) Veremundo Ferdinandi fratri, cum quo prius stupri consuetudinem habuisse accusant scriptores Lusitani, ex odio, an ex fide incertum: sed Therasia certè filia nupsit. Fernando Mendefio filia altera Sanctia nomine. Ferdinandus dotali principatu auctus, rempublicam sursum deorsum versare: ad suum arbitrium belli pacisque consilia reuocare: Alfonsum priuignum contemneret. quam ille iniuriam in minori ætate tulit quidem: maior autem factus cum odio maternæ turpitudinis, insitisque virtutibus studia prouincialium conciliaffet, arma aduersus vitricum arripit. Ad oppidum Guimaranes, quod antiquis Araduca fuisse creditur intra confluentes Aui vt Viscellæ in planicie Sanctiuania signa collata sunt. victor Alfonsus. Ferdinandus & Therasia in potestatem redacti. Ferdinandus Portugaliæ finibus prohibitus, neque amplius redire iuratus, dimissus est, Therasia matre in custodiam tradita. doloris illa impatientia Alfonsum Castellæ Regem eo nomine septimum, vt propinquæ, miseræ & captiue matri opem ferat, per litteras obtestatur aduersus impios filij conatus. Nauaræ operæ mercedem, Portugaliæ principatum pollicetur, Alfonso filio, pro eo ac par erat, abdicato. Annuit ille siue ambitione dominandi corruptus, siue materteræ calamitatem miseratus: validoque exercitu conflato in Portugaliæ fines irruit. In planicie Valdeuesia, quæ Montionem inter & Limiæ pontem iacet, acie dimicatum. victæ Castellæ copiarum, atque Legionem reiectæ. Ex ea re Lusitani maiores spiritus gerere, quam pro præsentis fortunæ seque post eam victoriam sui iuris factos, & à Regum Castellæ imperio exemptos prædicare. Alfonsus iniuriæ impatiens, & vindictæ studio incensus vires reparat: & maiori quam antea exercitu contracto bellum repetit. Lusitanus viribus impar intra oppidi Guimaranis mœnia se suosque continuit, loci munitione bellum propulsare cogitans. Castellani vincendi obstinatione obsessis assident, non prius discedere certi, quam oppido capto. Egas Nunnus, qui minorem Alfonsi Lusitani ætatem rexerat, virtutesque quæ natura inerant, ampliores disciplina vt essent effecerat: & tunc pro ea gratia & auctoritate qua valebat vnus maximè, res communes prudentia consilioque gubernabat, ex oppido egressus, factaque Regis conuenien-

di potestate, ita eius animum flexit, ut pace facta ijs conditionibus, quas ferre ipse voluit, obsidio soluta fuerit. Fidei datæ, cum post annos aliquot Alfonso Lusitanus immemor esse videretur (ut historici Lusitani affirmant, penes quos harum rerum fidem esse volumus) Toletum Egas abijt ad Regem collum laqueo implicitus: ut capitis supplicio sacramenti religione exolueretur, quod se inuito violatum esse excusabat. Tanti viri squalore & lacrymis Rex ad misericordiam flexus, facto quidem impunitatem dedit, honorem tamen denegavit exemplo: quoniam fraudem & collusionem suspicabatur.

*Bella Alfonsi Regis in Mauros. Cap. XIII.*



**H**ic finis tum quidem belli Lusitanici fuit: quod quibus hæc diligentius inuestigare curæ est, salutis anno millesimo centesimo vigesimo sexto, incidisse arbitrantur. Quo anno Vrraca Regina & Bernardus Toletanus Præsul, coniunctis ferme funibus obiit. Regina in Saldaniæ arce, an Legione ruptis visceribus (viti antea dictum est) certè Nonis Martij, corpusque Legione tumultatum magnificè. Bernardus Toleti decessit mense Aprili, annis grauis & rebus gestis clarissimus. quatuor & quadraginta annis Toletanam ecclesiam rexerat: & peculiaribus copijs Complutum ceperat ante annos duodecim (annales Hispalenses ante octo annos ponunt) ea tempestate ultra Fenarium amnem in colle prærupto positam, imminentemque ripæ. Bernardi Præsulis castra in superiori colle, cui à Cruce hodie nomen est scilicet, munita: vnde Mauri omni iniuria vexati oppidum deserere compulsi sunt: quod ex eo tempore in Præsulum Toletanorum iure fuit. In Toletano templo, defuncto tumulus hac inscriptione rude crassumque sonante compositus. Primo Bernardus fuit hic Primas venerandus. Raymundus Vxamenis Præsul in eius locum susceptus est, sacerdotum Toletanorum prærogatiua & Honorij Romani Pontificis voluntate. Quo Pontifice, Palentiam Episcopi, Abbates, & Proceres, vniuersa ditione euocati conuenerunt, ipse etiam Toletanus. cæterum præcipua auctoritas penes Gelmirium Compostellanum erat iure Legati. affuere Rex & Regina. conuentus agitari cœperunt ieiunij Christiani initio, anno millesimo centesimo vigesimo nono. In quibus præter alia. Ne oblationes aut decumæ excommunicatorum recipiantur sancitum inuenio. Ne ve ecclesiæ laicis dentur præstimonij aut villicationis prætextu. Additum à Rege diploma, quo Calixti Pontificis exemplo patru sui Emeritæ iura regia, cum primùm fuerit à Mauris recepta Compostellam transferre se ait. Deinde Humbertus Cardinalis in Hispaniam Legatus Legione Episcoporum conuentum habet. In eo conuentu de Regis coniugio est actum, quod vitio coiuisse nonnulli disputabant. Duxerat Alfonso altero à morte matris anno Berengariam Arnaldi Barcinonensis Comitum filiam: nuptijsq; mense Nouembri Saldaniæ celebratis ex ea suscepit Sanctium & Ferdinandum, Elisabetham, & Sanctiam. Berengariam

10

20

30

40

riam Regi cognatione deuinctam esse, ex vtriusq; familiæ stemmate monstrabatur. ea cura Regem suspensum habebat. dicta causa Patrum sententia ab solutus est: nulloque cognationis gradu lege prohibito, coniugem attingere pronunciatum. Lite dijudicata regni vires in Mauros conuersæ. per Carpetanos in hostium fines incursum. Calatraua, vnde Barbari finitimos nostrorum agros identidem depopulari soliti erant, longa & difficili obsidione expugnata, in Toletani Præsulis ditionem Regis dono contradita est. Templarijs ille militibus, quorum esse cœperat virtutis opinio singularis, dedit. Sic plerique auctores affirmant. quidam è cruce signatis præsidium impositum arbitrantur: qui belli sacri exemplo, quod in Syria gerebatur, piorum castra Mauris profligandis in Hispania magno numero sequebantur: nullis stipendijs, veniæ tantum spe à Pontificibus Romanis ad militandum inuitati. Alarcus, Caracuel (Antonino Carcuuium) Melansa, Alcludia, Almodouar Campestre, vicinis locis, in iplisque Marianis montibus, Pedrocium Mauris ablata. reliqua prona erant, tanta gentem impiam formido inceserat. anni tempus Regis conatus repressit. Exacta hyeme copiarum ex hibernis eductæ: atque per Castulonensem saltum (quæ Marianorum montium pars est) in Baticam abs Rege penetratum. omnia circum vastantur, diripiuntur, auferuntur. Aurigis obsessa, nostris Giennium. mœnium munitione, obsessorum virtute & vigilantia, victa nostrorum constantia est: tamen in castris hyemis tempore duratum erat. Albohalis filius Halis, Iuzephi nepos Almoravidum imperium Africæ, atque Hispaniæ ea tempestate obtinebat, minori quàm maiores potentia, propter intestinos gentis motus, opportunus exitio. Alfonsi socer Comes Barcinonensis diem obiit, eius seculi anno trigesimo primo. Raymundo filio maiori Barcinonensem principatum legauit, in Gallia Carcaſonem, & Rhutenos adiecit: quas vrbes ad suam ditionem pertinere putabat. Berengario natu minori Prouinciæ & Aimiliani comitatus dati. Cæcilia filia Bernardo Fuxensi Comiti, Aimerico Narbonensi Vicecomiti filia altera (cuius nomen non proditur) vxores datæ. Aliæ præterea filiarum Berengario à patre commendatæ, viris principibus in Gallia nupserunt. Consequens annus nulla re insignis est, præterquam reditu Alfonsi Regis ex bello Batico, solutaque obsidione Aurigis, atque Sanctio Regis filio militiæ honore donato. Ipso D. Matthæi Apostoli festo die, vsitata ijs temporibus cæremonia, à patre indutus est armis: balteum militare donatum. Id prætextæ positæ indicium erat: atque incitamentum, ut magno animo paternas virtutes imitatione complexus, nomen suum immortalitati consecraret.

10

20

30

40

*Alfonfus Aragonius Rex in bello occisus. Cap. XV.*



**S**erat rerum status Castellæ & Lusitaniæ. in Aragonia vti instituerant, prosperum cursum tenebant. finitima Mauros op-pida & arces nostrorum armis carpebantur. impiæ gentis in præceps ibat imperium. Celtiberia omnis præsidijs occupata:

H h 5 Molina

1131

1132



Molina in eo tractu ciuitas Christianorum vestigalis, ad deditiōem compulsa. Ad Pompelonem urbem suburbium adiunctum, cui à S. Saturnino nomen est. Franci in eo collocati, ciuitateq; donati: datumque, vt Iaccetanorum legibus viuerent, & secundum eas priuatim & publicè iura darent. Pelagi littora, qua parte Iberus influit in mare, latè obtinebant Mauri: inde finitima oppida & agros, incursionibus vexabant. classè opus erat, multæ ergo longæ naues iussu Regis in eam rem Cæsaraugustæ ædificatæ: & constat coercitis olim atq; statuminatis Iberi ripis, ad Variū oppidum, quod non procul Lugrunio situm fuit, ducentis sexaginta passuum millibus à mari Vespasianis rerum potentibus Romæ atque in Hispania, fluuium Iberum nauium fuisse capacem, magno reipublice commodo propter subuectiones, & commercia. Ad confluentis Iberi & Sicoris Mequinentia, quæ Cæsari Octogesa esse creditur, sita est loci natura opereque munita. ea nunc deiecto Maurico præsidio, in Regis potestatem venit. Publicam ex ijs rebus lætitiā inopinatus casus turbauit, luctuque ingenti mutauit: vt ferè inconstans est humana felicitas: ex rebus prosperè gestis, alijs negligentia oritur, alijs temeritas: vtrunque magnos homines vertenti sæpe fortunæ præbuit. In tumulo terreo Fraga (huius belli euentu magis, quam alia re nobile) Ilergetum oppidum positum est, Ptolemæo Gallica Flauia. pars anterior Cingæ amnis aquis exesa difficilem aditum præbet: prorsus vt per ardua nitentes multos pauci vel vmbonibus possint propellere. à tergo colles eriguntur, leniter quidem decliues, culturaque læti: ita tamen oppido coniuncti, vt tormentorum vsū impediānt. Rex Mequinentia capta studio elatus, vltèriusque progressus aduerso Sicori, in quem Cinga amnis euoluitur, in Ilergetum fines irrumpit: vbi maior belli moles supererat propter locorum munitionem: & quoniam barbari in ea loca magno numero quasi ad præsidium confugerant: vnde Ilerdæ, & Fragæ regulis vires creuerant: nominique Christiano formidabiles esse cœperant. Castra Regis mense Augusto, anno eius seculi trigesimo tertio, ad Fragam posita, maiori spe & apparatu, quam successu. anni tempus in hyemem vergentis, & ex eo continui imbres compulerant, copias in hiberna dimittere, iussas ad prima veris signa rursus conuenire. Februario mense obsidio repetita est non minori conatu, neque minoribus copijs. In ea menses Martius & Aprilis consumpti haud magno operæ prætio: cum oppidani tempestate prouisa à rebus omnibus parati essent, & externi auxiliij fiducia belli iniurias, obsidionis incommoda patienter ferrent. Abengamia Ilerdæ regulus contractis vndique viribus, obsessis opitulatum venit. ad Fragam, Iuitæ & Rufinæ festo die acie dimicatum nostri bello fessi erant, imminuti numero: nam pars ne à tergo circumuenirentur, in castris relicta est. Barbari recentes & feroces ad pugnam procedebant. multi ex Christianorum numero in eo prælio ceciderunt: neq; obsidio tamen dissipata est, barbarorum haud multo minori clade. Rex maioris periculi metu in Castellæ fines profectus, Sorix atque vicinis locis nouas copias supplementi causa conscripsit. cum his hostium agros Montionem vsque percurrit. sequebatur ipse longo proximo intervallo,

uallo, cum turma trecentorum equitum. circumfusus numerosus hostium equitatus Regem inuadit. Ille periculo cognito, pauca ad suos pro tempore locutus, horratusque vt nominis Christiani & patriæ virtutis memores, in hostes irruerent, audaciam pro muro fore, metum cum exitio coniunctum, ferro ex ijs angustijs & virtute euadendum, nullam præterea salutis spem esse. Quod si virtuti, inquit, vestræ par pugnae euentus non fuerit, ne inulti moriamini prouidete. neve capti nomini vestro contumeliam irrogetis, turpissima seruitute: potius quàm qua decet virtute dimicantes, mortem vltos esse videamini. Mox cœpta pugna. nostri pro extrema spe egregiè dimicabant. Rex inter primos paludamento & armis fulgentibus insignis, vnus præcipuè Maurorum telis petebatur, ac tandem oppressus est. Rege cadente, cæteri pars perempti, pars fuga salutem quæsierunt. Tametsi de obitu Regis non vna ferebatur opinio: & vulgus fingendi auidum varios rumores dissipare consuevit: dum alij quæ cupiunt libenter credunt: & de suo alij auditis adiungunt, quo res lætior efficiatur. Quidam existimarunt vitæ tædio Hierosolymam petiisse. alij scripserunt, corpus à Mauris redemptum in Montaragonis cœnobio sepultum: atque eam cladem incurrisse, quod in templorum thesauros auidius inuolasset. Tametsi Rodericus Præsul, & Aragonij scriptores Alfonso Regi religionis, pietatis, & mansuetudinis laudem tribuunt. Vero propius est corpus nusquam inuentum in tanto occisorum numero. ea variè opinandi occasio. Ad septimum Idus Septembris, anno millesimo centesimo trigesimo quarto insignis ea clades ad Sarinienam oppidum accepta est. magnus Imperator, animi vigore præstanti, atque eo seculo Christiani nominis decus & gloria. cum hoste nouies, & vicies signa contulit, vt vetustus auctor affirmat, plerunque victor. regnauit annis triginta. Reliquit testamentum ante tres annos nuncupatum in ipsa obsidione Baionæ urbis, quam in extrema ora Gallix expugnasse, etiam nostrates scriptores suspicantur. Petrus Lara Comes, ab Alfonso Iordano Tolosate, ex prouocatione in singulari certamine, in ea obsidione peremptus est. In eo testamento templis, & monasterijs tota Hispania multa oppida, & arces legata: & cum prole careret, Templarij & Hospitalarij milites, præterea custodes sepulcri Hierosolymitani ex asse omnes, singuli ex triente ordines, regni hæredes scripti: exemplo liberalitatis, quod admirarentur posteris, improbarent æquales. sed tanti erat religionem Christianam bello amplificare: partumque in Syria imperium armis tueri: vt certatim viri, foeminae, Principes & priuati prædia, arces, oppida in sumptus bellicos suppeditarent. In extremo testamento diræ execrationes additæ, si qui euertere conarentur, quæ ipse sanxisset. Proceres Aragonij & Vascones concilio gentis indicto Borgiam frequentes conueniunt ad Vasconum fines. Petrus Atarius dono defuncti Regis eam urbem ditione obtinebat, summa vir nobilitate, regioque sanguini innexus: vt nonnulli suspicantur, magis quàm certo argumento confirmant, rebus gestis suaque virtute clarissimus.

mus. In hunc gentis studia inclinabant, videbaturque continuo Rex futurus, ni voluntates magnæ Principum partis fastu & arrogancia alienasset. gloriam & regnum, quæ ultro venissent, festinatio corrupit. Viri sapientes considerabant, qualis futurus esset accepta potestate, qui in priuata fortuna intolerabilis esset. præcipuus aliorum incitator Petrus Tisonius, nobili loco, magnoque ingenio vir. huius auctoritatem cum cæteri sequerentur, re infecta è conuentu discessum est. Vascones externi imperij odio, & ius semper fuisse cogitantes, vt quæ tyranni eripuissent, ea tyrannis eorumve successoribus interfectis ijs, quibus erepta erant, recuperarent, sibi priuatim consilium capiunt. Auctore Sanctio Rosa Pompelonensi Episcopo, Garcias 10 ex veteri Regum suorum sanguine Ramiri filius, nepos Sanctij Regis eius quem à fratre Raymundo occisum fuisse dictum est, communi gentis suffragio Pompelone Rex est renunciatus. Econtrario Aragonij Montionem conuenientes, Ramirum defuncti Regis fratrem, Regem iubent, quamuis monachum, & ex sancti Facundi Abbate primùm Burgensem, deinde Pompelonensem, ac tandem Rotæ & Barbastri Præsulem nominatum. Oscæ regia insignia desumpsit, cum pontificijs infulis regni purpuram & diadema iungens. res omni tempore comparanda miraculo. Quod non magis studio gentis, quàm necessitate factum arbitror, ad vitandos intestinos motus: cum ipse se ab obitu fratris Regem ferret. extantque veteres tabulæ, quibus Octobri mense proximo se Regem & sacerdotem nominat, Barbastri datæ. Ab his initijs commota populi studia non ante constiterunt, quàm homo grandæuus, qui ante quadraginta amplius annos in Tomericensi cœnobio vestem mutarat, sobolis generandæ causâ, vxorem ducere compulsus est. Romani Pontificis venia (sic credimus) vt Rex, coniux, & sacerdos idem esset, impetratum. Agnes Guillelmi Pictauiorum & Aquitaniæ Principis soror connubio iuncta. Guillelmus hic post biennium Compostellæ defunctus est: quo se contulerat religionis procurandæ causâ. Alionora filia natu maxima eius iussu, Ludouico Regi Galliarum nupsit, cognomento Iuniori. ex hoc coniugio duæ filiarum 30 natæ cum essent, lege propinquitatis coniugium diremptum est, Eugenij tertij Romani Pontificis auctoritate. Rex denuò Isabellam duxit Alfonsi Castellæ Regis filiam. Alionora Henrico Duci Andium Nortmanniæque iuncta, Pictauiorum & Aquitaniæ ad Angliæ imperium adiunxit. vnde bella internecina inter eas gentes nata, funesta Galliarum vniuersæ, nomini Christiano exitialia foedaque.

*Noua in Hispania inter Christianos Reges  
Bella. Cap. XVI.*



ARSIAE & Ramiri Regum inaugurationem magni motus sunt consecuti. sæua orta bellorum tempestas, & respublica quasi turbato mari nauis, cum maxime viro & gubernatore opus habebat, tum maxime omni præsidio destitu-

ta erat, Garciæ Regis imbecillitate, Ramiri senectute. Alfonsus Castellæ Rex vtrunque imperium ad se hæreditate deuolutum prædicabat: iuraque successionis à Sanctio atauo Rege Vasconum cognomento Maiori, haud incongruè repetere videbatur. Nam milites, quos Alfonsus testamento hæredes nominarat, passim excludebantur, legibus vetantibus ad regni fastigium admitti, nisi regia stirpe ortum. Hæc à iureconsultis in otio disputabantur. potiora, vt sit, regnandi iura, quæ in viribus & potentia magna pars Principum ponit, penes Alfonsum Castellæ Regem stabant. neque deesse poterant vtriusque regni procerum studia in tanta voluntatum varietate. Itaque contractis vndique copijs, ne occasione deesse videretur, in Riuogiam inuectus oppida & arces, quæ ab Alfonso vitrico Bilforado Calagurrim vsque per vim occupata erant, in potestatem redegit: Anagarum, Luginum, Arnedum, Vigueram, aliaque vicinis locis ignobiliora oppida. Inde transgressus in Cantabriam parte ea, cui Alauæ nomen est. Victoriæ circumfedit quidem, virtute tamen ciuium defensam expugnare non potuit. alia circum oppida subiugata: factumque vt vtriusque regni ditionem Iberus amnis discerneret. Magna inclinatio animorum facta erat: multique tum reguli Regis castra sequebantur, tum Episcopi. in his Bernardus Seguntinus, Sanctius Anagari, 20 Bertrandus Vxamæ. Mox in Aragoniam impetus factus, tanta festinatione, vt proximo Decembri mense omnem citra Iberum annum Aragoniæ tractum, armis præsidijque occuparit. Aderant Regi externa Principum auxilia: Raymundus Barcinonensis Comes, Ermengaudus Urgelitanus, Alfonsus Iordanus Tolosæ, Rogerius Fuxensis, Mirus Pallensis, alijque magno numero proceres, in eius se omnes clientela fore professi. Ramirus noui regni statu nondum confirmato, & in tanta consternatione prouincialium viribus diffusus, Suprabem petijt, locorum munitione regium nomen tutari constituens, & meliora tempora expectare, animo ad pacem foedusque sancendum propenso, honestum modò, & 30 tolerabile. Oldegarius Tarraconensis Præsul, præcipua vir opinione sanctitatis, sequestrum internunciumque ijs controuersis componendis sese offerebat. magno labore & conatu parum promouebatur: cum magnæ difficultates opponerentur, & neuter parte contentus esset, totum spe & cupiditate complexus. Garcias Vasco Alfonsi potestati permittens se suaque, inito foedere in Castellam venit. Alfonsus Legione concilium haberi curat frequentissimum. affuere Garcias Rex Vasconum, Berengaria coniux, sororque Sanctia. In eo conuentu omnium qui aderant consensu, imperij nomen Regi decernitur. qui Aragonios, Vascones, Catalaunos, Galliarum partem vectigales beneficiariosque haberet, ei Augusti maiestatem conuenire. Toletanus Præsul coronam capiti imposuit. dextera læuaque Rex Vasco & Arrianus Legionensis Episcopus tenebant. accessit Romani Pontificis consensus, vt nostri scriptores affirmant, Innocentij eo nomine secundi scilicet: cum ea tempestate sacra Christiana gubernaret. quod admirari magis possum, quàm credere, tantam iniuriam irrogatam

irrogatam Germaniæ. nisi fortè ægrè ijs Imperatoribus facere voluit, no-  
uo in Hispania Imperatore creato: cum toties Italiam vexassent, & sacro-  
sanctam Pontificum maiestatem contemptui habuissent. Legionem in D. Ma-  
riæ ea cæremonia peracta primùm, anno millesimo centesimo trigesimo  
1135 quinto, ipso Pentecostis festo die: vti eius ætatis scriptor ait, & acta eius con-  
uentus declarant. deinde Toleti similis cæremonia peracta est, quo die &  
anno incertum: sed inde variæ scriptorum opiniones natæ, quibusdam To-  
leti, alijs Legionem affirmantibus. Extat Toleti in scrinijs vrbis diploma  
ab Alfonso concessum: vbi primam imperij coronam Legionem accepisse se  
ait, nempe altera Imperatorum Germaniæ æmulatione Toleti suscepta. 10  
Inde inter Hispaniæ Reges huic vni Imperatoris cognomen vulgò datur:  
& Toletanæ vrbis insignia esse cœperunt, Imperatoris imago confidentis  
habitu, aureaque veste, orbis effigiem sinistra, gladium districtum dextra  
tenentis. eidem Imperatoriæ vrbis nomen eo ex tempore confirmatum: vt  
per manus ducta opinione vulgò homines persuasum habent. Extant  
Ioannis eo nomine secundi Castellæ Regis tabulæ, quibus Toletum vr-  
bem Imperatoriam dicit. Extant D. Bernardi litteræ ad Sanctiam, quam  
sororem vocat Imperatoris Hispaniæ, præcipua fœminam pietate virgi-  
nemque: cui frater à primo regni tempore, Reginæ nomen & honorem  
participarat. Extant etiam Petri Cluniacensis ad ipsum Pontificem Ro- 20  
manum Innocentium secundum litteræ, hoc initio. Imperator Hispanus  
magnus Christiani populi Princeps, deuotus maiestati vestræ filius. Ro-  
gat ijs litteris vt Episcopum Salmantinum concedat Compostellam migra-  
re, votis sacerdotum & populi expetitum. Berengarius is erat, in Didaci  
Gelmirij post quartum annum defuncti locum cooptatus, secundus eius ec-  
clesiæ Archiepiscopus. Sanctius & Ferdinandus à patre Imperatore Ca-  
stellæ & Legionis Reges diuisa ditione continuò designati, dictique exem-  
plo, quod accusabitur semper, & semper vsurpabitur. Interea cum viro-  
rum sanctorum & procerum studia, pacis componendæ causâ non re-  
mitterent: multis vtro citroque concursationibus, conuenit tandem, vt 30  
Alfonus & Garfias inter se colloquerentur, de re tota deliberaturi. Pa-  
radillia oppidum ad Iberi ripam situm Regum colloquio opportunum  
visum est. dies dictus quintus Kalend. Octobris. Affuit Berengaria Re-  
gina. pax ea lege facta: vt Garfias Cæsaraugustano regno donatus ditio-  
nem omnem Alfonso nomine obtineret, Castellæ stipendiarius factus:  
armaque & vires iungerentur aduersus Ramirum Aragonium Regem:  
quem vitio creatum prædicabant. Eo fœdere Aragonij & Vascones  
commissi, graua inter se damna intulerunt. vtriusque ditionis fines  
belli iniurijs vexati. Proceribus & Episcopis vtriusque gentis anniten-  
tibus eius controuersiæ componendæ studio, optimum fore visum est, 40  
ternos ex vtraque gente iudices dari. Caxalis, Ferricius Oscensis, &  
Petrus Atarius ad Vadum longum (id vico nomen est) pro Aragonijs  
disceptarunt, pro Vasconibus Laro, Guillelmus & Simon Aznarij,  
Conuenit vt vtriusque regni ditionem ijsdem finibus, quos Sanctius co-  
gnomento

gnomento Maior constituerat, deinceps ipsi terminarent. Sarafsum,  
Ida, Arago amnes, limites designati quousque cum Arga flumine con-  
iuncti in Iberum influunt. Roncauallis, Biosalis, aliaque vicina oppi-  
da, tametsi ad Aragonios fines pertinebant, Garfiæ permissum, vt dum  
ipse viueret imperio retineret. Aragonio modò Regi fidem obligaret.  
regnum (quod Castellæ paulò ante promiserat) Aragonijs vestigale ob-  
noxiumque esset. Huius fœderis confirmandi causâ, ab vtroque Rege  
Pompelonem ventum est. factumque operæpretium videbatur: cum ra-  
tiones optimè constitutas casus inopinus turbauit. Enecus Aiuarius si-  
ue ex vero, siue pacis odio, Ramiro Regi denunciat insidias à Vasco-  
nibus eius saluti parari. cum fides esset facta, Rex mutata veste, con-  
cubia nocte Pompelone vrbe egressus est. neq; prius constitit, quam ad Lei-  
rense monasterium est ventum: vnde maiori offensa quam cum venerat  
discessum est. & vtrinque res ad bellum rursus spectare cœperunt  
omni concordiæ spe sublata. Ramirum ætatis despectu, studia Princi-  
pum, sed & populi deferere videbantur: vsque eo vt vulgò Regem cu-  
cullum alijsque probrosis cognominibus nominarent. genus hominum  
mobile, perucax, neque beneficio neque metu coerceri poterat. Ergo  
Periandri Corinthij tyranni, & Tarquinij Romani Regis postremi exem-  
plo repetito, facinus edidisse fertur posteris memorabile, homini sacra-  
to fœdum atque crudele. Oscam ad regni conuentus proceres aduocat  
anno eius seculi trigesimo sexto, quasi de rebus magnis deliberaturus. 1136  
quindecim proceres, qui maxime infensi videbantur, in vestigio iugu-  
landos curat, ex Lunæ familia quinque, reliquos ex præcipua regni no-  
bilitate. quorum nomina vt sigillatim prodantur, opus esse non arbi-  
tror. Tomerensis Abbas, cum quo rem omnem communicarat, consi-  
lij auctor fuit. Per legatos enim roganti, ecquid sibi faciendum puta-  
ret in tanta rerum perturbatione, legatis præsentibus in horto summa  
caulium capita ferro deiecit: nihilque præterea aliud responsi dedit. Quæ  
30 verò de Ramiri ignauia supra fidem, supraque veritatem prædicantur:  
tam rudem eum, & ignarum belli fuisse, vt cum sinistra clypeum, dex-  
tra lanceam teneret, equi habenas mordicus regendas putaret, tanquam  
fabulas vulgi rijcimus. Conuenit, inutilem rebus gerendis atque im-  
parem regni oneri fuisse habitum. vnde occasio fabulandi. Omnino ge-  
nita filia, cui Petronillæ nomen fuit, cum neque sibi neque alijs satisfac-  
ceret, tædio victus non militaribus solum sed ciuilibus etiam abscedere  
muneribus certus Oscæ, vbi regni conuentus agitabat, animi sententiam  
coram explicauit, in vnam curam conciliandi Alfonso Regis incumben-  
dum decernens. de Vasconum iniurijs vlciscendis mentio nulla præ pa-  
40 cis studio. & fortassis insidiarum illi crimen, quod erat impositum, com-  
petenter eluerant. Raymundus Barcinonensis concordæ incundæ inter  
Castellanos & Aragonios præcipuus auctor extitit: cui magnæ cum vtro-  
que Principe necessitudines erant: & spes obijciebatur Aragonij regni po-  
tiundi Caxali viro primario internuncio. Alauona ad Iberi ripam supra  
Cæsarau-

Cæsaraugustam decem & sex millibus passuum situm oppidum, Regum colloquio designatum. dies dicta vigesima quarta Augusti. quo die Alfonso Castellæ Rege concedente Cæsaraugusta Aragonio imperio restituta est, rescisso nimirum eo foedere, quod cum Garsia Rege Vasconum haud multo ante initum fuisse monstratum est. Calataiuba, Alauona, aliaque citra Iberum oppida Ramiro concedente retenta sunt. ijs legibus inter vtranque gentem concordia constituta. Cuius confirmandæ causâ Ramiri filia obles data, vt Sanctio Alfonsi filio nuberet impetrari non potuit: cum Raymundo Barcinonensi pacta esset: quod Aragonijs rebus commodius fore videbatur, propter ditionis amplissimæ vicinitatem: & quoniam ab Alfonso sororio nihil non impetraturus fore credebatur. Hæc eo celerius administrantur, quod Garsias Vasconum Rex bellum comparare nunciabatur, vir insigni animi magnitudine: qui aduersus duorum præpotentium Regum arma, non tantum imperium nouum tutatus est, sed etiam ditionis fines proferebat. Margaritam Rotronis Perticarum Comitis filiam vxorem habuit: & cum ea dotis nomine Tudelæ principatum. Itaque se Pompelone, Anagari, Alauæ, Vizcayæ & Guipuscoe regnare publicis litteris affirmabat. Francorum vires multum contulerunt: cum Ludouicus Galliæ Rex noui Regis & infirmi patrocinium suscipere gloriosum sibi fore putaret. ad Gallurem & Cortes oppida, Castellæ & Vasconum castra collata: acie tamen dimicatum non est, cum vtrique totius certaminis aleam subire formidarent. id vero propius quam quod fama tenuit, religioni id datum: cum per eos dies Christi Dei ad vitam reducis memoria anniuersarijs sacris celebraretur. Augusti die vndecimo, eodem salutis anno millesimo centesimo trigesimo septimo, Raymundi Barcinonensis & Petronillæ infantis nuptijs pactis, Ramirus Rex regni curam & administrationem abdicat. Oscæ in D. Petri se abdit tranquillioris vitæ studio, retento tantum regio nomine, atque si quando vti vellet potestate. Qui arces & oppida præsidijs toto regno obtinebant, iussi sunt in Barcinonensis verba nouo sacramento iurare. & quoniam in ea rerum perturbatione motuque viri principes pro se quisque, vt sit, Regi seni operam suam carissimè venditarant, oppidaque & arces extorserant, prorsus vt regni viribus distractis dilaceratisque, regni maiestas ad solum nomen redacta esse videretur: donationes tanquam iniquissimo tempore extortæ, nouo decreto rescissæ: eæ præsertim, quæ post Barcinonensem Comitem generum ascitum concessæ erant. Vasconum imperium iisdem finibus describi mandat: qui Pompelone in superiori foedere designati erant. Raymundus regni cura suscepta, continuo ad Alfonso abiit. Carrione Vaccæorum oppido initæ paulò ante pacis conditiones ab vtroque Principe retractatæ: datumque, vt omnem citra Iberum regionem Aragonij Reges obtinerent, quasi Castellæ stipendiarij. Itaque Octobri mense proximo, Raymundus Cæsaraugustam inuectus, inter faustas populi voces patrem patriæ, & pacis ac felicitatis auctorem acclamatum, eius vrbis ac verò totius reipublicæ statum composuit, tranquillitatem

tém fundauit. His rebus perficiendis, Guillelmi Raymundi Cataluniæ Senescali (nomen id potestatis erat & magistratus) pro ea auctoritate & gratia, qua apud Ramirum Regem valebat maxima, opera præclara extitit. pro eo merito abs Barcinonensi Comite, Moncada municipio donatus est, Moncadarum familiæ nobilissimæ conditor, auctorque princeps.

*Alfonsus Portugaliæ Comes, Rex proclamatur.*  
*Cap. XVII.*

**X** aliena perturbatione Lusitani augendi ditionem nomenque amplificandi occasionem nacti sunt. Alfonsus Portugaliæ Comes non minus belli quam pacis artibus clarus, rempublicam illustrare, atque bonis omnibus augere, exornareque non desistebat. Conimbricæ S. Crucis nomine monasterium exædificandum curauit, ipsiusmet olim sepulcro celebre. Leira oppidum, quod ea tempestate Mauris ereptum est, ei monasterio dono datum. Magnarum rerum hæc initia fuerunt. nam eius seculi anno trigesimo nono contractis vndique ex tota ditione copijs in Maurorum fines populabundus penetrauit: Tagoque superato, Ismarem Maurorum Regem, qui ea loca imperio obtinebat, bello petijt. In ea expeditione, priusquam ad manus deuentum esset, Egas Nunnus Alfonsi nutritius, cuius consilij cætenus respublica steterat, extinctus est. Portus vrbe in Benedictinorum cœnobio, quod vulgò Sosæ dicitur & sua ipse impensa ab imo totum extruxerat, eius & filiorum sepulcra monstrantur: Therasiæ vxoris in Serefedæ Cisterciensi cœnobio, octo à Lameco millibus passuum: quod ipsa etiam ædificandum curauit: vtrunque (sic credimus) ex manubijs belli Maurici. Alfonsi conatu nunciato, Ismar quam maximos potest tota prouincia delectus habet. quinque alij Maurorum reguli in auxilium euocati. Ba diligentia numerosus exercitus constatur. vtraque castra ad Castrum viride posita. vicina planicies, cui Vrichij nomen tunc fuit, nunc Regum capita vocitatur, ad pugnam delecta. Rigat ea arua Chalybs, ex agro Pacensi corruatis aquis ignobilis primum: inde sensim auctus in Salaciensem Oceani sinum elabatur nauigiorum capax. Hostium multitudine cognita, initio Alfonsus ancipiti cura anxius erat. hinc magnitudo periculi obuersabatur animo: inde ignominia, quam inuri nomini Christiano necesse erat certamine detrectando: contumeliamque ex ea re in victore exercitu remanere grauissimum iudicabat. Vicit honesti cura: præsertim cum milites adeò bona spe pleni essent, vt altero ante pugnam die, octauo Kalen. Augusti, qui dies D. Iacobi memoria sacer est, eius seculi anno trigesimo nono, Alfonso in castris magna lætitiæ significatione Regem proclamarint. Id incitamentum erat, ne à turpi fuga colatum honorem auspicaretur. Biduo elapso acies ad pugnam instructæ. pauca pro tempore nouus Rex locutus. Verba, inquit, milites, fortior rem neminem faciunt. Ducis oratione excitati animi mox ad ingenium

num redeunt. quantam quisque virtutem habet, talis in discrimine apparet. Quo loco res sint æquè mecum intelligitis. hostium multitudine & locorum conditione, ignavis fugæ locum sublatum. fortibus audacia promunimento erit. Quid turpius quàm in pedibus salutis spem eos ponere, in quorum dextris sint arma? terga hostibus ferienda præbere: quorum illi vultum ferre vix poterunt, modò metus facessat & ignauia? Qui vobis animus sit, hæc alacritas ostendit. mihi stat sententia, aut morte aut victoria reipublicæ satisfacere: quorum alterius omen Deus auertat, alterum vt contingat in vobis situm est. Aduersus toties victam perfidiam impietatemque pugnabit. idem ergo illis & vobis animus erit, qui victis & victoribus esse solet. humilis, formidolosus, & ignauus hostibus: vobis excelsus & alacer. A me certè non disciplinam tantum, sed etiam pugnandi exempla petite. Vos videte, ne regium nomen ad ludibrium dedisse videamini. Secundum hæc verba, pugnae signum proponitur: signaque inferri mandatum. idem hostes faciunt. pugnatur ab vtrisque acriter, pro gloria pro salute, pro imperio. Maurorum tandem multitudo nostrorum virtute deuicta est. magnus ex ijs numerus trucidatus. plerique capti. quinque regulorum signa in potestatem venerunt. Ex eo Regum Lusitaniæ insignia in clypeo caruleo, quinque alia scuta minora esse cœperunt. alias alij significationes captant: & quinque Christi Dei vulnera significari contendunt, stultè scilicet & inaniter. Sanctij eo nomine secundi Lusitaniæ Regis ætate, ad vetera insignia, castella circum clypeum adiuncta: non eodem semper numero, nunc septenario. Hæc fuit illa pugna, tantopere Lusitanicis historicis celebrata: in paucis ea ætate memorabilis. vnde breui Lusitaniæ Reges in magnam potentiam creuerunt. Regem ea victoria clarum vincitæ tandiu matris crimen obscurabat: & re cognita Romanus Pontifex Innocentius II. qui per hæc tempora ecclesiam gubernabat, conatus est cum ab ea mente deducere, cum matre reconciliata gratia. Missus Conimbricensis Episcopus Roma cum amplissimis mandatis monere Regem non destitit, vt filij officio erga matrem senem defungeretur. Impium videri non imperium tantum occupasse, sed etiam libertatem eripuisse. Nullam tantæ iniuriæ inferendæ satis honestam afferri causam posse. Verum cum ad has voces Alfonsi aures obsurduissent, Episcopus Conimbrica vrbe sacrificijs interdicta, ex Lusitania discessit. Rursus Cardinalis quidam Roma ea de causa legatus nihilo meliora tulit. prorsus vt regijs minis coactus interdicti sententiam, quo vniuersam ditionem implicarat, retractarit. Manricus Lara ea tempestate opibus & nobilitate clarissimus erat, beneficio Castellæ Regum Molinæ regulus. huius filiam Malfadam nomine Alfonsus Lusitanus toro sibi iungendam curauit. Nati ex eo coniugio sunt Sanctius, Vrraca, & Therasia illa, quæ Philippo Flandriæ Comiti nupsit olim. præterea furto genitus filius alter, Petrus nomine in Alfonsi filijs numeratur. Peracta nuptiarum celebritate ad arma est recursus. Scalabis ad Tagi ripam improuiso occupata: cum ante lucem ciuibus inscijs in vrbe esset penetratum à nostris. Ex eius belli manubijs, Cisterciense Al-

se Alcobasæ cœnobium extructum: quod votum eâ Rex præteriens, si vrbe potitus esset, nuncuparat. Albohali Almoravidum, & Abdelmon Almohadum (noua ea familia inter Mauros erat) Reges, de Africæ imperio summa contentione decertabant. Id dissidium Mauros, qui in Hispania erant, iniuriæ opportunos præbebat: & magis stare videbantur nostrorum cessatione, cum ciuilibus bellis æstuarent, quàm sua ipsorum virtute. Tanta otij copia, vt litterarum studia diligenter colerent, quibus inter arma locus non est. Cordubæ præsertim, vrbe magnorum semper ingeniorum matre altriceque, viri hac tempestate extiterunt, in omni philosophiæ parte clari, atque præstantes. Auicena, quem principi loco natum, ac Regis filium fuisse nonnulli disputant: negant alij fuisse Hispanum. Auerrois clarissimus Aristotelis explanator, Auicena æmulus: qui in libros Aristotelis de cælo commentaria scribere se ait, anno Arabum quingentesimo trigesimo, Christi nimirum millesimo centesimo trigesimo quinto extremo, is Arabum annus initium habuit: præterea Auenzoarius insignis studijs matheos astrologiæque. Hæc Cordubæ. In Lusitania autem, noua expeditione Sintra municipium ad promontorium Artabrum, non procul ea parte, qua Tagus in Oceanum euoluitur, Alfonsi armis expugnatum est. Locus commodissimus erat propter vicinitatem maris. Itaque ex Gallia, Anglia, Belgioque Regis inuitatu validæ classes venerunt: prorsus vt externis copijs confirmatus Olisiponem eoractu vrbe amplissimam, Lusitaniæ principem circumferere non dubitaret. nobilissimæ huius obsidionis exitum priusquam explicamus, ad intermissa recurrendum est.

*Almeria à nostris expugnata. Cap. XVIII.*

**D**VM hæc in Lusitania geruntur, Vascones & Aragonij bellis ciuilibus æstuabant. Alfonsus Imperator belli & pacis in Hispania arbiter habebatur. duorum Regum, qui prior eius amicitiam occupasset, is victoriam de aduersario certò sibi pollicebatur. Itaque certatim ad id ab vtraque gente concursum. prior Raymundus Barcinonensis noui regni cura suscepta, multisque ex eo difficultatibus implicitus Alfonsi conciliandi, atque in partes alliciendi cupiditate, Carrionem Castellæ municipium se contulit. neque successus defuit: pro iure enim affinitatis, quæ inter vtrunque Principem erat, haud ægrè impetratum est, vt Cæsaraugusta, Turiaso, Calataiuba, Daroca, aliaque cis Iberum oppida Aragonij iuris, quæ Castellanis præsidijs tenebantur, Raymundo cederent tanquam Castellæ Regum stipendiario. de Rege Vasconum Garsia, qui frequentibus incursionibus Aragoniam, Tudela Cæsaraugustam vsq; infestam reddebat, tum quidem mentio nulla: biennio tamen post, nimirum salutis anno millesimo centesimo quadragesimo, Raymundus ijs iniurijs prouocatus, fretusq; Alfonsi amicitia ad eum Carrionem rursus adiit. vbi Aragonios inter & Castella-

nos aduersus Vasconum Regem Garfiam foedus factum est: ex quo oppida, quæ Aragonij iuris erant, & à Vasconibus obtinebantur, Aragonijs: quæ Castellæ ditioni erant detracta citra Iberum, cum fide, quamprimum communi hosti essent erepta, antiquis dominis reddenda erant. Nauarræ ipsius pars tertia Imperatori tribuebatur: duæ aliæ partes Raymundo stipendiarij nomine pactæ. Dirempto colloquio, quasi signo dato in bellum vtrinque itum est. Raymundum aliæ curæ distinebant. primus ergo Alfonso Imperator Burgos delatus, quam maximos potest tota prouincia delectus habet: numero quoque exercitu conflato superatis Aucæ montibus in fines Nauarræ irruit. maior apparatus terrorque quam belli exitus fuit. missis vltro citroque legationibus, Præsulumque industria, qui vtriusque Regis castra sequebantur, pax inter vtranque gentem facta est. ad Iberi ripam, Calagurrim inter & Alfarum, ad colloquium ventum. affuit Berengaria Alfonso vxor. In eo congressu non tantum concordia sancita, sed etiam pactis nuptijs firmata, Sanctium inter Alfonso maiorem natu filium, & Blancam Garfiæ Regis filiam, ob teneram quidem ætatem nuptui immaturam: cæterum vt fidei data obseques esset, in soceri potestatem continuo contraditam. ad nonum Kalend. Nouembris foedus factum. Mutatæ repente Alfonso voluntatis haud satis idoneam causam reperiēbam. libet tamen suspicari haudquaquam mentis inconstantia ingenijque leuitate factum: quid enim ea tempestate Alfonso grauius, quid sanctius? sed cum stultum fore iudicaret Aragonios, qui negotijs alijs implicatos præsidij, aut nihil aut parum afferrent, alieni periculi fructus integros referre: sibi priuatim consilium cepit. Raymundum enim Barcinonensem domi, forisque grauissimæ curæ à cogitatione belli Nauarrici auocabant. Primum Mauri communes hostes bello petendi erant. Itaque ad Cingæ annis ripas Chalamera & Alcolea oppida barbaris erepta à Ducibus, qui Raymundi nomine limiti præfecti erant. deinde milites Hierosolymitani, qui regni iura ex Alfonso Aragonij Regis non ita pridem defuncti testamento repetebant, aliqua ratione conciliandi. Veneratque ea de causa Raymundus militiæ D. Ioannis Magister. quo agente conuenit tandem, vt Cæsaraugustæ, Calataubæ, Oscæ, Barbastri, & Darocæ, alijsque oppidis, quæcunque Mauris eriperentur, Hierosolymitani milites ex singulis religionibus, Christianis, Mauris, Iudæis singulas familias subiectas haberent: eæque ipsorum auspicijs iussuque militarent. alij præterea redditus, opimæque prædia tota ditione data: vnde magno quamuis numero milites vitam militiamque sustentarent. Iaccæ alijsque locis, domicilijs constituendis descriptæ designatæque aræ. Illud in primis est cautum, vt Raymundo ipso sine prole defuncto, regnum rediret ad milites. Ijs conditionibus paciscendis, retractandisque, aliquot anni elapsi: quas Guillelmus Patriarcha Hierosolymitanus cæterique milites D. Ioannis suo diplomate ratas Hierosolymæ habuerunt, ad quartum Kalend.

1141 Septembris salutis anno millesimo centesimo quadragesimo primo. accessit

cessit Fulconis Hierosolymitani Regis consensus, ac Hadriani tandem IIII. qui post aliquot annos Romanam ecclesiam regendam suscepit, approbatio. Eo foedere Templarij etiam milites comprehensi: quibus quod æquior esset Raymundus, cum recenti memoria Raymundus Berengarius eius pater eam militiam esset professus, plura attributa sunt. Montio aliaque oppida & arces magno numero donata: decima regionum vectigalium: quinta eorum quæ bello Maurico quæsitæ essent: immunitate milites omnes donati: neque nisi eorum consensu, pacem genti cum Mauris fore conceptis verbis promissum iuratumque. Hæc Gerundæ pacta conuentaque, Guidone Cardinali Pontificis Romani Legato præsentate, disceptanteque, vigesimo septimo Nouembris die, anno millesimo centesimo quadragesimo tertio. Excepit nouum bellum in Gallia aduersus Baucios, familiam ea tempestate opibus & clientelis cum primis copiosam & validam. Raymundus Baucius Stephanix vxoris (quæ Aimilliani Comitis Gilberti filia erat, Dulcis soror eius, ex qua Raymundus & Berengarius nati sunt, vt est superius demonstratum) iura repetens Prouinciæ principatus partem obtinere satagebat: sin minus iure iudicioque, certè Marte arbitro. Non deerant in prouincialibus studia, cum externi Principis Berengarij imperium auersarentur: ac pro insita multitudine leuitate, noua semper antiquis meliora fore sperabat. Bellum inchoatum Berengarij ætate, eius morte aduersus filium Raymundum Berengarium nomine amplius exarsit. ætas pueri contemptui erat, imperij vires nondum confirmatæ: prorsus, vt Raymundus Barcinonensis pueri propinqui, rebus cæteris prætermisissis, patrocinium suscipere non dubitauerit. Bellum acre fuit: seque Raymundus quo maior esset auctoritas scilicet, Prouinciæ Marchionem dixit. Aduersarij eo redacti, vt Raymundus Baucius paterna ditione fermè omni spoliatus, vltro Barcinonem veniens, Raymundi se suaque fidei voluntatique permisit. Pax inter vtranque familiam æquis conditionibus facta: Baucioque restituta quæcunque belli iniuria erant ablata. præterea Trencataium municipium ea lege datum, vt Prouinciæ Comitum eo nomine stipendiarius esset. Iis difficultatibus negotijsque Raymundo distento, Garfias Vasconum Rex occasionem tempusque nactus est sese amplius confirmandi. ac in primis Alfonso Imperatorem, penes quem rerum summa potestas erat, vt amplius deuinciret, Vrracam eius ex impari matre filiam vxorem duxit. Anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, octauo Kalend. Iulij Legionis nuptiæ regio apparatu celebratæ sunt: ludrica militaria commissa: agitati tauri: cæcis, galeis sudibusque munitis porcus occidendus obiectus, magno astantium plausu risuque: cum spe lucri prædæque inter se ictu aberrante grauius quidem, sed citra noxam ferirent. Vrracæ mater Gontroda fuit in Asturibus nobilissima: cuius ad Ouerum in Veguæ virginum cœnobio, quod de suo extruxit, & vbi vitæ reliquum exegit, sepulcrum cum inscriptione monstratur. Ex Garfia Rege & Vrraca, Sanctia nata est ea, quæ Gastoni Bearnensi Vicecomiti nupsit

1144 Ii ; primum

primum: atque eo sine prole defuncto Petro Molinæ Comiti viro alteri Almericum peperit: qui consequenti tempore Narbonæ principatum tenuit. Interea Africa bellis ciuilibus tumultuabatur. in Hispania inter Mauros quidem grauissimi motus erant, factione tricipiti. Zephadola Rotæ regulus, quod oppidum ad Bætis ostium situm est, ex veteri Regum Maurorum sanguine, nostris fauebat: eoque Duce Hispalim erat à nostris vsque penetratum. Azuelis Cordubæ præfectus, Valentia Abengamia dissidebant inter se, meliora ferente Abengamia. Inter pios superiora bella cepisse finem videbantur. Raymundus tantum, & Garsias aliqua ratione conciliandi erant. Alonsus Imperator, pro ea necessitudine quæ illi cum utroque erat, & ne præclara occasio bello petendi barbaros qui in Bætica latè dominabantur efflueret, vtrunque Principem in oppidum S. Stephani euocauit: vt mutuo colloquio pax componeretur. anno millesimo centesimo quadragesimo sexto, mense Nouembri ad colloquium ventum est. pax quidem perpetua conciliari non potuit: induciæ tantum inter vtranque gentem vt fierent impetratum. additumque vt quoniam Alonsus de bello sacro cogitaret, atque in eam rem lectissimas copias paratas haberet, Garsias terra, Raymundus mari instructa valida classe, eius conatus iuuarent. Primo vere sequentis anni à tribus Regibus arma Bæticiæ illata sunt. direpta oppida atque incensa, vastati agri, donec Cordubam ventum est, urbem in planicie ad Bætis ripam lautissimam, opulentissimamque, armis virisque potentem: ad hæc totius fermè Hispaniæ imperio, quàm late barbari dominabantur haud multo ante maximè insignem. ager omni fertilitate terræ inter primos in Hispania. Hanc urbem Regis Marrocij nomine Abengamia Præfectus obtinebat. Is tanto belli apparatu perterritus, urbem continuò dedit, paratus imperata facere, frumento, pecuniaque nostros iuuare. Templum maximum Raymundus Toletanus Præsul Regis iussu ex Christiano ritu expiauit. vrbi præsidium nullum impositum, ne dissipato exercitu vires minuerentur, cum tantum belli superesset. neque enim sine valida manu firmari poterat ob amplitudinem vrbis: nec id virium erat, vt firmando præsidio & perficiendo bello satis esset. incustodita est relicta, nulla ex eo vtilitate aut gloria. Abengamiam fidem noua sacramenti religione obstringere visum est Alcorani contactu, (qua cæremonia grauissimum eius gentis more iusiurandum continetur) rempublicam Alonsi nomine cum fide gubernaturum. Timor haud diuturni officij magister est. Itaq; vix nostri ex ea vrbe discesserant, cum Maurus præfectus datam fidem fefellit. Biatiam promotæ castra, quam in urbem Mauri ex tota prouincia vires contraxerant, certi de rerum summa cum nostris dimicare. Res periculo proxima erat, Alonsi animus de euentu sollicitus. Diui Isidori species per somnium oblata (sic fama est) nutantem confirmauit. Vanam visionem non fuisse rei euentus comprobauit. postero die totis vtrinque viribus pugnatum. Mauri cæsi atque fugati. vrbs dedita, atque mutato consilio, militari præsidio firmata: ne Cordubensium

suum exemplo rebellare posset, neve à tergo hostile aliquid relinqueretur. Eius vrbs expugnatione Roderici Afagræ, qui Stellam oppidum in Vasconibus obtinebat, virtus & diligentia maximè commendatur. Huius filius Petrus Rodericus Afagra urbem Albarracinum primus imperio obtinuit. Almeria firmissima ea tempestate vrbs ad Mediterranei maris litus sita in Bastetanorum & Bastulorum confinibus, antiquis Abdera seu Portus magnus, nostrorum armis petita est. eò copijs omnibus itum. Vno tempore Genuenses, Barcinonensesque ita moderari cursum nauium iussi, superato Charidemo promontorio classes ad urbem circumegerunt. Terra marique barbari impugnati: atque post aliquot eruptiones leuiæque prælia, in muro patefactus aditus, turresque aliquot captæ: vnde per vim reliqua vrbs expugnata est decimo sexto Kalend. Nouembris anno millesimo centesimo quadragesimo septimo. viginti Maurorum milia, qui vrbe capta in arcem confugerant, pretio vitam redimere compulsi. sic piratis per fugium sublatum, vnde finitimis longinquisque littoribus imminebant formidabiles Hispaniæ, Galliæ, atque Italiæ. Ea expeditionem maturandi præcipua causa fuit. Præda omnis militi distributa. Genuensibus præmium fuit vas smaragdeum insigni magnitudine: quod illi reliquæ prædæ præferendum tunc quidem iudicarunt, & nunc in thesauris seruant. Tametsi alij scribunt in bello sacro Cæsarea expugnata in Syria inuentum. & opinio est in eo Christum Deum, postremo cum discipulis cœnatum, vulgi scilicet & sine auctore. Clemens Alexandrinus in vili catino cœnasse ait. Anni tempus in hyemem præcipitabat. itaque milites reducti in patriam, non fructu victoriæ lætiores, quàm vltione de barbaris sumpta. Validam Genuensium classem, qui mari ea tempestate latè dominabantur, Raymundus Barcinonensis nactus paciscitur, vt in reditu operam aduersus barbaros, qui Aragoniæ partem & Baleares obtinebant, sibi nauarent, tertiam eorum, quæ bello quæsitæ essent illis redditurum pactus. præterea in singulis oppidis, quæ capta essent, Genuensibus templum, forumque proprium. Denique negotiatoribus vestigalium immunitatem fore. Hoc præsidio, hisque opibus Dertusa vrbs nobilissima expugnata est: quæ quoniam ad ostium Iberi sita est, subuectionibus ex mari, atque commercio commodissima erat. atque hæc sequenti anno gesta sunt. Tertio Ilerda Fragaque ereptæ Mauris, oppida nobilissima: alterum Iulij Cæsaris olim victoria obsidioneque: alterum nuper Alonsi Aragonij casu. Ilerda Urgelitano Comiti quasi beneficiario data est, nauatæ in eo bello operæ merces. Guillelmus Peresius Rotæ Præsul, Ilerdæ Episcopus est creatus, contributis Rota atque Barbastro. ipse & successores nonnulli Ilerdæ se, & Rotæ Episcopus vocabant.

*Olisipo in Lusitania capta.  
Cap. XIX.*



ES Maurica in præcipiti erat. Christianum nomen & gens re-  
florebat in Hispania opibus, equis, armis, atque secundo vi-  
ctoriarum cursu. arces, oppida, & vrbes passim a nostris carpe-  
bantur. Portus est maris mediæ ferè Lusitaniæ ora, quem Tagus  
in Oceanum mittens efficit, Fauonio vento obiectus, angusto aditu atque  
impedito, spatij latissimus. ad ripam huius portus, à Septentrione, Olisi-  
po vrbs totius Lusitaniæ nobilissima latissimè fusa est. retro colles assur-  
gunt molli ascensu. Hos vrbs ædificia occupant, minori aliquanto latitudi-  
ne, quam pro longitudinis modo. veterum murorum ambitus haud latissi-  
mus. suburbia latiora, nostra præsertim ætate: cum propter Orientis com-  
mercium multi mortales eò domicilium transtulerunt. vici & plateæ enor-  
mes magna ex parte: quod inæqualitate locorum vitium contigit, & incur-  
ria ædificandi, præsertim rerum potentibus Mauris. Recentia ædificia  
viæque multò elegantiores. Ciues honesti, mercatores copiosi, victus cultus  
que vitæ moderatus: ager præcipua bonitate: dextra læuaque pagi, vil-  
læ, ædificiaque collucet, regium splendorem æmulantia. Eam vrbs Al-  
fonfus Lusitaniæ Rex, quoniam imperij Maurici arx & propugnaculum  
erat, expugnare cupiebat. Conanti vires deerant. externæ opes quærendæ:  
cum cæteri Hispaniæ Reges alij alijs bellis impliciti essent. capto Sintra  
oppido, vti paulò ante dictum est, loci opportunitate inuitatus, è Germa-  
nia, Anglia, & Gallia Belgica classes magnis propositis præmijs ad belli  
societatem euocauit. magnum præsidium in mutua Principum & prouin-  
ciarum benevolentia situm est. Itaque vrbs validissima Alfonso virtute, ex-  
ternisque opibus, eodem prorsus mense quo Almeria in Bætica, capta est.  
classes ad portus aditum collocatæ, ne qua ad obsessos ex mari annona inue-  
hi posset. Nostrorum castra ad D. Vincentij: externorum eo loco posita,  
vbi deinde D. Francisci monasterium exstructum est. quæ loca nostra æta-  
te vrbs amplitudine comprehensa sunt. Multa prælia vario euentu facta.  
nostri pro imperio, hostes pro salute enixè dimicabant. Vrbs mœnia mul-  
tis partibus impugnata. ac tandem Crispini & Crispiniani festo die, cum  
prope spem impugnatione esset, acie instructa hanc Alfonso ad suos oratio-  
nem habuit. Haudquaquam ad vrbs vnã oppugnandam adductos vos  
esse credite: sed in vna vrbe vniuersam capietis Lusitaniã. hic pecunia  
hostium est: quæ nobis maximo vsui erit ad bellum. Hic tormenta, arma, ar-  
mamenta: hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, atque rerum omnium rece-  
ptaculum. Ijdem hostes sunt, quos toties superioribus bellis profligastis.  
eadem virtute, & industria: nisi quòd ciuium multitudo ciuilibus artibus,  
quàm armis aptior est. ipsa se impedit in pugna. Milites in vrbe pauci sunt:  
ijque continuata quinque mensium obsidione, imminuti numero. Audete  
ergo vincere: supremoque impetu in vrbs muros tot prostratos partibus  
irruite. Per rudera & strages lapidum penetrate: nullus erit qui veltræ vir-  
tuti resistat. His dictis cum omnes vna voce pugnæ signum poscerent, in vr-  
bem inuaditur. Rex ipse, quod plurimum ad inflammandos milites valuit,  
testis, spectatorque virtutis cuiusque aderat. insignis pugna atque cruenta  
fuit.

fuit. nostri muro succedere, atque in vrbs irrumperè conantur. obsessi om-  
ne genus tela iactabant: neque vllum frustra cadebat. in tanta frequentia  
militum. Tandem refracta porta, cui Alfamæ nomen est, in vrbs ir-  
rumpitur. Cædes magna fuit. supplices in seruitutem capti. præda militibus  
cessit, opinione maior. Templum ritè expiatum, Gilbertusque, externus  
quidem homo, cæterum eruditionis opinione & probitatis laude præstans,  
Episcopus creatur. Capta est vrbs octauo Kalend. Nouembris, alij duode-  
cimo dicunt. omnino quo loco Regis castra erant, cœnobium Regis im-  
pensa ædificatum est S. Vincentij nomine: quem præcipua pietate colebat:  
10 & vt ex nomine victoriæ monumentum posteris esset. Externi milites ma-  
gno numero, cum Lusitaniæ copias cultumque adamassent, atque aeris tem-  
periem, hyemem egelidam, æstatem continuis ex mari ventorum flatibus  
mitem, in prouincia domicilia constituere certi, patriamque mutare Lusi-  
tania: Alfonso Regis permissu, oppida Almadam, Villam viridem, Arru-  
dam, Zambuiam, Galtaneram, aliaque condidisse memorantur. Rex victo-  
ria vsus Alanquerium, Obidos, Eboram, Helbes, Muram, Serpam, Pacem Iu-  
liam, aliaque oppida & vrbs toto eo tractu incredibili felicitate Mauris  
eripuit: prorsus vt Alfonso virtuti omnia prona esse viderentur. Verùm hæc  
aliquot deinceps annis gesta sunt: nunc iter ad historiæ ordinem reuocanda  
20 narratio est.

*Diui Eugenij corpus repertum. Cap. XX.*



VO hæc tempore in Hispania gerebantur, Eugenius eo no-  
mine tertius Lucij secundi successor, domo Pisanus atque ex  
Cisterciensi familia, Romanam ecclesiam rectè & prudenter  
gubernabat. Res piorum in Syria nutare videbantur, extincta  
magna ex parte martia Lotaringiæ sobole, vt enim fata quæ-  
dam, sic hominum ingenia cælo terraque, ac præcipuè temporis longin-  
quitate degenerant. circumfusi omni ex parte barbari rem Christianam in  
30 magnum discrimen adduxerant. Balduinus eo nomine. III. Fulconis fi-  
lius, regnum haud magnis viribus potentiaque administrabat, imposito  
oneri impar propter imbecillitatem ætatis. Eugenius Pontifex eo pericu-  
lo prouocatus, ac Christianæ religionis amore succensus, in Galliam abiens  
Christianos Principes ad bellum sacrum excitare non desistebat. Conra-  
dum Imperatorem, & Ludouicum Galliæ Regem, vt cum lectissimis copijs  
in Syriam proficiscerentur, permouit. atque in eam rem intentus Remis vr-  
be Galliæ Episcoporum ex toto orbe conuentum indixit anno millesimo  
centesimo quadragesimo octauo. Ad eum conuentum Raymundus Toleta-  
40 nus Præsul ex Hispania abiit. Lutetia Parisiorum in ipso itinere posita est.  
Eò cum peruenisset Dionysiacum templum, quod quarto ab vrbe lapide in  
oppido eiusdem nominis situm est, D. Dionysij cineribus sacrum, & Re-  
gum Galliæ sepulcris nobile atque impeditum, inuisendi studio abiit. Ibi  
dum moles templi, & ornatum curiosius contemplatur, & singula diligen-  
Ii 5 ter



ter perscrutatur oculis, atque considerat, fortè an mōitus animaduertit in  
 facello quodam hæc verba in marmore incisa. HIC SITVS EST EVGE  
 NIVS MARTYR, PRIMVS ARCHIEPISCOPVS TOLETANVS.  
 Eam inscriptionem miratus primùm, cum Eugenij memoria penitus in His  
 pania obliterata esset, neq; vllum tantæ rei præterea monumentum extaret,  
 libros eius templi, atq; schedas veteres diligenter excussit: inuenitq; consen  
 tire omnia. atq; ex ea re lætitiæ gestiens Remos ad Concilium abiit, solutoq;  
 conuentu, atque ijs rebus pro quibus venerat, ex sententiâ constitutis in  
 Hispaniam tantæ rei lætus nuncijs reuertit: Regisque & procerum, atque  
 adeo vniuersæ gentis animos re nunciata, gaudio quàm maximo cumulauit. 10  
 Ita tunc quidem res habuit. Broniense monasterium in Gallia Belgica agro  
 Namurcensi situm est, D. Petri nomine sacrum. eius monasterij Benedi  
 ctini sodales D. Eugenij corpus pia fraude, an prece Gerardi fundatoris  
 Dionysiacis monachis extortum, Broniumq; illatum afirman anno non  
 gentesimo vigesimo, ad quintumdecimum Kalend. Septembris. Nimirum  
 parte concessa, totum abstulisse crediderunt. Consilia Toletum reducendi sa  
 cros Eugenij cineres agitari cœpta, Regina Berengariæ atq; Archiepisco  
 pi coniuncta fermè funera disturbarunt. Regina enim proximo anno mil  
 lesimo centesimo quadagesimo nono defuncta est, atque in Compostella  
 no templo, quod præcipua religione viuens coluerat, sepulta. Annum Re  
 ginæ funere scdum magis insigniuit sanguinis imber, quo in Lusitanæ 20  
 parte & ditone Maurorum pluit. Tertio anno salutis millesimo centesimo  
 quinquagesimo, Augusti die nonodecimo, Raymundus Præsul longæua  
 ætate, & longinqui itineris laboribus fractus decessit. in Toletano templo  
 maximo sepultus fuisse, magis ex coniectura creditur, quàm certo aliquo  
 monumento confirmatur. successit in Archiepiscopatu Ioannes magno ani  
 mo & antiquæ probitatis vir. Sic in Castella res erant. In alia parte Euge  
 nius Pontifex Alfonso Lusitano hoc tempore regium nomen, & auctorita  
 tem rata habuit: & eius exemplo post aliquot annos, Alexander eo no  
 mine tertius diplomate, quod ab Alberto Cardinali, & S. R. E. Cancellario 30  
 est promulgatum. Ab vtroq; Pontifice annum vectigal imperatum: ab  
 Eugenio quidem quatuor auri pondo, ab Alexandro autem libra cum trien  
 te. quod tributum an primis temporibus Lusitania soluerit in incerto est:  
 nostra & maiorum ætate immunis prorsus est habita.

Libri Decimi Finis.

HISTO.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER VNDECIMVS.

*Almohades veniunt in Hispaniam. Caput. I.*



10  
 20  
 30  
 40  
 50  
 60  
 70  
 80  
 90  
 100  
 110  
 120  
 130  
 140  
 150  
 160  
 170  
 180  
 190  
 200  
 210  
 220  
 230  
 240  
 250  
 260  
 270  
 280  
 290  
 300  
 310  
 320  
 330  
 340  
 350  
 360  
 370  
 380  
 390  
 400  
 410  
 420  
 430  
 440  
 450  
 460  
 470  
 480  
 490  
 500  
 510  
 520  
 530  
 540  
 550  
 560  
 570  
 580  
 590  
 600  
 610  
 620  
 630  
 640  
 650  
 660  
 670  
 680  
 690  
 700  
 710  
 720  
 730  
 740  
 750  
 760  
 770  
 780  
 790  
 800  
 810  
 820  
 830  
 840  
 850  
 860  
 870  
 880  
 890  
 900  
 910  
 920  
 930  
 940  
 950  
 960  
 970  
 980  
 990  
 1000

OVAM Almohadum irruptionem gentis barbaræ  
 & immanis exponere pergam. nouum in Africa atque  
 Hispania regnum per hæc tempora constitutum. no  
 uaque bella atque internecina, quorum fluctibus res  
 publica Christiana agitata est in Hispania, miro quo  
 dam ac præcipuo alternantis fortunæ ludo: donec in  
 signi demum victoria parta, ac qua ea tempestate no  
 bilior nulla fuit, Maurorum vires debilitatae accisæque sunt. Rem Mauri  
 cam in Africa atque Hispania Albohals ex gente Almoravidum obtine  
 bat: vti est superius demonstratum. Quo tempore Tumertus quidam in  
 Africa, tum in cæteris astrologiæ partibus præstans, tum prædicendis atque  
 notandis ex natali die cuiusq; vita, ingenio, moribus & calibus (quæ scientia  
 vanissima est,) nobilissimus, Abdelmoni cuidam in vegeto corpore magno  
 rum spirituum iuueni vultu considerato, & ex contemplatione siderum, ta  
 met si infimo loco natus erat atque ad eum patre figulo, regnum gentis denun  
 ciauit. Ita cælum portendere: sic in fati esse, quorum infringi vim non pos  
 se Maurica gens habet persuasum. Commodum vtriusque conatibus acci  
 dit nobilem ea tempestate Mahometanæ legis interpretem, atque ex ea re  
 præcipua sanctitatis & doctrinæ opinione, Almohadem nomine nouis  
 inducendis atque euulgandis legis interpretationibus multitudinis animos  
 concitasse, ingenio mobili præsertim in Africa, cupidæque in primis rerum  
 nouarum. Huic cum Tumertus vaticinium siue verò probasset siue simula  
 to: evertendi reipublicæ statum consilia inter se communicarunt. Nihil  
 est in speciem fallacius, quàm religionis prauæ species, vbi diuinum nu  
 men sceleribus prætextitur: nihil æquè reipublicæ exitiale, quàm vbi non  
 patrio sed externo ritu sacrificatur. Itaque ab omni memoria, maxima im  
 peria consideramus, religionis dissidio esse labefactata: dum scissa in partes  
 multitudine, à verborum altercatione ad aperta odia proceditur: ac vtrique  
 pars suas cogitationes armis tutatur. quod in præsentem accidit. Almohades  
 enim pro ea auctoritate, quam nactus erat, sectatoribus persuasit, Abdel  
 mone Duce arma capere, atque Almoravidum regnum euertere. illegiti  
 mum esse imperium, quod per vim esset constitutum Alaecinis sublati fa  
 milia ex Fatima Mahometis filia maiori genus deducente. Præterea nisi Al  
 moravidum

moravidum imperio excusso, quas amplexi essent de religione opiniones cursum tenere non posse. impios eius gentis conatus iniurijs omnibus esse vindicandos. Itaque arma capere constituunt. verum cum bello strenui non essent, initio Albohali Regis armis, acie superati sunt. cessit virtuti multitudo. breui tamen reparatis viribus bellum instauratum. neque prius constiterunt, quam victis Almoravidibus Regem Albohalem peremerunt. Abdelmon locum tenuit: eoque Rege Almohadis sectatores (vnde Almohadum appellatio) rerum potiti sunt. iura & leges commutatæ: versoq; Africæ statu, animum ad Hispaniam adiecerunt. Tumertus quidem in Africa substitit. ne hostibus se commouendi facultas esset, providebatur. Abdelmon 10  
 nouus Rex, & Almohades vates, cum lectissimis copijs in Hispaniam transmiserunt, non hostili animo statim, quia non desperabant gentis voluntariam deditioem: verum si morarentur spem sibi que priuatim consilium caperent, nihil eorum, quæ pati aut timeri possent, prætermisuri. Haud ægrè Mauris quicumque supererant in Hispania persuasum est, vt tempore inseruirent: nouasque de religione opiniones & ritus populariter admitterent. quod tanto studio factum est, tantoque tum veteris superstitionis, tum Christianæ religionis odio, vt quæcunque priores Reges constituerant, immutarent ipsi, atque inuerterent: & Christianorum reliquias, qui Mauris confusi velut astra inter noctis tenebras micabant, & vulgo Muza- 20  
 rabes dicebantur, omnibus cruciatibus cogere veterem religionem abdicare. Multi ad Christianos fuga elapsi. In hoc numero Clemens Hispalensis Præsul Talaueram delatus in eo oppido diu vita propagata decessit, vir sanctus, ac Arabicæ linguæ in primis cognitione præstans. Alij non pauci malorum mole oppressi victoribus morem gesserunt: prorsus vt ab hoc tempore, pauci inter Mauros essent nomine & professione Christiani. Operæ prætium factum erat Mauris Hispanis sub imperium adiunctis. Christianos de finibus laceffere tum quidem visum non est, terra marique potentes: sed potius redire in Africam, vbi præcipuæ factionis vires erant. Almohadi post reditum breui defuncto, prope Marrociū regni sedem, sepul- 30  
 crum magnificum iussu Regis extructum: quod delusa multitudo, ficta sanctitatis specie fama que, religionis ergo frequentare cœpit. Venere in Hispaniam Almohades salutis anno millesimo centesimo quinquagesimo: imperij Arabum quingentesimo quadragesimo quinto. Rodericus Præsul sex minus annis ait in historia de Arabibus extrema: vitiosa proculdubio annorum ratione.

1150

*Garfias Rex Navarra mortuus. Cap. II.*



VO anno Almohadibus Alfonso Imperatorem obuiam 40  
 processisse inuenio, vastatisque Bæticiæ agris Cordubam obsidisse Abdelmone reuerso in Africam (sic suspicor) Garfias Rex Vasconum prope Lorcam ditionis oppidum, equi casu in venatione afflicto ad rupem, atque extinctus est, vndecimo Kalend.

Kalend. Decembris, ipso D. Cecilie profecto die: cum Stella Pompelonem festinaret, ciuibus haud ita magna de causa iratus, atque in vindictam præceps. regnavit annis sedecim. filios reliquit Sanctium, qui continuo in regno successit, insignia atq; insulas regni sumpsit Pompelone in æde maxima, quo loco patris corpus sepeliendum curavit: Blancam Imperatoris nuntium: Margaritam, quæ Guillelmo Regi Siciliae nupsit, cui Malo cognomen- tum fuit. Garfias mors Principibus alijs nouorum motuum opportunitatem præbuit. Raymundo præsertim Barcinonensi, & Alfonso Imperatori: tametsi tot vincula affinitatis extabant. Sed nimirum Reges pluris imperia 10  
 faciunt, quam humanitatis, & modestiæ laudem: neque quid de ijs fama loquatur, præ cupiditate dominandi pensi habent: præsentia potètia cogitantes extingui etiam posse sequentis æui memoriam. Ij ad Tudelinum Navarrae oppidum prope Aquas calidas conuenientes (assuit etiam Sanctius, iam dudum à patre Castellæ Rex renunciatus) fœdus faciunt his legibus: Vt quæ Castellæ recenti memoria ablata erant Alfonso, quæ Aragoniæ Raymundo cum fide redderentur. Antiquam ditionem Vasconum, vbi iunctis viribus nouo Regi dempta esset, æquis partibus diuiderent: vt quis cuique locus opportunior esset. Pompelo nominatim Raymundo, Stella Imperatori cederent. Tudela communi imperio atque vtriusque auspicijs, diuisa in partes, 20  
 gubernaretur. Raymundus pro ijs oppidis & vrbibus, quæ in Vasconibus quæsitæ essent, Castellæ stipendiarius esset, Sanctij & Petri Aragoniæ Regum repetito fœdere. Additum præterea, vt quoniam de bello sacro præcipua cura erat, Valentia, tractusque terrarum Dertusa & Sucrone comprehensus, præterea Murcia, cum Mauris essent erepta, Aragonijs cederent tanquam beneficiarijs Castellæ Regum. Additum à Regibus iusiurandum. dextræ inter se contactæ. fidei acceptæ datæq; sanctissimum vinculum more gentis id est. Nauarrico bello inchoando tempus definitum post finem Septembris, cum fœdus vigesimo septimo Ianuarij die percussum esset. quod turpe incepto, exitu inane fuit: cum nouus Rex eius rei fama vulgata 30  
 nihil de sua comparatione omisisset: tametsi ætate minor erat, externo præsidio non magis quam suorum beneuolentia munitus: in quo patrem superauit, subditis grauem, inuidiosumque. Inter Vasconum proceres Latio Gueuara antiqua nobilitate Aiuaris regulus, præcipua auctoritate erat: qui quod cæteros opibus & potentia facile superaret, Princeps Navarrae dictus est. Imperatorem & Raymundum aliæ curæ distinuerunt, ne toto impetu in nouum bellum irruerent. Aragonij quidem, incursionibus Vallem Roncalem infestam habere cœperunt: Castellæque copias Vascones finitimos. vtrique haud magno operæ prætium: cum Raymundus Narbonem petisset aduersus Trencauellum Carcasonis Vicecomitem, quem ad officium perduxit, Carcasone & Rhutenis datis stipendiarij nomine mense Nouembri. 40  
 Alfonso Imperator nouis affinitatibus cum Ludouico Rege Gallie inuendis distentus erat. Is enim Eleonoram Pictauiensem Comitem, ex qua duarum filiarum pater erat, repudiavit. Eleonoræ locum Alfonso Imperatoris filia Elisabetha nomine (alijs Constantiam vocant) tenuit Ludouico Regi

toto

toro iuncta. Imperator ipse Ricam eodem tempore duxit Vladislai Poloniae, quæ veteris Sarmatiæ pars est, Ducis filiam ex Berta sorore Othonis Frisingensis Episcopi, uti Radeuicus ait. In tanta nuptiarum lætitia, armis locus esse non poterat: & Francorum foederati Vascones erant: atque ex ea re Imperatorem æquiores esse redditum arbitramur: auertique animo cœpisse ab eo bello, quod amicitia leges, & iudicia hominum damnabant. & Sanctio Vasconum Regi propter eximiam in minori ætate indolem passim fauebatur. Ad hæc Alfonso æquitatis cultor egregius alioqui erat, insolentia omnis osor: quod illustri ad memoriam exemplo, per hæc tempora declarauit. Miles quidam loco nobili ex eo numero, quos vulgo Hispani Infansones vocant, in Calæcia regionis longinquitate & temporum 10 perturbatione confusus, rusticum quendam bonis omnibus spoliavit. monitus à Rege, atque prouinciæ Prætore, ut damna reponeret ei qui pertulerat, obtemperare contempsit. Dissimulauit in præsentia iram Rex: & cæteris rebus prætermisissis, priuati habitu, quod res occultior esset, Toletum in extremam Calæciam delatus militis ædes obsedit: fugientemque supplicij metu comprehendi, atque præ ipsis ædibus, laqueo suspendi mandauit. Eo facto auctoritatem Rex innocentiamque sanxit: ille væcordiæ, atque superbiæ meritisimas pœnas dedit. Strenuum Principem neque pace neque bello celsantem, qui repetito sacro bello Giennium hoc anno obsedit. Proximo mil- 20  
1156 lesimo centesimo quinquagesimo secundo Guidixium, quæ Bæticæ vrbs veteribus Acci fuit. Petronilla Aragoniæ Regina filium edidit Raymundum patre superstitite nominatum, Alfonso eo defuncto. Sub ipsum partum Aprilis die quarto testamentum condidit, in quo ventri paternum regnum relinquebat, si mascula proles nata esset: sin foemina, memorabili exemplo Raymundum virum substituebat hæredem. Episcopi, Guillelmus Barcinonensis, Bernardus Cæsaraugustanus, Dodo Oscensis, alijque viri principes eius testamenti procuratores designati. In quo nominatim cauetur, regnum se hæredibus immune relinquere, ut Alfonso patruus tenuerat, foedere, quod cum Castella nuper ictum erat, rescisso scilicet. Petrus Atarius Borgiæ re- 30  
gulus eodem tempore defunctus est, atque in Veruelæ cœnobio, quod ipse condiderat, sepultus non procul Cæsaraugusta. Borgia Regi celsit. Templarijs quibus à Petro data erat, Ambela aliaque oppida eius permutatione abs Rege concessa. Aragonijs armis omnia oppida, quæcunque ad Sicoris & Gingæ ripas in Maurorum ditione erant, aut vi aut voluntate expugnata. Arces præterea Tarraconem inter, & Dertusam in saltuosiss & impeditis montibus positæ, adituque adeo & expugnatu difficiles, ægrè quamuis in Regis potestatem venerunt. Præterea Mirauetum ad Iberi ripam munitissimum oppidum, quod Templarijs, ut ditione præsidioque tenerent, datum est. in ijs bellis Vrgeliæ Comitibus, Raymundique Moncadæ, atque Pon- 40  
tij Hugonis Emporiarum Comitibus, qui ipso anno defunctus est, præclara opera extitit. Dertusæ pars tertia, quæ Genuensibus celserat ex foedere quo tempore capta est, abs Rege auro redempta. Quibus rebus Raymundi nomen celebre tota Hispania, sed & apud exteras nationes esse cœpit. Ta-  
meti

meti ipse ingenij modestia, an quod Aragoniæ regnum dotale esset, Regis nomine per totam vitam abstinuit, Principem modò Aragoniæ se nominans: eaque appellatione contentus, rerum summam bello paceque, solus administrabat. Omnino ex hoc tempore vetera Regum Aragoniæ insignia Barcinonensium Comitum mutata insignibus sunt. ea fuerunt quatuor fasciæ rubræ clypeum aureum, paribus ad perpendicularum interuallis distinguentes. Sanctius qui in Lusitaniæ regno Alfonso patri successit, natus est Nouembris die vndecimo Conimbricæ, qua in vrbe Regina libenter moram trahebat. ijs natalibus annus millesimus centesimus quinquagesimus quar- 1154  
tus insignis maximè fuit: præterea Ludouici Regis Galliæ in Hispaniam aduentu.

*Ludouici Gallia Regis aduentus. Cap. III.*



NECESSERAT Ludouicum Regem Galliæ, cui Iuniori cognomen fuit, cupido videndi Hispaniam, inuisendi socerum. longinqui itineris idonea causa quæ renda erat: optima visa est, se ad Compostellam voti religione exoluere, quod priori tempore nuncuparat. Hæc palam: nam ex arcano alia 20  
suberat causa, (ut Rodericus Præsul est auctor, nam apud scriptores Francos de hac re mirum silentium) perscrutandi cognoscendique præsentem, an vxor legitimis nuptijs esset procreata: delatores enim homines mali, quales aula Principum multos habent, Regi confirmarant, Reginam furto conceptam à patre, atque ex ea re violari imminuere maiestatem. non ingratum hæc auribus accipiebantur. Eleonoræ exemplo, repudij faciendi occasio quæri videbatur: cum duarum filiarum & ipsa mater, virilem prolem non peperisset. Nam Ludouici filius Philippus cognomento Augustus, Alisa natus est Blesensis reguli filia: quam duxit tandem Elisabetha defuncta. Socer Imperator rei totius ignarus, utroque filio & Vasco- 30  
num Rege Sanctio stipatus, genero obuiam Burgos vsque processit. Confluxerunt ex vniuersa Hispania, ex propinquis, ex vltioribus, ex longinquis, ex vltimis oris tum proceres tum magna multitudo mortalium, tot Reges sub eisdem tectis visuri. Quidquid decorum magnificumque erat proferebatur, quasi se Hispania Francis, apud quos inopiæ fama laborabat, ostentare cuperet. Hoc apparatu Compostellam itum est: votisque ritè persolutis Toletum festinatum: quod ex vtraque gente, Mauris & Christianis, qui imperio parebant, conuentus indictus erat, amplioris potentia scilicet ostentandæ causa. Afluit Raymundus Aragonius cum splendidissimo comitatu. Tantæ multitudinis, quanta nunquam in vrbe regia ante fuerat, sed & procerum cultum & elegantiam Ludouicus Rex 40  
contemplatus, præterea rei pro qua venerat veritate explorata: negauit se curiam splendidiorum in Europa atque Asia, quas præsens obiebat, quo tempore sacram expeditionem suscepit, elegantiorumque vnquam vidisse. gratiasque pro diuino munere agere dixit, quod Alfonso filiam

filiam, Raymundi Aragonij sorore genitam vxorem haberet. Iudi magnificè editi, donaque hospiti Regi oblata: ex quibus Carbunculum tantum insigni magnitudine & pretio accepit, cætera remisit, lætusque in patriam redijt, prosequente Raymundo Iaccam vsque: vbi regio apparatus & omni significatione lætitiæ acceptus est: vt Aragoniæ historiæ testantur. Iunij mensis die vigesimo octauo Vrgeliæ Comes obiit. is Petri Ansuriij nepos fuit: & à loco vbi educatus est, simul distinctionis caussa Armengaudus Castella nuncupatur. Sanctio Castellæ Regi ex Blanca vxore consequenti anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, tertio Idus Nouembris, die Veneris, vti annales Toletani aiunt, filius natus est Alfonso nomine, in spem auiti paternique regni. Actum quidem in Tudelini foedere erat, de Blanca repudianda, cum nondum viro matura esset: verum æquitatis leges, viri amor, puellæ innocentia vicerunt. Exceptum bellum in Galliæ Narbonensis parte, cui Prouinciæ nomen est. Hugo Baucius & fratres, Raymundi filij à Conrado & Friderico Imperatoribus Germanis diploma abstulerant, quo omnia quæ Gilbertus Comes auus possederat, illis concedebantur. Eo diplomate innixi, Prouinciam omnem sibi arrogabant: & Trencataio oppido munito omnia circum infesta habebant. Raymundus de fratris filio sollicitus, cum validis copijs eod profectus, Bauciorum audacia coercita, breui eos ad officium pertraxit. Iacinctus Cardinalis ab Hadriano tertio Pontifice Maximo in Hispaniam Legatus, ecclesiarum controuersias, statumque componebat: Ioanneque Præsule Toletano agente pro Toletano Primatu aduersus Compostellanos Bracarensesque Anagari pronunciauit. Iacincti legatio cum primis hac tempestate fuit nobilis. Quo tempore Ludouicus Galliæ Rex Toleti erat, mentio incidit D. Eugenij, primi Archiepiscopi Toletani: cuius cineres in templo Dionysiano fuisse, paulò superius dictum est. Petebant vt sacra pignora in Hispaniam mitterentur. Graue id Francis videbatur. impetratum tamen vt mitteretur pars. Quod Ludouicus in patriam reuersus cumulatè præstitit, eius cœnobij Abbate ad socerum legato cum dextro Martyris brachio. Alfonso, filij Reges, proceres, populus & sacri viri Toletum appropinquanti obuiam cum supplicijs processerunt: Imperatoreque & vtroque filio succolantibus techa ad templum maximum delata, atque in sacrum ærarium illata, Februarij mensis die duodecimo, anno salutis millesimo centesimo quinquagesimo sexto. Reliqua sacri corporis ossa, Philippo II. Hispaniarum Rege curante, Petri Manrici Canonici Toletani diligentia, qui ea de caussa ad Carolum nonum Galliæ Regem legatus est, post quadringentos nouem annos, menses nouem, & dies sex, pari pietatis exemplo, pompa & apparatu, qualem nostra ætas non vidit, in idem templum regiamque vrbe[m] relata sunt.

*Alfonsi Imperatoris obitus.*  
*Cap. IIII.*

PRIN-

**P**RINCIPVM congressu ciuiles motus cepisse finem videbantur: intercepti tamen Nauarrici regni iniuria, Raymundi Aragonij animum altius occupabat, quam vt placari facile posset. Alfonso Imperatorem fatigat, vt Tudelini foedere instaurato communibus vtriusque armis Sanctius Rex Vasconum communis hostis petatur. fidei data, & necessitudinis pignus nuptiæ essent Sanctiam inter Imperatoris ex Rica vxore filiam, & Raymundi filium. tum quidem patet tantum ob immaturam vtriusque ætatem. Eo foedere Sanctius & Ferdinandus Alfonsi filij comprehensi. Alfonso pacis arbiter, quam belli concitator esse mallebat in Vasconum Regem propensior: vnde par spes ostendebatur alterius filia Beatricis nomine ex vxore Berengaria, ipsi connubio collocandæ. quod factum deinde est: & tunc oblatum, contemnendum non erat. Itaque varijs tergiuersationibus diem ex die ducere, atque aliam ex alia moræ caussam necere, ne arma vt erat constitutum cum Aragonijs coniungeret. Maurorum conatibus, priusquam Almohadum imperium in Hispania tempore confirmaretur, occurrendum dicitabat. & Abdelmone defuncto Iuzephus eius filius vasto vir animo, magno rei militaris vsu, rebus in Africa compositis, cum sexaginta equitum millibus, maiori multo peditum numero à Mauris Hispaniæ euocatus traiecerat in Hispaniam, genti præsidium vindexque, terror nostris ingens. Raymundum ergo Aragonium, qui iusto exercitu cõflato in Vascones irruere parabat, precibus fatigatum compulit, ne ante Martini ferias bellum inchoaret: foedus tantum noua iurisiurandi religione Toleti confirmatum mense Februario, anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo. moram eam Raymundus æquiori animo tulit, quod eodem tempore Gallici motus Narbonem ipsum vocarunt. Hermengarda eius vrbs Vicecomes finitimorum armis fatigata compulsa est se & ditionem Raymundi auunculi in fidem contradere. Auctor consilij Berengarius Archiepiscopus Narbonensis ipsam Perpinianum profectus est, relicta Gallia. Alfonso Imperator, verso in Mauros animo, vtrunque filium, Præsules & proceres ex vniuersa ditione euocauit, magnoque exercitu cõflato in Bæticam irruit. Agri vastati, oppida incensa, prædæ omne genus abactæ. Misera erat ea Hispaniæ pars hac tempestate, vtriusque gentis audaciæ iniuriæque opportuna. Biatia, quæ vrbs ad Mauros redierat, Illiturgis, & Quesada sub imperium missæ. & cum ætatis ardores locis natura grauibus fatigarent, certus redeundi in patriam, Sanctium Castellæ Regem captis vrbibus præfecit: ne quod toties acciderat, ad Mauros redirent. Pars copiarum multo maxima cum Sanctio relicta. ipse cum Ferdinando filio, & reliquo exercitu retro redijt. In ipso itinere ipsoque Castulonensi saltu morbo tentatus est. cuius vim cum ferre diutius non posset, corpore tantis laboribus fracto, præterea ætate grauis, ad Fresnedam oppidum sub quercu tentorium erigi iussit. quo loco à Ioanne Præsule Toletano confessione atque Eucharistia procuratus extremum spiritum edidit, mensis Augusti die vigesimo primo. annos vixit vnum & quinquaginta, menses quinque, dies vnum & viginti, longiori æuo dignissimus.

K k mus.

mus. nihil eo iuvene sanctius, nihil iustius viro, fortius, modestius vidit Hispania. Regnavit annos circiter quinque & triginta. Imperij nomen & maiestatem duobus & viginti annis, & mensibus sex tenuit: vir omni laudum genere cumulatus, gratissima ad posteritatem memoria, ob perpetuam in adiuuanda republica voluntatem.

*Sanctius & Ferdinandus succedunt. Cap. V.*



**S**ANCTIVS & Ferdinandus defuncti filij, par iuuenum letissimum, quibus finibus pater designarat, imperium diuiserunt. Legionis regnum & Calæcos Ferdinandus tenuit. Castellam & contributas prouincias Sanctius natu maior. vterq; pace bonus est habitus, bello strenuus, prorsus vt paternarum virtutum indolem certatim æmulari viderentur. Sanctius colligenda populi beneuolentia fratre superior erat, ingenijq; benignitate: vnde & quoniam immatura mors fuit, Desiderati cognomen tulit. Ferdinandus enim aliorum criminationibus aures accommodando procerum studia alienauit, natura suspiciosus: qui morbus, nisi ratione coerceatur, in perniciem vertitur. Itaq; cum fratri non satis fideret, priusquam patri esset parentatum, Legionem accurrit, ad cernendam regni hereditatem. Sanctius contra patris morte cognita citato cursu Fresnedam delatus Præfulibus, atque proceribus prosequentibus, defuncti patris funus Toletum intulit, regio apparatu sed & totius populi lacrymis celeberrimum. In eius vrbis templo maximo tumulus est defuncto excitatus. Interea Sanctius Vasconum Rex, cui cum ætate propter amplitudinem rerum gestarum, atque eruditionem ingenij Sapientis cognomen accessit, occasionem venisse existimans iniurias vindicandi, collecto suorum exercitu, quem ad resistendum comparauerat, prædabundus Burgos vsque penetrauit. Satis profectum erat ad tuendam nominis existimationem: cum vltro lacefferet, qui vix par fore tantorum Regum conatibus credebatur. ipse rei argumento, insignem gestabat in clypeo rubro fasciam auream, duobus hinc inde leonibus lacerantibus, irrito scilicet conatu & spe. Itaque pari velocitate se in patriam retulit. Mauri Bæticiæ oppida proximo bello parta, cum Sanctij præsidio destituta essent, continuò occuparunt. Vtrisque conatibus occurrendum erat. Vasconum Regis primùm audacia castiganda: ne iniuria dissimulanda maiestas imminueretur. tamen si Sanctius nouus Rex ad pacem quàm ad bellum propensior erat. Bellum magnis delectibus comparanti commodum accidit, Pontium Mineræ Comitem inter Legionenses proceres facile principem, Alfonsi Imperatoris Armigerum, iniuria à Ferdinando Rege violatum, bonisq; euersum relicta Legionem, se ad Sanctium contulisse. Magna erat opinio virtutis, maximus rei militaris vsus. Sanctius componendo reipublicæ statu districtus erat. itaque Comes benignè acceptus, atque iniecta spe restitutionis, Vasconum bello Dux præfectus est. Numerosus exercitus adiunctus: cum quo per Viruescanum agrum in Riuogiam peruenit. Non procul oppido Bagnario planities

nicies extat, Vallispetræ nomine. eo loco acie dimicatum. Vascones ad hunc modum ordinati. Lupus Harus in primo agmine, Latio Gueuara in postremo curabant: Rex ipse Sanctius mediam obtinebat aciem. Castellæ copiarum vt numero, sic virtute superabant: instructaque acie dimicare cum hostibus non dubitabant. pari impetu concursus est. Castellani loco moti primùm. deinde prælij fortuna conuersa, Vascones victi sunt. fuga foeda. cædes minor quàm pro tanta victoria. vicina oppida & arces multis per fugium præbuerunt. Malo fuit Francorum auxilia non expectasse: quorum superuentu Rex animo confirmatus, rursus prælij fortunam experiri non est veritus. eodem loco, iisdemque vestigijs pugnatum. perculsi priori clade Vascones, facile à victoribus victi profligatique sunt. capti, nobilissimus quisque, quos benignè Pontius habuit. non cum captiuis & calamitate bellum gerere, sed Regis tantum temeritatem vltum venisse dictitans eos dimisit. Quæ humanitas magnam illi laudem conciliauit: præsertim cum non Vascones tantum, sed & Francos liberos abire iussisset. Parta victoria Burgos cum redisset, Rex militum virtute collaudata singulos, prout cuiusque meritum virtusque erat, donauit. Ante omnes Pontium Ducem omni genere laudis honestauit: tanta propensione animi, vt eius restituendi in patriam atque ditionem studio, vt erat pollicitus, victrices copias ad S. Facundi oppidum promouerit, certus nisi obtemperasset, cum Ferdinando fratre bello decertare. cautior ille, eò ad fratrem inermis venit. mutuo colloquio offensiones deterse: cum Ferdinandus non modò Pontium Comitem restituere polliceretur, sed maioribus cum honoribus cumulare: seque paratum esse diceret in fratris verba iurare. in eius clientela potestateq; fore. quod Sanctius succedente post iram humanitate, vt ferè sit contentione sublata, passurum negauit, Imperatoris filium cuiusquam Principis imperio obnoxium reddi.

*Galatrana militia inchoatur. Cap. VI.*

**A**LATRAVA oppidum loco munito in Oretanis ad Anam flumen situm, quo tẽpore creptum est Mauris, Templarijs militibus, quorum magna erat opinio virtutis, muniendum custodiendumq; datum est: vt arcis instar esset, ad barbarorum incursus arcendos. ij quod Mauros studio elatos magno numero obsessum venire nunciabatur, defensionis spe abiecta oppidum reddiderunt. neq; erat inter proceres qui aut vltro nomen profiteretur: aut ea de re abs Rege appellatus suo periculo oppidum defendendum susciperet. Duo Cistercienses monachi, quos res aliæ in curiam euocarant, Toleti eo tempore moram trahebãt, Raymundus Fiterij ad Pisoricam Abbas (errant qui hanc laudem ad Fiterij cœnobium ablegant, quod in Vasconibus non procul Tu dela situm est, cum constet consequenti tempore fuisse extractum) atq; Raymundi socius Dieghus Velasquius. Is vetus antea Alfonsi Imperatoris miles, multisq; bellicis operibus clarus, rerum deinde humanarum contemptu monachum induerat: & vt erat magno animo, monendo, suadendo, hortandoq;

cunctantem, effecit vt oppidi defendendi curam in se Abbas susciperet. Consilium specie temerarium erat: re numinis inflatu conceptum, (sic arbitror) nam contra tantas difficultates ratione satis prouideri non poterat. Ea res Regi primum gratissima fuit, deinde Ioanni Præfule Toletano moestis antea, atque consilij inopibus in tanta reipublicæ difficultate. Ioannes etiam, quoniam in eius dirione Calatraua sita est, pecuniam de suo suppeditauit: atque pro concione tum nobiles tum populares permouit, vt se Abbate ductore discrimini offerrent: ne in tanto periculo rem Christianam deserere viderentur. quanto sibi, & rei familiari minus parcerent, tanto tutiores fore. amisso eo oppido, quod instar propugnaculi esset, incendij flammam  
 10  
 1158 in singulorum fortunas inuasuram. atque hæc anno ineunte millesimo centesimo quinquagesimo octauo gerebantur. Quo tempore, Rex vt præmium labori esset, Calatrauæ principatum cum subiecto agro dono dedit B. Mariæ ordinis Cisterciensis, atq; eius nomine Raymundo Abbati & socijs iure perpetuo. magna famæ in vtranque partem momenta fiunt, plerunque vero maioris. Itaq; cum eius apparatus rumor percubisset, Mauri spe deiecti, an alijs rebus impediti Calatrauam non venerunt. Id felix faustumq; & bene ominatum initium eius militiæ fuit. nam plerique milites Abbatem secuti vestem mutarunt, quam ille insignem attribuit, eiusq; formæ, quæ armorum vsum non impediret. Moxque Toletum repetens Regem & ciues lætitiæ  
 20  
 30 rebus gestis compleuit. ex cœnobio autem, cui Præfectus erat, magnam pecoris vim adduxit: atque ex vicinis oppidis hominum viginti millia: quibus agri diuisi oppidaq; Calatrauæ vicina, quoniam incolis vacua erant, domicilio designata. Ea diligentia Calatrauæ oppidum aduersus omnem iniuriam egregiè est munitum. Abbati Raymundo post aliquot annos defuncto, ad oppidum Ciruelos, vbi sepultus etiam est, pro opera nauata honores à populo habiti: vsque eo vt miraculis fulsisse creditus sit, & in celestium numero reponatur. Dieghus Velasquius in multos annos vita propagata, Gamielæ in D. Petri cœnobio obiit, ibiq; sepultus est. Ab his initijs sacram Calatrauæ militiam, in hunc quem cernimus splendorem perductam Alexander III. suo  
 40 diplomate confirmauit, Garfia eius ordinis primo Magistro, anno millesimo centesimo sexagesimo quarto. Garfiæ successit Martinus Peresius, Martino Nunnus, Peresius, Quignonius. his alij. Domicilium quod Calatrauæ primò collocatum est, Ciruelos deinde, Buxedam mox, Corcolem deinceps & Saluaterram migravit: Couos ad extremum Nunnio Fernando duodecimo eius militiæ Magistro. Sunt quidem minora alia eius ordinis domicilia alijs locis constituta, illud præcipuum. copiarum, auctoritas, multorumq; oppidorum imperium eximia Regum liberalitate accessit. Quæ oppida emeritæ olim militiæ eius ordinis hominibus commendabantur, vt ijs rebus vitam honestè sustentarent: neq; tamen posteris hæreditaria relinquebant. nunc rebus ab antiquo mutatis, aulicorum delicijs Regum ex libidine mancipantur. sic ferè res humanæ à præclaro initio degenerare consueuerunt.

*Sanctius Rex Castella obiit. Cap. VII.*

INTEREA



INTEREA Raymundus Aragonius, Imperatoris morte existimans foedus antiquum esse sublatum, ex quo Aragoniam citra Iberum vectigalis nomine obtinebat, ad Regem Sanctium se contulit. Naxama oppidum Regum colloquio designatum. Ibi in conuentu procerum, Ioanneque Primato adstante, de ea controuersia disceptatum est. Aragonius Casaraugustam, Calataubam, aliaq; oppida & vrbes ab omni Castellæ iure exemptas volebat. Id cum non esset impetratum, conuenit tandem, vt nullas arces & oppida Castellæ Rex eo tractu obtineret. Reges tamen Aragonij pro ijs vrbibus  
 10 in eorum verba iurarent, venirentque ad regni conuentus vocati. præterea foedus quod toties aduersus Regem Vasconum ictum erat, retractatum, sanctumque haud meliori successu quam antea. recens memoria superioris belli Sanctium stimulabat: Raymundum intercepti regni dolor. Colloquio dirempto, quod mense Februario habitum est, Aragonij Regem Vasconum bello petiuere. Castellæ arma, ne vt erat constitutum mouerentur, Regis & Reginae continuatis funeribus effectum est. Regina Iunij mensis vigesimo  
 20 quarto die extincta est, eius seculi anno quinquagesimo octauo. funus in Regum Nauarræ sepulcra Anagari D. Mariæ regio monasterio illatum. cui ipsa monasterio oppidum Nestarem ante paucos dies dono dederat: pro quo merito sacra quotannis hostia, die obitus anniuersario Reginae manibus parentatur. Rex an dolore confectus, quem ex vxoris obitu concepit maximum, an alio morbo tentatus Toleti obiit pridie Kalen. proximi mensis Septembris, in ipso procinctu belli sacri, quod collatis vndique auxilijs & copijs supremo conatu comparabat. prope patris sepulcrum eiusdem vrbes templo maximo tumulatus est. Regnavit annum & dies vndecim, bello pacisque clarus, maiorumque gloriam æquaturus si longior vita suppeditasset. incredibile fanè sui desiderium reliquit: quod consequentes regni calamitates & motus accendere amplius visi sunt. Copiarum tamen, quas comparauerat, insigni cruce distinctæ, eoque Christiani nominis hostibus formidabiles, quamuis Rege defuncto in Beticam penetrantes Iuzephum, qui  
 30 Hispalim contendebat, ingenti prælio vicerunt cum magna impiæ gentis strage. Maurus eo periculo defunctus in alios Reges Mauros, qui parere imperio recusabant, conuerso impetu Valentia Murciæque Regem opprimere aggressus est: & eo à Raymundo Barcinonensi, in cuius clientela erat, ab iniuria defenso, Alhagium Emeritæ Regem bello fatigatum in deditioem accepit, paratum imperata facere, rebusque omnibus iuuare. Itaque Alhagij filij duo, Fadala & Omar Iuzephi copijs adiuti irruptione facta, in Placentiæ & Abulæ fines inuesti, verso mox in Talaueræ agros impetu, cum latè terrorem ostentassent, graues præda  
 40 atque Emeritam repetentes Abulensium copiarum ad Septem vada (loco id nomen est) consecutæ ductoribus Sanctio & Gometio Semeni filijs è præcipua Abulensi nobilitate commissa pugna victos atque fugatos, præda omni & captiuis spoliarunt. Strenui magnique ea ætate Duces fuerunt Sanctius Gometiusque. nam quarto post anno in eam Vecto-

K k 3 num

num partem inuecti, vbi Serenæ agri sunt pascuis læti, multis abactis pecoribus, pugnaque victis barbaris, qui obuiam prodierunt, opima domum spolia retulerunt. Ex horum Ducum posteritate Veladæ Marchiones genus deriuant, opibus, clientelis, affinitatibus, ad hæc gratia Principum clari atque præstantes nostra præsertim & parentum ætate. Alfonso filium quadriennem Sanctius Rex moriens Guterrij Ferdinandi Castrij curæ commendauit, quo ipse institutore olim adolescētiam formarat. proceres alios ipsorum fidei concreditas vrbes arcesque obtinere tandiu mandauit, donec Rex quindecimum ætatis annum expleffet. Vtrunque consilio haud salutari: sed futura satis consilio prouideri non possunt: & salubriter sæpe constituta potentior fortuna discussit. Omnino malè cogitantibus vires ad turbandam rempublicam datæ sunt: cæteri que pari nobilitate proceres ægrè tulerunt reipublicæ fastigium vnus humeris sustentari, Rege puero in eius potestatem tradito.

*Novi motus in regno excitati. Cap. VIII.*



**I**NTER Castellæ proceres duæ familiæ erant hac tempestate, ditione, opibus & clientelis facile principes, Castrij Laræque reguli. Lararum prima diu vox fuit in conuentibus regni. Inter Castrios Guterrius, is cui Regis institutio est demandata, præcipua pollebat auctoritate: quam longæua ætas & rerum gestarum magnitudo conciliabat. proximus erat Rodericus: qui quod frater prole caret, ipse quatuor filios genuisset, Fernandum, Aluarum, Petrum, Guterrium, & filiam vnã Sanctiam nomine, quæ Aluaro Gufmanio nupsit, haud minori multo quàm frater potentia & auctoritate erat. Laræ reguli Manricus, Aluarus, & Nunnus fratres ad Durij fluminis ripas amplas possessiones & oppida obtinebant. His omnibus pater fuit Petrus Lara Comes, de quo commemoratum est, & ad Baionam occisum diximus, mater Aba: quæ cum prioribus nuptijs Garsia Cabræ Comiti nupsisset, illique peperisset Garsiam Aciam principatus hæredem: ex ea re trium fratrum potentia vehementer augebatur. Iniquo hi animo præ se ferre visi sunt, Guterrio Sanctij Regis præiudicio prælato suæ domus splendorem obscuratum. palàm in circulis, clamque inter se conquerebantur, Castrios Reges esse relictos. id solum ex his quæ Sanctius imperasset, faciendum non esse: neque passuros se, vt vnus ad arbitrium reipublicæ status vertatur. neque alium quàm eum, qui ad eam spem genitus esset regnare, pertinaci contentione dicebant. Res ad arma spectare videbatur. Guterrius communis salutis causâ, insigni modestiæ prudentiæque exemplo facilè adductus est, vt Regem in Garsia Acia potestatem contraderet, viri moderati quidem, cæterum simpliciori animo, quàm rerum status videbatur desiderare: prorsus vt sumptus excusans, qui Rege educando faciendi erant publicorum vectigalium rationibus nondum satis explicatis, Manrico Laræ fratri vterino, cuius rei causâ controuersia suscepta erat, Regem puerum educandum

dum tradiderit. Guterrius eo facto datam fidem læsam expostulabat: Regisq; educandi ex testamento defuncti Sanctij, iura repetebat. irridebatur ab æmulis. arma haud obscurè mouebantur. Ferdinandus Legionensis Rex eo dissidio, quo in partes regnum vniuersum trahebatur, prouocatus, sibi que iniuriam factam dictitans, alijs ad regni Castellæ procurationem vocatis, correptis armis in Castellæ fines irruit: ac præsertim Durij tractum vastabat, vbi Laræ familia amplissimam ditionem habuit. Manricus & fratres, Ferdinandi metu Regem Soriam deducunt: vt longissimè à belli discrimine abesset. Guterrio Castrio interea defuncto, sepul-  
 10 toque ad Encas monasterio D. Christophori, Manricus Lara insolentior factus defuncti hæredes fratris filios poscere vrbes & arces ipsorum fidei contraditas. cum Rege puero regni que procuratione sui iuris omnia esse facta. proferebant illi Sanctij Regis testamentum: negabantque ante legitimam pueri Regis ætatem fas esse postulata facere. Guterrij corpus Manrici iussu exhumatum est tanquam proditoris, & maiestatis reum. Dati in controuersia iudices, pro Guterrij fide pronunciarunt: cum sit inhumanum in vita functos sæuire. eorum iussu cadauer sepulturæ redditum. Interim Ferdinandi Legionensis arma impunè tota prouincia volitabant. nulla numero aut virtute insignis manus coibat, nullo duce,  
 20 republica scissa in partes. Nullum calamitatis genus erat, quod non paterentur prouinciales, non magis sensu præsentium, quàm impendentium malorum metu fatigati: vsq; eo vt Manricus ipse spe defensionis abiecta, & rerum suarum periculo prouocatus, in Ferdinandi verba iurare compulsus sit, regni procurationem & vectigalia in annum duodecimum eius fore: Regem puerum eius se potestati traditurum. Hæc vt communi regni decreto rata essent, Soriam vbi Rex puer seruabatur conuentus indicti. Res periculo proxima, Nunnij Almexiri viri nobilis audacia, & virtute sustentata est: qui puerum cum ad patrum deduceretur, raptum de manibus, inuolutumque pallio, quo tegebatur, ad S. Stephani arcem perdu-  
 30 xit. Ferdinandi artes ea diligentia delusæ. Nam Laræ fratres specie consequendi puerum à Rege digressi, maioris præsidij causâ puerum Atiensam deducendum curarunt. suscepti consilij poenitebat scilicet. Abulæ tandem vrbe firmissima ex longo errore fuga que constitit: vbi eximia ciuium fide vsque ad vndecimum ætatis annum defensum est. Ab eo facto Abulenses veteri prouerbio fideles vulgò nuncupari cœpti. Ferdinandus spe sua delusus, qua Castellæ regnum spe & cupiditate complexus erat, atque ex ea re in furorem actus, Nunnio primùm Laræ, deinde Manrico eius fratri violatæ fidei atque adeò proditæ per feciales crimen im-  
 40 posuit. Innocentiam illi ne Marte iudice, vt erat in more positum, defenderent, temporum perturbatione factum: ne si quid incommodi acceptum esset, res communes perditum irent. Conscientiam rerum gestarum fideique cultæ erga Regem puerum, sin minus alijs, sibi certe satisfacere Ferdinando responderunt. Magna tota prouincia gratulatio erat, Rege puero patri insidijs liberato. breui tamen ea omnis lætitia euauit.

cum vniuersa prouincia Ferdinandi armis fatigata, vrbes & oppida aut vi aut obsidione passim occuparentur: prorsus vt exigua regni parte dempta, quæ in fide pueri perstitit, reliqua omnia victori cederent. Toletum etiam vrbs regia Ioannesque eius vrbs Præsul, Ferdinandi partes secutus est, ob iram credo aliquam, aut tempori seruiens. Extant Ferdinandi Regis litteræ Atiensæ datæ Kalend. Februarij anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, Ioannis Archiepiscopi syngrapha, inter alios proceres confirmatæ. præterea Augusti proximi nono die Ferdinandum Regem Toletum ingressum ex annalibus Toletanis constat. Accessit ad has calamitates nouum a Vasconibus bellum. Sanctius enim Rex cum Aragonio ex magnis motibus pace facta, tempus venisse existimans superiores iniurias vindicandi, bello repetendi quæ à Castellæ Regibus erant abblata: in Riuogia, Viruecanoque agro correptis armis, delectuque suorum habito (& erant legiones robustissimæ, multisque bellis exercitatæ, lectissimi proceres, in quibus Daualorum familia, in primis nobilis potensque, vti eius ætatis tabulæ indicio sunt) Lugrunium, Entrenam, Viruescam, aliaque ijs locis oppida cepit. Nullus armorum finis erat, fœda rerum omnium facies.

*Raymundus Aragonius obiit. Cap. IX.*



**A**STELLA ciuilibus motibus iniquissimo tempore estuabat: cum tantum barbaræ gentis superesset in prouincia. Lusitanicis tantum & Aragonijs armis Mauri premebantur. in Bætica, vbi latius dominabantur, tranquillam vitam agebant: gentisque nouæ imperium diuturnitate amplius confirmabatur. Quo tempore Italia non minoribus malis, disidijsque vexabatur. Duo Pontificatum Romæ gerebant: & vterque se legibus creatum, æmulum vitio præ se ferebat: Alexander tertius patria Senensis, Victor quartus domo Romanus. Hunc Friderici Aenobarbi, cui amicissimus erat, studia subleuabant: Alexandrum maior Cardinalium saniorque pars Pontificem renunciarat. verum cum Friderici conatibus impar esset, vrbes & oppida ecclesiæ bello occupantis, Guillelmi Regis Siculi classe vectus in Galliam aufugit: vbi eius disidij componendi causa, concilium celeberrimum Turonis est habitum. Eadem tempestate Raymundus Aragonius fama rerum gestarum ac perpetua felicitate nobilis erat: vsq; eo vt Lupum Murciae regulum Maurum vectigalem haberet: Baucios in Gallia bello laceffentes malis omnibus fatigaret, non tantum Prouincia, de qua controuersia erat defensa, sed etiam triginta arcibus hostium ex ditione detractis. Trencataium municipium munitissimum vi expugnatum euertit, anno millesimo centesimo sexagesimo primo. eaque victoria Bauciorum vires penitus fractæ sunt. Fridericus Imperator, qui hostibus fauere visus erat, fœdere conciliatus est Ricam Alfonso Imperatoris viduam, eiusque filiam Sanctiam Raymundus filio desponsam, ex Castella in Aragoniam deduxerat. Ergo agente Imperatore sancitum est, vt Rica (nam Friderici propinqua erat) Raymundo Berengario

gario Prouinciæ Comiti nuberet. Aragonij, atque Prouinciales in Victoris pseudopontificis verba iurarent. Friderici beneficio, non modò Prouinciæ principatum retinerent, Druentia vsque ad mare, Rhodanoque vsque ad Alpes comprehensum, sed etiam vrbem Arelatum cum subiecto agro. Hæc vt firmiora essent constitutum, vt vterq; Raymundus, Aragonius & prouincialis Turinum in Italiam contenderent, Imperatorem conueniendi causa. Dies colloquio designatus Augusti Kalendæ anni millesimi centesimi sexagesimi secundi. In eo itinere oppido Sancti Dalmatij in subalpinis Italiæ Raymundus Aragonius morbo tentatus oppressusque est, eius mensis die sexto. Incommodissimo reipublicæ tempore Aragonij mors incidisse videbatur. tametsi Raymundus Prouinciæ Comes omnia pro quibus venerant, ab Augusto facile impetrauit, cum præsens Turinum adijisset: in quo defuncti manibus se Augustus gratificari ait, quod Ricam Reginam honestissimè habuisset, viduæ matronæ honori consulisset. Hinc Catalaunicis scriptoribus fingēdi occasio, Raymundum Aragonium in Germania Reginae viduæ famam, cum probri insimularetur, singularis certaminis periculo tutatum: pudicitiae defensionis præmium Prouinciæ principatum fuisse. Nos fidem historiæ secuti, rem, vt gesta est, narramus. Defuncti corpus in patriam delatum in monasterio Ripolis, vt ipse moriens mandauerat, sepultum est. Oscæ regni conuentus habiti: testamentumque Principis recitatum, quod ore tenus nuncuparat. Ex eo Raymundus Alfonso desumpto nomine paterni principatus hæreditatem adiit. Petro, qui proximus ætate erat, Cerdania legata, Carcaso, & Narbo, quo iure à patre obtinebantur. Sanctius natu minimus Petro substitutus subrogatusque, si quid humanitus contigisset. De Dulci filia, quæ deinde Lusitaniæ Regina fuit, mentio nulla, ne de Berengario quidem Turiasonensi olim, & Ilerdensi Episcopo, Montaragonis Abbate: quem Princeps ex impari matre genuit. Alfonso ætas nondum imperio matura, nam vix vndecim annos natus erat, matris Reginae imbecillitas idonea nouatoribus visa est rebus turbandis. Impostor quidam malè cogitantibus ducem se præbuit: cum se Alfonso Regem eum esse ad populum affirmaret, quem ante annos octo & viginti, ad Fragam cæsum esse monstratum est: tædio rerum humanarum tandiu in Asia delituisse, multisque interfuisse bellis, quæ à pijs aduersus barbaros in Syria illata erant. A Etas longæua fidem multis faciebat, orisq; lineamenta non prorsus absimilia. Vulgus fingendi audum hæc ipsa in maius augebat, muliebre imperium à plerisque contemptum. magna ex eo impendebant mala: nisi Cæsaraugustæ comprehenso impostori gula laqueo fracta fuisset sub ipsa initia tumultus. ea merces commenti fuit. Proximo anno millesimo centesimo sexagesimo tertio, regni conuentus Barcinone habiti sunt. in ijs conuentibus Petronilla Regina procerum suasu regnum filio de manu tradidit, annum iam ætatis tertiumdecimum attingenti. Raymundus Prouinciæ Comes, qui pro Rege patrueli tantisper Catalaunos gubernarat, procuratione relicta in patriam abiit, Bauciorum armis tumultuantem, vexatamque. Aduersus eam familiam, se vt externis præsidijs muniret,



muniret, cum Tolosæ Comite fœdus faciendum curauit, pactis nuptijs  
 1166 filia: quam vnicam habebat, cum Tolosatis filio. eius conatus mors oppres-  
 sit, anno millesimo centesimo sexagesimo sexto. Quo tempore Gerundæ  
 Rex morabatur: exemploque patris, atque procerum hortatu, se Prouinciæ  
 Marchionem dixit. sic Friderici Imperatoris diplomate cautum esse disputa-  
 18 tabant, non Raymundo tantum Prouinciæ Comiti datum eum principa-  
 tum, sed etiam Raymundo Aragonio & posteris. Hinc nouorum in Gallia  
 motuum occasio materiaque.

*Alfonfus Castella Rex regnum inuifit. Cap. X.*

10



AGNA rerum in Castella immutatio facta est. prouinciales  
 Ligionensis Regis imperio fessi, Alfonsoque puero fauentes,  
 vt natura cogebat & Sanctij patris grata memoria, litteris  
 cum & nuncijs sollicitare non desistebant ad regni paterni sce-  
 20 ptra capeffenda. non defutura suorum studia: semperque voto  
 ab ipso sterisse: tamen si tempori cedere, inferuireque compulsi externum im-  
 perium tulerant. Attigerat Rex vndecimum ætatis annum. proceribus in  
 quorum potestate erat, ea ætas idonea videbatur, præsertim Aragoniorum  
 exemplo prouocante. Eorum consilio & hortatu Abula profectus, regnum  
 1168 lustrare instituit, singulasque vrbes adire, anno salutis millesimo centesimo  
 sexagesimo octauo, (vt nonnulli disputant, nos ex hoc annorum numero  
 biennium certa ratione detrahimus) neque sefellit spes. pleræque tota pro-  
 uincia vrbes & oppida, vt erant professa, Regi portas cupidissimè aperie-  
 bant: pecunia com meatu rebusque alijs omnibus iuuabant. Pauci initio  
 Regem prosequerantur: Castellæ proceres nonnulli, qui aut in fide persti-  
 terant, aut se illi denuo adiunxerunt. præterea cohors præfidiaria centum  
 quinquaginta equitum: quos ciues Abulenses Regem comitari voluerunt.  
 Exigua manus tantis rebus perficiendis, regnoque recuperando: cuius par-  
 tem proceres obtinebant, pars Legionensibus præfidijs occupata erat. Ni-  
 30 hil in dissidio intestino celeritate tutius est. Regi omnia prona videbantur.  
 Toletum ergo regni caput tentare placuit: quantumque fidei in ciuibus  
 esset experiri. nam Ferdinandum Caltrium, in cuius fide erat, nihil pro sano  
 facturum sperabant: cum negaret ante præscriptam à patre ætatem tempus-  
 que, urbem cuiquam contradere fas fore: & alioqui tutelæ regiæ interceptæ  
 dolor urebat, regni que procuratio ab æmulis occupata. Stephanus Elianus  
 eius vrbes ciuis primarius, in summo colle Diui Romani nomine templum,  
 turrimque coniunctam sua impensa extruxerat, ornatus præfidijsque causa,  
 40 Ferdinando ex priuata contentione infensus, & à eius consilij auerso ani-  
 mo. Itaque clam ex vrbe ad Regem profectus, cum dissimulato habitu ad  
 non dubiam spem obtinendæ vrbes in S. Romani turrim inducit. regia ve-  
 xilla è turri explicata, Regemque adesse populo renunciatum. repentina re  
 ciues commoti ad arma concurrunt. alij Ferdinando fauebant, plerique  
 Regis maiestate tenebantur: videbaturque, ni celeriter dissidium sopiretur,  
 fore

fore vti pars eum parte ciuitatis confingeret. verum quod in seditionibus  
 accidit, vnde plures erant, omnes ferme regiam auctoritatem secuti sunt.  
 Ferdinandus desperata vrbes defensione, in tanta animorum inclinatione,  
 vrbe egressus fuga Optam abiit: quod municipium ea tempestate, quo-  
 10 niam aduersus Mauros firmissimum propugnaculum erat, regni que limes,  
 loci natura & operibus munitissimum habebatur. Ciues periculo depul-  
 so, clamore, ac fauore Regi puero felix faustumque imperium ominari,  
 non ij magis, qui in fide perstiterant, quam aduersaria factio ad Regem  
 accedere, manus de osculari: quantoque magis falsa erant quæ fiebant, tan-  
 20 to plura adulandi studio facere. Stephano pro eo merito, honores abs Rege  
 habiti. vrbes cura commendata. defuncto ciues in templo maximo in sum-  
 ma abside equestrem imaginem, retro altare maximum ponendam cura-  
 runt. Toletum Rex est ingressus ad septimum Kalen. Septembris, die Vene-  
 ris. Proximo Michaelis festo die, Ioannes Toletanus Præsul obiit, malorum  
 tædio victus, an ingrauescente ætate. annos sedecim circiter eam ecclesiam  
 cum laude tenuit. Corpus ibidem sepultum creditur. abdicasse quidam  
 aiunt, vltroque abiisse episcopatu: de eoque explicant pontificiam legem  
 ab Alexandro tertio Romano Pontifice latam, quæ lex est proxima de ordi-  
 nationibus factis post episcopatum renunciatum. Successit Cerebrunus pa-  
 20 ri vir animo prudentiaque: prima Alfonso Regis ætate litteris informat.  
 ipsi gratus. Tarraconensis Præsul Hugo Cerucllonius erat, Bernardi Tor-  
 ti successor. Rex Toletum pacata, hortatore Manrico Comite aduersus  
 Ferdinandum Caltrium egressus est. Optensium ille copijs, quorum exi-  
 mia fide utebatur, adiutus obuiam regijs prodijt. ad Garcinaharrum op-  
 pidum octauo inde lapide signa collata sunt. Manrici virtutis opinio sin-  
 gularis erat: causæ regiæ acerrimus propugnator habebatur, (sic ipse  
 præ se ferebat, tamen si opinio erat alieno nomine velle cunctis impe-  
 rare) audax, callidus, promptus, & vt res essent prauus aut industrius.  
 In congressu Ferdinandus cum sibi ab eius viribus metueret, insigni velte  
 30 deposita pugnam inuasit. Manricus per errorem toto impetu in equi-  
 tem gregarium, quem quod paludamentum gestaret æmulum esse cre-  
 didit, delatus obtruncavit. ipsum Ferdinandi allecla certamine defatiga-  
 tum, opportunumque iniuriæ adacto ferro peremit. Cæso Duce, regij  
 pars in fugam acti, pars in acie trucidati. dolo vulgato Nunnus Manrici  
 frater, Ferdinandum proditoris lege accusatum ad singulare certamen  
 more gentis cum deinde prouocaret, viris sanctis annitentibus contro-  
 uersia tunc quidem sopita est: odium autem inter vtranque familiam  
 altissimè hæsit, cum magno sæpe reipublicæ incommodo: cum vtraque  
 pars priuatas cupiditates & contentiones rebus communibus antepone-  
 40 ret. Nec acerrimum tamen nec continens id bellum in præsentia fuit. plu-  
 rimas sanè vrbes & arces, suo sibi beneficio fideque obstrictas Ferdinandus  
 retinuit. Rex eius euertendi conatu speque desistens, atque in aliam  
 partem auersus, vrbes & arces præfidijs vacuas ad suam ditionem reuo-  
 care non desinebat. Ad hæc Zuritam arcem in colle arduo positam, cuius  
 radices

radices Tagus amnis alluit, propter loci commoditatem tentare visum est. Lupus Arenius Ferdinandi Castrij Legatus præsidio obtinebat: appellatusque de deditioe Regis ætatem illegitimam, vt alij fecerant, excusabat. fiduciarium operam obtinere sese, atque in Ferdinandi verba iurasse: nisi eius permisso arcem tradere nefas arbitrari. neque permissurum vt respublica regiæ auctoritatis prætextu ludibrio esset, ijs qui animi Regis & consiliorum potentes erant, propter imbecillam ætatem. cum regij voluntate quidquam facturum Præfectum non sperarent, vim adhibere placuit: vrgereque arcis obsidionem. in eam rem auxilia vndique conuocata. Lupus Harus Regis consilio explorato, ex vltima Cantabria, vbi amplum imperium obtinebat, tametsi vocatus non erat, quod ipsum inter & Nunnium Comitem contentio esset simultasque priuata, vltro ad Regem venit: atque arcem situ considerato, ea sibi parte eo concedente sumpsit impugnamdam, quæ firmissima esse videbatur, & vnde maximum periculum imminere prouidebat. Cantabrics id proprium generis & sanguinis. Ducebatur obsidio. regij haud magnam spem habebant arcis expugnandæ. obfessi annonæ penuria laborare cœperant. Itaque ad fraudes conuersi, deditioe spe facta Nunnium & Suerum Comites ea de causâ in arcem inuitatos admissosque per fidem colloquij capiunt, sperantes Regem eorum periculo commotum abscessurum conatu oppugnandæ arcis, certè ad æquas conditiones venturum. In quo præsidium esse putarunt, ibi exitium fuit. Erat in regijs castris Dominicus quidam, oppido egressus, qua de causâ incertum, sed egressus tamen. Is si pretium operæ sit, arcem se traditurum pollicetur. Rex conditionem accepit. simulata ergo rixa Regis voluntate, Petro Ruizio cui Toletano ipso consentiente vulnus inflictum. re patrata Dominicus in pedes se concitat: & fuga simulata à custodijs in arcem admittitur. Lupus eum Præfectus, quoniam eius famulus erat, & ex nouo facinore heri gratiam amplius conciliarat, ad omnia familiaria iura admittit venturi securus. Proditor facinoris opportunitatem nactus, quo tempore barbam tondebat, hero obruncato in castra continuo aufugit. oppidum mox cæso Duce, haud magna difficultate in Regis potestate redactum facta continuo deditioe. neque in milites, neque in tecta seuitum. Dominico tantum oculi effossi: clarum id in proditores seueritatis exemplum fuit: tametsi vitæ necessaria subsidia, ne fides regia violari videretur, competenter tributa. quæ non multo post de geminato scelere gloriant, Regis iussu cum vita adempta sunt. Milites victoria læti in patriam dimissi. Lupus Harus, cuius præcipuum decus erat, cum magno verborum honore collaudatus abiit: nam dona, quæ vltro offerebantur, constanti animo recusauit, ærarij regij inopia quanta esset non ignarus. Hunc memorant, in Riuogia Harum oppidum non procul Ibero condidisse, vnde ipsi & posteris cognomen. Rex Toletum profectus est ad regni conuentus: ad quos proceres tota ditione vocati erant. vbi de reipublicæ statu disputatum, qui iniuria temporis vehementer perturbatus erat: de oppidis & vrbibus, quæ nondum deditæ erant, recuperandis. Hoc

anno

anno continuis imbris inflati amnes. Toleti Tagus superatis ripis ad D. Isidori excreuit, die Februarij vigesimo. Proximo anno millesimo centesimo sexagesimo nono, quod raro contingit, ea vrbs terræmotu concussa sexto Idus Februarij: anxij ex eo ciuium mentibus, nouasque præfagentibus calamitates.

*Alfonsi Castellæ Regis nuptia. Cap. XII.*

**F**ERDINANDVS Legionensis Rex, Vrracam Alfonsi Portugaliæ Regis filiam superioribus annis vxorem duxerat: vnde Alfonsus natus est is, qui patri in regno Legionensi successit. Vrraca ipsa, quod cognatione deuincta esset, à viro repudiata. Hæc via dissoluendis coniugijs inuenta erat, offensione inter coniuges nata. nondum enim interpretando sibi quisque leges de matrimonijs aptas faciebat, neque venia Pontificum soluebantur. Ex hoc repudio graues simultates inter socerum & generum exortæ sunt. multæ vltro citroque clades acceptæ & redditæ. Ferdinandus cum vrbes & oppida superiorum temporum iniuria vasta instauraret, aut ædificaret denuo: Bletisam prope Salmanticam Ledesmiæ nomine indito: Granatam prope Gaurium: præterea Beneuentum, Valentiam ad Ouetum, Villalpandum, Mansiliam, Maiorigam: præter has perfugæ cuiusdam Lusitani consilio Ciuitatem Roderici, quæ olim Mirobriga dicta est, in regni finibus, qua parte à Portugalia dirimitur, extruxit instar firmissimi propugnaculi: vnde impetus Lusinatorum frangebantur, & omnia circum infesta hosti faciebat. Ab his inijs cœpta simultas in graues deinde inimicitias exarsit. vnusque Ferdinandus duorum Regum arma prouocare sustinereque non dubitabat, magno & excelso animo: quamuis suauissimis moribus simplici, liberali, mitique ingenio. Alfonsus Castellæ Rex inunte salutis anno millesimo centesimo septuagesimo Burgos abiit: vbi Castellæ conuentus habiti sunt. In his conuentibus, quoniam Rex ætatis annum quindecimum attigerat, patris testamento legitimum, designatumque deditis vrbibus, de ea re disceptatum: magnoque procerum consensu bellum decretum, tum aduersus proceres, nisi Regis voluntati obtemperarent: tum aduersus Ferdinandum patrum, qui regni partem non exiguam præsidij occupatam tenebat. & hoc quidem bellum propter alias difficultates diu dilatatum est. Proceres ne perduellionis rei essent, arces & oppida, quoniam nulla causâ excusabat, Regi tradiderunt. In primis Ferdinandus Castrius: tametsi Regis voluntati diffusus, proceribus infensus, & aduersaria factione rerum potiente solum vertere constituit, atque patria publicè abdicata, quod Hispanorum moribus receptum erat, ad Mauros confugere. cum dicitaret tolerabile exilium fore, præsertim innocenti, vbi nulla adiuncta esset turpitudine. effecturum se vt quem amicum habere nollent, hostem infensum experirentur. Læsa sæpe patientia mentes in furorem agit. & Ferdinandus multis iniurijs, vt præ se ferebat, violatus, multa

multa incommoda Christianis inferre non desistebat. Actum præterea in Burgensi concilio de Regis nuptijs: quoniam ætas matura, & sobolis regni procreandæ potissima cura erat. Henricus eo nomine secundus Angliæ Rex potentissimus, imperio Andegauos & Nortmannos in Gallia, & Angliam vniuersam complectebatur: dotisque nomine Eleonora vxor Aquitanos & Pictauos ad imperium adiunxerat, vt est superius indicatum. Huius filia Eleonora lectissima puella regijs nuptijs, si patri placuisset, destinabatur. Alfonsus Aragoniæ Rex, propinqui Regis, ac ferme æqualis, inuisendi cupiditate ad S. Facundi oppidum venit. ibi fœdus inter vtranque gentem factum. Reges ambo Iunio mense dimidiato Cæsaraugustam abierunt. Inde legatio honorifica in Galliam missa vxoris petendæ causa. Legationis Princeps Cerebrunus Præsul Toletanus erat. comitabantur Raymundus Palentinus, alij Præsules & proceres magno numero. In Burdigalam appulsi, vbi Regina Angliæ cum filia erat, facile rem pro qua venerant impetrarunt. Stipulatæ nuptiæ. puella missa in Hispaniam, deducuntibus non modò proceribus, qui ab Alfonso Rege missi erant: sed etiam ad comitatum adiuncti sunt Bernardus Burdigalensis Præsul, alijque viri principes ex Gallia. Interea inter vtrunque Regem fœdus sancitum est: quo ex fœdere vires vtriusque regni iungebantur aduersus omnium Principum arma, vno Angliæ Rege excepto. nouæ id affinitati datum. fide vitro citroque confirmanda, vtrinque oppida in alterius potestatem tradita, vt obsidum loco essent. Aragonius Anagarum & Bigueram accepit. Alfonsus Castellæ Rex Harisam & Darocam, ea quoque tempestate Aragoniæ ditionis. puella Regi desponsa Turiasonem deducta: qua in vrbe, vt antea conuenerat, auspice Aragonio Rege sponsalia mente Septembri festa lætitia confecta. arrhæ nomine magna Castellæ pars sponsæ data: Burgi, Medina Campestris, aliaque magno numero oppida. præterea quæcunque Mauris ablata essent media ex parte. Rex puellæ pulchritudine captus erat: & ætate nondum matura profusæ liberalitatis laude priores Reges superare velle videbatur. Lupus Rex Maurus Murciam imperio obtinens Castellæ Regi fœderatus erat. (nam & Toletum per hos annos venisse inuenio) Regi Aragonio aduersus eundem irato, armaque expediendi, cum vectigal pendere recusaret, quod Raymundo patri dare consueuerat, promissum est barbarum regulum in eius potestate fore: modò Mazemutibus factioni inter Mauros Lupo infensæ, opem ipsè ferre desisteret. Ruebat barbarorum imperium per hæc tempora in partes diductum: ac in primis Murcia vrbs intestinis sæpe dissidijs tumultuabatur. Digressò Aragonio Rege, Alfonsi Regis nuptiæ Burgis incredibili apparatu, & concursu hominum celebratæ sunt. Abulensium militum cohorti, quæ eatenus præsidij causa Regem secuta erat, peracta solennitate missio præmium fuit. ciuitati Abulæ, quod fidem difficillimis reipublicæ temporibus eximie coluisset, magna atque illustria priuilegia abs Rege data. Hisce rebus peractis Toletum itum est. Quo tempore Rex Aragonius Valerij Martyris, quondam Cæsaraugustani Episcopi

scopi caput, Rota, vbi seruabatur, Cæsaraugustam referendum curauit, Guillelmo Peresio Episcopo Ilerdæ atque Rotæ in Regis gratiam concedente. Garfendis Bearnæ Princeps patre fratrem, defunctis, maiorum exemplo in Regis Aragonij verba iurauit. ac nominatim instaurato fœdere cauebatur, ne cuiquam nuberet, nisi ex Regis voluntate. Episcopi Bernardus Oloronius, & Guillelmus Lascarius eius nomine rem transferunt. Quidam existimant eam Guillelmo Moncadæ, viro in Catalaunis principi, atque Senescalo vxorem datam fuisse. quod quoniam certis argumentis confirmari non potest, malumus in aliorum id suspicione relinquere, quam in hac narratione pro vero ponere.

*Fœdus contra Petrum Asagram.*

*Cap. XII*



**I**N T E R pacis studia haudquaquam res bellicæ sine cura erant: ac Maurorum præsertim reliquæ Aragonijs armis exagitabantur: vix vti esset vbi pedem tutò ponerent. In Edetania veteri, ad Algæ fluminis ripas, Fauara, Maella, Fresneda, aliaque oppida secundo bellorum cursu barbaris erant ablata. ad hæc Calpe validum ad Iberum municipium. Montis Idubedæ pars supererat in Edetaniæ & Celtiberiæ confinibus. nam locorum munitione confisi Mauri, magno numero se in eo tenebant. nostris propter locorum asperitatem accessus erat difficilis. virtute difficultates omnes superatæ: nostrique ex ijs locis hostes deturbarunt. Turulis oppidum in potestatem venit. Mauricum ea parte imperium Valentini agri finibus terminatum. Quo tempore Petrus Asagra Roderici filius, (is Stellæ Princeps erat, vt est superius indicatum) cum Lupo Murcia regulo operam nauasset, eique vehementer esset conciliatus: urbem Albarracinum in arduo atque præcipiti monte positam ad Tagi fluminis fontes, eius dono accepit. Vrbi quo maior esset auctoritas à Iacincto Pontificis Legato & Cerebruno Toletano Præsule, cui noua ecclesia est contributa, Episcopus datus Martinus nomine: cui deinde Episcopo Segorbium Innocentij quarti Pontificis Maximi, & Alexandri quarti successoris concessu contributa est, quo tempore in Christianorum potestatem est redacta. Castellæ & Aragoniæ Regum animi offensi Petro erant: cum Aragonius Albarracinum urbem ad suam ditionem pertinere disputaret, Petrus tanquam sui iuris in nullius Principis verba iurare vellet. Castellæ Rex conquerebatur in Castellæ finibus arces aliquot à Petro occupatas. impotentis hominis superbiam communibus armis atque auspicijs edomandam videri. eo fœdere confirmando oppida vtrinque obsidum loco data sunt. Aragonius Agredam, Cerueram & Aquilariam. Castellæ Rex Arandam, Borgiam & Arguedam accepere. Cautum præterea, vt Harisa cum arce Regi Castellæ redderetur, vti superiori fœdere continebatur, haud syncero animo. cum enim Nunnij Sanctij industria, Regis Aragonij iniussu reddita esset, magnorum dissidiorum

diorum caussa extitit, tametsi alienati tantum animi sunt: nec ultra verba processum. Ex ijs tamen dissidijs Petri Asagræ vires confirmata: cum neutris armis impeteretur, & Aragonius Rex, sprete Castellæ affinitate, quam pater pepigerat, ad externas nuptias respicere coepit, missa ad Emanuelem Comnenum Imperatorem legatione, filiam uxorem expetitur. Erat præterea Aragonia turbata Hugonis Ceruellonij Præfulis Tarracoenensis casu, quem iura ecclesiæ suæ tuentem Guillelmus Aguilonius peremerat anno millesimo centesimo septuagesimo primo, Aprilisdie vigesimo secundo. Roberti filius is erat, qui Oldegarij Præfulis dono Tarraconis principatum quondam obtinuit: & propter virium imbecillitatem Raymundo Barcinonensi Regis patri tradiderat, vectigalium parte retenta. Ex ea re Guillelmus filius maiores spiritus induens, quam pro præsentis fortuna, tantum facinus designare ausus est. Hugoni Petrus Tarrogius successit Præful Cesaraugustanus. Fuit is annus insignis Thomæ etiam Cantuariensis in Angliâ simili de caussa cæde. Occisi iniuria nomen Alexander III. Romanus Pontifex factis addidit. Ea religione in Hispania suscepta Toleti in templo maximo, sexto non amplius ab obitu anno, altare Thomæ nomine constitutum constat, Alcabonis prædijs à Nunnio Comite & uxore Therasia in eius cultum attributis. quod Martyris sanctitati, sed & Regi-næ eius gentilis gratiæ datum fuisse iudicatur. Id altare magnæ comesturæ indicant extitisse, quo nunc loco sacellum D Iacobi nomine, Magistri equitum Aluari Lunæ nobile monumentum extat. Lupus Murciae regulus defunctus est anno millesimo centesimo septuagesimo secundo. ea res Aragonij Regis animum excitavit, vt barbaris eo tractu arma inferret: cum speraret regulo magni nominis sublato, cæteros euerti posse. Valentini primum tentari. cum vis pararetur, Valentia Rex pacem auro redimere, annumque vectigal, quod pendere consueuerat, duplicatum polliceri compulsus est. Versa mox in Murcia arma: Setabisque præcipua ea tempestate vrbs obsidione cincta. victoria ferme parata, Regem in patriam reuocauit bellum à Vasconibus illatum incommodissimo reipublicæ tempore. sed solent homines magis priuata vtilitati, quam religioni aut officio seruire. Induciæ tantum cum nouo Murciae Rege factæ, vectigali pacto, quod pater pendere consueuerat. Vasconibus obuiam itum. iusto prælio dimicatum non est, cum vterque Rex totius certaminis aleam, in cuius euentu salus publica vertebatur, subire detrectaret. Qua sanè parte Tudela sita est Aragonius in Vascones irruit: Arguedamque oppidum redegit in potestatem. ager vastatus. prædæ abactæ. hæc in exitu anni peracta. Anno sequenti, ab ortu Christi millesimo centesimo septuagesimo tertio, bellum denuo comparabatur. Milagrum municipium, Calagurrim inter & Alfarum euersum Aragonijs armis. quoniam inde tanquam ex arce multa damna Aragonijs finibus inferebantur. Id oppidum consequenti tempore fuisse instauratum, nostra ætas documento est. Obijt Petronilla Regis mater Barcinone Octobris die tertio decimo. Initio consequentis anni, Ianuarij mensis octauo decimo die, Cesaraugustæ tandem nuptiæ Regis Aragonij & Sanctiæ, quam puero

puero pater desponderat, celebratae sunt: mutataque voluntate Castellæ Regum affinitas, qua multæ aliorum Regum propinquitates continebantur, externis nuptijs, in quibus parum præsidij erat prælata. Auctor (vt arbitror) Iacinctus Pontificis Legatus. nam nuptiarum celebritati interfuisse dubium non est. Græci Imperatoris filia vno ferme tempore Mompellerium in Gallia Narbonensis parte appulsa, eius vrbs Principi nupsit, haud satis æqua commutatione.

*Initium militiae Diui Iacobi.  
Caput XIII.*

10



ER hæc tempora milites ij, qui D. Iacobi nomen insigne præferunt, celebrari coeperunt. quæ res admonet, vt de principijs eius militiae, & quibus modis ab humili ducta, in hanc amplitudinem creuerit, regiae æmulam, & formidabilem aliquando, compendio exponamus. Quo ex tempore D. Iacobi Apostoli sepulcrum vbi esset cognitum est, eius loci religio non tota Hispania modo, sed etiam apud externas nationes propagari coepit. multo toto orbe mortales conueniebant: plures alios itineris difficultas propter locorum asperitatem sterilitatemque deterrebat: & Maurorum incuriones, à quibus multos in captiuitatem agi nunciabatur. D. Eligij Canonici sacerdotes, quo tempore haud satis constat, sed consequenti tamen ætate, ijs malis occurrere cupientes, multis locis toto eo itinere, quod ad Galiam peruenit, domicilia constituere peregrinis excipiendis: in quibus quod in suburbio Legionensi D. Marci nomine ædificatum est, principem locum habuit. Eo pietatis officio non plebis tantum animos, sed etiam Principum voluntates conciliarunt: vnde magnis opibus & vectigalibus aucti tunc sunt: & postmodum eorum exemplo nonnulli viri militares in Castelia nobiles atque copiosi, in studio Christiani nominis amplificandi perstituerunt, priuatis rebus in commune collatis. Ij per hæc tempora Iacincti Cardinalis industria, cum D. Eligij, qui domicilium prope Compostellam habent, Canonicis vires sociare certi, Romam profecti sunt: vt Pontifici Alexandro vitæ genus probarent, quod instituere cupiebant ad D. Augustini normam, quam D. Eligij Canonici amplexi erant. Petrus Fernandus a Ponte Encalato, eius legationis princeps, diploma à Pontifice abstulit tertio Nonas Iulij; anno millesimo centesimo septuagesimo quinto, quo militibus viuendi ratio præscripta est, & optimis institutis temperata. Ad id vitæ genus, sceminae etiam admittuntur coniugij sublata facultate, nisi consensu Magistri. Ex omni militum numero tredecim omnino viros deligere iussim, qui à Magistri latere non discederent: & cum eo quotannis loco designato conuentus generales agerent. multa alia præterea constituta sunt, quæ commemorare longum esset. Petrus ipse Fernandus eius militiae primus scilicet Magister creatur. Insigne militibus in veste candida crux rubra in gladij militaris modum conformata. Domicilio xenodochium D. Marci nomine Legionis desi-

1175

LI gnatum.

gnatum, amplæ possessiones in Castella & Legionem hac ipsa tēpestate erant, oppida & arces non pauca. in his Vrcesia, Mora, Estriana, Almodaua, Larunda, Vicus cuminiarius, cui iam Vico Zarzæ nomen erat, vt diploma Pontificum declarat. Accidit consequenti anno millesimo centesimo septuagesimo sexto, vt Alfonso Castellæ Rex ætate confirmata, certusque eas iniurias vindicandi, quæ à Vasconibus & Legionensibus annis prioribus erant illatæ, bellum compararet. vota priusquam proficisceretur Toleti nuncupata. oppida Illescæ (nam ad Regis ditionem redierat) & Hasagnia Toletano templo donauit, mense Iulio: vt bellum quod inferre parabat, felici exitu concluderetur Diuos indigetes precatus. Cum magnis copijs in Riuogiam ad Iberi ripam penetratum. quid præterea rerum gestum sit ignoramus: nisi quod Vasconibus multatis, satis constat arma in Legionense regnum conuersa: vastatos agros, capta, direpta, incensa oppida: cum Rex patruus viribus inferior esset, & præualidi iuuenis congressum declinaret. In nouos Diui Iacobi milites Regis Legionensis conuersa rabies: quoniam eos Castellæ Regi veteri domino fauere suspicabatur. omnes regno expulit. in Castellam illi migrarunt. Regem Ferdinandum breui poenitentia subiit: tanto præsidio regnum haud satis idonea causa nudasse: neque mutare tamen potuit: tametsi viris sanctis & proceribus annitentibus, quodam induciarum genere tum quidem ab armis discessum est. Hæc habebamus, quæ de initijs eius ordinis litteris mandarentur, pauca pro dignitate, pro suscepti operis modo nimis multa. neque ignoramus quosdam vetustiore originem designare: alios ab Alfonso Calto: à Ramiri ætate alios. Nimirum utrosque decepit eius militiæ illustrandæ studium. nam diploma, quod ante centum amplius annos virginibus sacris, quæ Salmanticæ à Sancto Spiritu nomen habent, concessum profertur, falsi ab eruditioribus accusatur: quibus argumentis explicare non attinet: res se ipsa prodit, siue stylum expendenti, ab eorum temporum ruditate abhorrentem: siue annos numerandi ab ortu Christi rationem consideranti, nondum per hæc tempora in Hispania susceptam. Verum hæc missa facimus. In Gallia inter Aragonium Regem & Tolosatem Comitem, ex magnis motibus pax facta est. dolebat Tolosæ filij nuptias interceptas. Prouinciæ comitatum, tanquam sui iuris antiqui, dotalemque recens, repetebat armis, quoniam iure & legibus non sperabat. argenti pondus duo millia, vt causa discederet, abs Rege pacta promissaque. Trencuelli Carcasonis Vicecomitis soror Beatrix nomine Tolosatis Comitis filio nupsit. nam vt Raymundi Berengarij Prouinciæ Comitis ante annos decem defuncto, filiam vxorem daret expetenti, Aragonius Rex adduci non potuit. foederis præcipuus auctor & internuncius Hugo Gotifredus Templariorum militum Magister.

*Concha vrbs à nostris capta.  
Cap. XI III.*

EX

**X** diuturna calamitate oculos attolere Alfonso Regis virtute, & quasi ex altissimis tenebris lucem respicere Castella coeperat: Maurorum vires debilitari, atque confescere. Almohadum factio Africæ motibus distenta, rebus Hispaniæ consulere non poterat: eo magis, quod defuncto superioribus annis Abdelinone noui imperij conditore, Abenjacob filius, eius gentis imperium susceperat, haud pari virtute felicitateque. Ex vtraque re belli sacri instaurandi maiori conatu, opportuna occasio sese dabat. Nostri hætenus aut imbecilla Regum ætate, aut intestinis prouinciæ motibus impediti, Christiani nominis dignitatem non satis respicere videbantur. Alfonso Castellæ Rex ætatis accessu, in eam curam primus incubuit: vindicatisque superiori bello Vasconibus, atque Legionensibus, cum Aragonio Rege belli Maurici sumendi consilia communicare constituit. Ventum in colloquium. & qua parte barbari bello petendi essent, disceptatum est. Concha vrbs præualida proponebatur in Celtiberiæ finibus, Maurorum opera ædificata (nam in imperio Romano Gotthicaque historia, nulla de ea vrbe mentio extat) in arduo & prærupto colle: quem dextra lauaque Sacro Veroque amnes stringunt altissimis rupibus: prorsus vt natura loci inexpugnabilis sit. ascensus difficilis, arctæ viæ, arduæ, equiti plerumque inaccessæ, ac vix pediti peruiæ. Intra oppidum iugi aqua nulla ea tempestate utebantur: nostra ætate ex vicinis montibus perennes fontes in plateas deriuarunt. Itaque aqua prohiberi poterat. cingi obsidione propter locorum asperitatem non poterat. Hanc urbem, quoniam Mauris instar firmissimi propugnaculi erat, primùm oppugnare Regibus visum est. delectus magni vtraque prouincia habitus. Duces nobilissimi genere factisque, Præsules atque proceres magno numero Reges comitabantur. Petrus Burgensis Episcopus, Ioscelinus Seguntinus, Sanctus Abulensis, Raymundus Palentinus, Gonsaluus Maragnonius Regis Castellæ Armiger, Ordunius, & Gasias Garzesij. Petrus Asagra cum vtroque Rege gratia ad tempus conciliata, cum sua peculiari manu in vrbe conspectum primus omnium venit. Ineunte anno vrbs est circumfessa. sed neque loci natura patiebatur impetum in urbem fieri: & Mauri tum sua virtute, tum spe Africani auxilij, egregiè propugnabant. Obsidio in multos dies ducebatur. neque multo minor in castris, quam intra urbem annonæ angustia erat. Rapto tantum viuendum erat & præda, cuius facultatem locorum sterilitas malignè suppeditabat. Pecunia in stipendium non erat: quare inuitati redemptores & dardanarij in castris versari consueuerunt. Rerum difficultate permotus Castellæ Rex Burgos maturauit, pecunia expedienda intentus. regni conuentus agitantur: curatumque, vt non modò plebei homines & proletarij, sed etiam ingenui & immunes, quos vulgo Hispani Hidalgos vocant, quotannis quinos maruedinos aureos (monetæ id genus est) regio silco inferrent. Populum tot vectigalibus exhaustum belli sumptibus.

Ll 2 in-

imparem esse. debere eos patriæ caritate ærarij inopia moueri, vt de veteri libertate, iureque concederent: quod maioribus deinceps commodis compensaretur. Auctor consilij Didacus Harus Cantabriæ regulus. Is suis viribus potens, & Regis Legionensis propinquitate magnos spiritus gerebat. Ferdinandus enim Legionensis, Vrraca Regina repudiata (vt superius dictum est) Therasiam Nunnij Laræ Comitissæ filiam, sibi connubio iunxerat: & ea præpropere defuncta, Vrracam Lupi Hari filiam, sororem Didaci, vnde Sanctius & Garfias nati sunt. Didaci conatibus, Petrus Laræ Comes obsistendum existimans, contracta nobilium manu raptim è conuentu discessit, armis tueri certus partam armis ac virtute à maioribus immunitatem. se superstiti haudquaquam passurum dictabat, nobilitatis opprimendæ, atque nouis vectigalibus vexandæ ab eo aditu initium fieri. Rex periculo permotus, ab ea cogitatione destitit. Petro vt pro nauata opera merces esset, nobiles inter se, ipsum quotannis & posteros splendido conuiuio accipere decreuerunt: vt bonæ posteritati monumentum id esset, ne quauis occasione acceptæ libertatis ius imminui ferant. Dum hæc Burgis agitantur: nono obsidionis mense Concha nostrorum virtute capta est, mense Septembri ipso D. Matthæi festo die, anno millesimo centesimo septuagesimo septimo. Qui annus non tantum huius expeditionis memoria insignis est, sed etiam Alexandri Pontificis virtute & felicitate, sublato Romæ Pontificum dissidio faustus. Innocentius enim, qui Victori successerat, vltro pontificatu abiit. Fuit præterea Vasconibus lætus natalibus Ferdinandi: quem Beatrix Regi peperit prole fecunda. Nam prius Sanctium, deinde Ramirum, Berengariam, Therasiam, Blancamque genuit. Capta vrbe quo maior esset auctoritas Ioannes Episcopus creatur: Valeriæ iuribus, vbi episcopatus Gotthorum tempore fuerat, in eam urbem concessu Romani Pontificis translatis. Ciuiibus datum, vt suffragij ius in regni conuentibus habeant. Aragonijs virtutis præmium fuit sublata subiectio, qua Castellæ Regibus, tanquam beneficiarij parere, atque in eorum verba iurare cogebantur. foedusque inter Reges factum aduersus Principes omnes, vno dempto Legionensi Regi: cui propter sanguinis propinquitatem, is honos habitus est. Secundum Conchæ expugnationem Alarconium oppidum, loci natura non minus firmum, venit in potestatem, continuato in Mauros bello ea parte consequentibus annis. præterea Ecelestam eo tractu salis in rupis formam concreti, atque pellucidi fodinis magis quam agri prouentu nobile municipium. Militibus S. Iacobi mandatum, vt commodiori ex loco Mauros impeterent, Vrcesiam domicilio deligere. vnde cum Ferdinandus Rex Legionensis succedente facti pœnitentia, eos in veteres sedes reuocaret, quatuor sacerdotes ea lege Legionem amandati sunt, vt Vrcesiam conuentui subiecti essent: quod illi imperium discreti Regibus constanter deinde repudiarunt: atque agitata diu caussa, Urbani quinti auctoritate ita controuersia est composita, vt vtrunque domicilium alterius imperio exemptum esset, atque militiæ Magistro tantum obtemperarent.

ad

admissi ij milites haud longo interuallo in Lusitaniam, opibus quamuis & oppidis aucti communi militiæ Magistro obtemperarunt: quovsq; Dionysius Lusitanæ Rex nouo capite constituto, à Castellæ eos iure imperioque exemit. Hæc quamuis plures per annos gesta coniunximus rerum memoria iuuanda: nunc ad temporum ordinem redeamus. Omnino Rex Alfonso ijs militibus Ocaniam, Oregiam ad Tagi ripam, aliaque oppida dono dedit. quemadmodum Maqueda, Azécha, Cogolludium, Zurita, Calatrauensibus ab eodem Rege dono data sunt. Placentia vrbs in regni finibus constituta, & Episcopi iure illustrata: vbi Pagus antea erat Ambrocus nomine: quod nomen Placentiæ appellatione mutari placuit, omissis causis quasi diuis, & hominibus placituræ, & ex regionis amœnitate, quamuis cæli salubritate non eadem. Toletana mœnia resecta. in Oretanis oppidum Alarcus in edito colle ædificatum est. Anno hæc eius seculi septuagesimo octauo agebantur. Quo tempore Alfonso Aragonius Rex Ruscinonensem comitatum obtinuit, Gerardo Comite sine prole defuncto: cœpitque in publicis tabulis Aragoniæ Rex, Barcinonis, & Ruscinonis Comes, Proinciæ Marchio vocari. Consequenti anno millesimo centesimo septuagesimo nono, Martij mensis die vigesimo, Perpiniano profectus ad Cazolam oppidum abiit, eius & Castellæ Regis colloquio designatum. In eo congressu, quoniam de bello Mauris inferendo controuersia nata erat, sancitum: vt Aragonijs armis Valentia, Setabis, Dianiumque cum subiectis agris oppugnarentur, caperenturque de Mauris: cætera Maorum oppida & vrbes in Contestanis, Castellæ Regi relinquerentur impugnanda. Contra Sanctium Vasconum Regem arma sociata, magno eius incommodo, nam Castellæ armis Viruesca, Ceresum, Lugrunium, aliaque oppida ab Aucæ saltu Calagurrim vsque capta. Rodericus Præsul Nauarretum adiicit: quod alij oppidum ea tempestate negant ædificatum. nobis Roderici auctoritas potior esse videbatur. Inde arma in Legionenses versa sunt. vastati agri. capta direptaque oppida. prædæ abactæ. Legionensis Rex viribus impar Aragonium litteris & nuncijs sollicitare non desistebat. Conchense foedus à Castellæ Rege violatum, ad eius dignitatem pertinere, ferocis iuuenis spiritus frangi: ne potentia auctus, cæteris exitio esset. Misit Berengarius Ilerdæ Episcopus, atque Raymundus Moncada, Harisam oppidum & arcem reddi postulatam. si nihil verbis impetraretur, bellum denuntiare iussi. Ingentis belli moles, terrorque mortalium animis proponebatur, tot Regum armis vno tempore concitatis. Castellæ Regis modestia, parata clades discussa, Harisa Aragonijs reddita, atque Legionensi bello relicto: cum sibi videretur superiores iniurias egregie vindicasse.

*Alfonso Portugalia Rex à Legionensi captus.  
Capitulum XV.*



LEGIONENSIVM animi à Ferdinando Rege suo erant alienati: videbanturque oblata opportunitate odium effusuri, quod diu conceptum continuerant, nouis exactionibus fessi, & Regis acerbitatem ægrè ferentes. alios priuatim aliæ causæ incitabant: atque in primis dolebat Salmanticensibus, Ledesmia abs Rege instaurata, agri partem interceptam. Itaque, cum bello superiori esset implicitus, principes ex omnibus à Regis auctoritate rebellant. precipuus seditionis concitator Nunnius Rauia bello delectus est Dux. (Regem Lucas nominatum ait.) Abulenses, cum quibus vetus necessitudo erat, de re tota appellati, auxilia miserunt. Rex Ferdinandus, ne malum serperet, continuò tumultuantibus occurrit. ad Valdemusam collatis signis dimicatum est. victi factiosi sunt atque profligati, amissis etiam castris. Captus Nunnius Rauia Dux, de eoque more militari supplicium sumptum. reliqui ex ferocibus paulò ante, mox obedientes fuere. Nihil enim in vulgo modicum, aut terrent, aut pauent. Vrbs ipsa Salmantica in potestatem redacta. Inde Zamoram itum, quoniam nouarum rerum studio concitari nunciatum erat. rebus ea compositis conqueuit, alieno exemplo poenæque cautior. Ramiri Regis eo nomine tertij, corpus Destriana Asturicam translatum: atque in templo maximo commodiori sepulcro compositum est. His motibus pacatis, Mirobrigæ tuendæ cura sollicitabat, obsessæ à Ferdinando Castrio cum magna Maurorum manu. ope Diui Isidori, cui res nostras curæ esse persuasum erat, barbari à Ferdinando Rege acie victi, cæsi, fugatique sunt. Finitimi Portugaliæ fines eodem victoriæ cursu vastati. Quod caput erat, & ardentissimis multorum votis expetebatur, Ferdinandus ipse Castrius Regis diligentia ad sanitatis consilia reuocatus est: ut ipsi potius aduersus Castellæ Regem, quam barbaris militaret. oblatam ille conditionem accepit. & ut erat viuido spiritu, & scientia militari inter paucos excellens, continuò nauandæ operæ cupidus, cum Legionensium manu in Castellæ fines irruit. In Gotthorum campis ad oppidum Lubricale, hostium copias obuiam factas prælio vicit. multi proceres capti. in his Nunnius ipse Lara æmulus. quos benigne comiterque apud se habuit: atque insigni modestiæ, atque humanitatis laude parta liberos in patriam dimisit, fidem modò amicitiamque iuratos. priori ipse vxore repudiata, Stephaniam Ferdinandi Regis sororem connubio sibi iunxit. & qui genere, & factis clarus erat, regia propinquitate nobilior euasit. ex hoc coniugio Petrus Castrius est natus, de quo mentio deinceps recurret. Excepit bellum Lusitanicum. Alfonso Portugaliæ Rex, quamuis ætate graui atque præcipiti, belli curam nunquam intermittebat, in affecto corpore vegetum animum retinens. ægrè ferebat Mirobriga in regni finibus à Ferdinando instaurata, compedes iniectos Lusitaniæ: arcemque constitutam, vnde impunè prouinciæ agri vexari possent. Validum exercitum conficit: Sanctioque filio mandat Mirobrigam ijs copijs obsidere. victoriam sibi certò pollicebatur,

cebatur: quod Legionensis Rex vno tempore Castellæ armis, vt paulò ante dictum est, & intestinis motibus premebatur. Ferdinandus in summo periculo decoris tenax, quantumque præsidij decederet ea vrbe sublata non ignarus, cum copiarum parte Lusitanis occurrit. ad Arraganaliam oppidum pugnatum est. Lusitani victi. alij cæsi fugatiue: alij capti, quos omnes liberos in patriam misit. Alfonso Lusitaniæ Rex ea clade nunciata, collectis suorum copijs in Galæciæ fines inuectus Limiam, Turoniam, aliaque oppida eo tractu expugnauit. aucto deinde exercitu in vindictam præcepit Pacem Augustam tentare constituit: quæ vrbs quoniam in Ferdinandi fide erat, tamen à Mauris obtinebatur, ad suam auctoritatem pertinere iudicans, ne in periculo defereretur, auxilio accurrit. Lusitanus magna iam vrbs parte capta, ferro cum Legionensibus decernere ausus, victus acie & in urbem vnde prodierat, reiectus est. Tutum per fugium non erat, victum vrgentibus hinc Mauris, qui editiorem vrbs partem obtinebant, inde Ferdinando. fuga euadere conatus, crure altero in discessu ad portæ vectem afflicto, ex equo præcipitatus, captusque ab hostibus, in Ferdinandi potestatem venit. Humanissimè accepto curam ille omnem exhibuit, non secus ac parenti Regique. sanitati redditum in patriam dimisit, pro ea humanitate paratum regnum vniuersum eius arbitrio permittere, leges & magistratus accipere: quam Ferdinandus conditionem repudiavit, ijs tantum receptis oppidis quæ in Galæcis paulò antea ablata erant, satis magnum victoriæ fructum existimans moderationis atque humanitatis laudem. Conchæ Ioanne Præsule defuncto, Iulianus in eius locum subrogatus est, vita eruditioneque admirandus. Is Burgenis patria, concionando magnam Castellæ partem peruagatus, multum in vtraque gente profecerat: magnamque sibi laudem ex ea professione pepererat, qui illi ad episcopatum gradus extitit. Vrraca Vasconum Regina Imperatoris filia, post viri obitum Aluaro Roderico nupsit viro in Castilla principi: nullaque ex eo coniugio prole suscepta, extincta hoc anno est mense Augusto. corpus Valentis in templo maximo constitutum hac inscriptione est.

HIC REQUIESCIT DONNA VRRACA REGINA NAVARRAE, VXOR DOMINI GARSIAE RAMIRI: QVAE FVIT FILIA SERENISSIMI DOMINI ALFONSI IMPERATORIS HISPANIAE, QVI ALMERIAM OBTINUIT. OBIIT XII. OCTOBRIS, ANNO DOMINI M. C. LXXXIX. Sic inscriptio. Verum nos in ratione temporum annales Toletanos sequebamur. Anno proximo millesimo centesimo octogesimo, tertio Kalend. Octobris Ludouicus Gallicæ Rex eo nomine septimus Lutetiæ extinctus est, successore Philippo eius filio, cui Augusto cognomen fuit. In Cantabriæ ea parte, cui Alanæ nomen est, Victoria prouinciæ caput extructa est, Sanctij Regis Vasconum opera, loco vbi pagus erat Casteisum nomine. mutatæ appellationis occasio (neque enim nulla fuit) elam est. Tarracone conuen-

181 tus Episcoporum habitus. In eo conuentu tum de multis alijs deliberatum: tum lege sancitum, ne quod eatenus ducta ex antiquo consuetudine obseruabatur, in publicis tabulis Francorum Regum nomen, & regni eorum annus adscriberetur. Cerebruni Toletani Præsulis obitus anno millesimo centesimo octogesimo primo, consecutus est, ad quartum Idus Maij. successit Gonfaluus eo nomine primus, præstanti vir animi magnitudine.

*Alfonsus Portugalia, & Ferdinandus Legionis Reges defuncti. Cap. XVI.*



10 LFONSI Lusitaniæ Regis expeditione in Mauros, tametsi ipsi incommodè cecidit, documentum datum Pacem Augustam capi à nostris posse. eam occasionem Ferdinandus Legionensis Rex, quoniam ipsius iuris erat, omittendam non iudicabat, alioqui quietis impatiens, ingenioque cum ætate ardentior, & militari disciplina, quàm pacis artibus melior. Zamora, quo se conrulerat dimisso Rege Lusitano, nouis copijs instructus, atque ad id bellum profectus Pacem Augustam cepit. Capræ vrbi, quoniam à Mauris incolebatur, neque promptum erat nouam Christianorum coloniam deducere, aut militare præsidium collocare, Abenabelus Maurus est præfectus. barbaris fides ex fortuna pendet, neque religioni seruiunt nisi coacti. breui ergo à 20 Ferdinandi auctoritate defecit: & Almohadum auxilijs aduocatis, non eius vrbs possessione contentus, iusto comparato exercitu in Legionenses primùm fines irruit. vastata, direpta, ablata, quæcunque obuia eo tractu fuere. belli mox impetu in Lusitaniam verso, Alfonsum Regem incogitantem & à rebus omnibus imparatum, intra Scalabim circumsedit. Ferdinandus Legionensis, suas iniurias vindicandi cupiditate ardens, & soceri Regis periculo, quem semel tuendum susceperat, permotus contractis raptim copijs, Mauris successu ferocientibus occurrit. atque illi quidem continuò fugam arripuerunt, vtriusque gentis viribus impares: Rex Lusitanus cum initio 30 suspicatus esset Ferdinandi voluntatem commutatam, neque minus ab eius potentia quàm à barbarorum armis sibi metueret: re cognita, ex ancipiti metu recreatus est. Ferdinandus ingenti gloria parta, & spolijs Mauricis onustus redijt in patriam, ipso salutis anno millesimo centesimo octogesimo primo. Quo anno Romanam ecclesiam Lucius eo nomine tertius, Alexandri tertij successor gubernandam suscepit. Ab hoc Pontifice Cardinalem quendam, cuius nomen non proditur, Legatum memorant cum potestate in Hispaniam, pacis componendæ causâ inter Reges Christianos: qui fatali discordia scissi, atque inter se odijs decertantes haud magna sæpe occasione impiæ gentis opprimendæ magnas opportunitates negligere videbantur. Aragonius Rex, cum Compostellam religionis ergo petere decreuisset, Legatum in Castellam secutus est, in eandem pacis curam intentus: & alioqui gloriosum existimabat se arbitro concordiam inter Reges sanciri. Itaque eo potissimum disceptatore pax composita, finesque singulis 40 Regibus

Regibus designati, quibus ditionem terminarent, & qua parte Mauros oppugnare atq; pro se quisque, quas eorum vrbes, oppida, arces (de quo non minima concertatio erat) imperio subiugare deberent. Aragonius Rex non pacificatoris modò, sed etiam modestiæ laudem tulit, cui ex Maurico imperio tractus ille designatus tantum est, qui Aragonia Valentiam pertinet. tametsi Petrus eius filius, cum iniuriam sibi factam hoc fœdere quereretur, Illicim vsque, quæ nostris Alicante est, oppugnationis Mauricæ fines Aragonijs prolata. Cæteri Reges, quibus finibus diiudicatum est, imperium libenter terminarunt, vno dempto Rege Nauarræ: qui cum se magnis iniurijs ab 10 Alfonso Castellæ Rege violatum ferret, vt in commune gentis fœdus consentiret induci non potuit. Hoc sancito fœdere tranquilla, aut modicè lacessita pax inter Christianos in Hispania tenuit. Maurorum fines lacecebantur. Lusitanus Rex inter bellicos tumultus Christianæ pietatis memor, ipse quidem ex promontorio Sacro, quo ea de causâ, vt præfens locum lustraret, se bis contulit, D. Vincentij Martyris ossa Olisiponem in templum maximum transferenda curauit, atque perfecit anno millesimo centesimo octogesimo tertio: Sanctium autem filium in Transtaganos, vt limitibus præfset amandauit. Ille ætate feruens, & studio gloriæ elatus cum suorum manu in Bæticam penetrauit: finesque Maurorum longè latèque 20 Hispalim vsque vastauit. Hispalenses eius ignominia depellendæ cupiditate obuiam progressos prælio fudit. Ilipa, quæ hodiæ Niebla est, à nostris obsessa, expugnari tamen non potuit: cum validis Maurorum copijs Pacem Iuliam in Lusitaniæ finibus obsideri nunciatum esset. Sanctius enim suorum periculo permotus, ne dum aliena captat, sua prodere videretur, atque ex ea re reprehensionem incurreret vnde laudem captabat, Ilipæ obsidione soluta auxilio accurrit. victi barbari sunt, compulsique ex ea vrbe discedere. Sanctius, tantis victorijs clarus, Scalabim triumphantis in modum inijt. & erat vno tempore nunciatum, Almohades Abeniacobo Rege ductore ingentes copias in Lusitaniam comparare. Ab ea gente celerius opinione ipsa vrbs Scalabis circumfessa. Alfonsus Rex Lusitanus, tametsi senio grauis & crure altero ex quo ad Pacem Augustam fregit, debilitatus erat, prorsus vt curru vteretur, cum equo non posset: milicibus ex omni prouincia ad signa vocatis Scalabim festinauit. commissa pugna haud par Maurus Lusitano fuit. à fronte pater, filius vrbe egressus à tergo vrgebant. magna cædes facta, fuga maior fuit. Rex ipse barbarus lethali in prælio vulnere inflicto, cum fugæ studio Tagum ea parte vorticibus rapidum aquis copiosum tranaret, flumine haustus est, anno millesimo centesimo octogesimo quarto. Successit in vtroque imperio Africa, atque Hispania Abenuzephus frater. Ingens victoria fuit, magna tota Hispania gratulatio. verùm 30 ne lætitia syncera esset, Armengaudi Vrgeliæ Comitæ mors effecit. Erat is Armengaudus Castella natus. Aragonij Regis sororem in coniugio habebat. neque amplam tantum in Catalaunis, & Aragonia ditionem obtinebat, sed etiam Vallisolerum in Castella Petri Ansurij (de quo superius memoratum est) pronepos. Hoc tempore rei Christianæ promouendæ studio, 40



cum priuata suorum manu in Valentia fines irruit: verum operæpretio facto ad Requenam oppidum à Mauris peremptus est, ex insidijs scilicet alij à Castellanis tradunt: Mauros ipse mallem: omnino Augusti die vndecimo. filium reliquit eodem nomine hæredem principatus. In diuersa parte Sanctius Vasconum Rex, cum in Castellæ fines ferro penetrasset, & Ataporcã vsque progressus ingentem prædam egisset, Cardeniæ Abbas finitimorum calamitate & lacrymis prouocatus, cum Regem curriculo adiisset sese in patriam referentem, ab eo precibus impetrauit, vt prædam omnem reponeret ijs, qui damna pertulerant. iniquum videri Regum iniurias, miserorum hominum pœnis luit. Rex precibus annuit, eum honorem Cidi proauu vexillo habens, quod Abbas & monachi ea de causa raptim ex templo conuulsum insigne detulerant: prorsus vt Rege comitante vexillum loco, vnde erat ablatum, restitutum fuerit. anno hæc millesimo centesimo octogesimo quinto gesta sunt. Quo anno Lusitani Reges superiori victoria læti, Conimbricam primùm, deinde Portum urbem adierunt, nuptias celebrandi causa, Philippum inter Flandriæ Comitem, & Therasiam Alfonsi filiam. solenni peracto, Conimbrica repetita: vbi Rex morbo atque ætate confectus è vita discessit die sexto Decembris, natus annos vnum & nonaginta. Corpus in S. Crucis, vt ipse testamento mandarât, sepultum est, humili quidem tumulo, atque adeò plano. vnde Regis Emanuelis iussu, in aliud sepulcrum ex candido lapide eleganter constructum, auorum memoria translatum est. Vir fuit omni virtutum genere admirandus, Lusitanici regni non conditor tantum, sed etiam amplificator. diuturnum imperium fermè sine offensione transegit. bellicis artibus & studijs pietatis peræquè clarus fuit. Olisipone, Eboræ, alijsque oppidis templa præcipua constituit. cuius studium Malfada Regina pari pietate æmulata, multa monasteria, templaque tota dititione extruenda suo sumptu curabat, clara vtriusque pietatis ad nostram ætatem monumenta. Quiescebat Hispania, concordia inter Reges constituta, sublatoque Almohadum Rege. noui tamen atque intestini belli expectatio multorum animos suspensos tenebat. Petro Afagræ gloriosum erat in tantorum Regum oculis dititionem modicam, tanquam sui iuris tueri. vt eorum Regum conatus iuaret, Mauris oppugnandis facillè adducebatur: & Conchensi vrbe expugnanda egregiam operam præstitisse superius dictum est. vt tamen in cuiusquam Regis verba iuraret, induci non poterat: cum se D. Mariæ (id nomen Albarracini templo est) subditum ferret. loci natura, & Regum inter se æmulatione, cum sibi vterque subijci cuperet, æmulo nollet, factum arbitror, vt tandiu substiterit. quod nescio an vlli veterum Ducum contigerit. Ergo proximo anno millesimo centesimo octogesimo sexto, Ianuario mense Reges Castellæ & Aragonius Agredæ ad colloquium conuenientes, Petro infensi legem ex composito promulgant, qua Petri affines, & necessarij quicunque eius auspicia sequebantur, vtriusque regni finibus arcebantur. Principio sequentis anni Gasto Bearnensis Vicecomes, Oscæ maiorum exemplo in Regis Aragonij verba iurauit. Fuit is annus infautus Guidonis Regis Hierosolymitani captiuitate.

Sala-

Saladinus enim infensus Christiano nomini hostis, cum & Templariorum Magistrum ad Tiberiadem cepit: urbemque ipsam Hierosolymam ex deditione in potestatem redegit, die Octobris secundo. Alfonsus Castellæ Rex animo interea ad pacis artes conuerso, Calatrauz militiam optimis legibus atque institutis temperabat. Quo tempore Ferdinandus eius patruus Legionensis Rex Bencuenti obiit anno millesimo centesimo octogesimo octauo. regnavit vnum & triginta annos. In templo Compostellano tumulatus est in sacello regio. bello quam pacis artibus melior est habitus. ingentes animi & corporis dotes regnandi inexhausta libidine, præsertim Castellæ Rege puero contaminasse visus est. patiens laborum, acri ingenio, satis prouidus, contra pericula & insidias firmissimo animo. Martinus presbyter per hæc tempora litteris & vita clarus, Legionem multis libris conscribendis operam dabat, ex rudi atque illiterato repente factus doctissimus, ab Isidoro, cuius in monasterio viuebat, oblato in somnijs libro quem comederet. Eorum librorum pars nulla ad nostras manus venit: canonicis eius templi magna religione seruantibus rei gestæ monumentum posteritati præclarum.

*Varia Regum inter se fœdera. Cap. XVII.*

**P** L I I parentibus succedere: Sanctius Alfonso Lusitano Regi. Ferdinando Legionensi Alfonsus, nuncio de morte patris ex itinere reuocatus: quo ad auunculum sese conferebat, noueracæ insidias & inuidiam declinans. cui ægrè erat Alfonsum illegitimis nuptijs procreatum (sic illa ferebat) vnam ob ætatis prærogatiuam, & quoniam sic patri collibitum erat, ipsius filijs prælatum in spem regni educari. Inde perpetuæ offensiones natæ: quæ priuigno Rege, tametsi dotalibus oppidis abstinuit initio, (id honori patris datum) viduam Reginam compulerunt Anagarum migrare. qua in vrbe ad D. Mariæ reginæ, eius ipsiusque fratrum Lupi Segobiensis Pontificis, & Martini Hari sepulcra extant, sacello intra monasterij septa dicato S. Crucis nomine. Duæ Alfonso Legionensi vxores fuerunt, Therasia Sanctij Lusitani Regis filia, vnde tres filij nati, Sanctia, Ferdinandus, Dulcis. deinde iussu Pontificum, vt competenti loco declarabitur, Therasia repudiata, quod sanguine propinqua esset, Alfonsi patruelis Castellæ Regis filiam connubio sibi iunxit. Sanctius Lusitanus Rex annis prioribus Alfonsam duxerat Regis Aragonij sororem: ex qua numerosa prole auctus est, genuitque filios, Alfonsum natu maximum, Ferdinandum, Petrum, Henricum: filias quinque, Therasiam, Malfadam, Sanctiam, Blancam, Berengariam. & vxore defuncta, ex duabus pellicibus sex alios filios vtriusque sexus suscepit. ex priori Vrracam, & Martinum. ex altera, Therasiam, Egidium, Constantiam, Rodericum. sic erant eius seculi mores in turpitudinem proni, vt quod Regibus collibitum esset, turpe non duceretur. In quo Alfonsus Castellæ Rex prole, quam cæteri multo felicior fuit, ex vnis nuptijs vndecim filijs procreatis.

creatis. In eo numero Blanca vt reliquos ætate superauit, sic etiam felicior  
 extitit, Ludouico Regi Galliæ eius nominis octauo, viro suo enixa felici  
 partu Ludouicum eum, cui spectata vitæ probitas, & multis testimonijs  
 comprobata pietas, Sancti cognomen peperit. Blancam sequebantur Be-  
 1189 rengaria, Sanctius, Vrraca, Ferdinandus, quem anno millesimo centesimo  
 octogesimo nono, ad tertium Kalend. Decembris, Mercurij die, natum con-  
 stat. consecutæ sunt Malfada, Constantia: atque his proximè duæ aliæ foro-  
 res, quarum nomina ignorantur. præterea Eleonora, & postremo partu  
 Henricus, mira rerum varietate patris successor. quod alio loco monstrabi-  
 tur. Ad numerosam prolem ditionis amplitudo, multo quàm aliorum Re- 10  
 gum maior, Alfonso præ cæteris eximium efficiebat: prorsus vt cunctis  
 Hispaniæ prouincijs formidini esset. ipse tantis circumseptus opibus, ne-  
 que otio se, neque inertia corrumpendum dabat: sed ditionis fines propa-  
 gando, ingenio, atque industria reliquos sua ætate Reges antecundo, maio-  
 res copijs, gratia, & dexteritate exæquando, imperij auctoritatem tuebatur,  
 merum augebat. Nunquam satis fida Principum potentia finitimis est, occa-  
 sionem proferendi imperij auidè arripiente natura mortalium iure iniuria-  
 que. Ergo cæteri Reges Hispaniæ aduersus Castellæ Regem inter se coniu-  
 rare, fœdusque facere, eosdem amicos inimicosque futuros. In id fœdus Le-  
 gionensem Regem allicere: qui maximè obnoxius Alfonso patrueli Castellæ 20  
 Regi fore videbatur, coniectura quod quàm primum regni paterni hæ-  
 reditatem adiit, eius beneuolentiæ promerendæ studio ad conuentus Castellæ,  
 qui anno eius seculi octogesimo octauo, Carrione habebantur, vltro  
 profectus, ab eoque militia more eius seculi inauguratus, ad manus osculum  
 subiectionis indicio se demisit: in quo maiestatem sugillasse, patrueli prio-  
 res detulisse visus est. Affuere in ijs conuentibus Conradus Friderici Au-  
 gusti, cognomento Aenobarbi filius, religionis ergo in Hispaniam appul-  
 sus, Raymundus Flacada Tolosæ Comes. vtriq; honorificum fuit, abs Rege  
 militiæ honore donari. Conrado præterea Berengaria Regis filia pacta: ne-  
 que nuptiæ tamen peractæ: cum puella proficisci in Germaniam recusaret, 30  
 gentis mores, an longinquum iter exosa. quid enim Hispaniæ amœnitatem  
 cultumq; patrium mutaret, inclementi Germaniæ cælo, alijs accolarum in-  
 genijs: Reliqui interea Reges quid opus factu esset inter se per legatos con-  
 sulabant, præsertim Aragonius, cui ægre erat rerum arbitrium penes leui-  
 rum Castellæ Regem esse. & Vasconum Rex Sanctius, armis repetere cogi-  
 tabat, quæ per vim ablata erant. Itaque salutis anno millesimo centesimo  
 1190 nonagesimo ad Borgiam oppidum ex composito conueniunt: menseque  
 Septembri fœdus inter se sanciant aduersus Castellæ vires. In id fœdus Le-  
 gionenses, & Lusitani duorum Regum industria attracti sunt. Oscæ per le-  
 gatos de ea re disceptatum coram Aragonio Rege: pactaque non modo in- 40  
 ter Reges quatuor concordia, bellique societas: sed expressè etiam additum,  
 ne sibi priuatim quisquam consulens, absque aliorum conscientia, volunta-  
 teque pacem, aut inducias cum hoste faceret: ac ne bellum quidem mouendi  
 1191 facultatem haberet. Hæc mensè Maio acta sunt, anno millesimo centesimo  
 nona-

nonagesimo primo. quo anno, Romæ Clemens eo nomine tertius octa-  
 uo Kalend. Aprilis decessit. Celestinus eo nomine tertius quatuor post dies  
 defuncti locum obtinuit, in minori fortuna Iacinctus Bobo dictus, patria  
 Roma. Hispania eum Legatum priorum Pontificum diu habuit. Gonsaluus  
 Præful Toletanus è vita discessit tertio Kalend. Septembris. in locum  
 eius Martinus à magnitudine animi, & amplitudine rerum gestarum co-  
 gnomento Magnus subrogatus est, Pisorica patria. virtutes eius Rodericus  
 proximus successor insigni elogio celebravit. Tagus eo anno ad Toletum  
 10 gelu concretus est, quod propter regionis temperiem perrare solet  
 accidere.

*Male pugnatur ad Alarcum. Cap. XVIII.*



MARTINO æqualis Dieghus Lupus Harus Viscaia Princi-  
 peps opibus, gratia, & auctoritate cæteros Castellæ proceres  
 facile superabat. Viruescam, Anagarum, Soriam, Castellæ Re-  
 gis nomine eoque concedente gubernabat, vt eius ætatis tabu-  
 læ indicio sunt. Hoc auctore, Carrione ex toto Castellæ regno  
 conuentus habiti sunt, salutis anno millesimo centesimo nonagesimo se- 1192  
 cundo, bello de æternando in Mauros, qui nostrorum desidia vires confir-  
 mabant, & rei Christianæ formidabiles erant. Egregios pro pietate cona-  
 tus, discordia quæ Castellæ Regem inter & Legionenses, ac Vascones erat,  
 retardabat, ne bellum à tergo illatum à sacra expeditione reuocaret. Opti-  
 mum visum est, cum ijs Regibus primum gratiam reconciliare. missi ea de  
 re vltro citroque legati: sancitaque pax. Martino inde Præfuli Toletano  
 cum militari manu mandatum, Bæticæ arma inferre. ingentis belli hæc  
 initia fuere. Dum conuentus Carrione agitantur, Nauarretum in regni fi-  
 nibus abs Rege ædificatum fama tenuit, multorum testimonio comproba-  
 ta. instauratum, ipse arbitror, amplificatumve: cum Rodericus Præful  
 30 ante hos annos de eo oppido mentionem faciat. In Aragonia Vrgeliæ  
 Comes, qui ex quo pater obiit, regni finibus abstinerat Pontio Cabrera ex  
 priuata contentione insensus viro præpotenti, ad officium redijt. Gastoni  
 Bearnensi Vicecomiti, Bernardi Comitis Comingensis filia nupsit: & cum  
 ea dotis nomine Bigorræ principatus datus est, tanquam Regis Aragonij  
 beneficiario. Berengarius Tarraconensis Præful, Februarij mensis sextodeci-  
 mo die, salutis anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, trucidatus 1194  
 est. cædis auctor Guillelmus Moncada traditur fuisse. simultatis causæ ig-  
 norantur. Pompeione Sanctius eo nomine septimus Rex Vasconum, æta-  
 te grauis, rebus gestis clarissimus, vnde Sapientis cognomen ab exacta pru-  
 40 dentia, & quoniam litteris non leuiter tinctus erat, Iunij mensis die vige-  
 simo septimo diem obiit. corpus in templum eius vrbs maximum illatum.  
 iusta more regio magnificè facta. regnavit annos tres & quadraginta, men-  
 ses septem, dies sex. Ex vxore Sanctia Regis Castellæ amita, Ferdinandum,  
 Remigium, Berengariam, Therasiam, Blancam genuit: atque qui hos æta-  
 tis

tis prerogatiua, & regni hæreditate præcessit, Sanctium Vasconum Regem, eo nomine octauum, cui Fortis cognomen animi magnitudo fecit, & multa in bello præclare gesta. Inclusi appellationem inde peperit, quod sub vitæ finem cancri sæuo carcinomate scedatus, Tudelæ in arce se tenuit: hominum congressus deuotans, sublataque se adeundi conueniendique facultate. Munificentia eius, ac liberalitatis multa monimenta extant. corruatum Iberum mutato veteri alueo, Tudelam alluere compulit, ponteque eo loci iunxit ad incolarum commoditatem. Fiterij & Oliuæ Cisterciensia monasteria de suo constituit. præterea ad Rocidam vallem, templum Sanctæ Mariæ nomine, suæ & posterorum sepulturæ destinatum. Clementiam Raymundi Comitis Tolosani eo nomine quarti filiam vxorem habuit. ex ea Ferdinandum genuit, quem superstiti patre in venatione equi casus afflixit ad terram, peremitque. Corpus Tudelæ in D. Mariæ tumulum habuit. Omnino quo tempore Sanctius regnum auspicatus est, ingentis belli expectatione suspensa erat Hispania. Martinus Toletanus Præsul, vt iussum erat, in Bæticæ agros inuestus longè latèque obuia cuncta vastauit. Multi mortales cum pecore, atque alia præda capti. ædificia incensa. oppida atque agri deformata. nulla Maurorum numero aut virtute iusta manus occurrit. incolumi exercitu in patriam sese retulit. Mauri dolore iniuriæ prouocati, magnos tota prouincia delectus habent. Ipse Miramamolius Abeniuzephus Mazemutus, ex Africa re cognita cum validis copijs in vindictam præceps transmittit in Hispaniam. non Almohades modo, sed etiam Aethiopes, & Arabes spe prædæ Hispaniensis eius signa sequebantur. Cum ea multitudine Mariani montes superati sunt. Alarcus oppidum, non ita pridem nostrorum opera extructum, peruentum. Alfonso Castellæ Rex hostium apparatu, & suorum periculo renunciato, haudquaquam demittit animum: verum re cum Nauarræ & Legionis Regibus, cum quibus paulò ante gratiam conciliarat, communicata, prior ipse cum peculiaribus copijs Alarcum accurrit, castraque hostium castris opposuit. Quorum multitudine perspecta omnem circa regionem tabernaculis occupantium, alij sustinendum iudicabant, varijsque artibus ludificandum hostem, donec Reges aduenirent, qui propediem affore nunciabantur. alij extemplo confligendum censebant, ne victoriæ quam præcipiti temeritate exploratam sibi habere videbantur, Vascones & Legionenses participes, gloriosique ex ea re euaderent. Vicit ea sententia, tametsi Rex non ignorabat in bello ea consilia saluberrima esse, quæ tutissima sunt. Hostis contemptum, confidentiam sui æquè exitiale malum magnis Regibus esse, huius prælij euentus declarauit. Commissa pugna ad Alarcum ad quartumdecimum Kalend. Augusti, die Mercurij, anno millesimo cætesimo nonagesimo quinto, magno vring; animorum ardore concursum. nostrorum virtus hostium multitudine victa est: cum scelerum pœnis agentibus, diuinitusque timore nostris incusso pristinus animorum ardor pugnantes deseruisset. Multi in pugna, & in fuga desiderati. in his Martinus Martinus quartus Calatrauæ Magister, Dieghus Harus belli præcipuus incitator ab ignauia accusabatur; quod se ini-

tio prælij à pugna subduxisset, Alarcumque retulisset, siue rerum desperatione, siue (vt fama tenuit) Regi irarus, Bæticos equites Castellæ nobilibus æquanti aliquando virtute, militarique scientia. Mauri tanta victoriæ læti, non modò Alarcum oppidum continuò ex deditioe ceperunt, sed in veteris regni fines ferro penetrarunt: Iuuenesq; vsque, quod oppidum vigesimo quarto ab vrbe Toledo lapide situm est, peruenerunt. Alarci hoc tempore parietinæ tantum extant, & B. Mariæ nomine templum peruetustum, præcipua finitimorum religione cultum. nimirum Rex barbarus solo id oppidum exæquandum curauit. Opinio fuit ea clade regium scelus vindicatum. cum Toleti vxore contempta, sceminæ cuiusdam Iudææ, quam nihil præter pulchritudinem commendabat, amoribus diu indulisset. quod non modò inhonestum erat, sed etiam cum religionis probro coniunctum. neque prius destitit, quàm proceres rei indignitate permoti pellicem perimendam curarunt. Libidinis impatientia furentem Regem, genius Illescis per noctem apparens, ad sanitatem reuocauit: cum ea forma se videndum præbuisset, quæ ex imagine notus erat, iuuenis graui atque præclara specie, minas intentans nisi resipisceret, castimoniam vel cultæ præmium expectare, vel speratæ pœnam vereri iubens. Prorsus ea clade nunciata Reges Legionis & Vasconum conatu destiterunt. Legionis quidem Rex Alfonso salutaturus accurrit, siue sincero animo, siue simulata gratia. Sanctius Rex Vasconum, Rege in salutato in patriam abiit. officij prætermisisti iniuria in Castellæ Regis pectus altius inhæsit, quàm quiuis existimare potuisset: atq; ex eo tempore, ira & metu anxius animus, non magis in Mauros, quàm in Vascones ea moliri, atque parare cœpit, quibus iniuriam vindicaret, dolorem vlcisceretur.

*Res in Lusitania gesta. Cap. XI X.*

**C**ONSEQVENS annus millesimus centesimus nonagesimus sextus tristis fuit Hispaniæ, Alfonso Regis Aragonij morte: quoniam inter Reges Hispaniæ proximum auctoritatis & potentia locum occupabat, virtute nulli cedebat. Perpiniani ad septimum Kalen. Maij extinctus est. quo tempore ditioe vniuersa altissima pax erat: Aragoniæ regnum viris, opibus, & fama florebat. Petrum è filijs natu maximum hæredem scripsit: Alfonso Prouinciæ comitatum, & contributos principatus testamento legauit. Ferdinandum natu minimum, veste mutata maiorum manibus parentare iussit in Populeti monasterio Cisterciensi: quod à patre inchoatum, & ab ipso perfectum Tarraconem inter & Ilerdam, ipsius & posterorum sepulturis destinabatur. Filias tres Constantiam, Eleonoram, & Dulcem, fratribus siquidem sine prole decederent, testamento imperij hæredes substituit, mutata ea in parte Petronillæ matris, atque correctâ voluntate, sceminas ab imperij hæreditate arcentis, vt est superius indicatum. Fuit hic annus non modò Aragonij Regis morte nobilis, sed etiam fame pesteque scedus: quæ mala Catalaunos præsertim vexarunt. præterea noua barbari Regis irruptione Castra Iulia,

lia, Placentiaque captæ. Talaueræ ager vastatus. Oliueta præcipua nobilitate combusta. oppidum expugnari non potuit, propter murorum firmitatem, incolarumque virtutem. Eulaliæ & Escalonæ oppida euersa. Toletum ipsa dies decem obsessa. In vltiori Castella, pontificia cathedra Anagaro vbi eatenus hæserat, in D. Dominici Calzadij templum translata. quod magnis molibus & cæmentis ante sedecim annos inchoatum, ad culmen peruenerat, ea amplitudine & maiestate, qua cum præcipuis Hispaniæ contendit. vtrunq; Roderici Præsulis Calagurritani opera perfectum. Consequenti anno millesimo centesimo nonagesimo septimo, noui motus in Catalaunis ex-  
 1197 titere, prouincia in partes diducta. Quidam Armengaudum Vrgelitanum Comitem sequebantur: alij fauebant Raymundo Rogerio Fuxensi Comiti. Ab ea factione Vrgelia ciuitas obsessa, viq; expugnata. In diuersa Hispaniæ parte Abeniuzephus Maurus superiori victoria exultans, vires suas fortunamq; expertus animos tollere: animoque & prædicatione vniuersam Hispaniam complecti. ergo reparatis viribus, auctisque copijs Toletum vsque peruenit. Vrbem propter loci naturam obtinere non sperabat. oppida agriq; vastati. præda ingens abacta. Madritum & Complutum eadem belli iniuria vexatæ. ad læuam Ocania, Vrcesia, Opra, Conchaque. Nostri luctu ingenti ex præterito, & metu præsentis occupati, consilia defendendæ patriæ non explicabant. veneratque in extremum periculum summa Christianæ rei in Hispania. Nam Maurus tantis rebus peractis incolumem exercitum in Bæricam reduxit, maiori mole parans bellum in sequentem annum. Alfonso Castellæ Rex tantis circumuentus malis, quoniam viribus impar erat, externa præsidia conquirenda iudicabat. Parum spei erat Legionenses & Vascones quidquam pro sano facturos: qui iniquissimo reipublicæ tempore Castellæ fines diuersi inuasissent, nulla religionis cura, neque quid de ipsis fama locutura esset, considerantes. Rex quidem Vasconum Soriæ & Almansani agros, cum prædatoria manu inuectus vexauit. Legionensis autem Rex foedus etiam cum barbaris iniit, qui ad extremos Castellæ fines Anam inter & Tagum habitabant: irruensque in Campaniam obuia cuncta de popu-  
 30 latus erat. Petrus Aragoniæ Rex cognomento Catholicus, ad faciendum foedus inuitatur, viresq; sociandas aduersus communes hostes. foedere constituto, Legionensis Regis iniurias primùm vindicare visum est: deinde Vasconum contumelias. Bolagnium, Castrum viride, Valentia, & Carpium Legionensi primo belli impetu sunt ablata. In Vascones ne verterentur arma (vt erat destinatum) nouus Abeniuzephi belli apparatus effecit, nostris finibus nimium assueti imminētisq;. præterea nostri quas copias in barbaros inferre deberent: quoniam viribus impares erant nulla rei Christianæ cura in Legionensem Regem omnium malorum auctorem (sic illi ferebant) conuercentes, in eius fines Asturicam vsq; penetrarunt anno millesimo centesimo nonagesimo octauo. Salmanticensis ager deformatus: vtraque Alba, Mons regius, aliaque oppida occupata. Secundum hæc de Rege Vasconum vindicando, vnde non minores iniuriæ extabant, deliberatum, tanta Regum Castellæ, & Aragoniæ cupiditate, vt oblitum dignitatis, neque rei Christianæ periculo

periculo permoti cum communi Christiani nominis hoste Abeniuzepho pascisci, barbarosq; de foedere vitro appellare, turpe non iudicarent. neq; ille auersas aures a foedere exhibuit, cum in Lusitanum Regem qui magnas clades barbaris intulerat, toto pectore ferretur: præterea de rebus Africa cogitaret. induciæ pactæ cum Mauris in decem annos. Sanctius quidē Lusitanæ Rex oppidis instaurandis extruendisq;, vnde populorum constructoris nomen tulit, curæ & cogitationis partem consumebat, Valentia ad Minium, Mōtemaiori cui Nouo cognomen est, Ballelis, Penamacorio, Sortella, Penella, alijsq;. quorum pars D. Jacobi, pars Auisij militibus, qui ea tempestate in  
 10 Lusitania celebrari cœperunt, Regis dono cesserunt. Maior cura erat barbaros tota prouincia exagitandi pellendiq;. Itaq; vrbem Syluensem ad promōtorium Sacrum in potestatem redegit, classe valida adiutus ex Gallia Angliaque: ac nominatim Philippus Regis sororius, viginti septem naues, & in ijs lectissimos milites ex Flandria auxilio misit. de tempore scriptores variant. quidam hunc salutis annum M. C. nonagesimum nonum adscribunt. alij decem ante. quo tempore Reges Henricus Angliæ, Philippus Galliæ, rei Christianæ, quæ in præcipiti erat sustentandæ promouendæq; studio in Syriam nauigare, colloquio in Vellôcasibus habito decreuerunt. Anglus mutata volūtate substitit, Richardo filio vicario. Regibus adiunctus Henricus,  
 20 tūc Campaniæ in Gallia Comes, deinde ducta Elisabetha Amalarici Regis filia, Rex Hierosolymitanus. huius Henrici ex priori coniugio Theobaldus filius fuit Campaniæ Comes: cui per hæc tempora Blanca Sanctij Vasconum Regis soror connubio iuncta est, eius Theobaldi mater, qui posteriori tēpore ad Vasconum regnum peruenit. Mortalium animos malis oppressos, metu sollicitos, prodigia multa suspēfos habebant. peste, fameq; grauissima in Lusitania laboratū. alia in cælo signa visa. vulgus in deteriora prouum, religioneq; obstrictum, cælestem vindictam interpretabatur, iramque Dei: quod nuptiæ Alfonso Legionēsis, ac Therasiæ Lusitanæ, vitio cohærentes, haudquaquam dissoluerentur, quāuis Innocentio Pontifici eius nominis III. qui Celestino sub  
 30 stitutus Romanam ecclesiam obtinere cœperat, enixè curante: prorsus vt Lusitaniam vniuersam anathemati subijceret, parereq; recusantes a fidelium societate amoueret. auxerat terrorem vrbs Syluensis amissa, oppidis & agris contractu illata vastitas, Abeniuzephi vtrunq; armis, acceptas a Rege Lusitano iniurias vindicantis.

*Bellum in Vascones Cap. X X.*

**D**IREMPTVM id coniugium lege propinquitatis est, ægrè quidem ac serò, sed diremptum tandem salutis anno millesimo ducentesimo. continuòque agi cœptum de Berengaria Alfonso Castellæ Regis filia in Therasiæ locum asciscēda, quam Conrado Sueuiæ Duci pactam fuisse paulò ante dictum est. mores Germanorum, & longinquam illa profectionem excusabat: tametsi non minus a Legionensi coniugio auersa erat, propinquitatis lege vitioso, vt quod diremptum erat, futuro. sed nimirum Reges priuatis commodis honestatem  
 40 M m & re-

& religionem plerunque posthabent. Matris blandicijs puellæ animus leniebatur. patrem cogitatio subiit diuersarum gentium matrimonia infelicitate plerunque infaulterq; cadere: neque prætermittendam esse opportunitatem Regis Legionensis, vnde tanta mala extiterant, conciliandi subducendiq; ab amicitia Regis Vasconum, cuius potissimum vindicandi cura sollicitabat: & distracto Legionensi iniuriæ opportunus fore credebatur. Ergo dum hæc aguntur, Castellæ Rex Alfonso in vindictam præcepit, bellum omni conatu comparabat. Petrum Aragoniæ Regem, ne continuo adesset, vt erat in fœdere cautum, dissidium cum matre Sanctia tenuit: quam dum suspectam habet, & de reditu in Castellam cogitare credit, dotalia oppida auferre satagit. Verum Castellæ Rege curante inter matrem & filium cõcordia sancita est, Harisam in vtriusq; regni finibus situm oppidum, colloquij causa ventum: Alfonsoq; Rege dulceptatore & arbitro, constitutum, vt Dertusæ atq; Ascõnæ, aliorumq; oppidorum permutatione, Harisa, Epila, atq; Embitis dotalia Regiæ oppida, Regi Aragonio redderentur: prouidenti, ne ea parte Castellæ Regi aliquando Aragoniæ fines inuadendi facultas esset, variasq; & commutabiles hominum, ac præsertim Regum esse voluntates consideranti: nec villo propinquitatis respectu teneri, vbi amplificandæ ditionis spes affulsit. Petrus Asagra Albarracini regulus colloquio Regum interfuit, cum vtroq; gratia conciliata scilicet. fœdus pridie Kal. Octobris factum est. Ipso anno Berengaria altera Sanctij Vasconum Regis soror, Richardo Angliæ Regi nupsit. sic veteres Hispaniæ tabulæ docent. scriptores Anglicani priori anno id contigisse aiunt: hoc ipso Richardum defunctum affirmant. Castellæ Rex Alfonso, induciarum quæ cum Mauris erant beneficio, cupiens ea damna sanare, quæ superiori tempore accepta erant, Placentiam & Begiarem instauranda curabat: Mirabellum atque Seguram in monte Argentario: Monfredum & Moiam in Aragoniæ Marca: in Campania Aquilariam. Hæc agebat: neq; belli tamen quod in Vascones meditabatur, curam remittebat. neq; desisteat Aragonium Regem monere, vt arma sociaret. Vno tempore Aragoniæ & Castellæ arma contra Vascones mota sunt. Sanctius Rex tempestate prouisa, viribus impar, cum parum præsidij esset in Christianis Principibus, quos Castellæ Regis artibus alienatos sentiebat (& de nuptijs Ludouicum inter Philippi Galliæ Regis filium, & Blancam Alfonso Castellæ Regis filiam agi cõperat) in Africam nauigare constituit: atq; à Miramolino Abeniuzepho, ingens facinus & probrum, auxilia postulare. neq; enim illum, vt erat vasto animo, Hispaniæ rursus inuadendæ occasionem, quæ ex nostrorum dissidio offerebatur, neglecturum existimabat. Vascones scriptores haudquaquam ex fide, sed eius dedecoris amouendi causa Sanctium fingunt in Africam nauigasse, Tremesenio Regi Mauro opitulandi studio aduersus Tunetanum. commentum quia se prodit, nullis tunc earum urbium Regibus in Africa, pluribus refellere superuacaneum fore arbitratus sum. constat Sanctio Rege in Africam digresso, Reges Castellæ & Aragoniæ tanquam in vacuam possessionem irruisse in Vascones. Aiuarium & Valfroncalia ab Aragonio Rege occupata: Miranda & Inzula Castellæ Regi

Regi data sunt. à quo præterea Victoria Alauæ caput est circumfessa: & quoniam virtute ciuium defensa vrbe obsidio ducebatur, Didaco Haro eius vrbe expugnandæ cura demandata, Rex in Guipuscoam, quæ è tribus Cantabriæ prouincijs vna est, & Vasconum iniurijs prouocata se dedere parata erat, abiit. arces tota prouincia continuo Regi traditæ. Victoria tandem defensionis spe abiecta deditionem fecit, atq; eius auctoritatem vniuersa Alaua secuta est. illud modò cauerunt, ne leges aut magistratus abs Rege accipere cogerentur, Victoria tantum & Treuigno exceptis, quibus vt Rex daret Præfectos permittebatur. Castellæ & Aragoniæ Regibus omnia prona erant, quòd præsidio omni destituta prouincia esset: & recens fama vulgarat Sanctium Regem ex cancri morbo in crure altero enati, laborare cõpisse, nulla spe recipiendæ sanitatis. atra bilis ex rerum desperatione cõcepta eum morbum conciliauit. Cantabriæ littora, quod ad retinendum prouinciæ imperium magni referebat, munita. S. Sebastiani, Fontis Rabiæ, Guetariæ, & Motrici oppida instaurata. Laredi, S. Emeterij, & S. Vincetij appellatione oppida in ipso littore constituta. his rebus perficiendis Alfonso Castellæ Rex districtus erat. Sanctius Rex Vasconum, nullo operæ pretio facto inglorius redijt in patriam & regnum, multis deforme atq; imminutum partibus. missi de iniurijs ad vtrumque Regem legati prope supplices: nihil tamen præter speciosa verba retulerunt: cum iure belli vt paria restituerent, non inducerent in animos: neque rationes deesse poterant, quas cupiditati obtenderent.

*Rex Aragonius Romam abiit. Cap XXI.*



AE C in Hispania. quo tempore Henricus Angliæ Rex in Gallia, eo bello inchoato, quod diu eam prouinciam exercuit, dum Lemouices vrbe præualidam obsidet, sagittæ vulnere ex muro emissæ extinctus est. Successit in regno Ioannes frater germanus. Philippus cognomento Augustus Galliæ Rex, nouum Regem priusquam se cõfirmaret euertere parans, quam maximas potest copias armat. Nortmannos, Britannos, Andes, qui Anglorum imperio parebant, armatus inuadit. vrbes partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit. aduersus eius potentiam nusquam nouus Rex spem habet, viribus impar, neq; belli defendendi cogitationes explicans. missi de pace legati. Butauetum in finibus Nortmanniæ vtriusq; Regis colloquio designatum. fœdus ibi magis necessarium, quam honestum Anglis factum est. ex quo à Francis captæ paulò ante vrbes, eis relictæ ea tantum lege, vt Blanca Alfonso Castellæ Regis filia, Ludouico Philippi Regis Galliæ filio nuberet, nulla alia dote. ea scilicet honestatis species obtendebatur, quòd Ioannis sorore genita esset. Andes ex fœdere Anglis dati. Missi ad Regem Castellæ de re tota legati. is nuncio lætus, quo cum salute reipublicæ priuata vtilitas coniuncta erat, postulatis annuit. Burgis sponsalia celebrata: patreque deducente puella in Aquitaniam, quoniam in Angli Regis ditione erat, deducta est. inde ad sponsum abiit Galliæ proceribus comitantibus. Imperij Anglicani maiestatem, eo fœdere imminutam non

obscurè dolebant Angli: prorsus vt Regem in Angliam trajicientē malignis oculis intuerentur, neq; vrbes ineunti faustis vocibus vt fieri solet, acclamarent. Anno hæc millesimo ducentesimo primo gerebantur, quo anno Theobaldus Campaniæ Comes defunctus est, vxoris Blancæ vtero hærede: vnde filius posthumus natus est patri cognominis. Berengaria Alfonso Regis Castellæ filia Alfonso Legionensi Regi connubio tandem iuncta est. Gloriosum id Alfonso Castellæ Regi erat, duas filias coniunctis ferme nuptijs, duobus Regibus sine vlla dote copulatas. nam Berengariæ ea oppida data sunt, quæ Castellæ armis viro ipsius non ita pridem erant detracta. Vallisoleti, quo Reges conuenerunt, omni significatione lætitiæ nuptiæ celebratæ sunt. 10  
 Alfonso inter Prouinciæ Comitem in Gallia, & Guillelmum Comitem Foalquerij, tamen si Garsendæ Alfonso vxoris patruus erat, bellum natum: quod Petrum Aragoniæ Regem, vt dissidentes in pace poneret, in Galliam maturare compulit. Ad Aquas mortuas in Galliæ Narbonensis ora (Fossæ Marianæ apud veteres sunt) Regē arbitro de controuersia disceptatum est, & fœdere constituto ab armis discessum. Regem cura sollicitabat, Baleares insulas, quoniam in Maurorum ditione erant, oppugnandi. in eam rem Genuenses & Pisani mari ea tempestate potentes, conciliandi erant. Innocentij tertij Pontificis Maximi præcipua auctoritas, studiumq; de Aragonijs bene mendi: quod multis argumentis testatus erat. Ergo Rex ex Prouincia cum classe soluens, Romam ad Pontificem abiit: vbi splendido apparatu exceptus est: & vt maior honor esset, in D. Pancratij (quod templum vltra Tiberim situm est) salutis anno millesimo ducentesimo quarto, Nouembris die vigesimo primo, à Petro Episcopo Portuensi inunctus, & Pontificis manu coronatus, insulas & cætera regni insignia solenni cæremonia accepit: datumq; Aragonijs Regibus, vt deinceps in prouincia coronam accipiendi ius esset, Tarraconensi Metropolitano totius cæremonię antistite, quasi Romani Pontificis vicario. Extât de re tota publicæ tabulæ, quas vt hoc loco insereremus visum non est. Nondum in mores susceptum erat, vt Reges Aragonij continuo à morte patris regni insigne acciperent: sed cum milites creabantur, 30  
 more Hispanis vsitato, aut vxores ducebant, tum demum regium nomen, insigneq; vsurpabant. Pro eo merito Rex, Aragoniam Pontificibus vectigalem esse constituit, certum auri pondus pendere quotannis pollicitus pactusq;, haud obscurè dolentibus vulgò prouincialibus ab eo initio immunitatis ius imminui: datumq; Pontificibus potestatem, occasionemque rempublicam in Aragonia turbandi. Iustum dolorem, vectigal quod consequenti anno impositum regno abs Rege est grauissimū, magis exulcerauit, quod Monetale vulgo dicitur. Oscæ Nouembri mense extremo edicta promulgata, quibus non plebei modò, sed etiã immuni conditione homines, quicumq; essent, comprehendebantur. Accusabant Regem, quasi priuatim prodigus esset, publicè audus, vnde effusa cõpensaret. Nondum Rex vxorem duxerat, prolis procreandæ in spem regni cura sollicitabat, agente Rom. Pont. Innocentio curatum, vt Maria Isabellæ Reginæ Hierosolymitanæ filia, ad quam regnum successione deuoluebatur, Aragonio Regi cõiungeretur. prope res confecta erat, cum Rex

Rex suadentibus proceribus, Mariam Mompellerij Principem Guillelmi filiam, propter principatus opportunitatem, vxorem duxit: eoq; facto pij Pontificis vota delusa, commodissimo coniugio prouidentis, Aragonia arma ad bellum sacrum conuertere. Vrraca tertia Alfonso Castellæ Regis filia, Aragonij & ipsa cõiugij spe depulsa, Alfonso nupsit, anno eius seculi sexto, Sanctij Lusitani Regis filio primogenito. Quo anno pridie Kalend. Martij insignis Solis defectio extitit. sex horis dies nocte mutatus continuis imbris inflati amnes. Tagus Almosalæ portam Toleti sexto Kalend. Ianuarij ineunte anno proximo, superauit hominis mensura. Rex Vasconum Garacam ad Castellæ Regem rebus desperatis venit. induciæ quinquennes factæ. 10  
 obsidum loco oppida vtrinque data: cautumq; nominatim, vt Alfonso opera Aragonius in idem fœdus induceretur. Consequens annus millesimus ducentessimus octauus multorum Principum funeribus nobilis fuit. mensis Augusti die vigesimo octauo Martinus Præsul Toletanus obiit. successit Rodericus Semenus domo Vasco. hominem externum, spectatæ vitæ probitas eruditioq;, vt ea erant tempora, singularis ad eum honoris gradum prouexit. & quoniam induciæ abs Regibus eo auspice pactæ potissimum erant, Principum gratiam, & vtriusque gentis studia promeruit. Mense Nouembri Sanctia Aragonij Regis mater Xixenæ decessit: quod ipsa monasterium virginum, sub D. Ioannis Hierosolymitani militum disciplina extruxerat: & in eo rerum humanarum tædio, melioris vitæ studio vestem murarat. Toleti ipso Martini festo die, Stephanus Elianus vir omni virtutum genere clarissimus, iuridicundo arcibusque in ea vrbe Præfectus, (nauatæ Regi operæ ea merces fuit) in D. Romani compositus, pius munificusque animo, par opibus. Vrgeliæ præterea Comes defunctus est, filia vnica Aurembiasi ex vxore Eluira relicta: quam cum Gerardus Cabrera Pontij filius, veteribus controuersijs suscitatis, propter sexus imbecillitatem, exagitandam spoliantdamque sumpsisset: Eluira matre concedente Vrgeliæ principatus sub Regis imperium subiunctus est. Ita magni Borelli quondam Barcinonis, & 20  
 Vrgeliæ Comitiss progenies, eius vrbis imperio decidit. tamen Innocentio Pontifici, vt filia præsidio esset, & testamentum curaret Vallisoleti pars media erat à patre moriente legata. possidisse non arbitrator.

*Pax inter Reges facta. Cap. XXXII.*



NDVCIA RVM quæ cum Mauris erant tempus exibat: & belli sacri reparandi cura omnium animos, sed præsertim Castellæ Regis, qui proximus periculo erat, sollicitos habebat. Intestini inter Christianos motus componendi erant, Regesque inter se conciliandi: vt aduersus communem Christiani nominis hostem, tot regnorum accessione potentem, tantis victorijs ferocem, nostrisq; finibus imminetentem, libenter vires conferrent. finitima regna, ferocibus Regibus pacata diu esse nõ possunt, cum nouæ ex alijs nexæ bellorum caussæ indices existant. Primus Alfonso Legionensis Rex in dotalia nouercæ oppida inuectus, reipub.

tranquillitatem turbauit, patrem incusans quasi vxoribus multa indulgendo regni maiestatem imminuisset, vires debilitasset. Dieghus Harus viduæ Regiæ frater, dum Regis conatibus obsistit, Legionis & Castellæ arma in se prouocauit: prorsus vt neque operæpretium faceret sororis ditione iureque tuendo: & ipse vtriusque Regis voluntate alienata ad Vascones confugerit. vnde quoniam in Castellæ agros identidem incursiones faciebat, Regum superuentu, ad Stellam oppidum victus acie, & intra oppidi mœnia compulsus est operibus & munitione firmissimi. quare ab oppugnatione cessatum. quatuor tamen Reges Castellæ, Legionis, Vasconum, atque Aragoniæ, fide accepta dataque, Alfarum ad colloquium conuenerunt: vbi pace inter se facta, Dieghus Harus ab omnibus desertus, viribus diffusus Valentiam ad Mauros abiit. Aragonius Rex belli Maurici cura, & quoniam ita erat in fœdere cautum, in Valentia fines incurrit. pugnanti confossus equus, venissetque, haud dubium in potestatem Maurorum, ni Dieghus Harus, qui à Mauris stabat, humanitatis memor, oblitus iniuriarum periculo eripuisset, equo præbito. quæ illi res magnam apud barbaros inuidiam confluxit. cuius depellendæ necessitate, in Africam ad Miramamolimum nauigauit: iure & legitimis innocentiam defensusus. Vnde lite diiudicata, placatisque Regibus Christianis, in Castellam rediit, anno vt arbitror millesimo ducentesimo nono. liceat enim in ratione temporum aliquando hallucinari: nam alij Regum fœdus ad Alfarum, ante biennium coiuisse aiunt, Aragonij Regis matre Sanctia, cum nondum defuncta esset, annitente disceptanteque. Omnino à duobus Regibus Sanctio Vasconum, & Petro Aragonio, quos inter præcipua simultas erat, in colloquium descensum hoc ipso anno. Eo congressu, cui planicies prope Mallenum oppidum designata est, Iunij mensis quarto die pax facta est. conciliatæ beneuolentiæ argumento, Sanctius Aragonio Regi viginti millia aureos mutua dedit. oppida quatuor pignoris loco Semenno Radæ (quem Roderici Præsulis Toletani idem cognomen præferentis gentilem ac propinquum esse suspicor) quasi sequestro ab Aragonio sunt tradita: ea lege, vt nisi tempore summa reddita esset, ea ipse oppida in potestatem Regis Vasconum contraderet. Alfonsus Castellæ Rex pacis inter Reges præcipuus auctor extitit: nam timor externus impendebat, cõcordiæ inter ciues & necessarios conciliator maximus. Gallica præterea auxilia euocare in Hispaniam conabatur. bellum maiori mole coortum inter Anglos & Francos, conatus eius turbauit. tametsi in vnam curam pacandi Reges intentus, armatus in Aquitaniam penetrauit, vim inferre paratus ei genti, quæ se potissimum a pacis consilijs alienam præbuisset. Nullum operæpretium factum, cum discordiæ flamma Gallia vniuersa æstualet, nulla pacis spe: belli Maurici metus apparatusque, Regem in Hispaniam reuocasset. Induciarum sanè tempore publicum sapientiæ gymnasium Regis opera, Roderici Præsulis hortatu, Palentia constitutum, iuuentute litteris & humanitate informanda: quo vno ornamento Hispania bellis implicata eatenus destituta erat. artium professores ex Gallia atque Italia, magnis propositis præmijs euocati. Olgis etiam octauo ab vrbe Burgis lapide, virginum monasterium B. Mariae

riæ nomine ædificatum Regis sumptu amplissimum, xenodochio coniuncto, quod Regum sepulcris olim destinatum fuit. Constantia Aragonij Regis soror, ex priori viro Emerico Hungariæ Rege, cui Ladislaum puerum pepererat, vidua Innocentio Pontifice curante, Friderico Regi Siciliae conubio iuncta est, atque hoc ipso anno ad virum classè deducta. Tristes enim nuptiæ fuerunt, Prouinciæ Comitibus, aliorumque procerum obitu: qui sponsam honoris causa in Siciliam profecuti, Panormi extincti sunt, locis natura grauibus saluberrimo Hispaniæ Galliaque cælo mutato.

10 *Bellum Mauricum inchoatur. Cap. XXIII.*



10 **H**IC erat rerum status in Hispania. pax inter Christianos Principes ex tantis disidijs facta piorum animos spe optima lætitiæque compleuerat, quantum in mutua societate præsidij esset considerantes. tametsi Alfonsus Legionensis Rex, incommodo sanè tempore Berengariam vxorem, lege propinquitatis, iussuque Innocentij Pontificis repudiarat, ad patremque dimiserat. Extant ipsius Innocentij de ea re litteræ ad Alfonsum Castellæ Regem diuortio repugnante, graues atque minaces. Barbari Rege Mahomade, qui superioribus annis in Abeniuzephi fratris locum successerat, magnam occupandæ Hispaniæ spem, in quam erant ingressi, persequi vsque ad extremum, delereque piorum nomen decreuerant. nostris partum imperium tueri, quin barbaros Hispaniæ finibus pellere, animus erat. Obstinato vtrique consilio, spe pari in id certamen ingressi. Christiani virtute, Ducisque prudentia potiores erant. barbari vincebant numero, Africaeque & Hispaniæ vires, superbiissimo delectu in vnum bellum conferebant. Vno tempore Castellæ & Aragoniæ arma mota in Mauros sunt. in Valentinis Adamutium, aliaque oppida à Petro Aragonio Rege occupata: Dertusa nauatæ superioribus bellis operæ merces Templarijs fuit, abs Rege dono data eius militiæ Magistro Petro Montacuto. Ferdinandus Alfonsi Castellæ Regis filius, patris iussu in Bæticiæ fines irruens Biatiam, Illiturgim, Giennij agros latissimè depopulatus est. prædæ hominum, pecorumque abacta. ipso tempore, quo à Mahomade Maurorum Rege, cui Viridi, à pileo quem gestare consueuerat, cognomen fuit, Saluaterra oppidum vi expugnatum est. incolæ pars ferro trucidata, pars in seruitutem abacta. Iunio mense, anno millesimo ducentesimo decimo oppidum obsessum & Septembri captum est. nam Alfonsum Castellæ Regem, qui cum delecta suorum manu auxilio accurrebat, & Elboram vsque peruenerat, Ferdinandus filius rebus in Bætica patris obuiam factus, ab itinere reuocauit, periculo indicato, & maioribus viribus opus esse disputans barbaris impugnandis. Regis pro pietate conatus, non parum turbauit consecuta proximo anno, Ferdinandi ipsius mors, die veneris pridie Idus Octobris, eo maiori patris dolore, & prouinciæ totius luctu, quod magni iam & iusti Principis specimè præbuerat. Corpus Madrito, vbi extinctus est, Olgas delatum, Roderico Præsule Toletano, & Berengaria sorore funus

honoris gratia comitantibus. Ea de causa, expeditio Maurica in sequentem annum dilata: comitia tantum regni Toleti habita sunt, ijs rebus comparandis, quæ ex usu belli futura erant. In ijs comitijs sumptuariæ leges, quoniam mores in luxum degenerabant, promulgatæ. supplicia toto regno decreta numine propitiando. ad Reges legati destinati, ut communi periculo non deessent postulatum. Rodericus Præsul Toletanus Romam amandatus est, venia peccatorum impetranda omnibus, qui more per ea tempora usitato, cruce insigni distincti ad bellum sacrum conuenirent. Rex ipse equos, arma, pecuniam, commeatum magna diligentia comparare. Mauri contra aduersus tantos apparatus, tantamque animorum consternationem, suæ ditionis oppida in Carpetanis, Bætica, & ad promontorium Sacrum, quoniam in ea primus impetus futurus erat, operibus munire, quantum temporis spatium dabit: presidijque firmare, nouasque copias ex Africa euocare. Alfonso Castellæ Rex, dum vniuersas copias expectat, terroris bellici ostentandi causa, in Maurorum fines inuectus, ad Sucronis ripam aliquot oppida Mauris eripuit. & re ex sententia patrata, Concham urbem locis vicinam redijt. vbi Aragonio Rege conuento, de summa belli deliberatum est. Sanctius Vasconum Rex missis legatis se bello haud defuturum renunciauit. Rodericus Præsul substituto Adamo Palentino Episcopo ad ecclesiæ Toletanæ gubernacula, in Italia atque Gallia spe veniæ, quam à Pontifice Innocentio. III. impetrarat, & periculo indicato nisi succurrerent, proceres, & Præsules ad sacram expeditionem, sed & ex plebe homines excitare non desisteat. Tantam esse barbari superbiam, ut omnibus toto orbis crucis cultoribus bellum, interitum, exitium comminaretur: contumeliam haud ferendam nomini Christiano. Multum ea diligentia profectum, tanta erat cupiditas aduersus Christiani nominis hostes dimicandi: prorsus ut centum millia pedites, decem millia equites ex externis nationibus confluisse tradant. ingens numerus ac vix fidem facturus. verum quis pro certo assereret cum alibi duodecim equitum millia, peditum quinquaginta inueniam. His omnibus, ne tot gentium colluione Toletum quo conueniendum erat turbaretur, horti regij præcipua amœnitate, sed & coniuncta vrbi, ad ripam Tagi loca ad tendendum designata. Februario mense anno salutis millesimo ducentesimo duodecimo, hæ gentes Toletum conuenire cœperunt. In Iudæos à promiscua multitudine sæuitum in ea vrbe, ijs violandis numini se gratificari putanti. restitere nobiles. miseram gentem armis & auctoritate tutati sunt. Petrus Aragoniæ Rex festo Trinitatis die, publica omnium lætitia, atque supplicatione, in urbem exceptus est. viginti peditum millia, equites tria millia & quingenti ex Aragonia sequebantur. Lusitanus Rex Sanctius sacro bello interesse non potuit, Conimbricæ per id tempus ex morbo extinctus. funus in S. Crucis illatum, humili sepulcro: vnde Emanuele Rege in magnificentius migravit. Successit Alfonso defuncti filius, geminæ iam prolis ex Vrraca vxore pater effectus, Sanctij Alfonsoq; Ferdinandus Sanctij frater, anno superiori vxorem duxerat Ioanam Comitena Flandriæ, Balduini filiam, hæredemque. Ex Lusitania tamen non

non contemnenda militum manus, an sua sponte incitata, an abs Rege suo missa auxilio venit. Vniuersæ multitudini stipendia in dies singulos per capita numerabantur. pediti quinque nummi, quos vulgo solidos vocabant, equiti quadruplum. dona principibus pro cuiusque merito & dignitate. commeatus affatim Alfonso Regis cura comparati, nihil ut tantis copijs deesset summa diligentia prouidentis. prorsus, ut impedimentis portandis, sexaginta currum millia contracta essent, auctore Roderico Præsule: qui totius expeditionis testis oculatus fuit: vifaque ad polteritatis memoriam litteris propagauit. alij iumenta sarcinaria eo numero fuisse aiunt: vtrunq; miraculo proximum, in tanta temporum difficultate regij ararij inopia. sed nihil est tam difficile, quod non diligentia vincatur. & ab externis gentibus, & Principibus equi, muli, pecunia certatim mittebantur. Iunij die vigesimo Toletum discessum. Dieghus Harus in primo agmine curare iussus: vbi externæ gentes erant. in secundo agmine Rex Aragonius. postremum Castellæ Rex Alfonso ductabat: in quo quatuordecim millia equitum erant, peditum numerus iniri vix poterat: cum ex vniuersa Castella, quorum ætas idonea erat, arma induere omnes compulsi essent. Trinis castris Malacconem peruentum est: quod oppidum Maurico præsidio obtinebatur, Toletum dissitum quinquaginta sex passuum millibus. barbari, tantæ multitudinis metu oppidum relinquere, & arcem munire coacti: externarum tamen gentium virtute atque impetu, arce expugnata, Iunij vigesimo tertio die ad vnum omnes trucidati sunt: vsque adeo animos impiæ gentis delendæ cupiditas occupat. Kalen. Iulij Calatraua firmissimum oppidum ultra Anam fluium situm, incolarum deditioe res suas in extremo sitas, neque auxilij spem vllam esse considerantium, venit in potestatem. in dedititios, ne externi milites pro ingenio sæuirent, nostrorum interuentu vix est impetratum: cum datam de salute fidem impiæ quamuis genti seruandam disputarent: neque desperatione (quo nullum est acrius telum) esse: andos amplius hostium animos videri. Oppidum Calatrauæ militibus, quibus à Mauris ereptum erat, redditum est: spolia Aragonijs, externisque militibus: quos infuetus calor, cæli grauitas, rerumque omnium inopia compellebat, (sic ipsi videri voluerunt) piorum castris relictis in patriam sese referre. Arnaldus Narbonensis Episcopus, & Theobaldus Blazo Piecto rebus nostris præcæteris fauens, ut qui genus maternum ex Castella deducebat, vterque cum peculiari suorum manu in castris mansere, gentis ignauiam inculantes, atque quoduis periculum subire certi. Externorum discessus, vnde metus mœrorque nostrorum animos occupauit, dupliciter commodus fuit: tantæ victoriæ laude, haudquaquam cum exteris participata: & ex ea re Mahomade, qui ad Giennium se tenebat totius certaminis aleam detrectans, ut vniuerso prælio dimicaret inuitato. Itaque nostri, motis castris Alarcum perueniunt. quod oppidum, quoniam ante paucos annos à Mauris euersum erat, deserentibus incolis venit in potestatem. Sanctius Nauarræ Rex cum valida suorum manu, eo loco Reges est consecutus. Eius aduentus lætissimus fuit. mœror ex superiori casu, externorumque discessu, hilaritate muta-



tus aliquot eo tractu arces vi expugnata. In Saluaterræ agro lustratus ac recensitus exercitus. motis deinde castris, ad Marianorum montium radices peruentum. Maurus rebus omnibus exploratis, Biatiam mouit; atque saltus Castulonensis fauces, quibus Losæ nomen est, & quæ nostris transeundum erat, insidere institit. si pergerent, victoriæ spe non dubia propter locorum iniquitatem: si consisterent, inopia commeatus pereundum esse, regressum ignominiosum fore considerans. prudenter destinata, altior potentia discutit. Disputatur in concilio de montium transitu: qua parte superandi esset quaeritur. plerique censebant, retro conuertendum iter, maiori circuitu, mitiore via, in Bæticiæ campos euadendum, in seffas ab hoste montium angustias vitandas esse. Castellæ Rex Alfonso contra: magna famæ momenta in vtrunque partem fieri. pro vt primi celsissent, fore reliqua. Regum discessu turpissimæ fugæ significationem contineri. ea re hostium animos augeri, nostris minui, ac debilitari necesse esse, alioqui ad deferendum castra propensis, vt externarum gentium discessione nuper intellectum erat. Aduersus difficultates, quæ proponebantur, numinis opem, cuius causâ agebatur, implorandam: & nisi sibi ipsi deessent, proculdubio affuturam. Tentando sæpe facilia fieri, quæ ignauis ardua videbantur esse. Hæc vicit in concilio sententia. Lupus Dieghi Hari filius à patre præmissus cum valida manu, in summo monte castrum Ferralium nomine cepit. Mauros leuibus prælijs submouit. perrumpere Losæ angustias non est ausus: ne vno tempore cum locorum iniquitate & aduersus hostes pugnare esset necesse.

*Victoria a nostris parta. Cap. XXVIII.*



**M**NIS multitudo, præsertim militaris, animorum impetu opinioneque potius quam rebus ipsis mouetur, vt hic accidit. plerique milites rebus desperatis castra deferere cogitabant, par periculum cogitantes siue Reges progredierentur, siue referrent pedem. dedecus in vno erat, in altero temeritatis nota.

Res propemodum deploratas numina diuique indigetes sustentarunt. rusticanus enim homo, locorum notitia fretus, quoniam ijs in montibus pascendis gregibus diu operam dederat, (genium quidam fuisse putarunt, argumento, quod opera nauata nusquam comparuisset) Regibus est pollicitus si se ductore fiderent, notis tramitibus, copias omnes in summos montes nullo discrimine euasuras. obscuro, ignotoque homini de re tanta, neque fide. n. accommodare tutum erat: neque detrahare omnino prudentis. Dieghus Harus, & Garsias Romerius præmissi, vt visa explorataque referrent. Erat iter à proposito diuersum, contrariamque in partem iri videbatur. prorsus, vt Mauri nostrorum discessu considerato, commeatus inopia fugere, atque in pacata referre pedem putarent. Enitendum erat per montis latus, transcendendæ valles, saxa multis locis prærupta extabant, iterque morabantur: sed nullum laborem recusabant victoriæ spe certa, si in summa montium iuga peruentum esset. In festinatione certamen omne erat: ne iter

hostes

hostes præoccuparent. Ergo confecto itinere, Reges planiciem nacti castra muniunt. Hostis se ad pugnam parat, aciemque instruit, in quatuor distinctam agmina. in colle Rex ipse circumfusis prætorianis constitit. Nostris continenti itineris labore fatigati, homines iumenta que, in consilio detrectandi certaminis perstant. Idem sequenti die faciunt: tanta Maurorum lætitia metum interpretantium, vt extrusis tabellarijs, tres Reges quasi indagine circumuentos intra triduum redacturum in potestatem, Miramamolinus insigni verborum factu polliceretur. fama in maius augebatur, quolibet ad id quod audierat adijciente aliquid, vt gratior res esset. Die tertio, qui dies Lunæ erat, Iulij mensis sextusdecimus, nostri certamen subire certi, albente cælo penitentia & Eucharistia animos expiati, acies ad pugnam instruunt. Primum agmen Dieghus Harus ductabat. mediam aciem Gonsaluus Nunnus tenebat, eique adiuncti Templarij alijque milites sacri. in postremo agmine Alfonso Rex, Rodericus Præsul, alijque Episcopi curabant. Reges Aragoniæ & Vasconum cum peculiaribus copijs ab vtroque latere, Vasco ad dextram, ad sinistram Aragonius collocati. Maurus contra, quo instituerat ordine copias ordinauit. pars castrorum, vbi prætorium erat, ferreis catenis cincta. ibi fortissimus quisque, genere ac factis clarissimus. reliqui tanta multitudine erant, vt valles & colles obtegere videretur. Vtrique suos ad pugnam hortantur. Episcopi per manipulos & turmas, spe veniæ nostrorum animos erigunt. Rex Alfonso ex loco vnde exaudiri posset, Mauros prædones esse ait, Christo Imperatori rebelles. Nullo olim iure Hispaniam occupasse: & nunc latrocinio lacerare. Ingentem sæpe numerum à paucis fuisse profligatum: magnamque prouinciæ partem amisisse, vixque habere vbi in Hispania consistant. Si hoc prælio victi erunt, quod numina pollicentur, & ex vestra omnium lætitia atque alacritate ominari licet, de impia gente actum erit. Nos pro æquitate, proque iustitia pugnabimus. illi pro nulla republica, cum nullis inter se legibus vinciantur. Receptus pulsus nullus: nec vsquam nisi in certamine spes. pugnam ergo magnis animis capessite. Deo freti arma sumpsistis. Deo freti in hostes impetum data. Maurus contra, se eodie summo certamine dimicaturum admonuit. Finem belli futurum, seu vincant, seu vincantur. Si vicerint, vniuersam Hispaniam victoriæ præmium futuram. ad id prælium vires vniuersas prouinciæ summa diligentia collatas. si victi essent, imperium Mauricum in Hispania interciturum. Neque sibi neque rebus suis parcere in eo discrimine æquum esse. Copias suas ex vna gente constare: Christianorum ex multarum colluione gentium, legibus, lingua, institutisque discrepantium, maiorem partem signa deseruisse. reliquos haud constanter pugnuros, suo periculo, aliena vtilitate præmioque. His dictis, magno vtrinque animo ad pugnam concurrunt. victoria diu anceps fuit. vtrique pro extrema spe enixè dimicant. Ducum conspectus, neque ignauiam neque virtutem clam esse patiebatur, omnesque ad certamen accendebat. A medio agmine pugna cœpta. consecuti sunt Vascones, mox Aragonij. Nihil profectum triplici impetu facto. contra nostra agmina loco tantisper mota fugam respectare videbantur: cum Alfonso Rex periculo

lo

lo simul, & rei indignitate commotus, in confertos hostes irruere parabat: ni Roderici Præsulis, qui lateri adhærebat hortatu destitisset: in vnus anima momentis totius victoriæ, sed & rei Christianæ summam verti: pergeret vt cœperat, de diuino numine bene sperare: neque se periculo committeret. Postremi agminis signa illata. res nostrorum virtute restituta. & qui labare videbantur, ad delendum dedecus restitutis ordinibus in prælium ferociores rediere. Mauri continenti totius diei labore fessi, eorum impetum non tulere, qui cum in subsidijs fuissent, recens in pugnam inuecti sunt. fuga foeda, neque minor quam pro tanta victoria cædes. Ducenta Maurorum millia eo prælio cecidere. in his triginta equitum millia. alij ex eo numero 10 mediam partem detrahunt. Miraculo certe fuit, è nostris viginti quinque tantum occubuisse, Roderico Præsule auctore. alij quindecim supra centum affirmant. exiguus vterque numerus pro tam illustri victoria. Ex aduersarijs autem tanta multitudine cæsa, qua maiorem non meminerant, vestigium sanguinis toto campo nullum visum, idem Rodericus ait. Rex ipse Maurus, Zeiti fratris monitu, fuga salutem petijt, mulo vectus Biatiam. inde iumento mutato Giennium eadem nocte peruenit. sub occasum Solis castra hostium capta. spolia ab Aragonijs lecta, reliquis fugientes insequentibus. Mauri Regis supellex, quæ intacta sola permansit, à Diegho Haro æquis partibus Vasconum Regi, Aragonioque est data. sericum tentorium rubro colore, in quo Rex barbarus tendebat, Aragonio cecidit, Alfonsi Castellæ Regis 20 permisso: cum gloriæ tantum audus, belli præcipuum decus sibi retineret, cætera socijs libenter concessit. Reliquam prædam in medium conferri, ac pro cuiusque virtute diuidi, vt res exigebat, visum non est: sed cuique habere permissum, quod ipse abstulerat. nam metus seditionis suberat: & gratius id fore cogitabant, quod sua quisque manu ceperat, quàm si multiplicatum ex communi præda redderetur. Multum ad victoriam contulisse, crucis signum vario colore in aere sub ipsum conflictum visum, quidam scribunt. negant alij argumento, quòd Rodericus Præsul de re tanta nihil meminit: ne Rex quidem ad Innocentium Pontificem ijs litteris, quas de belli summa conscripsit. Conuenit Paschasium (Toletanus is Canonicus erat, deinde Decanus, extatque sepulcrum eius in S. Lucie sacello templi maximi Toletani) crucem quam Roderico Præsuli de more præfererat insignem, per hostium cuneos, semel & secundò circumtulisse, euasisseque incolumem: tametsi telis omnibus petebatur: multæque sagittæ crucis hastili confixæ sunt. Ea re nostris animus creuit, Maurorum coccussa mens est. Hastæ & sagittæ hostium tanta 30 multitudine repertæ, vt duobus diebus, quibus piorum exercitus iisdem in locis hæsit, lignorum vsum exhibuerint excitandis ignibus, cibus cõdiendis. ac ne comburi quidem omnes potuerunt, tametsi studium adhibebatur. Victoriæ continuò in omnes partes fama primùm, deinde alij super alios 40 aduenientes nunciij vulgarunt. Barbaris luctus ingens fuit, non tantum presentis mali sensu, sed etiam metu impendentis periculi. Inter nostros festi celebresque dies ludis, conuiujs, omni magnificentia, hilaritate, comitate, gratulationeque agitati, non tantum in Hispania, sed etiam ab exteris nationibus.

tionibus: eo propensius, quòd res prope metum fuerat. Nunquam Christiani nominis gloria maior visa: neque Christianæ nationes iunctiores villo tempore fuere. Hispani quoque gloriam antiquorum exæquasse visi sunt. Rex ipse Alfonsus diuina stirpe genitus, supraque mortalem conditionem haberi cœptus. Vasconum Rex vt tantæ victoriæ monumentum esset, ad rubrum clypeum, quo maiores utebantur, catenas circum limbum addidit, in medio æquore smaragdum: cum catenas perripisset primus, quibus castrorum ea pars, vbi Rex barbarus tendebat, munita erat. Alfonsus ipse ad vetera Castellæ Regum insignia, arcis figuram auream adiunxit in rubro scuto, vt nonnulli præstanti eruditione viri ac diligentia confirmant. negant 10 alij, indicio veterum diplomatum, quibus turris insignis, ante hosce annos Regum Castellæ insignibus expressa est. Haud multo maiori fide nixum est, quod cuiusdam historici testimonio à nonnullis inuenio affirmatum: ex hoc tempore in Hispania, religionem à carnibus abstinenti diebus Sabbathi, ac intestinis tantum & extremis animalium partibus vescendi susceptam esse: veteri more, quem Gotthi ex Græcia transtulerant, vnde sacra primùm acceperunt, hoc temperamento emollito. Conuenit nobilissimam victoriam, ac qua nulla clarior extitit in Hispania, non humanis viribus, sed superùm magis ope partam: quos castissimis precibus & votis toto orbe Christiano 20 propitiandos curarant: Romæ præsertim, vbi ad omnia altaria supplicationes habitæ erant. quo synceriori cultu discreti agminibus & templis, ad quæ eundem erat, viri, scemina, sacriati homines, atque profani. Pontifex ipse aderat, omnium ordinum concitator. Extant de re tota eius ad Alfonsum Regem litteræ cum primis graues & elegantes.

*Huic bello finis imponitur. Cap. XXV.*



30 **A**D HOC bellum profecti sunt Episcopi, Tellius Palentinus, Rodericus Seguntinus, Menendus Vxamensis, Petrus Abulensis, Dominicus Placentinus, Gasias Frontinus Turiasonensis, Berengarius Barcinonensis. Procerum numerus iniri non poterat. Magistri militum Arias Iacobitarum, Rodericus Dacius Calatraux, Gometius Ramirius Templariorum. præterea Ioannes Gelmirides Hospitalarijs in Hispania Præfectus. Gometius Manricus, Alfonsus Menesius, Gonsaluus Gironius, Enecus Mendozius Cantaber, Dieghi Hari propinquus (nunc primum in historia Hispanica Mendozie gentis mentio.) præter hos Comes Fernandus Lara claris maioribus egregius ipse, ampla ditione, & multis clientelis potens. ex Castella hi. Ex Aragonia, Gasias Romerus, Semen Coronelius, Aznarius Pardus, Guillelmus Peralta, alijque viri principes, Aragonium Regem secuti. ante omnes Dalmatius Cresselius, Emporitanus patria: à quo propter insignem rei militaris peritiam, singularem virtutem, nostras acies ad pugnam instructas, Aragonij scriptores tradunt. In Vasconibus Garcesius Agoncillus, Gasias Almorauides, Petrus Lectus, Petrus Arronicus, Ferdinandus Montacutus, Semen 40 Aiuarius,

Aiuarius, ad hoc bellum virtutem, industriam, bellicasque artes attulerunt. Omnino tertio post victoriam die, mota nostrorum castra. Ferralium oppidum (nam ad Mauros redierat) Bilches, Balnea, Tolosa (vnde huic bello nomen) præsidij occupata. Victoribus omnia prona erant, aspera victis. Biatia ciues deserta cum desperatione concepta Vbeda aufugissent, in potestatem redacta. pauci templi maximi munitione confisi, se dedere recusantes, admoto igne cum ipso templo consumpti sunt. Octauo post victoriam die, Vbeda ipsa vi capta est: cum ciues vim auri Regibus offerrent, vt pace vterentur: Episcopi negarent, impiæ genti parcere fas esse. quæ vicit sententia, atque in miseros ciues promiscua cæde grassatum, pars in seruitutem abacta. præda omnis militi celsit. eoque facto barbaris metus incussus: exercitus diurno labore fatigati redemptæ voluntates. nam fessi morbis erant, cælique intemperiem incusabant. Itaque iniquissimo tempore coacti Reges sunt, in mitiores regiones exercitum reducere. In reditu ad Calatrauam Dux Austriae obuiam factus est cum ducentis equitibus, quos virtutis ostentandæ causâ, ad bellum sacrum ducebat. Rex cum Aragoniæ, quoniam sanguine propinquus erat, redeuntem in patriam ad extremam Hispaniam prosecutus est. Vasconum Regi quatuordecim oppida iuris controuersi, ob memoriam veteris imperij lubrica fide (nam paulò ante erepta erant) restituta sunt. id nauatæ operæ præcipuum præmium fuit. Alfonso Castellæ Rex, vtroq; Rege dimisso, Toletum triumphantis in modum inuectus est, inter festas ciuium acclamationes, plausumq; & gratulationem populi. Numini primùm pro diuino beneficio gratiæ actæ. deinde perpetua lege sancitum, eius victoriæ memoriâ quotannis septimodecimo Kal. Augusti celebrari, mauricis vexillis explicatis, omniq; lætitiæ significatione: festo die, cui triumpho sanctæ crucis nomen est inditum. Otij Rex impatiens, & victoriæ vrgendæ cupidus, proximo ineunte anno rursus in fines hostium incurrit. Donnias oppidum Mauris ereptum, Calatrauæ militibus dedit. arcem Eznauxoram D. Iacobi militibus. Alcarassum modicam urbem in Marianorum montium complexu, arduo atque præcipiti colle sitam, bimestri obfidione oppressam ad quintumdecimum Kalend. Iunij, die Mercurij, pridie eius dici, quo ascendens in cælum Christi Dei memoria recurrit, vi expugnauit. aliquot præterea oppida ignobiliora eo tractu capta. His rebus patris Alfonso inter Europæ Principes clarissimus effectus Toletum redijt: vbi Eleonora vxor, Berengaria filia, atque hæres regni futurus Henricus, tunc decem annos natus, Regis aduentum operiebantur. Ludis ac hilaritate cuncta in ea ciuitate plena erant. Tametsi siccitate & inopia frugum insignis annus fuit, Carpetanis maximè. nouem mensibus nunquam pluuisse memorant. præcipuo agrestes damno, victus quærendi causâ, passim deserabant agros, in alias regiones migrantes. grauissima ea ab omni memoria calamitas extitit, in paucis memorabilis. Extant de huius belli summa victoriaque, Alfonso Regis, & Innocentij Pontificis litteræ inter se missæ, mutæ gratulationis causâ. Regiæ litteræ si ad calcem huius libri subijcerentur, operæpretium me facturum existimaui, quoniam in ijs totius belli summa

com-

comprehensa est. SANCTISSIMO Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Alfonso eadem gratia Rex Castellæ & Toleti cum osculo manuum atque pedum salutem. A sanctitate vestra credimus non excessisse propositum impugnandi Sarracenæ gentis perfidiam, vobis per nostros nuncios deuotè & humiliter intimasse, in omnibus tanquam patris & domini vestrum subsidium expectantes: quod sicut à patre nos recognoscimus benignè & piè pariter impetrasse. Quocirca, cum litteris nostris nuncios nostros, quos ad hoc exequendum idoneos reputauimus ad partes Franciæ non distulimus destinare. addentes etiam, vt omnibus militibus venientibus ad bellum, & omnibus seruientibus, prout decebat, expensas victui necessarias largiremur, quibus possent commodè sustentari. Vnde fuit, quòd audita remissione peccatorum, quam vos venientibus indulistis, venit magna multitudo militum de transmontanis partibus. necnon & Archiepiscopi Narbonensis & Burdigalensis, & Episcopus Nannetensis. Fuerunt qui veniunt vsq; ad duo millia militum, cum suis armigeris, & vsq; ad decem millia seruientium in equis, & vsq; ad quinquaginta millia seruientium sine equis. quibus omnibus nos oportuit in victualibus prouidere. Venerunt & illi amici nostri & consanguinei Rex Aragonum & Nauarræ, cum potentaturo suo in fidei catholicæ auxilium & iuuamen. quibus nobiscum aliquanto tempore apud Toletum facientibus moram (expectauimus quippe homines nostros, qui venturi erant ad bellum) omnia necessaria, prout per nuncios nostros promisimus, non defecimus ministrare: licet expensæ essent propter sui magnitudinè nobis & regno nostro ferè importabiles & onerosæ. nõ enim tantum in his quæ promiseramus, verum & in pecunijs, specialiter in dextrarijs, quibus ferè omnes tam milites quàm seruientes indigebant, nos oportuit prouidere. Sed Dominus qui multiplicat incrementa frugum iustitiæ, ministravit nobis abundè secundum suæ gratiæ largitatem: & dedit omnia posse perficere pariter, perfectè & abundè. Congregata itaq; nostra & suorū multitudine viam Domini sumus ingressi, & cepimus proficisci. & venientes ad turrinam quandam, quæ Magalon nuncupatur, satis munitam, Ultramontani antequam nostri peruenerunt per vnum diem in illam & cum Dei auxilio impugnare cœperunt incontinenti. Licet autem nos eis omnibus necessarijs latissimè prouidimus, ipsi tamen attendentes laborem terræ, quæ deserta erat & aliquantulū calida, voluerunt ab accepto proposito recedere, & ad propria remeare. Tandem ad magnam instantiam nostram & Regis Aragonum processerunt vsq; ad Calatrauam, quæ nõ distabat à prædicto castro nisi per duas leucas. Tamen nos ex parte nostra, & Rex Aragonum ex sua, & ipsi ex sua, in Dei nomine cepimus expugnare. Sarraceni autem qui intus erant attendentes se Dei exercitui non posse resistere: disposuerunt nobis villam tradere, ita quòd personæ eorū saluæ discederent, verū tamen sine rebus. Cumq; nos istud nulla ratione vellemus acceptare, Rex Aragonum & Ultramontani habentes super hoc consilium, viderunt villam esse munitam muris & antemuralibus profundis fossatis, & excelsis turribus: & quòd non posset capi, nisi suffoderentur muri, & sic ruerent: quòd cederet in graue damnum fratribus

bus terræ sanctæ, quorum fuerat, & non possent si necessitas incumberet retinere: vnde apud nos institerunt firmissimè, vt villa salua & integra cum muris & magna copia victualium, quæ ibi erant, quibus satis indigebat exercitus, nobis redderetur: & personæ Sarracenorum vacuæ & inermes discedere permitterentur. Nos autem attendentes in hoc firmam voluntatem, votis eorum annuimus. Itaq; medietas omnium eorum quæ intus erant cederet in partem Regis Aragonum, & alia medietas in partem Ultramontanorum: & nec nobis neq; nostris aliquid volumus retinere. Ipsi autem propositum repatriandi apud se retinètes, licet dominus Deus nobis exhiberet gratiam & honorem, & nos vellemus omnibus eis sufficientissimè necessaria ministrare, desiderio patriæ coacti, omnes pariter signo crucis relicto cum Archiepiscopo Burdigalensi & Episcopo Nannetensi, licet certitudinem de bello Sarracenorum haberemus, ad propria redierunt, exceptis admodum paucis qui permanserunt cum Archiepiscopo Narbonensi & Tibaldo de Belecon, qui naturalis noster erat, cum quibusdam alijs militibus, qui erant de Pictauiâ. & hi omnes qui remanserunt erant vix inter milites & feruientes centum quinquaginta. de peditibus autem eorum nullus remansit. Cumq; Rex Aragonum apud Calatrauam moram faceret expectando quosdam milites suos & Regem Nauarræ, qui nōdum ad nos peruenerant: nos cum nostris processimus & peruenimus ad quoddam castrum corū, quod Alarcos dicitur. Istud castrum licet bene munitum esset cepimus: & alia tria castra: quorum vnum dicitur Caracdaia, aliud Beneuentum, aliud Petrabona. Inde procedentes peruenimus ad Saluaterram: ibiq; peruenerunt ad nos Rex Aragonum, qui de suis hominibus nō duxit nisi tantum milites generosos: & Rex Nauarræ qui similiter vix fuit in exercitu de suis plusquam ducentis hominibus comitatus. & quia Rex Sarracenorum in vicino erat nobis, Saluaterrā noluimus expugnare, sed procedentes cōtra Sarracenorum multitudinem peruenimus ad quædam montana, in quibus nō erat transitus aliquis nisi in certis locis. cumq; nos peruenimus ad pedem illius montis ex parte nostra, Sarraceni venientes ex parte alia obtinuerunt summitatem montis, volentes nobis transitum impedire. Sed milites nostri ascendentes viriliter, quia adhuc pauci Sarraceni ad locum illum peruenerūt, eos cum auxilio Dei viriliter expulerunt: & castrum quoddam munitum, quod propter transitū impediendum Sarracenorum Rex construxerat, ceperunt, quod Ferrat dicitur. Quo occupato exercitus Domini securè potuit ad cacumina montis ascendere: vbi multum laborauit propter inopiam aquarum & loci crudelitatem. Sarraceni vidētes quòd transitum illum occupare non possent, alium transitum, qui erat in descensu mōtis, arctissimum occuparunt, talis quippe erat, quòd mille homines possent defendere omnibus hominibus qui sub cælo sunt. & iuxta transitum illum ex altera parte erat totus Sarracenorum exercitus, & sua tentoria iam fixa. Cumq; nos facere moram ob defectum aquæ non possēmus, neq; transire propter transitus difficultatem: quidam ex nostris consuluerunt, quòd iterum ad pedem montis descenderemus, & ad duas vel tres dietas alium transitum quæreremus. Nos autem attendentes fidei periculum, & personæ nostræ

stræ dedecus, noluimus huic parere consilio, eligentes potius in difficultate mori pro fide, quàm faciliorem transitum quærendo, qualitercunq; in fidei negotio retroire. Cumq; iam quidem firmauissēmus propositum, ad indicium cuiusdam rustici, quem Deus insperatō misit, in eodem loco alium transitum satis facilem magnates viri, qui primos ictus in bello obituri erant inueniunt: & in quodam loco exercitui eorum vicino, licet aridus esset & siccus, Sarracenis tamen ignorantibus tentoria posuerunt. Quod cum Sarracenorum exercitus attēdisset, processit vt mansionem illam impediret. Nostri autem licet pauci essent, se viriliter defenderūt. Nos autem & Rex Nauarræ & Aragonum armati cum militibus nostris in loco primæ mansionis, quæ erat in summitate montis, expectauimus, donec totus exercitus Domini peruenit securè ad locum, vbi anteriores nostri castrametati sunt. & ita dante Domino factum est: licet via esset inuia & inaquosa, lapidosa & nemorosa, nihil de nostris amisimus. Hoc autem factum est die Sabbathi XVII. Kal. mensis Augusti. circa serotinam verò horam Sarraceni attendentes quòd omnia tentoria nostra tutè fixeramus, dispositis aciebus suis venerunt ante loca castrorum: & ibidem quædam præludia belli in modum torneamenti cum nostris exercuerunt. attendētes verò illi quod nos illa die nollemus habere bellum, ad castra sua reuersi sunt. Sequēti autem Dominica summo mane venit Sarracenus cum infinita multitudine dispositis aciebus suis. Nos autem volentes considerare multitudinem gentis suæ & dispositionem & statum, & qualiter in omnibus se haberet, habito prudentum virorum consilio & in his exercitatorum, expectauimus sequentem diem Lunæ. Ipsis autē sic existentibus posuimus milites nostros cum peditibus, vt extremos agminis nostri non possent in aliquo molestare: quòd quidem diuina fauente gratia sic euenit. Secūda die scilicet secunda feria, omnes in Dei nomine armati processimus dispositis aciebus, cum eis pro fide catholica pugnaturi. Ipsi autem promontoria quædam obtinuerunt valde ardua & ascensu difficilia, propter nemora quæ inter ipsos & nos erant, & propter alueos torrentium profundissimos. quæ omnia nobis erant magno impedimento, ipsis vero maximo adiumento. Veruntamen ille à quo omnia, in quo omnia, fecit mirabiliter: & direxit manus sui exercitus contra inimicos suos. & anteriores nostri, necnon & medijs multas eorum acies, quæ in minoribus promotorijs existebant, virtute crucis dominicæ prosternauerunt. Cum autem peruenissent ad extremam aciem eorum, equidem infinitæ multitudinis, in qua Rex Carthaginis erat: ibidem difficillimos conflictus militū, peditum, & sagittariorum inuenerunt: quos sub maximo periculo, & vix etiā poterant tolerare. Nos autem attendentes bellum illud, eis omnino incomportabile, imperū equorum processimus signo crucis dominicæ præeunte, & vexillo nostro: in quo erat imago B. Virginis & filij sui in signis nostris supposita. Cumq; iam nos pro fide Christi mori cōstanter eligeremus, attendētes crucis Christi & imaginis suæ matris ignominiam, quas lapidibus & sagittis irritantes petebant, in arma furientes aciem illorū infinitæ multitudinis diuisimus. & licet ipsi essent cōstantes in bello & firmi super domino suo, Dñs illorum aciem

11 infinitæ multitudinis crucis suæ gladio trucidauit. & sic Rex Sarracenorum  
 12 cum paucis in fugam conuersus fuit. Sui autem impetus nostros interim sus-  
 13 tinebant. sed statim post maximam stragem suorum, reliqui in fugam con-  
 14 uersi sunt. Nos autem insequentes eos vsq; ad noctem: plures tamen insequē-  
 15 do interfecimus, quàm in bello. & sic bellum Domini à solo Domino & per  
 16 solum Dominum est feliciter consumatum. Deo autem honor & gloria,  
 17 qui cruci suæ dedit victoriam, per Iesum Christum Dominum nostrum. Fue-  
 18 runt autem milites Sarraceni, vt postea vera relatione didicimus à quibusdā  
 19 Regis Sarracenorum, quos captiuos cepimus, centum octoginta quinq; mil-  
 20 lia equitum, peditum verò non erat numerus. Occubuerunt autem ex parte  
 21 Regis Sarracenorum centum millia armatorum & amplius secundum æsti-  
 22 mationem Sarracenorum, quam postea accepimus. De exercitu autem Do-  
 23 mini, quod non sine grandi gratiarum actione recitandum est, quod incre-  
 24 dibile est, nisi quia miraculum est, vix viginti quinque Christiani, aut trigin-  
 25 ta de toto exercitu occubuerunt. O quanta lætitia. O quot gratiarum actio-  
 26 nes. nisi de hoc dolendum sit, quòd tam pauci martyres de tanto exercitu ad  
 27 Christum martyrio peruenerunt. Vt autem magna eorum multitudo creda-  
 28 tur: cum exercitus noster in castris eorū post bellum, biduum fecerit moram,  
 29 ad omnia incendia, quæ necessaria erant in coquendis cibus & pane & alijs,  
 30 non combuserunt alia ligna nisi de sagittis & lanceis eorum quæ remanse-  
 31 runt, & vix potuerunt comburere medietatem. Cumq; Dei exercitus propter  
 32 lōgam moram factam in locis eremis & incultis deficeret in victualibus &  
 33 alijs, ibidem tantum inuenerunt tam ciborum quàm armorum, nec non etiā  
 34 dextrariorum & aliorum iumentorum copiam: quæ accipientes vnusquisq;  
 35 ad suam de suis omnibus voluntatem, plus ibi dimiserunt ex magna abundā-  
 36 tia, quàm ceperūt. Tertia autem die procedentes venimus ad quædam castra  
 37 eorum, scilicet Vilches, Vanos, Tolosam, quæ incōtinenti cepimus. Tandem  
 38 peruenimus ad duas ciuitates, quarū vna Vbeda dicitur, altera Baetia, quibus  
 39 nō erant maiores citra mare, præter Cordubam & Hispalim. Quarū alteram,  
 40 scilicet Baetiam destructam inuenimus. ad alteram verò scilicet Vbedam,  
 41 quia situ loci & artificio fortissima erat, confugerat multitudo hominum ex  
 42 omnibus villis adiacentibus. Cum enim illa villa nunquam ab Imperatore  
 43 vel ab aliquo Regum Hispaniæ expugnata sciretur, vel subiugata, in eadem  
 44 saluare se corpora sua credebant. sed & hanc in breui diuina gratia fauente  
 45 cepimus & funditus destruximus: cum non possemus habere tantam multitu-  
 46 dinem, quæ ad illos saluandos sufficere posset. & bene perierunt sexaginta  
 47 millia Sarracenorum. quorum quosdam interfecimus, quosdam captiuos du-  
 48 ximus ad seruitium Christianorum & monasteriorum, quæ sunt reparanda.  
 49 Hæc igitur sanctissime Pater vobis scribenda decernimus: pro auxilio toti  
 50 Christianitati impenso gratias quas possumus exhibentes, & humiliter sup-  
 51 plicātes, vt vos quem Dominus ad summi sacerdotij gradum elegit, ei cum  
 52 sacrificio laudis pro salute populi immoletis.

Libri Vndecimi Finis.

HISTO.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER DVODECIMVS.

10

*Albigenses turbant Galliam. Caput. I.*



11 ES Hispaniæ pulchrè & ex sententia procedebant  
 12 nobili victoria parta. Almohades quiescebant memo-  
 13 rabili clade oppressi, gens eatenus ferox superbaq; no-  
 14 stri barbariæ extirpandæ incredibili exardebant stu-  
 15 dio. Quo tempore Galliæ atq; Aragoniæ regna mota  
 16 sunt, initio a Tolosatibus facto. Nouæ de religione opi-  
 17 niones, prauumque de rebus diuinis dissidium, fœdam  
 18 ac perniciosam tempestatem concitauit: qua vtraque gens multis annis ciui-  
 19 li sanguine cruentata est. Non aliud Germanus ante ea tempora, aliud His-  
 20 panus de Deo, de immortalitate sentiebat: vna erat Franci & Itali, vna An-  
 21 gli & Siculi, de rebus diuinis sententia, eadem omnium mens, & oratio.  
 22 Vvaldenses paulò ante extiterant, prauis homines, & nefarij: horum nunc  
 23 sectatores Albigenses seu Albienfes, ingrata veteribus nomina, reipubli-  
 24 cæ Christianæ pacem & tranquillitatem turbarunt: cælestibus patrocini-  
 25 um, sacerdotibus remittendi peccata, quod maioribus inauditum erat, po-  
 26 testatem detrahentes. neq; in Eucharistia Christi corpus inesse, neq; aquam  
 27 baptismi ad expiandum peccata vim habere existimabant: preces pro mor-  
 28 tuis & vota frustra suscipi. Dei matrem virginem voce impurissima mere-  
 29 tricem dicere soliti sunt: vt Guillelmus Nangiacus, qui proximo seculo  
 30 vixit in Gallia, testatum reliquit. Christum Deum turpi consuetudine  
 31 cum Magdalena iunctum fuisse affirmabant. sic Petrus Cisterciensis mo-  
 32 nachus, qui visa in historiam contulit Innocentio Pontifici dicatam.  
 33 longum esset rationem inire omnium, quæ insigni procacitate in vulgus  
 34 asfirmare ausi sunt. & est mendacium multiplex, simplex natura verita-  
 35 tis. In Aquitaniæ parte, vbi Cadurci sunt, vrbs Albi sita est, quæ vete-  
 36 ribus Alba Augusta fuit, Cæsari Heluij in commentarijs de bello Gal-  
 37 lico, ad Tarnis fluminis ripam. agri optimi, vini, frumenti, glasti, cro-  
 38 ci, cum primis Galliæ feraces. vnde eius vrbs Præsuli opimi prouentus,  
 39 quanti nulli alij Galliæ Episcopo. Templum pulcherimum & maximum  
 40 in vrbe muro coniunctum, D. Cæciliæ nomine. homines minimè ma-  
 41 li, ingenio miti, atque humano. quæ virtutes in perniciem vertuntur,  
 42 si deprauator existat. terræ culturæ dediti, à commercio gentium externa-  
 43 rum alieni: quod procul à mari in gremio Galliæ positi sunt. In ea vrbe, vt

N n 2 nomen

nomen declarat (tametsi alij in Phocænsi prouincia malunt Galliæ Narbonensis parte, Tolosæ alij) nouus ille furor exortus haud longissimo spatio, vt est vulgus hominum in deteriora prouinciam, Galliam vniuersam Hispaniæque partem inuasit. Lucas Tudensis Episcopus, qui eruditionis religionisque studio Romam, Constantinopolim, ipsamque Hierosolymam abierat, reduxque in patriam nouam sectam de scripto exagitantem suscepit, in Hispaniam penetrasse, & Legionem vsque peruenisse, urbem in Calæcis sitam, testis oculatus scripsit. Sed præstat eiusdem verba adscribere: quoniam ad dignoscendum hæreticorum ingenium, & fraudes prodesse non nihil poterunt. Post decessum, inquit, reuerendi patris Roderici Legionensis Episcopi, super electione futuri pastoris discordante voto, & studio clericorum: inimici veritatis hæretici, qui semper sitiunt discordiam clericorum, vt reperiant aditum, quo Christi oues mactent & perdant, ad hanc confluerunt ciuitatem, tunc temporis carentem custodia pastoralis. & quodam loco sordidissimo, vbi multi egrediebantur ad exquisita naturæ, fieri miracula confinxerunt. Fuerat ibi sepultus quidam hæreticus, & quidam alius homicida, qui exigente iustitia viuus fuerat missus in foueam à iudicibus ciuitatis: eo quod proditione patrum suum interfecerat. est ibi præterea quidam fons, quem hæretici sanguine polluerunt: vt ipsa aqua versa in sanguinem crederetur. Confluebant è diuersis partibus populi, vt aspicerent miracula, quæ fieri videbantur. veniebant plures, qui erant occultè muneribus subornati, alij fingentes se esse cæcos, alij claudos, alij dæmoniacos, alij ægritudinibus vexatos, & hausta fontis illius aqua, se mentiebantur recipere sanitatem. Extumulantes etiam ossa hæretici suprascripti, qui Arnaldus vocatus fuerat, & ante sedecim annos sepultus in loco, Martyrem sanctissimum fatebantur. Plures clericorum simplicitate ducti, laicos in facto sacrilego sedulo adiuuabant: & super fontem domum fortissimam construxerunt, parabant ossa dicti proditoris & homicidæ communi consilio eleuare, quia hunc quondam fuisse Abbatem sanctissimum fatebantur. Quid plura? quod callidè fecerant, quibusdam detegentes hæretici, deridebant fidem catholicam: & simili artificio fieri miracula in ecclesia coram sanctorum corporibus affirmabant. Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana consilia reuelauerant, vt in hæresim laberentur. Peruenit tandem consilij denudatio ad fratres sanctæ prædicationis, qui verbum Dei populis proponentes hortabantur ab hoc facto nefario pœnitere. instabant fratres minores, & clerici: ne populi, vota sacrilega in loco sordido immundis ossibus exhiberent: & magis accendebantur animi laicorum ad cultum diabolicum peragendum: & fratres predicatorum, & minores ac clericos vniuersos quia erant contrarij suis operibus, hæreticos conclamabant. Gaudebant inimici veritatis & publicè asserebant, plus esse sanctitatis, & miraculi in luto, & in ossibus illis, quam in omnibus ecclesijs Christi: & in omnibus sanctorum corporibus, quos fides catholica veneratur. circumadiacentes autem Episcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam: & fere nihil proficiebant: quia multorum mentes inuaserat diabolus, & ino-

& inobedienciæ filios colligauerat. Quidam vero diaconus, qui feruore fidei flagrans, hæreticam præ cunctis præcipitijs oderat prauitatem, cum esset in sancta vrbe Romana, & è narrantibus disceret, quæ fiebant in ciuitate Legionensi, turbatus est valde: & repedare ad patriam festinauit: vt se tantæ opponeret prauitati. Hic cum venisset Legionem, & plenius cognouisset factum, quasi in insaniam versus, cepit manifestè ciuibus exprobrare: & eos quibus si hæreticorum fautores redarguere: ira enim motus prænimia, quia videbantur ciues recedere à lege Dei, cum se non posset cohibere, prohibentibus amicis, qui de illius interitu formidabant, accessit ad concilium: & cepit proponere quod infamia huius facti Hispaniam totam polluerat. & vnde consueuerant oriri leges iustitiæ, eo quod esset ciuitas caput regni, inde hæresis pullulabat. addidit etiam, quod non daret Dominus pluuiam super terram, vsque dum sanum destrueretur, quod construxerant, & quæ venerantur ossa projicerent. si quidem à tempore quo nefarium cultum inceperant, & per decem menses anni non pluerat, & arecebant omnia siccitate. Tunc iudex interrogauit dictum diaconum in cunctorum presentia dicens: Si domum euertimus, dabit Dominus pluuiam super terram? diaconus plenus fide respondens dixit. Conferatur mihi potestas à vobis domum liberè destruendi, & euertendi omnia quæ sunt in ea: & in nomine Domini nostri Iesu Christi spòdeo, sub periculo corporis, & omnium rerum mearum, quod vsque ad octo dies Dominus conferet abundantiam pluuiarum. dedit Dominus gratiam sermonibus eius in conspectu concilij: & accepta sponsione ab ipso, ei destruendi sanum, & omnia quæ in ipso erant, posse liberum tradiderunt. Sed cum die sequenti in manu hominum plurima sanum destrueret, & dicta ossa confringeret minutatim, & inter humana stercora spargeret, cum iam post euersionem omnium vellet quiescere, quidam sonus quasi tubæ validè perstreptentis, inter ligna destructionis insonuit: vt in ipso sonitu relinquere inuitè locum illum diabolus crederetur. Sequenti vero die, pars ciuitatis non minima succensa est: & ignis cum vento valido mixtus plurimas domos consumpsit. quærebatur à multis dictus diaconus, vt interficeretur. quia cum promiserit pluuiam, domus eorum incendio perierunt. insultabant hæretici clericis, & diaconum dignum morte damnabant: & quod non plueret etiam post multum temporis, procaciter affirmabant. Dominus autem omnipotens misertus populo suo, octaua die à sani destructione, pluuiarum abundantia terræ superficiem irrigauit: & qui iam erant sine spe frugum & fructuum ipso anno percipiendi, eorundem copiam Dei misericordia perceperunt. Concitauit post hæc dictus diaconus persecutionem magnam contra hæreticos, & relicta ciuitate se fugæ miserabiliter contulerunt. Hæc Lucas, quibus intelligitur nouæ hæresis tabe Hispaniam fuisse infectam: tametsi vis mali in Tolosates potissimum incubuit. vnde illis exitium, Aragonio Regi cum eorum patrocinium suscepisset, funestus exitus, vt consequenti narratione aperietur.



ALBIGENSIVM secta à primis incunabulis, exortuque, non populi multitudine tantum, sed favore etiam Principum armata fuit. Comitum Tolosani primum, deinde Fuxensis, Biterarum & Conuenarum. accedebat Aragonij Regis patrocinium: quoniam hæ tres vrbes in eius fide erant, vt superius est indicatum. Tolosæ Comes, præterea affinitate iunctus: nam tertijs nuptijs Eleonoram duxerat Aragonij Regis sororem. filius Raymundus patri cognominis, qui ex ea gente postremus Tolosæ principatum tenuit, Sanctiam alteram Aragonij Regis sororem connubio iunctam habebat. Ea suscepti belli pro Albigenibus caussa fuit. tametsi Rex antea piorum caussæ fauere visus est: & Simoni Monfortio mutui amoris pignus, Iacobum filium educandum instituendumque tradiderat. nunc præceptis ad bellum ferebatur. ea res metum prouinciæ, curam Romano Pontifici incutiebat, ne tantis præsidijs munita factio maiora indies incrementa susciperet. nam vulgus nouarum rerum audum, & nouæ sectæ fraudibus circumuentum, veteri maiorum religione passim mouebatur. Medicinæ faciendæ modus aliquis querebatur. pacis consilia primum tentare visum est: si quo modo agendo, moliendo, hortandoque possent à furore reuocari ad sanitatem. Ergo prioribus annis Didacus Vxamensis Episcopus Romam pietatis ergo profectus, visa ex itinere Pontifici renunciarat: quantumque periculum instaret, nisi tempestiuè remedium esset allatum: & cum eo Dominicus totius itineris comes. natus is Calarogæ erat, in Vxamensi agro. iam nobilissimæ familiæ Prædicatorum ab eo initio fundamenta ponebantur. Remissus vterq; in Galliam ad extinguendum incendium: quod indies magis augebatur. duodecim Abbates Cistercienses ex Gallia adiuncti: additusq; est Legatus Pontificius, penes quem totius administrationis summa esset. Horum industria quantum proficiebatur magno hominum numero ab ea mente retracto, ac Dominici præsertim, cuius in ea functione edita non vno loco miracula extiterunt: tantum ex alia parte hæreticorum artibus populi multitudo corrumpebatur. Quis enim plebem in interitum concitatam, verbis & ratione possit retinere? quis perditissimos homines ab insania deducere, quam obstinata mente defixam habent? Excindi ferro debent, quæ sanari non possunt: nihilq; tempestiua seueritate salutaris aduersus id genus mali. Quod ergo reliquum erat, pacis consilia belli apparatu terroreque mutata. numerosa militum multitudo ex Italia, Germania atq; Gallia spe veniæ, si crucem insignem desumerent, vt erat in more positum, ab Innocentio Pontifice ad arma excitati. Ab ijs militibus Biteræ primū vi capta est, antiqua Volcarum ad Obrim ciuitas: septemq; in ea hominum millia perempta. vindictam pleriq; cælestem interpretabantur, quod Trencauellum eius vrbs dominū ante duos & quadraginta annos obruncassent, & cum eo vrbs Episcopum vulnerassent. Eo seueritatis exemplo Carcaso, quæ in hæreticorum potestate erat, deditioem fecit. fontes pari seueritate vindicati. Ab ijs initijs profici indies in melius videbatur. Dux multitudi deerat, cuius imperio deuincti milites maiori animo pro pietate pugnarent. Simon Mofortij, quæ vrbs in finibus Carnutum est, Comes offerebatur, inter

Duces

Duces reliquos, & principes bellicis artibus, & præcipua animi pietate præstans. ad hunc cæteris concedentibus summa imperij delata est. eius ductu Minerua arx, Albis ciuitas, Vaurum municipium prope Tolosam, aliaque oppida factiosis detracta. eodem belli impetu Tolosa vrbs circumscissa, capi non potuit, Tolosatis, Fuxensis, & Conuenarum Comitum, qui in ea vrbe erant, virtutè defensa. Fuxensis ditioni arma illata. Principum periculo Aragonius Rex in primis mouebatur: ne Simon Monfortius pietatis specie (sic ille suspicabatur) amplissimam ditionem sibi & posteris pararet: vt nihil est mortalium animis fallacius, nihil exitiusius simulata religionis specie. Principes sibi fœdere deuinctos, coniunctos sanguine, in discrimine deserere iniquum fore videbatur. Itaque parta de Mauris insigni victoria ad Castulonensem saltum, vt paulò superius dictum est, continuò de Gallica expeditione cogitare cœpit. Inuenio eum mense Februario, incunte salutis anno millesimo ducentesimo tertio decimo, Tolosæ fuisse. de ratione belli deliberaturus scilicet iuerat. & proximo mense Maio, Illerda, quo se retulerat, validis contractis copijs Galliam repetijssè. Adiuncti fœderati ex ea gente Principes: numerosusque ex vtraq; gente conflatur exercitus. centum hominum millia sub signis habuisse idonei auctores affirmant. Simon Monfortius Murellum arcem ad Garumnæ fluminis ripam, muniendam opere, præsidioq; firmandam curarat: vt instar propugnaculi esset aduersus hostium incursum. hanc arcem oppugnandi voluntate fœderati Principes Tolosa profecti sunt. Simon Mofortius raptim delectu habito, præsidio accurrit. Septem Episcopis, qui piorum castra sequebantur, annitentibus Dominico & tribus Abbatibus tentata primum pacis spes: Rexq; ne fortunas suas cum impijs & sceleratis, qui diris à Pontifice Maximo defixi essent, sociaret admonitus est. cælestem vindictam si secus faceret comminati, orbis Christiani inuidiam: nominis dedecus sempiternum vtrauis fortuna partium. cum salutaribus monitis aures auersas præberet, ad manus deuentum est. Simonem Monfortium octingenti equites, mille pedites sequebantur, exigua pro hostium numero manus. cum ijs facto agmine in hostium acies incurrere nō dubitauit, tanto piorum ardore, aduersariorum consternatione, vt momento temporis Comites in fugam compulsi fuerint, Rex ipse obruncatus. Aznarius Pardus cum Petro filio, Gometius Luna, Michael Luesia Aragonij proceres vnà occubere. Cædes minor quàm pro tanta victoria. Dignus ea clade Rex passim iudicabatur, quod pro impietate arma sumpisset. quamuis sententia ipse, & appellatione catholicus à factiosis opinionibus abhorrebat, militaris disciplinæ peritus, religionum discriminis ignarus. Certè promiscuæ libidinis vitio reliquas virtutes, quæ in eo maximæ fuerunt, turpiter fœdasse visus est, vxore innocentissima repudiata propinquitatis prætextu: & quoniam superiore tempore Conuenarum Comiti iuncta connubio fuerat, illegitimo scilicet, & legibus vetantibus contracto: vt dati in caussa ab Innocentio Pontifice iudices Romæ pronunciarunt: quò Regina se ad causam tuendam contulerat. tametsi ex eo priori coniugio Mathildis & Petrona nate erant: vt ex ipsis Regiæ testamenti tabulis intelligitur. In ea vrbe

controuersia exitum expectans morabatur, cum vir eius Aragonius Rex extinctus est. die Veneris, Idibus Septembris, prælium ad Murellum commissum. Regis corpus Hospitalarijs militibus traditum, in Xixenæ monasterio, vbi mater Sanctia sepulta erat, tumulo est compositum.

*Alfonfus Rex Castella defunctus. Cap. III.*



**A**COBVS Aragonij Regis extincti filius, quem vnicum ex legitima vxore reliquit, quatuor annos natus erat, cum pater occisus est. Sanctius Ruscinonis Comes, & Ferdinandus 10 pueri patruus: hic professione quamuis monachus, ille prouecta ætate, vt qui Alfonsi Regis frater esset, imperandi ambo dulcedine illecti, ambitioneque corrupti, malignis artibus ad regnum nitebantur: plebisque & Principum studia conciliabant. Id ægrè erat Episcopis & proceribus, ac præsertim Petro Asagræ Albarracini regulo, paterna hæreditate innocentem puerum excludi, & in Simonis Monfortij potestate, captiuus ad instar esse. communi consensu legati ad Innocentium Pontificem Romam amandati, puerum Regem expetitur. eius auctoritati Simonem haudquaquam repugnaturum arbitrabantur. commodè id cessit: audita enim legatione Pontifex Petro Beueuentano Cardinali ipsius 20 in Gallia Legato, id negotij vt præfens cognosceret, demandauit: & si æqua petere Aragonios visum esset, eorum postulatis & voluntati satisfaceret. Ceperat interea Simon Monfortius urbem Tolosam: & in Præsulum Gallia concilio, quod Petri Legati opera Mompellerij habitum erat, omnium eorum quæ bello capta quæstaque erant Princeps declaratus est: missusque ad Pontificem Ebrunensis Præsul, vt concilij sententiam ipsi probarent. Quo tempore in Hispania fame grauissima laboratum est: vti ante dictum est. inde crebræ in vulgus mortes: cum necessitas res etiam obscœnas in cibum verteret. Rodericus Præsul Toletanus suis opibus, aliosque sacris concionibus adhortando, vt egenorum calamitate mouerentur, multum contulisse 30 visus est: prorsus vt Alfonso Castellæ Rex in extrema ætate ecclesiam Toletanam, quoniam apud eam tanquam in publico ærario, optimè deponi thesauros cogitabat, noua multorum oppidorum ditio auxerit. Toletanum Præsulem iure perpetuo, legeque in omne tempus lata, regni Cancellarium esse confirmauit, datum ante septem annos Martino decessori, vti eiusdem Alfonsi diploma declarat. quo magistratu suprema & maxima auctoritas secundum Regiam olim continebatur. Burgis eo tempore Rex agebat: & Legionensis Regis patruelis, cum quo grauis simultas erat, ex quo Berengariam vxorem repudiarat, conciliandi in partesque trahendi cura sollicitabat. Vallisoletum mutui colloquij causa ventum. in eo colloquio of- 40 fensiones omnes vtrinque condonatae. oppida Carpium, & Montem regalem Legionensibus ablata, ne occasio controuersia essent, euerti mandatum. Inde Rex Legionensis in patriam rediens, Dieghum Harum secum Rege Castellæ concedente deduxit: quoniam eius opera vti cogitabat Mauris oppugnandis.

pugnandis. Dieghum Lupus filius & valida Castellanorum militum manus secuta est, magni nominis Ducem, carum Principibus, vulgo militum acceptum. Non minor Castellæ Regem quamuis annis grauem, fractum laboribus, in extremaque ætate cura sollicitabat, impium regnum euertendi barbaris profligatis: quod tandiu substiterat in Hispania. fracti hostes metu debilitatique viribus erant ob superiorem cladem, & recenti dissidio in partes scissi. ea res nostris agendi opportunitatem præbebat. Prior Legionensis Rex in hostium ditionem irruit, qua parte Legionensi imperio finitima erat. agris, oppidis, villis illata vastitas. ad Tagi ripam in veteri Lusitania, 10 Alcantara firmissimum oppidum captum, quod Calatrauæ militibus dono Regis cessit: vnde tanquam ex munitissima arce, atque fortissimo propugnaculo, in hostium fines incurrerent ipsi, illorumque impetus propulserent. Hoc Alcantaræ militibus initium fuit, tenue & inualidum, vt ferè rebus magnis. cucullum & rubram fasciam, qua longo tempore distingui consueuerunt, Benedicti tertijdecimi, qui se Pontificem dixit, venia & auctoritate cruce viridi mutarunt, salutis anno millesimo quadringentesimo vndecimo: cum Calatrauæ milites quibus olim subditi fuerunt, nunc vix contributi, rubræ crucis figura in candida veste vtantur. Is exitus Legionensis expeditionis fuit, aliquanto quàm Castellanae felicioris. Alfonso enim Castellæ 20 Rex magnis delectibus tota ditione habitis, ex Vaccæis in Carpetanos redijt: Toledoque profectus Consaburonem & Calatrauam petijt. extremus is limes regni erat. inde in Bæticam penetratum. agri vastati. oppida capta, direpta, incensa. Biatia (nam ad Mauros redierat) circumfessa. dum obsidio ducitur, Dieghus Harus cum Legionensibus operam nauasset, ferox in castra venit. potiundæ vrbis spem fortuna aduersa destituit. publica famis calamitas hoc etiam anno Hispaniam oppressit, & ad alia mala Regem compulit commeatus inopia, soluta obsidione in mitiores regiones copias reducere. Cum Mauris induciæ factæ. quod illi beneficium ad occasionem intestini dissidij verterunt. Mahomad cognomento Viridis accepta superiori 30 clade abierat in Africam, ad subsidia belli colligenda, viresque reparandas, siue quia de rebus Hispaniæ disidebat. Zeit Abenzeitus eius frater, nullo propinquitatis respectu Valentiam, Saguntum, & vicina loca imperio primus occupauit. idem facit Biatia & Cordubæ Mahomad Zeit Abenzeiti patruelis, cum se Abdelmone imperij gentisque conditore progenitum ferret, eius nepos ex Abdalla filio: sibi que omnibus sermonibus, Africae & Hispaniæ imperia arrogaret. Alballalis inter suos opibus & clientelis princeps, horum exemplo prouocatus nullo iure, nisi quod in armis est, Hispali imperium constituit, adiectis Carmona, Astigi, & Cæsariano. sic Maurica potentia in plures partes diducta, dilacerataque est, alioqui haud firmissima. Præclaram ea res occasionem nostris suppeditabat, impiæ gentis excindendæ. cæterum Alfonso Castellæ Regem, qui ea tempestate belli & pacis arbiter erat, non tantum annonæ difficultas à cogitatione belli sacri abduxit, sed etiam studium 40 Anglis opitulandi, propinquis & necessarijs: qui de Aquitaniæ imperio periclitabantur, Francorum armis petiti, rupto per iniuriam foedere, quod



inter utranque gentem stabat. Lusitaniam eo tempore Alfonsus eo nomine secundus cognomento Crassus obtinebat, occupandis per vim ijs oppidis, quæ à patre sororibus legata erant, vehementer districtus: prorsus ut Legionensis Regis arma, cum Principum foeminarum iure propinquitatis, commiseratione sexus patrociniū suscepisset, in se regnumque conuerteret. missus à patre Ferdinandus, in quo deinde & posteris, Castellæ & Legionis regna perpetuo vinculo coniuncta sunt, Lusitano aliquot oppida eripuit: quæ mox Innocentij Pontificis Romani opera & auctoritate pace facta, reddita sunt. Inter hos motus Lusitanæ Rex ab Alfonso Castellæ Rege, & sene & focero monitus est per legatos, ut mutui colloquij causa Placentiam veniret: habere se, quæ de rebus magnis conferre cuperet. Lusitani Regis aduentum quoniam breui futurum non sperabat, interea Burgos abiit, in apparatus belli Gallici intentus. Preclaros Regis optimi, & æquissimi conatus mors oppressit. cum enim Lusitani Regis conueniendi studio Placentiam citatò festinaret, ad oppidum Garsimuntium valetudine tentatus est. vim morbi alioqui grauisissimi auxit vehementer nuncijs à Lusitano Rege Placentiam se venturum negante, ac ad utriusque regni fines sitanti esset, accessurum se pollicente. Id est gentis ingenium cum multis, ut nulli primas concedant, neque amplitudine imperij, neque ætatis respectu moueantur: magnasque agendi commoditates prætermittant, honoris contentione. forte, non satis fidendum focero Regi iudicabat, homini versuto, & à multo rerum usu callido, cunctaque solito priuata vtilitate metiri, ut plerique existimabant. De ægroti salute cum medici desperarent, Rodericus Primas, qui Calatrauæ relictus erat annona fameque procuranda, & perfecta Burgos se ad Regem contulerat, noui itineris comes futurus, peccatorum confessio, quam ipse ex ritu Christiano excepit, Regem in extremo positum expiauit. Obijt testamento facto salutis anno millesimo ducentesimo quartodecimo. pridie Nonas Octobris, qui dies Lunæ fuit, memoria Fidei virginis sacer. sic Roderici Præsulis historiam castigato, vitio librariorum sæpe scadam. Hic exitus Alfonsi fuit, militiæ domique clari Regis. multa solus prosperè, nihil ferè magnæ rei Reges alij sine illo fecerunt in Hispania. annis vixit quinquaginta septem: quibus, annis tribus & quinquaginta, diebus duobus & viginti regnauit. Defuncti corpus Olgas delatum. lugentium habitu funus profecuti sunt viri principes ex vniuersa ditione, Eleonora Regina, Berengaria filia, Rodericus Præsul Toletanus. Accessere noua funera: quibus hic annus insignis maximè fuit, Eleonore Regine, Ferdinandi Legionensis, Dieghi Hari, Petri Castrij Ferdinando Castrio geniti. Regina pridie Kalend. Nouembris, die Veneris extincta est Burgos. dolor, quem de viri obitu ceperat, mortem accelerasse visus est. cum quo coniunctissimè vixit, morte, sepulcroque iuncta est nepotibus felicior quam filijs. Ferdinandum ex Therasia Rex Legionensis genuerat, regia indole iuuenem. morte immatura non præstitit qualem innatæ virtutes, orisque decus promiserant Regem. eo grauiori luctu prouinciæ, ad Compostellæ funus illatum. Petrus Castrius Marrocij obiit, forti opera Regi Legionis.

gionensi bellis superioribus nauata, profectus in Africam, qua causa incertum, sed in ea tamen vrbe decessit, ad quintumdecimum Kalend. Septembris. & erant à superioribus annis, cum ea gente amicitia hospitijque iura à patre inita.

Castella, atque Aragonia motus. Cap. IIII.

**X**CEPERE tempora turbulenta in Castella, atque Aragonia. minor utriusque Regis, qui patribus successerunt, Henrici, atque Iacobi ætas passim à proceribus contemnebatur. ea grauisimorum motuum occasio exitit. plerique summæ rerum præesse cupiebant, & alieno nomine regnare: nonnulli etiam suo. id dum assequerentur, quid de ipsis fama loqueretur, quid pij & boni iudicarent, nihil pensi habebant. quid enim non efficiat concepta semel animo libido dominandi? Inter tot rerum fluctus respublica nauis instar rectore carentis sæuisissimis procellis agitata, in Aragonia maximè: vbi Sanctius & Ferdinandus Iacobi Regis patruj, haud obcuris artibus ad regnum nitebantur. Erat in vtroque fortitudo, auctoritas, ingenium, conciliandæ hominum gratiæ, & promerendæ mirum & efficax studium. iura qui deesse poterant de regno litigantibus? Iacobum uterque illegitimis procreatum nuptijs excusabat. Sanctius, Ferdinandum monachum esse, bello & rebus agendis inutilem dictabat. Ramiri Regis exemplo, suam Ferdinandus causam tuebatur: & Iacobo excluso disputabat, sanguine proximum esse. Omnino regnum in tres factiones erat diuisum. pauci sed in his optimus quisque verum Regem sequebatur, & ad Innocentium Pontificem legatos fuisse amandatos repetendi Regis causa paulò superius dictum est. exposita ij legatione, in Galliam ad Bernardum Cardinalem remissi sunt, adiuncto Ebrunensi Præsule cum mandatis: ita bello sacro parta Monfortio Comiti dari, si Aragonijs ipse satisfaceret Rege reddito, atque libertati restituto. Nec mora Pontificius Legatus, Monfortius Comes cognita Pontificis voluntate, Iacobum Carcasone, vbi biennium detentus fuerat, Narbonem comitati sunt, sex tum annos & quatuor menses natum. Iacobi patruelis Prouinciæ Comes Raymundus pari ætate sequebatur, ut procul à Gallico tumultu in Aragonia educaretur. Narbonem, quoniam locis finitima est, regni proceres frequentes accurrerunt, Regis excipiendi, salutandi, prosequendique studio. Omnia lætitia plena erant & gratulatione. promiscuæ ætatis, sexus, conditionis viri, foeminae, pueri, venienti passim occurrebant. vota pro eius liberatione suscepta publicè priuatim exolvebantur. Erat in puero oris dignitas, maiorque quam pro ætate statura corporis: taciturneque ex ijs rebus futuræ magnitudinis omen. Legato Pontificio, cuius ex sententia cuncta procedebant, cum Regem comitaretur, visum est regni conuentus Ilerdam conuocari, reipublicæ constituendæ, regni que stabiliendi pacandique causa. frequentes proceres, & urbium procuratores die dicta conueniunt. Sanctius & Ferdinandus noluerunt venire. In ijs conuentibus, in pueri Re-

ri Regis verba iuratum à cunctis ordinibus. nouum id exemplum in Aragonia erat, neque prioribus Regibus instituendis vsurpatum: quod ab hoc initio deinceps in mores abiit. Guillelmo Monredonio Templariorum militum in ea prouincia Magistro (legationis is ad Innocentium missæ princeps fuerat) Regis educandi, instituendique cura demandata: Montionisque arx delecta, vbi ab omni iniuria tutum fore iudicabant, dum factionum itudia remitterent. Vasconibus, quoniam Aragonios motus verebantur, à Cæsaraugustanis ciuibus ius commercij datum, cum libera vltro citroque commendi facultate. Rex eorum Sanctius, non militaribus modo, sed etiam 10  
 ciuilibus muneribus magna ex parte abscesserat, Tudelæ in arce se continens, & hominum congressum deuitans, bello paceque inutilis. Hæc in exitu eius anni peracta, quo ad Tornacum, quæ ciuitas in Neruijs ad Scaldim est, Otho Imperator & Philippus Galliæ Rex insigni prælio pugnarunt. Victi in eo prælio Germani: & qui ab eis steterat Ferdinandus Flandriæ Comes à Gallis captus est. Proximo salutis anno millesimo ducentesimo quintodecimo, Sanctio Rufcinonensi Comiti Regis Aragonij patruo, regni procuratio demandata est. ea reipublicæ pacandæ via excogitata, auidum dominandi animum, in regni spem maximè accendit: maiorumque tumultuum occasio exitit, vt euentus declarauit. Neque multo meliori conditione res Castellæ erant. Henricus vndecim tum annos natus, fratribus immatura morte sublati, patri substitutus, imbecilla ætate, infirmo ingenio, Castellæ regnum obtinuerat. matre defuncta, penes quam regni procuratio erat, Berengaria Legionis Regina pueri fratris ætatem regere, & reipublicam vniuersam ex matris testamento cœpit administrare: virili animo fœmina, maioriq; quàm pro sexu auctoritate. quam non tantum regni copijs, sed etiam ampla ditioe tueri solita erat, Vallisoleti, Mugnonij, Curielis, Gormatij. quæ oppida, quo tempore in Castellam redierat ab Alfonso Rege Legionensi repudiata, patris dono acceperat: vnde vitam principalem atque adeo regiam, nunc etiam regni procurationem sustentabat. Itaque Regem ciuilibus & bellicis artibus erudiendum curabat. regni proceres nonnullos 30  
 cupiditate rerum nouarum tumultuari, & reipublicæ tranquillitatem turbare satagentes, agendi dexteritate atq; intentatis minis ad sanitatem perduxit. caltigandis nouis flagitijs, & pristinis moribus reuocandis operam dabat, ea animi magnitudine constantia, atque prudentia, vt reipublica Alfonso patrem non magnopere desideraret. Verùm excellentis fœminæ instituta Laræ familia turbauit atque peruerit, regno assueta illectaque ex eo, vt fit, dominandi dulcedine. tres fratres germani Aluarus, Ferdinandus, & Gonsaluus Nunnij Laræ Comitis filij, malignis artibus ad regni procurationem contendebant, Berengariæ sexu despecto, Regis immatura ætate. alterius auctoritas fluxa erat, alterius nondum coaluerat. Impij conatus 40  
 vt procederent ex sententia, Roderici Primatis, qui vnus & fraudes detegere, & obsistere vnus maxime potuit, profectioe factum est. Conuentus Præfulum ex toto orbe Christiano Romæ tunc habebantur, Innocentio Pontifice de rebus multis & maximis, incredibili Patrum frequentia: prorsus vt qua-

quadringenti duodecim Episcopi essent: in his Archiepiscopi vnus & septuaginta, Patriarchæ Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, atque Antiocheni, Alexandrinique Legati. minorum sacerdotum numerus iniri vix potuit. Belli sacri in Oriente instaurandi, atque motus Galliæ componendi præcipua cura erat. In tantis nationum aliarum studijs, tantaque consternatione Rodericus Præsul occasione iuuandæ ecclesiæ deesse noluit. quin peregrinatione suscepta Romam abiit, & Patrum concilio, quod mense Nouembri inchoatum in templo Lateranensi est, interfuit. In eo conuentu orationem ad Patres habuit, Latina quidem lingua conceptam, cæterum 10  
 aliarum linguarum, quarum expers non erat, Italicæ, Germanicæ, Anglicanæ, Gallicæ, floribus, sententijsque ornatam, distinctam luminibus: vt miraculi instar Patribus esset, tantam Hispanum hominem linguarum facultatem asscutum esse, quantam ab Apostolorum ætate, vlli homini negabant contigisse. Actum præterea de primatu ecclesiæ Toletanæ, quem agnoscere Tarraconensis, Bracarenis, Compostellanus, & Narbonensis Episcopi recusabant. productæ pro ecclesia Toletana veteres Pontificum Romanorum & conciliorum tabulæ. producta argumenta ab ipsa prima Hispaniæ ad Christum conuersæ antiquitate: quæ in hominibus venerabilis in vrbibus sacra est. Roderici orationem cum Bracarenis, qui aderat, & Ausetanus Episcopus pro Tarraconensi refellere agresi essent: abessent alij, quorum intererat, lite integra discessum est, neutro inclinatis sententijs. Roderico tantum Legati Pontificij partes per Hispaniam decennio implere datum: concessumque, si quando Hispalis piorum armis cederet, quod in ea Almohadum inclinatione & casu fore propediem sperabant, Toletano Episcopo subdita esset, quasi Primati: prouocandi, contraque disceptandi sublata penitus facultate. Adiecta potestas trecentos filios nothos iure legitimo donandi: Episcopos & sacerdotes in ijs vrbibus creandi, quæcunque Mauris in Hispania essent ablata. Ex his rebus magnam Rodericus auctoritatem nactus est: quam litterarum ille atque eruditionis, vt ea ferebant 30  
 tempora, eximia opinione tuebatur. Extant de rebus Hispaniæ & Arabum gente historiæ, duobus ab eo conscriptæ voluminibus, non omnino inelegantes. Duo Raymundi Tolosani Comites pater & filius, cum interessent concilio, atque aduersus Monfortium Comitem disceptarent, lite contestata Patrum sententia victi sunt, principatuque spoliati, quod cum impijs hominibus arma sociassent. Simoni Monfortio nauatæ operæ præmium fuit Tolosa, aliaque oppida & vrbes bello quæsitæ parteq; Is ad Regem Francum profectus, se ei sanctissimi iurisiurandi religione obstrinxit, quasi beneficiarius: osculumque vtrinque delibatum est perpetuæ amicitia pignus. verùm cum suscepto principatu Tolosam, Carasonem, atq; Narbonem mœnibus nudasset ciuium diffidens voluntatibus, atque vestigalia grauissima imperasset, subditos abalienauit (& est auaritia in imperio semper exitiale malum) prorsus vt Raymundi filij armis multa oppida continuo ad Rhodanum cesserint: & aliquanto post Tolosa ipsa princeps ciuitas venit in potestatem. Profugos & egenos Principes, multi tota Gallia reguli, & ex Cata-

Catalaunia non pauci viribus & copijs adiuuabant. Amissam urbem Montfortius dum sacro bello instaurato obsidet, expugnareque parat, lapidis ictu, tormento ex vrbe emissi peremptus est: vir longiori vita dignissimus, consilio acer, manu strenuus, singulari pietate, atque magnitudine animi. filios reliquit fortissimos florentesque iuuenes Aimericum, Simonemque. Tamen Aimericus obsidione continuo soluta, & partæ ditionis magna parte amissa, rerum gestarum magnitudine, & fama paternam gloriam haudquaquam exæquabat. atque tantam belli molem viribus suis, inuidiamque populi ac magnæ partis Principum sustinere posse diffusus, iure suo Regi Franco celsit, ab eoque Magister equitum creatus est, haud æqua 10 permutacione. Verum hæc triennio post gesta sunt: ad ordinem temporum redeat oratio.

*Laræ fratres Castella procuracionem inuadunt. Cap. V.*



**G**ARSIAS Laurentius ciuis Palentinus audaci, callido, prompto ingenio, & pro ut animum incitasset, consilio bonus aut prauus, agendi dexteritate in Berengariæ gratiam se in primis insinuarat: & quod facillimum factu est, accommodatis officijs, adulandi scientia, bonis & modestis præferebatur. Laræ reguli 20 ambitione dominandi æstuantes, idoneum virum rati, per quem quod cupiebant, obtinerent, eum adeunt. quanto in periculo res essent, exponunt. Regis ætatem, Reginæ sexum accusant. facturum præclare, si pro ea auctoritate, quam obtinebat, Berengariæ persuadeat, uti regni procuracione, quod necesse erat, quod res communes exigebant, vltro abscederet. Id consilium reipublicæ salutare fore, Reginæ honestum, utile ipsi: cui Tablada oppidum, in quod oculos coniecerat, nauatæ operæ certissima merces proponebatur. Ille promisso lætus impensius etiam quam exigebatur promittit operam: nactusque 30 opportunitatem, in Reginæ incautæ aures identidem insusurrat: Imperandi onus graue esse, scemineis præsertim humeris impar. Eæ voces, tanquam syncero missæ animo non ingratae Reginæ erant priuatæ tranquillitatis & otij cupidæ, neque ignaræ grauiore casus è fastigio esse: stultum alieno nomine sua inuidia imperare velle. Addidit ille, Laræ fratres opibus & clientelis præualidos præ cæteris esse, malè cogitantibus obsistere in primis posse: puerum Regem si in eorum contradat potestatem, rem consultissimam facturam, regnoque vniuerso gratissimam. Natura nostra hoc quoque nomine praua est, quod præsentibus futura potiora fore arbitramur. Itaq; cum ad Garsia sententiam Præfules & proceres accederent, pars in fraudem impulsæ, pars scemineum imperium auersantes: Berengariæ facile persuasum, ut Regis & regni se procuracione abdicaret: & in Laræ fratres transferret. Redierat inter hæc Rodericus in prouinciam, Legati Pontificij potestate honestatus. in eius verba Laræ fratres iurare regni comoda 40 compulsi sunt: nemini ablaturus oppida & arces eorum fidei concreditas nisi Reginæ voluntate. finitimis Regibus bellum illaturos non esse: neque

que noua imperaturos vectigalia. Berengariam Reginam eo loco habituros, quo par erat sororem, filiam, & vxorem regiam. Rectè processuras res communes & priuatas eo icto foedere videbatur: si quid sanctum ambiciosi hominibus esset. Omnino Aluarus Lara accepta potestate, cuncta in ludibrium vertit. Burgis enim, vbi foedus factum est, discedens quæprimus, proceres quosdam seu veris seu confictis causis regno expulit: templorum redditus inuadere: bona publica & priuata domum auertere: patronis ecclesiarum, ijs præsertim qui è sacro ordine non erant, veterem adimere libertatem, qua sacerdotes nominare soliti erant. Diuini cultus refarciendi studium 10 facto prætendebatur, multis partibus labefactati. omnia raptim & violenter agebantur: neque legum neque temporum, ac ne periculi quidem ratio habebatur. Ea res Rodericum Decanum Toletanum Roderici Præfulis vicarium compulit, ut Aluarum ex ritu Christiano anathematis ignominia notaret. ea denunciatione compefci tantisper potuit, atque adigi uti damna ijs qui pertulerant reponeret: iniquus animus ut penitus mutaret, ingeniumque deponeret adigi non potuit. Vallisoleti regni conuentus agitati, ijs conuocatis ab Aluaro proceribus, qui factioni fauebant. publicæ vtilitatis specie vires confirmatæ aduersus omnes casus: publicæ auctoritate & consensu peccandi licentia quæsitæ. Proceres alij, in quibus Lupus Harus Didaci filius, 20 Gonsaluus Gironius Regiæ Magister, & fratres principem locum tenebant, cum doleret rempublicam ad vnius arbitrium verti, plusque vnum posse quam reliquam nobilitatem, consilijs communicatis Berengariam adeunt. queruntur procuracionem abdicatam. periculum docent, nisi maturè succurratur. bono animo reipublicæ curam abiecisse fatentur: sed quoniam pares rerum euentus non fuissent ad priora consilia necessariò recurrentum, extorquendamque regni procuracionem Laris fratribus hominibus immo- 30 dicis væsanisque. An cessatione, inquit, & tranquillitatis amore ludibrio esse rempublicam patiaris? & prius peccatum meliori consilio defines emendare? Quin regnum nobis inscijs amentis hominis potestati permisum capessis? nosque & rempublicam imminente malorum procella liber- 40 ras. armis enim tueri dignitatem, nisi in te aliquid præsidij sit, habemus præiudicatum. Tu vide, ne otij cupiditate te, nos, Regem, regnū & patriam prodidisse videaris. Mouebatur illa procerum oratione. agnoscebat erratum. cupiebat mutare. verum ingenij imbecillitas, & impendentis mali metus retardabat, si tenentes arma denunciatione noua irritasset. iurisiurandi admonere satis habuit, quod pessimis actionibus violasse videbantur, insolenti homines ingenio, feroci animo: prorsus ut Aluarus Lara peculiari Reginæ ditione occupata, ipsam regno abire iusserit. insignem audaciam, neque ferendam contumeliam. ea videlicet gratia meritis exolvebatur. Regina, 40 Eleonora sorore adiuncta Otellam arcem, quæ in Vaccæis non procul Palentia sita est, se compegit. loci munitione freta, eò ad fratris obitum se tenuit, adiuncta magna procerum parte. Gironio regiæ procuratio detracta est, subrogato in eius locum Ferdinando Lara. sic eius factionis opes confirmabantur. hæc semina magni alicuius mali in Castella iaciebantur. Rex su-

pra ætatem prudens, tutorum audaciæ & temeritatis tædio euadere cupiebat, & ad sororem migrare. cæterum omnes aditus Aluari diligentia interclusi erant. Atq; quo maior gratia esset, & adolescentis leniret animum, detineretq; illecebris voluptatum: de nuptijs Regis agere cœpit. Malfada Alfonso Lusitani soror in coniugium expectata: req; per legatos constituta Palentiam deducta est. in ea vrbe nuptiæ celebratæ. ægrè id habuit Berengariam. Regis immaturam ætatem voluptatibus debilitari necesse esse considerabat, atq; corrumpi. Ex eius litteris Innocentius Romanus Põtifex exceptione propinquitatis cognita, diuelli coniugium, quod malè cohæserat, edicto mandauit, dira omnia nisi obtemperarent, minatus. rei perficiendæ cura 10  
Episcopis duobus demandata, Tello Palentino, Mauricio Burgensi. Ijs agentibus Malfada mulier quamuis effecta (sic creditum est) in patriam dimissa in Ruchæ monasterio, quod ipsa condidit, vitam exegit ad ultimam ætatem, religionis studiis repulsæ ignominiam tolerans, Aluaro in primis irata: cuius fraude non tantum in calamitatem impulsa erat, sed & de coniugio appellare veritus non erat. felix & Regina paulo ante, mox  
1216 serui ludibrijs si consensisset obnoxia. Hæc salutis anno millesimo ducentesimo sextodecimo agebantur. quo anno, septimodecimo Kalend. Augusti, Innocentius Pontifex Romæ obiit, vir ijs corporis & animi virtutibus, 20  
quantas paucis contigisse satis constat. præter alia, ingenium fuit in utroque sapientiæ genere, diuinæ atque humanæ eloquentiæ præcellens. Successit Honorius eo nomine tertius, domo Romanus. Quo Pontifice Maria Regis Aragonij mater Romæ defuncta est, & ad sepulcrum D. Petronillæ in Vaticano templo sepulta. Is honor defunctæ fuit. ea requies ossibus procul à patria. viuentem varij curarum fluctus exagitarunt. manibus inferiæ datæ regio apparatus, Christiano more. Regni Aragonij, filijque Regis tutelam à moriente enixè testamento commendatam Pontifex libenter suscepit, gessitque per totam vitam accuratissimè. Regis ætas præsidio indigebat. procerum studia in diuersum incitata, sapientissimi Pontificis prudentia frænanda erant. multa enim indies mouebantur: totaque pro- 30  
uincia omnibus partibus labefactari videbatur, & in præcipiti esse. Raymundus Prouinciæ Comes suorum litteris sollicitatus Montione, vbi cum Rege captiui instar erat, eo tantum conscio clam cæteris, fuga elapsus nauis longa, quæ in Salonio Tarraconis portu parata erat, in patriam abiit. Eius præsentia motus grauissimi pacati: qui ex procerum dissidio impendere videbantur, tantum quoque sibi in republica arrogante, quantum viribus & potentia præstabat. Hic est ille Raymundus, cui Beatrix nupta est Thomæ Mauriennæ (vnde Sabaudi Principes) Comitissæ filia. tres  
iple Reges generos habuit annis consequentibus, quartum Cæsarem inaudita felicitate. Raymundi profectioe vulgata, magna Monredonium cura incessit, ne simili arte Rex eriperetur de manibus. penes alios liberati 40  
Regis laus esset, ipse inuidia flagraret, quasi captiuum tandiu retinisset. & alioqui grauitas viri & prompta libertas iuuuifa multis erat. In eam curâ intentus, tantæ rei cum dignitate perficiendæ cogitationes non explicabat,

bat. Petrum Asagram pro eo studio, quo Aragonios Reges coluit, & Petrum Ahonesium ex prima nobilitate in consilium adhibuit. ijs auctoribus atq; adiutoribus, Episcopi Aspargus Tarraconensis (Præful hic Pompelonensis fuerat) Guillelmus Turiafonensis, alijque viri principes Montionem aduocantur. Liberandi Regis, & in regni possessionem mittendi, tametsi nouem tunc natus annos erat, consilia communicata. In eam rem, fœdus inter se mense Septem-  
bri sanciant, per omnia sacra Regis incolumitatem, tutelamque iurati. Sanctius regni moderator, ferox verbis, & parta per scelus potestate superbus, ac vix potens mentis, procerum molitionibus indicatis, vt nihil esse occultum potest in  
10 intestina discordia, Ostro inquit, viam omnem sternam qua Regi progredendum est: hoc est, vt prudentes interpretabantur, eius & comitum sanguine. præ contemptu fastaq; nihil aufuros arbitrabatur: & cum manu tamen militari Selgam oppidum in ipso itinere positum accessit ad omnes casus paratus. Ea res magnum egresso Regi timorem incussit: prorsus vt in ea ætate lorica indueret pugnandi animo. Sanctius, qua de causâ incertum, sed cum victoria esset in  
20 manibus: nam pauci Regem comitabantur, genere tamen omnes factisque clarissimi, certamen exhorruit. Deus illi mentem eripuit. Id initium ruinæ fuit, qua breui præcipitauit. Rex Oscam primum, deinde Cæsaraugustam abiit. omnia ludis & lætitia plena erant, nullusque testificandæ voluntatis occasionem vllam præmittebat. Rege liberato magnæ res expediendæ erant, multis  
vis & metus intentandus. regij ærarij inopia præclaros conatus retardabat, tatis superioribus sumptibus, & tunc regni dissidio penitus exhausti. Catalaunim eximia prouinciæ voluntate Bouaticum (quod genus tributum per bouum iuga, gregum, & armentorum capita edicebatur, vnde nomen, & Petro Rege semel iterum & tertio exactum meminerant) Regi concessum anno millesimo ducentesimo septimodecimo. tantum ex eo vectigali pecuniæ redactum, vnde aulae  
sumptus tolerari possent: & bello occurri si qui de republica malè cogitarent. 1217

*Henrici Regis gesta & mors. Cap. VI.*

30 **I**NTER Berengariæ Aluarique dissidia proceres & plebes in Castella diuersis studijs ac contrarijs iactabantur. incertus erat rerum status. omnia versabantur in tumultu. pars in partem armabatur. populationes, cædes, incendia, scelerum licentia volitabat. commotæ semel voluntates noua Aluari fraude amplius exacerbata sunt. Erat Rex ea tempestate Maquedæ Carpetanorum oppido. Berengaria de fratris incolumitate sollicita, hominem mittit: qui dissimulata causâ, de Rege visa & explorata nunciaret. eo comprehenso Aluarus fingit à Berengaria litteras allatas, ipsius annulo impressas, quibus Regis intimis persuadebat,  
40 vti eum veneno tollerent. quò maior commento fides, innocenti homini gulam frangit. Id nimirum agebatur, vt Regi Berengaria in suspicionem veniret, in qua præsidium erat: & ab ea diuelleretur animo, cui maximè findendum populus iudicabat. Ex eo tempore omnia in peius ruere, & præcipitare cœperunt: prorsus vt fraude cognita oppidani eum finibus factò agmine  
Oo expu-

expulerint, perimere certi nisi se fuga Optam Regemq; subduxisset. eo Valuer-  
 dius quidam Regis rogatu missus à Berengaria, vt fugæ consilia communica-  
 ret, re indicata captus & ad Alarconium in custodiam missus est. Plures deinde  
 sed ignobiliores expeditiones factæ sunt aduersus eos qui Reginæ fauebant.  
 Suerum Gironium veteris prosapiæ hominem, & multarum imaginum, pri-  
 mum bello peti placuit. Vallisoletto, vbi Quadragesimæ tēpore Rex fuerat cum  
 copijs Montalegrum itum est, vbi se Gironius tenebat. circumsessum oppidum.  
 Gonsaluus & Alfonsus obsessi fratres opem ferre opportuno tempore distule-  
 runt. Regis id reuerentiæ datum est. quin eidem per faciales arcem expetenti  
 Suerus vltro tradidit, quamuis integris viribus magna defensionis spe. sed regia 10  
 maiestas diuinæ instar veteribus Hispanis fuit: primaq; tunc officij & regij ani-  
 mi promerendi cura erat. agris deinde finitimis illata vastitas. ad Carrionem  
 mox abs Rege statiua habita. Ex eo loco Villalbam oppidū promotā castra: vbi  
 Alfonsus Menesius erat, haud minori quàm Gironius nobilitate, modestia non  
 eadem. Regi enim non tantum portas clausit, sed etiam obstinato animo arcem  
 defendit. tametsi improviso Regis aduentu, cum extra oppidum tenderet ferme  
 oppresso, vulnus influctum. cæsi socij, equi capti. His rebus peractis Palentiam  
 Rex redijt. Tranquillæ res esse nō poterant, in tanta temporum perturbatione,  
 rātaq; inuidia, eius penes quem rerum potestas erat. Itaq; Calagurrim vrbem Ca-  
 meris fratribus Roderico & Aluaro ablatam abs regijs esse tradunt, arcem pro- 20  
 dente Garfia Sapata eius Præfecto: an vt tempori seruiret, an quoniam Regi  
 præfenti quidquam denegare nefas esse credidit. In Lupum Harum Viscariæ re-  
 gulum arma sunt promotā. qua ille iniuria prouocatus, post discessum Regis  
 cum valida militum manu Mirandam vsque oppidum ad Iberum situm proces-  
 sit. missus aduersus eum Gonsaluus Aluari frater castra hostium castris oppo-  
 suit. prælio ne dimicaretur viris sanctis annitentibus factum est: quorum opera  
 æstuantia pectora ad mitiora consilia reuocata. Inde Gonsaluus ad Regem se  
 retulit. Lupus Otellam ad Berengariam abiit. Id oppidum abs Rege obsessum  
 fuisse memorant: non tam voluntate sua, quàm Aluari fraude: ex cuius arbitrio  
 belli pacisque consilia gubernabantur. Omnino re infecta Palentiam redijisse 30  
 aiunt: actumq; de nuptijs Regem inter & Sanctiam Alfonsi Legionensis ex  
 priori coniuge filiam: pactasque ea lege, vt puella regni Legionis hæres esset,  
 excluso scilicet Ferdinando Berengariæ filio. quod non arbitror. sed non mi-  
 nor est historiæ per hæc tempora, quàm reipublicæ perturbatio. Conuenit: Re-  
 gem Episcopi ædibus hospitio exceptum, dum ludit cum æqualibus in area do-  
 mus, casu repentino oppressum: regulæ ictu comminutum caput. ex eo vulnere  
 vndecimo post die, feria tertia, octauo Idus Iunias extinctus est, anno eius secu-  
 li septimodecimo: magno fortunæ ludibrio: quæ, quid sibi non licere putet in  
 rebus humanis ferox & improba, adolescente Rege sublato in ipso ætatis flo-  
 re, in ipso imperij limine, vix prima vitæ dulcedine delibata? A iuvene quodam 40  
 è Mendozia gente regulam misso è vicina turri lapide confractam esse eam,  
 quæ in Regis caput illisa est, haud satis idoneis auctoribus fama vulgavit.  
 Corpus Olgas delatum, atque iuxta Ferdinandi fratris sepulcrum tumulo  
 repositum. quo in templo quotannis anniuersaria mortis die eius manibus  
 cantu

cantu lugubri parentatur. Regnavit annos duos, menses novem. Eo anno Mat-  
 thæi Olisiponensis Præfulis virtute industriaque in Lusitania oppidum, cui  
 Alcafari Salis nomen est, cum magna Maurorum strage captum fuit. Templarij  
 Hospitalarijque milites multum in eo bello iuuerunt: sed præcipua classis laus ex  
 Anglia, Belgio, Galliaque reliqua in ea littora appulsæ: eorum qui Innocentij  
 opera, quasi signo in Lateranensi concilio à Patribus dato, ad bellum sacrum  
 instaurandum, emenso Oceano & Mediterraneo mari in Syriam nauigare per-  
 gebant. Commodum id rebus nostris accidit. supra sexaginta Maurorum mil-  
 lia trucidata. ad septimum Kalend. Octobris acie dimicatum.

10

*Ferdinandus cognomento Sanctus Rex renunciatur.*  
*Caput. VII.*



V AE Henrico sorores erant natu maiores: Blanca, quæ Ludoui-  
 co Principi iuuentutis in Gallia Philippi filio nupsit, & Beren-  
 garia, ex Alfonso Legionensi Rege coniugij tempore quatuor fi-  
 liorum mater, Ferdinandi, Alfonsi, Constantiæ, & Berengariæ.  
 Blancam ætatis prærogatiua subleuabat, vt fraterni imperij hæres  
 esset, legesque Hispaniæ: si iura regnandi leguleiorum modo tabulis cōtineren-  
 tur, & non potius studijs populi, & Principum dexteritate, virtute, festinatione,  
 20 felicitate. quod in presenti accidit. Nam maturatis comitijs Blanca prætermis-  
 sa, procerum & populi consensu Berengariæ regnum delatum est. externum  
 imperium exhorrebant: & nouorum motuum materiem, si Gallia Hispaniæ cō-  
 missa esset, subtrahendam iudicabant. paulò illa ante regnum delatum, Lupum  
 Harum & Gonsalum Gironium Legionem amandarat, filium Ferdinandum  
 expetitur Aluari superbia edomanda: à quo Reginam teneri obsessam dictum  
 est. sed soluta obsidione tum quidem conatu reuocandi ad se filij Regina desti-  
 tit: nunc repetita flagitatio. festinatione opus erat, qua famæ de Regis morte ce-  
 leritatem præcederet: ne Alfonsus ad noui regni, quasi dotalis spem, animum  
 30 adijceret. quod nō temere de illo suspicatos esse rerum euentus aperuit. Omni-  
 no à patre est dimissus Ferdinandus, cum vterq; quid ageretur, ignoraret. iustus  
 comitatus adiunctus. Otellæ, vbi Regina mater erat, ipsa concedente continuo  
 Castellæ Rex salutatus est. inaugurationis cæremonia Anagari perfecta, sub fron-  
 dosa quidem vltimo: tanta siue morum ruditas erat, siue procerum & populi fe-  
 stinatio. Aluaro Comiti non minor cura erat regij obitus occultandi. partam  
 scelere potestatem fraudibus propagare satagebat, haud ignarus quantum præsi-  
 dij rebus suis decelsisset: neq; diu celari rem tantam posse. mora tantum cupie-  
 bat familiæ opes nouis præsidijs confirmare. Ad Tariegum defuncti Regis cor-  
 pus erat, quem Aluarius viuere prædicabat, sed quo minus aut sui copiam faceret,  
 40 aut se daret in publicum, aliam ex alia moræ simulabat causam. Ferdinandus &  
 mater Palentiam, lustrandi prouinciam studio progressi publica supplicatione,  
 omniq; lætitiæ significatione in vrbem excepti sunt. Parendi nouis Regibus au-  
 ctor præcipuus Tellius eius vrbis Episcopus. Dóniz oppidum, quod venientibus  
 portas clausisset, primo impetu captū. In eo oppido à quibusdam proceribus de  
 O o a concor-

concordia facienda mentio facta est. cæterum Alvarus regno affuetus ad nul-  
 lam pacis conditionem deduci potuit, nisi Ferdinando eius tutelæ commisso:  
 quod sperare nefas erat: petere insolens & temerarium. Et erat Ferdinandus nõ  
 incommoda ad imperandum ætate, annos natus decem & octo. tamen ex  
 hoc alij numero biennium subtrahunt. Pacis ergo spe abiecta, ad arma con-  
 uersi animi. Vallisoletum Reges abierunt, municipium in Vaccæis amplum &  
 validum. in eo ex vniuersa ditione cõuentus generales agitati sunt: omniumq;  
 ordinum consensu & sententia pronunciatum, Berengariam regni Castellæ a  
 morte fratris iustissimam hæredem esse: quod patre superstite semel & iterum  
 fuerat declaratum, vt Rodericus Præsul est auctor. nam quod addit inter foro-  
 res primogenitam fuisse, magis ex partium studio, quàm ex fide positum arbi-  
 tramur. tamen Roderici opinioni plures alij suffragantur. Illa vitæ priuatæ  
 studio, assuetaque præproperæ viduitatis incommoda, in contemplatione vitæ  
 per virtutem actæ solatijs honestis tolerare, regni sceptrum Ferdinando filio de  
 manu tradidit. in suburbio, vbi rerum venalium forum erat, abdicationis cære-  
 monia peracta. Rex in templum D. Mariæ maioris, tanto populi concursu &  
 lætitia, quantum fuisse non meminerant, deductus: atque in eius verba iuratum.  
 Alfonso Legionensis Rex Berengariæ artibus se delusum dolens, atque in  
 noui regni spem erectus, ferox cupiditate Sanctium fratrem præmisit, vt in Ca-  
 stellæ fines inuaderet. ipse cum copiarum robore subsecutus, in eam partem  
 populabundus irruit, vbi Gotthorum campi sunt. Magnæ ex eo bello impen-  
 debant Hispaniæ calamitates. Regina ancipiti malo permota, duos Episco-  
 pos Mauritium Burgensem, Dominicum Abulensem ad Alfonso legat: si  
 quo modo ab ea mente deduci posset: aut iniecta animo religione, aut agen-  
 di dexteritate. nihil non effecturi videbantur, pro ea quam gerebant sacra au-  
 ctoritate. Alfonso tamen ira non modò non resedit, eorum legatione exposita,  
 verum amplius accensa est. & ægroto animo faces Alvarus Lara & factio-  
 si alij subiiciebant: regnandi spem certissimam, quoniam eorum rationibus  
 dissidia commoda erant, pax exitiabilis. Itaque Episcopis amandatis, maiores  
 eo tractu prædæ factæ. cædibus, incendio, rapinis homines, agri, ædificia vexa-  
 ta. Burgos inde festinatum, vrbis regiæ potiundæ spe. Lupus Harus, alijque  
 proceres ex vrbe egressi, Regem Legionensem maiori aliquanto velocitate  
 quàm venerat compulerunt redire in patriam. Segobienfes & Abulenses à no-  
 uo Rege studijs auersi erant, Aluari Comitis artibus præoccupati. ij missis ad  
 Reginam, quæ Palentiam Vallisoletum abierat, legatis, errati veniam postula-  
 runt: paratos se imperata facere, nouisque officijs præteritam offensam compen-  
 sare. Vt erant polliciti præstiterunt. nihil illis pro Rege promptius fuit. nulli  
 fortiores in bello. incitabat virtutem ignominie demendæ cupido: studium se  
 Regi probandi. Duo Præsules Burgenfis & Palentinus Aluari voluntate Hen-  
 rici corpus Tariago, vbi eatenus absque honore sepulturæ fuerat, Palentiam  
 deferendum curarunt: inde Burgos Olgasque funus prosequente Berengaria.  
 Munnonium partium studijs parere recusans, Rex obsidebat, munitius oppi-  
 dum, quàm vt facile capi posset. eò se Regina peracto Henrici funere retulit.  
 quo tempore regionum virtute oppidum expugnatum erat captis militibus,  
 qui

qui in præsidio erant. Mox Burgis regni conuentus celebrati. ijs peractis Ler-  
 mam & Laram itum, quæ oppida in Aluari potestate erant. eam difficultatem,  
 sicut omnia alia Regis felicitas superauit, oppidis pari celeritate occupatis.  
 Burgis, quò se splendido triumpho retulerant, in Riuogiam festinatum: Bel-  
 foradum, Anagarum, Nauarretum, ijs in locis redacta in potestatem. No-  
 uo Regi omnia prona erant. Ingenium, fortitudo, formæ dignitas in flo-  
 renti ætate studia hominum conciliabant: Diuos causæ æquitas. Laræ tamen  
 reguli, quamuis tot cladibus castigati, non quiescebant. factionis ergo opibus  
 fulsi, & multorum studijs subleuati, quos toto procurationis tempore sibi ad-  
 iunxerant, supremo adhibito conatu, validas copias contrahunt: atque cum  
 ijs ad Ferrariolam consistunt, qua parte Regi Palentiam contendenti iter  
 erat. militum pars intra oppidum erat: Alvarus in villa proxima subliterat  
 cum paucis, regionum contemptu an ad ostentandam virtutem incertum. Id  
 certè exitio illi fuit. regij enim impetu facto viuum ceperunt, cum ex equo pro-  
 silisset, atque in terra iacens clypeo se protegeret. Magnum operæpretium fa-  
 ctum erat capto Alvaro, malaque finem cepisse, quæ rempublicam tandiu exa-  
 gitant. cæterum ex rebus lætis confidentia orta in eisdem incurrit difficul-  
 tates. redditus Alvarus oppidis & arcibus, quæ in eius fide erant Alarcone, Ama-  
 ia, Tariago, Villafranca, Belforado, Anagaro, atque Pancoruo non modò liber-  
 tati redditus est, sed etiã deterfa simultate ad Regis gratiam admissus. Castrum  
 Sericium & Orceionem Aluari frater Ferdinandus obtinebat. eas arces vt Regi  
 daret adduci non poterat militum numero fretus, & annonam in longum tempus  
 parata. Cæterum cum vim parari videret, Regi ea lege arces reddidit, vt eius no-  
 mine ipse se penes retineret, contactis aris fidem perpetuam iuratus. Id tem-  
 pori datum, quamuis non sine aliqua sugillatione maiestatis. verum republica  
 turbata, ea consilia maximè honesta, quæ tutissima. Pax diuturna non fuit: neq;  
 esse poterat stabilis. sexto mense, ex quo facta erat, Alvarus & Ferdinandus, cum  
 doleret auctoritatem imminutam, & assueti imperio vitam priuatam non fer-  
 rent, à Regis auctoritate palàm deficientes, nouam & validam militum ma-  
 num conscribunt. Gotthorum campi omni iniuria & latrocinio vexati. Ij mo-  
 tus breuem & facilem exitum habuerunt. Regis occursum, cum ad Medinam, cui a  
 Riuo sicco cognomen est, processisset, fratres cõpuli sunt Castellæ finibus abs-  
 cedere, & ad Legionensem Regem commigrare, interceptum iniuria (sic ipse  
 ferebat) regnum dolentem, & ad omnem occasionem intentum, belli in filium  
 Regem instaurandi: quod erat iniquum & inhumanum. sed omnia pietatis iura  
 confundit funesta imperandi ambitio. Ijs auctoribus magnos à Legionensi Re-  
 ge delectus haberi nunciatum. quorsum res spectarent dubitabat nemo. Castellæ  
 proceres quidam hoste præoccupando in fines Legionenses irruerunt. eos Le-  
 gionensis Rex intra Castellionem pagum, Medinam Campestrem inter, & Sal-  
 manticam situm, improuiso adueniens, dum obsidet, eius castra secutus Al-  
 uarus morbo repente tentatus est. Reges inter induciæ pactæ. ex ea re mole-  
 stia concepta animo, & ad morbi vim adiuncta, Alvarus Tauri, quam in vr-  
 bem lecticariorum humeris se deferendum curarat, breui extinctus est homo  
 immodicus, & reipublicæ dum vixit fax. sub mortem scelera procurandi, nu-  
 minis-

minisque promerendi spe, militiæ S. Iacobi vestem insignem induit. defuncti corpus Vrcelæ sepultum est. Ferdinandus frater ad Marrociū in Africa, quo se contulerat rebus in Hispania desperatis, Elboræ, quod oppidum prope Marrociū à Christianis hominibus incolebatur, Miramamolini permissu, desperata à medicis salute, exemplo fratris militiæ D. Ioannis veste desumpta, animam exhalauit. corpus in Castellam relatum, in Fiteri ponte eius militiæ, in agro Palentino, domicilio vxore Maiore, Ferdinando & Aluaro filijs funus curantibus sepultum est. Castella quieta esse cœpit, cum auctoribus non modò intestinis disidijs, sed etiam metu nouæ calamitatis sablato, in futurum meliori spe: induciæ modò inter patrem & filium stabili pace mutarent. In Mauros mota arma sunt. milites sacri cruce insigni desumpta, ex composito in veteres Vetonum fines irruunt: vastatis agris, incensis pagis, Castra Cæcilia circumfessa. sequebatur incondita multitudo, non magis spe veniæ, quàm prædæ cupiditate. continui imbres iniquissimo anni tempore nostros compulerunt, sine anni millesimi ducentissimi octauidecimi, re infecta sese in pacata vt referrent.

1218

*Pijs hominibus domicilia per Hispaniam constituta Cap. VIII.*



**I**C erat in Hispania rerum status. exteræ prouinciæ haud meliori conditione intestinis seditionibus, bellisque personabant. ex bellis, vt fit, cum alia mala & clades, tum vitiorum & scelerum seminarium existerat. malorum licentia, consuetudo peccandi, veteræ existimationis lucem extinxerat: vitia pro virtutibus computabantur: probè factis, quæ summa prauitas est, vitiorum nomina asfingebantur. In tantis tenebris, tantaque ignoratione veritatis quidam homines (vt ferè omni ætate contingit) excitati, ipso vitæ genere excellentes & admirabiles in viam immortalitatis, quam Christus aperuit, obduxerant vitia, mortalium mentes inducere non desistebant. His cum se promerendæ pietatis studio, multi alij adiunxissent, eandem viuendi rationem abiectis rebus omnibus æmulati, variæ piorum hominum per hæc tempora familiæ societatesque extiterunt. In hoc numero principem locum Dominicus tenuit, Calarogæ natus in agro Vxamensi, pari propemodum Vxamam inter & Arandam interuallo. In minori ætate Canonicis regularibus se adiunxerat, qui ad D. Augustini regulam vitam conformabant. vir factus, extirpandæ Albigenis sectæ, atq; radicibus conuellendæ operam in Gallia nauauit, vt est superius indicatum. operi intentus, cum quanta esset præconum verbi Dei penuria considerasset, qui optimis vitæ exemplis, doctrinæque præceptis, ad pietatem errantes ac vagos homines erudirent: vitæ genus excogitauit, quod qui sectari vellent, sacris cõcionibus euulgandoq; toto orbe Euangelio vacarent. Eius vitæ formulam de scripto conceptam Honorio Rom. Pontif. obtulit: ac primo pontificatus anno probauit. biennio decurso, se hoc ipso anno in Hispaniam retulit: diplomateq; quod à Pontifice Romano abstulerat, Regibus & Principibus promulgato, eorum consensu aliquot domicilia præcipuis in vrbibus socijs constituit. primum Segobiæ, Madriti alterum, tertium Cæsaraugustæ. Rebus perfectis in Hispania, quinquēnio post Bononiæ

10

10

30

40

noniæ Galliæ Cisalpinæ vrbe primaria obiit, vitæ innocentia & virtutibus clarus, eius familiæ conditor, primusque auctor: vnde quasi ex sapientiæ pietatisque arce, viri prodierunt magno numero, in omni virtutum genere admirandi. Ipso anno quo Dominicus in Hispaniam venit, Barcinone noua piorum hominum instituta sodalitas est, nomine D. Mariæ de Mercede. Multi terra marique Christiani homines capti à Mauris, & in seruitutem abacti, vitæ acerbitate à Christo data fide mouebantur. magnum id dedecus religionis erat, Christiani nominis probum. cuius procurandi studio hominum societas instituta, qui corrogatis vndique eleemosynis stipe redacta, captiuos cum fide redimerent. Iacobus Aragoniæ Rex præcipuus eius ordinis auctor esse creditur voti reus, vt quidam scribunt, quod Montione dum captiuus instar teneretur, Virgini matri nuncuparat, vsu edoctus quantum esset captiuitatis malum. Secundum Regem Petrus Nolascus homo Gallus, ducem secuturis se præbuit; optimisque legibus & institutis nascentem familiam temperauit. regia insignia cruce imposita in rubro clypeo ad vestem candidam & cucullum, toti familiæ distinctionis gratia contributa sunt. ipse in sanctæ crucis coram Rege & proceribus de manu Raymundi Pennafortij, qui tunc Regi à confessionibus erat, & deinde ordinis Dominicani Magister fuit, solenni cæremonia suscepit. Secutus est Franciscus Assinas in Vmbria ciuis, singulari innocentia, modestia & sanctitate vir celebrior inter cæteros ac nobilior. Is cum Honorio ipsi vitæ genus quod excogitaret probasset, venit in Hispaniam, atque in vltimam penetravit Lusitaniam. multa ei ordini domicilia tota prouincia breui excitata: Barcinone, Cæsaraugustæ, alijsque in vrbibus & municipijs Hispaniæ. Vitæ austeritate, & honorum despectu, veste præterea horrida & squalida studia hominum excitabant. Francisco socium se adiunxit Antonius cognomento Patauinus, excellenti probitatis & sapientiæ opinione, relictis Canonicis regularibus D. Augustini, quibus se iunior addixerat in D. Vincentij Olisipone, vbi natus ipse erat, & in S. Crucis Conimbricæ primos iuuentutis annos transegerat. Ferdinandi nomen, quod ab incunabilis erat, eius monasterij appellatione mutauit, in quo Francisci vestem induit. præcipuas Italiæ vrbes Euangelij luce illustrauit: eiusque opera multi ad meliorem frugem perducti. magnis in ea professione laboribus perfunctus Patauij obiit, vbi templo dicato magna hominum religione colitur. Is videlicet honos probitati debetur, is cultus Deo auctori sanctitatis, & vindici. Dominicum, & Franciscum sanctos vita Gregorius nonus Pontifex Maximus consecrauit. In Castella nouus impetus in Mauros factus est. Rodericus Toletanus belli concitator. strenuum hominem & nunquam cessantem. Cruce insigni ad ducenta hominum millia conuenere. cum tanta multitudine in Contestanos itum est mense Augusto, salutis anno millesimo ducentesimo nonodecimo. ignobilia aliquot oppida capta. Requenam promotæ castra. capi non potuit, quamuis supremo cœtu à nostris adhibito. tertio Kalend. Octobris oppidum circumfessum. ad tertium Idus Nouembris soluta est obsidio. tanto apparatus par successus non fuit. Maurica tantum præda abacta.

10

20

30

40

1219

1219



**I**NTEREA Iacobus Aragonius Rex Sanctium patrum exau-  
 ctorabat, mutantemq; & meliora pollicitum recipiebat in gratiam.  
 moxq; ipso anno millesimo ducentesimo nonodecimo (quo anno  
 Hispania vniuersa propter aeris siccitatem, annonæ penuria maxi-  
 ma, & peste laboratum est) prima militiæ rudimenta, tyrociniaque ponebat,  
 ætate minor, ac vix vndecim annos natus, indolē animi præcipua atque excel-  
 lenti, clarus ante alios. Rodericus Lisana homo præpotens, ex priuata simulta-  
 te Lupo Albero quamuis propinquo atque necessario, infensus ipsum impro-  
 viso adortus captiuus instar in suæ ditionis arcem Lisanam abduxit. monitus  
 abs Rege vt mutaret, & iracundia siue posita, siue inimici calamitate satiata  
 ad sobriam cogitationem animum reuocaret, adduci non potuit dicto vt ob-  
 temperaret. Regis ætas contemptui erat: & tantum sibi quisque in republica  
 licere volebat, quantæ vires essent. Ea res compulit non magis vindicandi mi-  
 seri hominis studio, quam tuendæ regiæ dignitatis necessitate arma sumere.  
 mora Osca castra, vbi conuentus gentis erant. Alberum oppidum paulò ante à  
 Roderico captum, ex ditione intra biduum in Regis potestatem venit. Li-  
 sanæ arci, quoniam voluntate nihil pro sano facturos milites sperabant, vis  
 admota: ac tandem expugnata est. balista magnitudine eximia Osca iussu Re-  
 gis allata ingentibus saxis quingentis noctu, mille interdum emissis muros ar-  
 cis, sed & præsidarios milites subruerat. eius tormenti, quod ipsi fundibulum  
 vocabant, ope potissimum victoria parta est. Lupus qui in arce erat libertati  
 continuo redditus. Rodericus amissa arce, quoniam nihil fore tutum provide-  
 bat, ipsūque inter & Petrum Asagram vetus amicitia erat, præsidij causa  
 Albarracinum abiit. inde cum more eius seculi patriæ regnoque publicis ta-  
 bulis renunciasset, regni finibus bellum intulit. Rex insolentiæ impatiens, & à  
 præclaro militiæ initio animosior factus, eo contendit. In Contestanorum  
 & Celtiberorum finibus vrbs Albarracinum sita est, numero ciuium exigua,  
 locorum natura munitissima. vndique excelsi, & prærupti montes ambiunt.  
 alluit, ac pene circulo cingit Turia fluuius altissimis ripis. Eam urbem Rex  
 corona circumdedit munitiorem, quam vt breui tempore capi posset. machinæ  
 extructæ. opera ædificata à regijs. nihil tamen præcedebat: cum neque machi-  
 næ propter locorum iniquitatem admoueri muro possent, & nitentes per ar-  
 dua regij ab obsessis propellebantur. præterea, vt in ciuili discordia, omnia  
 Regis consilia obsessis indicabantur. Duo menses in ea obsidione consumpti,  
 in medijs æstatis ardoribus: donec nocte quadam obsessi vrbe egressi, Regis  
 opera disturbanunt: tormentum præcipuum igne supposito cōsumpserunt. Re-  
 gem notundæ vrbs spes frustrata. & erat exiguus militum numerus, ac vix  
 equales centum quinquaginta. peditum numerus non proditur. Itaque Rex  
 tantis difficultatibus implicitus, obsidionem soluit. Petrus Asagra ad eius gra-  
 tiam breui aditum inuenit, proceribus, cum quibus magnæ necessitudines  
 erant, annitentibus: quoniam tanti viri operam fortem & fidelem Regi fore,  
 atque proinde vtilissimam non inepti vates iudicabant. & fuerat regiæ Ara-  
 gonix

gonix Magister creatus: ea superioribus meritis gratia habita. Quo anno  
 millesimo ducentesimo vigesimo hæc in Aragonia mouebantur, Ipso D. An-  
 dreæ festo die nuptiæ Ferdinandum inter Castellæ Regem, & Beatricem Phi-  
 lippi quondam Germaniæ Imperatoris filiam celebratæ sunt. Regis ætas idō-  
 nea erat: & ne præpostera voluptate ab officio deduceretur mater sollicita ve-  
 rebatur. missi in Germaniam legati ea de causa ad Fridericum secundum, vir-  
 ginis patrualem Mauritius Burgensis Episcopus, Petrus S. Petri ad Allan-  
 tiam Abbas, serius quamuis opinione, quatuorque omnino mensium patientia  
 rebus confectis, sponsam per Galliam, in Hispaniam deduxerunt, anno ex quo  
 10 discesserant euoluto. Lutetiæ à Philippo Rege, cum ea iter esset, splendido ap-  
 paratu excepti sunt, lautè & liberaliter habiti. ad Cantabriæ fines Berenga-  
 ria officij causa obuiam processit: nurumque Burgos profecuta est: quoniam  
 ea vrbs connubio iungendo delecta erat. sacra nuptiarum cæremonia peracta,  
 antistite ipso Mauritio Episcopo, in eius vrbs templo maximo: cum pridie  
 eius diei in Olgarum monasterio eodem antistite sacris operante Rex sua se  
 ipse manu militari gladio cinxisset, quoniam dignior alius non erat, more ea sa-  
 ne tempestate inter Hispanos vsitato. Fuit hoc coniugium sobole faustum. se-  
 ptem ex eo filij Alfonso, Fridericus, Ferdinandus, Henricus, Philippus, San-  
 ctius, Emanuel, quo eos ordine numerauimus nati sunt. præterea Eleonora in  
 20 infantia rapta, & Berengaria Olgis olim virgo sacrata. Eodem tempore Ara-  
 gonios cura sollicitabat suscipiendæ ex Iacobo Rege legitime sobolis. Sanctij  
 enim & Ferdinandi, cum spe regnandi factiones renascebantur, magno in-  
 commodo rerum publicarum. Vnum remedium erat Regis nuptias maturan-  
 di. immatura tantum eius ætas opponebatur. vicit tamen publicæ vtilitatis  
 species: missique ea de re ad Berengariam legati, Eleonoram sororem postula-  
 tum. conditio reiicienda non erat. Itaque Agredam Castellæ oppidum ad fines  
 Aragoniæ, quo prior Berengaria cum sorore venerat, Iacobus Rex regni pro-  
 ceribus stipatus accessit. In eo oppido nuptiæ pactæ, dataque sponsalia sexto  
 30 Februarij mensis die, salutis anno millesimo ducentesimo vigesimo primo.  
 nuptiarum solennia Turiasone in D. Mariæ Campeltris continuo celebrata  
 sunt, tam imbecilla Regis ætate, vt sponsa non ante annum & sex menses ex  
 virgine mulier effecta sit, vti Rex ipse auctor est ea historia, quam de rebus  
 suis ipse conscripsit. Toleti D. Romani ædes in summo cliuo à Roderico Ar-  
 chipræsule sacrata ad duodecimum Kalend. Iulias die Dominico. Proximi  
 Nouembris die vigesimo tertio, qui dies Martis fuit, memoria D. Clementis  
 anniuersaria facer, in ea vrbe Regi Ferdinando Alfonso filius natu maximus  
 natus est. Decembri incunte terræ motum, quo vrba ædificia concussa sunt,  
 consecuti imbris, atque ventorum vi multis partibus priuæ ædes mœniaque  
 40 ijs cladibus obnoxia vrbs Toletum esse conlueuit, locis sublimibus sita, im posi-  
 ta rupibus, procul à mari.

*Ferdinandus Rex novos motus componit.*

*Caput. X.*

O o 5

VASCONES





præterea Eleonoram Daniæ quondam Reginam, vt Lusitanorum historiæ tradunt, verò an falso non disputamus.

*Bellum in Mauros sumitur. Cap. XI.*

**I**NTESTINIS motibus in Castella compressis Ferdinandus Rex regni potens, quo diuturnior pax esset, controuersijs omnibus inter prouinciales compositis, obliuionem iniuriarum & præstitit ipse & exegit. vrbibus & per prouincias eos iuridicundo præfectos imposuit, quos maximè industrios esse nouerat, & gratos in primis fore ciuibus suspicabatur. hæreticis insensus maximè, quos tormentis exagitandos curabat: solitus ipse quasi victimarius ignem arsuris manu, lignaque subijcere improbitatis odio. Albigenes in Hispaniam penetrasse superius est dictum. Ijs ex rebus præcipuam à subditis beneuolentiam promeritus, ne otio ij marcescerent, partaque abuterentur pace, belli Maurici instaurandi cogitationem suscepit. Magni in eam rem delectus habebantur, cum Conchæ, Optæ, Moix, atque Alarconis ciues Regis voluntate perspecta, collecta suorum manu in Valentinos fines inuēti sunt. vastati agri. incensæ villæ. oppida direpta. Maurica spolia domum relata. Rex initio lætus, quasi ad torius belli omen spectaret, iusto comparato exercitu in Bætiam irrupit. Regem Rodericus Præsul Toletanus eius belli præcipuus concitator, militiæ sacre Magistri, Lupus Harus, Rodericus Gironius, Alfonsus Menesius, alijque viri principes sequebantur. vix Castulonensis saltus superatus erat, cum Biatæ Rex Mahomad, se in Regis Ferdinandi potestate fore renunciauit, paratum imperata facere, nostrosq; in urbem recipere. Mauros ingens terror occuparat: voluptates emollierant, intestinæ discordiæ debilitarant. Guadalhimare, vbi Rex Maurus in fidem acceptus erat, Quædam oppidum itum est. Oppidani loci firmitate ausi obsidionem tolerare, vi capti: signoque dato, vt omnes puberes interficerentur, in prædam cessere numero septem millia. horum calamitate cæteris documentum datum vitandæ similis temeritatis. Quid attinet omnia quæ hac expeditione sunt gesta referre? multa oppida ab incolis nostrorum metu deserta: alia ex deditioe redacta in potestatem. pars euerfa. pars occupata præsidijs. Lupus Harus, & militares Magistri sacri, Biuoras cum copiarum parte amandati. pulso cæsoque præsidio mille quingentorum Arabum oppidum captum est. Ijs rebus ætate patris, Nouembri mense anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto Toletum est reditum exercitu incolumi: vbi vxor Regina, & Berengaria mater, Regis aduentum sollicitæ expectabant. vota pro eius salute suscepta passim exolebantur, festique dies omni lætitiæ significatione agebantur. Concham mox urbem abs Rege itum est, Valentini belli instaurandi destinata voluntate. Valentia Rex Zeitus, & proxima clade suorum castigatus, & maioris mali metu permotus, in eandem urbem venit: certus se suaque, vt fecit, in fidem Ferdinandi contradere. Graue id Aragonijs visum est, ipsorum armis Maurorum ditionem destinatam, contributam imperio, à Castellæ Rege occupari. actum de iniuria per legatos:

legatos: & vindictæ tamen, virtutisque ostendendæ studio, veteres Numantini agri Aragonijs armis vexati. ne maioribus odijs certaretur, rerum in Aragonia difficultate factum est. Guillelmus Moncada, Petrus Ahonesius, Ferdinandus Regis patruus Tahuste, quod oppidum in Petri fide erat, inter se conspirant: coniurantque Regem se in eorum potestatem redacturum. species erat publicæ utilitatis cura, quam abs Rege pessimis consilijs dum aures accommodat, pessundari inter se conquerebantur. re Moncadam inuasæ creptæque ditionis dolor vrebatur. Ferdinandus tametsi monachus erat, & Montaragonis Abbas, regnandi neque spem neque cupiditatem posuerat. Corrupti praua ambitione animi ægre sanantur. Ahonesius Regis antea consiliorum potens, gratia ne paulatim exolesceret vrebatur. In id foedus fraudemque Nunnus Sanctij Ruscinonensis filius veteri deposita similitate inductus est, Lupo Luesia sermonum interprete. Erat is cum Rege Alauonæ. coniurati cum suorum manu ad Regem irrumpunt. suadent blandis verbis, vt Cæsaraugustam contendat, loco commodiore de rebus magnis deliberaturus. Ingeniosior simulatio veritate. Rex non obscuris tamen indicijs, in officij simulatione insidias subesse odoratus, quod necesse fore prouidebat, libenter se facturum pollicitus est. & vtcunque res cecidissent, commodiorem sibi urbem præuolidam exiguis oppidis fore existimabat. Ventum Cæsaraugustam. ad Sudam veterem Regum aulam Rex diuertit. Ferdinandus omnes aditus obseruari mandat: sublata Regi quenquam conueniendi, & omnino litteras scribendi facultate. In eam rem fidelissimi homines destinati, Martellus & Boinus regiæ alioqui cohortis præfecti. Verum in ea labe temporum fides grauissimum crimen erat: perfidia officium esse credebatur. magnum seculo dedecus, Aragonio nomini ignominia, reipublicæ vniuersæ vulnus impressum. Viginti amplius dies Rex in custodia fuit. neque prius est libertati redditus, quam tum rebus alijs satisfecit, tum Moncadæ ablata oppida & arces, & viginti præterea nummuum millia se restitutum pollicitus est. neque tamen foedere quamuis facto, rerum procurationem, ex quo semel arripuerat, deponebat Ferdinandus, Regis modò ætatem excusans, aliam modò ex alia moræ causam nectens. Rex numine fretus, nam aduersus tantas difficultates consilio humano satis prouideri non poterat, patientia & dissimulatione mutationem aliquam expectabat. Res in Castella vt cœperant, meliori multo conditione erant. Ferdinandus enim Rex, ne cessatione sua Mauris se colligendi potestas esset, ad prima veris signa anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto copias ex hibernis deducit, nouosque delectus habet. iusto conflato exercitu, rursus in Bætiam irruit. sequebatur Rodericus Toletanus Præsul, sine quo ea tempestate nihil magnæ rei gestum inuenio. Biatæ Rex maiori quàm pro barbaro fide, officioque nostris tota ditione rerum omnium copiam fecit, portas aperuit. Illiturgis Tuccique ea expeditione capta. Tucci Calatrauz militibus dono dati: vt eorum præsidio instar firmissimi propugnaculi esset aduersus barbarorum impetus. agri circumcirca vastati. direpta oppida. prædæ abactæ. Sodarum oppidum ijs locis de Mauris captum. exercitus spolijs grauis præcipiti ætate in patriam reductus. Idem consequentibus annis fit. tanta erat cupiditas gen-

tis barbaræ extirpandæ penitus, deturbandæque tota Hispania. Quo anno res  
 Aragoniæ meliori conditione esse cœperunt. Rex Cæsaraugusta Dertusam vr-  
 bem maritimam abiit, non procul Ilergaonum finibus ad Iberum fluuium  
 positam. prosequuntur simulati officij causa coniurati proceres, multis alijs in  
 terea factioni adiunctis. In his principem locum obtinebant Sanctius Cæ-  
 saraugustanus Episcopus, Ahonclij frater: & Erillus Ilerdæ Episcopus. Rex  
 depellendæ tyrannidis, quam in ipsum rempublicamque ij proceres exerce-  
 bant, secum consilia agitabat. aulicis parum fidebat, in tanta factionum labe.  
 optimum visum est Hortam Templariorum oppidum clam coniuratis conce-  
 dere. Id ubi ex sententia processit, regni proceres Turulim urbem vt armati 10  
 conuenient edicto iussi sunt: bellum sibi aduersus Valentinum sumere in ani-  
 mo esse. quod fore gratissimum propter odium gentis cunctis ordinibus arbi-  
 trabatur: & ad sancendam auctoritatem magni referre cogitabat, si parta de  
 Mauris victoria paternæ ditionis fines propagasset. Hæc coniurati proceres  
 tanquam puerilia irridebant. pauci ex Aragonia, è Catalaunis aliquanto plu-  
 res ad dictam diem conuenere. cum ijs copijs in Ilergaonum fines inuectus,  
 agrisq; circumcirca allata vastitate Peninsulam oppidum circumfedit: inde di-  
 ctum, quod in rupe altissima è regione Balearis maioris situm sit, omni ferme  
 ex parte ambiente mari. assurgit in metæ modum. in infima rupe cauernæ mul-  
 tæ sunt, fonsque aquæ dulcis continuò influens in mare. mille passus ambitus 20  
 comprehendit. locorum asperitas, nisi qua parte ædificia sunt, maxima. situ  
 inexpugnabile oppidum esse videtur. Zetum Valentia Regem Aragonia ex-  
 peditione nunciata, non secus ac si hostis ad portas esset, metus inuasit: cuncta-  
 que trepidatione plena erant. Legati de pace missi inducias abs Rege Arago-  
 nio ea modò lege impetrarunt, vt quinta vectigalium quæ Valentia atque  
 Murcia pendebantur, tributum nomine quotannis Aragonij Regis esset. Eo fa-  
 cto foedere ab obsidione discessum est, Turulim primum, deinde Cæsaraugu-  
 stam versus. In eo itinere al Calamociam pagum Ahonesius occurrit, cum sua  
 & Sanctij fratris peculiari manu, in Valentinum fines prædæ causa irrumpe-  
 re parans. agrè Regem habebat, intempestiua excursionem pactas à se vio- 30  
 lari inducias. à proposito dehortari conatus, factos sumptus excusantem com-  
 prehendere tentauit. elapsus è manibus regij comites peremerunt, vnà cum  
 Rege fugientem secuti. virum industrium atque præclarum ea ætate, qui  
 nulla nobilitate conspicuus, Boleam oppidum & Suprarbem Petro Rege op-  
 pignerante, ditione obtinebat: nisi priora officia intimamque familiarita-  
 tem, qua Regi adolescenti assueuerat, coniurationis perfidia commutasset.  
 Fuit ea cædes inuidiosa Regi, Ahonesij præsertim ditionem aggresso: pror-  
 sus vt vrbes Aragoniæ præter Calataiubam, Ferdinandi patris auctoritatem  
 secutæ à Rege deficerent. Eam animorum alienationem, dum Rex sanare co-  
 natur, armisque oppida & vrbes ad officium pertrahere, resistunt aduersa- 40  
 rij: bellum vario euentu in Aragonia ducebatur salutis anno millesimo du-  
 centesimo vigesimo sexto. Quo anno Ludouicus Rex Gallia Auenione ex-  
 pugnata, nudataque mœnibus, ne se amplius in ea vrbe Albigenes con-  
 firmarent, Mompellerij Idibus Nouembris extinctus est. Successit Ludoui-  
 cus

cus filius eo nomine nonus, cui amplitudo rerum gestarum, & pietas animi  
 Sancti cognomen fecerunt. Alfonso frater Pictauiensis Comes Raymundi  
 Tolosatis filiam in coniugio habuit: vnde illi gradus ad eius vrbes principa-  
 tum. duo præterea alij Ludouico nouo Regi fratres fuerunt, Robertus Atre-  
 batensis & Picardie Comes in Gallia Belgica parte: Carolus Andegauensis  
 Dux, Prouinciæ Phocænsis Comes, ac deinde Sicilia Rex.

*Ferdinandus Baticam repetit.*

*Caput. XII.*

10



AVRORVM natio in Hispania in præcipiti esse cœpe-  
 rat. neque id Ferdinandum Regem fugiebat, neque Rodericum  
 Toletanum Præfulem: cuius ea auctoritas erat, quæ esse maxi-  
 ma potuit. Eo incitatore noua expeditio aduersus Mauros sus-  
 cepta. ne ipse vt consueuerat Regem prosequeretur, importu-  
 na vi morbi factum est, quæ ad bellum intentum ferme oppressit Caracæ.  
 Dominicus Palentinus Episcopus vicaria ab eo potestate accepta Regem  
 est secutus. In ea expeditione aliquot oppida ignobilia à nostris capta sunt.  
 præterea Giennium vrbs præsidio quamuis militari & operibus aduersus  
 omnes casus munita, circumfessa est. expugnari tamen non potuit, præser-  
 tim cum Aluarus Castrius patria aliquantò antea renunciata, & eum se-  
 cuti centum sexaginta equites obsefforum animos confirmarent, ne Regi  
 deditionem facerent. Aluarus eius Ferdinandi filius fuit, quem Marrocij ex-  
 tinctum diximus: & Castria gens per hæc tempora ad Mauros sæpe defe-  
 cisse visa est. facinoris idonea causa non fuit: nonnulla tamen incitabat.  
 Priegum oppidum, quod Mauri fortunas suas tanquam in arcem contule-  
 rant, vi expugnatum. cæsi captique omnes oppidani, præter eos, qui cum  
 ad arcem confugissent, deditione facta in fidem recepti sunt. Loxa mox  
 bello tentata, & pari celeritate capta est. oppidani in arcem dilapsi, dedi-  
 tionis conditiones retractando tempus extrahere, nostrisque illudere visi  
 sunt. Capta itaque per vim arce, omnibus qui inuenti sunt, trucidatis etiam  
 in tecta sæuitum est. eaque re documentum datum cæteris, haud impunè  
 victorum animos exacerbari. Alhambra sanè incolæ, quæ magnam in Tur-  
 dulis habebat opinionem virtutis, loco munita, quippe rupi imposta, com-  
 meatu & supellectile magna ex parte relicta, Granatam urbem aufugerunt.  
 ab ijs, cum superiores eius vrbes partes domicilio designatæ essent, ea Gra-  
 natæ vrbes regio nomen accepisse creditur, quæ hodie Alhambra nuncu-  
 patur. Nostri abeuntium iter consecuti, Granatæ agrum, ac eam planiciem,  
 quæ vrbi coniuncta est, præcipua amœnitate. omni belli iniuria deforma-  
 runt. Ciues veriti, ne reliqua hostilis flamma consumeret, pacis spem ten-  
 tare constituunt, internuncio legatoque ad id Aluaro Castrio. cuius quoniam  
 insigni in bello virtutis opinione erat, ad officium pertrahendi spe: præterea  
 mille trecentos è Christiana gente captiuos, qui vltro offerebantur, libe-  
 randi studio postulatis Rex annuit. belli impetus Montigiam conuersus.  
 idque

idque oppidum solo est æquatum. omnia nostris prona erant: hostibus aspera. nam & per hæc tempora Capellam alia parte de Mauris captam inuenio: quam veteribus Mirobrigam fuisse marmora docent ea voce inscripta loco reperta. sed breui ad Mauros redijt. anni tempus diutius bellum trahi non sinebat. Calatrauz Magister Tuccos atque Illiturgim, hoc est, Martos Andugiaremque præsidio obtinere iussus est, adiuncto Alvaro Castrio propter locorum notitiam: & quoniam Mauris diu assueuerat, virtutem amplius concepta ignominia excitabat. Rex Toletum, vbi Regina erat, regressus diligenter quæ bello necessaria erant comparabat. milites ad Bæticæ præsidium relictæ, ne nihil viderentur agere, manu facta Hispalensem agrum præcipua inter Hispaniæ 10 regiones nobilitate vastare aggressi sunt: prorsus vt in ciuium oculis prædia villæque passim ex incendio fumarent. Abullalis Hispalensis Rex iniuriæ dolore percitus, inflammatus suorum lacrymis, raptim delectu habito, numero quam virtute instructiores copias hosti obuiam misit. Iusto prælio ijs locis dimicatum. victoria nostrorum fuit. magna Maurorum strages. ad viginti millia cæsi sunt in pugna, & in fuga. cum alia ex parte Garcesia arx, quæ in piorum potestate erat, corona circumdata obsideretur à Mauris tanta obstinatione, vt neque clade accepta remitterent, neque Ferdinandi Regis aduentu nunciato: donec vi expugnata est, nonnulla nostrorum ignominia, detrimento non maximo. Adueniens Ferdinando, Tuccosque prætergresso Biatizæ Rex obuiam processit, equites tria millia, numerosum peditatum sub signis habens: non ostentandi modo studio, sed etiam Ferdinandi conatus iuandi, si qua in re eius opera vti vellet. Nihil illis promptius fore pollicebatur. gratiæ actæ pro tam propensa voluntate: quæ vt diuturnior esset, neque vlla temporum iniuria amicitia disiungeretur, postulatum: datumque, vt Saluaterra, Capella, Burgalhimar, quoniam hostium iniuriæ obnoxia erant, nostrorum præsidio obtineri, firmarique sineret: datæque in hæc fidei obses esset & pignus Biatizæ arx Calatrauz Magistro, Mauris consentientibus tradita. Id foedus cum Capella loci munitione confisa (est enim edito arduoque in colle sita) constanter repudiasset: neque nostrorum præsidium 30 vt acciperet adduci potuisset, Biatizæ arx in Ferdinandi potestate mansit. Erat occasio benè gerendæ rei, neque id Regem fugiebat: sed maiori diligentia vires reparandæ erant, nouisque supplementis augendus exercitus. Itaque Rex nullo alio operæpretio, retro se retulit, ancipiti cura suspensus, Gallici belli sumendi, an Bæticæ expeditionis instaurandæ. In Galliam Blanca materteræ litteris & nuncijs euocabatur aduersus Gallia proceres, Regis ætate despecta (erat enim duodecim annos natus) rempublicam turbantes. Reginam viduam, & propinquam in periculo deferere, turpe fore iudicabat. Ex Bætica nunciatum erat, Capellam oppidum tandem à nostris expugnatum: & contra, vt nunquam eodem loco consistunt res humanæ, Regem Biatizæ in fuga, qua Almodouarem festinabat seditionis popularis metu, obtruncatum à suis. Benevolentia qua nostros complectebatur exitio illi fuit, fidesque grauissimum crimen. eo grauior Ferdinando amici Regis casus accidebat, quod Biatizæ arcem à Mauris obsessam teneri, milites

lites præsidarios periculo proximos esse nunciabatur. Vicit apud Regem sententia belli sacri instaurandi. quid enim vel ad dignitatem honestius, vel ad vtilitatem fructuosius, quàm tueri innocentiam: vindicare amici Regis casum: atque ab eo aditu, qui ostendebatur, barbaros tota Hispania pellere? quid contra ineptius, quàm falsa specie laudis obiecta, sua negligere, aliena curare? & Blanca Regina, quamuis externa ope destituta, agendi dexteritate eos regni motus composuit, vnde graues impendere calamitates videbantur: virili animo foemina, & supra sexum prudens. Anno hæc salutis millesimo ducentesimo vigesimo septimo gerebantur. Quo anno templi Toletani, quod hodie 1227 10 visitur celeberrimum & augustissimum, fundamenta sunt iacta, euerso veteri ijsdem vestigijs forma mutata. Iniectæ abs Rege, & Archiepiscopo, qui primum lapidem posuerunt, fundamentis argenteæ aureæque moneta, more à veteribus Romanis mutuato. Cum hoc templo, elegantia structuræ, operis amplitudine alia fortassis conferantur: additis operi ornamentis, sacrorum apparatu, vectigalium magnitudine, numero ministrorum, diuini cultus maiestate nullum certè toto orbe Christiano simile extat. insigne pietatis Hispanicæ, atque illustre monumentum. Romæ Honorio Pontifice quindecimo Kalendas Augusti defuncto, successit Gregorius eo nomine. IX. Anagnia patria. Quo Pontifice Lucas, Tudensis primum Diaconus deinde Episcopus Italiam, & Orientis prouincias, religionis eruditionisque ergo iustravit, Roderico Præfule Toletano æqualis, & in simili conscribendæ historiæ studio versatus, ingenio styloque non ineleganti, neque prorsus vasto. Historiam edidit de rebus Hispaniæ Diui Isidori chronico inserto: vnde opinio nata est, primam eius operis partem Isidoro attribuentium. Præterea Diui Isidori vitam conscripsit, & separato volumine, edita ipsius virtute miracula. cuius voluminis pars altera confutandis Albigenisibus consumitur: quos ex Aquitania in Hispaniam irrupisse Lucæ ipsius testimonio & verbis superius est demonstratum. vtrunque Berengariæ Reginae iussu & hortatu perfecit: vti ipsemet ijs in libris testatur, foeminae religiosæ atque pietatis 30 studijs deditæ & eruditionis, moribus sanctis.

*Bellum sacrum repetitur. Cap. XIII.*

**I**N BIATIAE arce, quam eius vrbs ciues omnibus machinis expugnare parabant, prouisi ante comineatus erant, & præsidium militare virtute quàm numero firmius. Hi cum spe auxiliij, quod propediem expectabant, tandiu sustentarunt, donec Ferdinandus Rex cum validis copijs accurrit. Mauri viribus impares, non modò arcem impugnare destiterunt, sed etiam vrbe deserta in intimam Bætiam abierunt. Vrbi Lupus Harus, sine quo nihil magnæ rei ea tempestate gestum inuenio, præfectus est. Tuccorum præsidium Alvaro Castrio & Tello Menesio commendatum: nihil præterea abs Rege ea expeditione factum, quod memoria dignum sit. Tellus Rege Toletum digressus, cum suorum manu Vaenæ & Lucenæ agros vastare cœpit: aliaque

que oppida, quæ Hispali contributa erant, agendis prædis, & excursionibus fatigare. Rex Hispalensis, bello à suis finibus auertendo in Biatæ fines incurrit: & eius vr̄bis profugi ciues, vt ita faceret, ipsosque in patriam restitueret, identidem flagitabant. verum cum nostrorum armis parem se fore non existimaret in ea imperij Maurici inclinatione labeque, trecenta millia numuūm quotannis tributū nomine pactus pacem redemit. Nec enim maius à nostris periculum quàm à suamet gente instabat, Abenhuto Rege Murcia non ita pridem creato: ad quem toto imperio Maurico magnæ animorum inclinationes fiebant, multaque se illi oppida adiunxerant in Granatensi agro, Bæticaque vniuersa. Is ex veteri profapia Regum Cæsaraugustanorum ortus, Almohadum ritus & opiniones de religione nuper inuectas detestabatur. veterem religionem motam, omnium calamitatum extitisse causam, palam & in circulis prædicabat. Religionis prætextu facile multitudo impellitur. Itaque innumeri homines eius auctoritatem secuti sunt. Ricota arx in Contestanis initium rebellandi fecit. Nouæ factionis comprimendæ cura, non tantum Mauros Reges, sed etiam nostrorum, animos sollicitabat: ne à paruo initio, vt fit, maiora incendia excitaret. Anno hæc salutis millesimo ducentesimo vigesimo octauo inchoata sunt. Quo anno Raymundus Tolosæ Comes Gallicis armis vexatus, eas tandem pacis condiciones accepit, quas Gallia Rex & Romanus Sancti Angeli Cardinalis præscripserunt. Præcipua pactionis capita erant: Vt Raymundus omni studio & diligentia Albigenſium sectam exterminandam curaret. Ioannam filiam nuptui daret regionum fratrum cui mallet. Si ex eo coniugio nulla esset proles nata, Tolosæ principatus Gallo Regi cederet. Theologis quatuor, iureconsultis duobus, sex artium liberalium professoribus, duobus grammaticis Tolosæ annua stipendia solueret erudienda iuuentute. Hæc vt firma essent quinque arces & filia in Regis potestatem datæ sunt. hæc Lutetiæ pactus, mense Aprili ad altare maximum, in linea tantum tunica, à Legato Pontificis Romani anathematis religione exolutus est. Ea erat ea tempestate Pontificum auctoritas: ea ad coercendos prauos homines potestas sacerdotum, Regum etiam ferro armata. Magni aliquot sacerdotes in Hispania desiderati sunt. in eo numero Ramirus Pompelonis Episcopus, ex regio Vasconum sanguine prognatus. Successit Petrus Ramirus: quo agente, eam ecclesiam Gregorius Pontifex Romanus in fidem suam & successorum accepit. In Aragonia proceres coniurati, Regis industria ad officium reuocabantur. Ferdinandus patruus eorum quæ commiserat venia impetrata, Regi ea lege conciliatus est, vt coniurati iurisiurandi inter se gratiam facerent: quo se mutuo deuinxerant. Sanctio Ahonessio Cæsaraugustano Episcopo fratris interfecti oppida repetenti, eaque de causa rempublicam turbanti permissum, vt iure ageret. Dati iudices pronunciarunt, oppida quæ honorarij nomine à Petro obtinebantur, Regi continuo reddenda: quæ iuris hæreditarij esse docuisset, Ahonessijs relinquenda: neque vnius culpam vniuersæ familiæ fraudi fore æquum videri. Eo foedere constituto, ex magnis motibus pax facta esse videbatur: nisi reipublicæ tranquillum statum Cabrera reguli contumacia turbassent.

Aurem-

Aurembiæsis Armengaudi Vrgelitani Comitis filia paternum principatum vi à Cabrera occupatum, iudicio repetebat & lege, vt iusto cum illis abs Rege foedere permissum erat. Illi non tantum foeminae conatus, sed etiam regiam potentiam contemnere videbantur. negabantque se eius principatus possessione decessuros, quem tandiu iure optimo tenuissent. ex lite ventum ad arma: Regeque qui foemina principem tuendam susceperat, eius principatus oppida & arces, pars vi, pars deditioe capta: ipsaque adeo Balagueris principatus caput. & quo firmior esset aduersus hostium conatus, Aurembiasim inter & Petrum Lusitanum Principem (Sanctio Crasso Lusitano Rege genitus fuit) patria tunc profugum, consobrinum suum, nuptias celebrari iussit. Gerardus Cabrera rerum tædio an sincero religionis cultu, Templarium militem induit. Pontius eius filius, olim Aurembiasis sine prole defuncta, veteri iure repetito, Vrgeliæ principatum obtinuit: vti competenti loco est demonstrandum.

*Baleares a Rege Aragonio capta.  
Caput. XIII.*



ASTELLAE & Aragoniæ arma vno tempore in Mauros mouebantur. Castellæ minori prouentu, maiore Aragonij fructu dimicant. Ferdinandus Rex Abenhuti, qui ad imperium Granatam ipsam adiunxerat, opprimendi studio flagrabat: cum validis copijs in eius vr̄bis conspectum penetratum: & Almeriam vsque peruentum, nullo præterea operæ prætio: cum hostis alieno periculo cautiore, sui copiam non faceret, totius certaminis aleam detrectare certus. Eodem consiliorum tenore proximus annus millesimus ducentessimus vigesimus nonus extractus est. Quo tempore ex Germania nunciatum milites Theutonicos, qui diu in Syria D. Mariæ auspicijs cum laude militabant cruce nigra distincti in veste candida, amissa Ptolemaide sese retulisse in patriam: & Frederici Augusti eo nomine secundi permissu, Prusiam horridam tunc prouinciam, impioque seruientem cultui, Saxones inter & Sarmatas positam, armis occupasse. ijdem adiuncta breui ad imperium Liuania in Sarmatis, in magnam potentiam euaserunt. donec parentum memoria Albertus postremus eius militiæ Magister, Luteri placitis corruptus effecit, vt ad Poloniae Reges ex prouinciæ reciderent. Ad Aragoniam redeamus. vbi Iacobus Rex procerum motibus aut compositis aut compressis, specimen indolis egregiæ dederat, atque præstantis. vna belli aduersus Mauros sumendi cura, dies noctesque sollicitabat. Accidit, vt Tarracone in conuiuio, quo splendide acceptus erat à ciue eius vr̄bis primario Petro Martello, (forte erat prospectus in mare) remotis mensis, inter varios sermones, vt fit, de vicinis insulis disputatio iniretur. Petrus occasione arrepta, quanta esset commoditas Balearium atque nobilitas, quanta fertilitas agri, damnaque, quæ propter locorum vicinitatem nostris littoribus inferrentur. longa oratione disseruit, rerum & locorum à multo vsu peritissimæ. R. rabohihes earum P p. 2 insu-

insularum Rex erat, religione Maurus. fortè acciderat, vt naues aliquot Catalaunicæ ab insularis essent captæ. Missus fecialis, damna vt reponeret, & naues restitueret, Maurum postulauit, Regis Aragonij nomine. Maurus insigni fastu, æquemnam Regem nominaret, rogauit. ille Aragonio, inquit, Rege illo genitum, cuius virtute ad saltum Castulonensem gens vestra cæsa, & profligata est. Parum abfuit eo responso reddito, quin violaretur. ius tamen gentium valuit: ita vt continuò ex insula cogeretur abscedere. Ijs iniurijs Aragonius Rex prouocatus, libentius bellum sumpsit. Barcinone in conuentu procerum, de totius belli ratione coram Rege disputatum. sancitum vt mense Maio dimidiato, copiæ omnes ad portum Salonium conuenirent: vnde parata classe traijciendum erat. Hæc omnia tam propensa prouincialium voluntate audiuntur, vt Bouaticum semel tantum Regibus concedi solitum, populis volentibus denuò fuerit impetratum. Venerat interea Roma Ioannes monachus Cluniacensis S. Sabinæ Cardinalis, de magnis rebus à Pontifice Legatus. Eius conueniendi causa, Rex Calataiubam abiit. quo Zeitus Valentix Rex ad Regem venit, vrbe & regno pulsus à suis. fides in nostros eximie culta, grauis culpa fuit, acceptæ calamitatis occasio. Impetratum vt ipse & filius Abahomat in Aragonij Regis fidem reciperentur, aduersus Zænum tyrannum, qui urbem eo pulso occuparat. scribunt quidam Zeitum de Christianis sacris suscipiendis rebus suis integris consilia agitasse: idque fraudi fuisse, cum res esset indicata. Calataiuba Turiasonem Rex & Legatus profecti sunt, quò Rodericus Toletanus, Asparagus Tarraconensis, alijque ex vtraque natione Episcopi magno numero conuenerunt. de regio coniugio. quod Rex consanguinitatis lege vitiosum esse disputabat, coram Legato (nam ea maximè de causa Roma venerat) disceptatur. Erat ex eo coniugio, Regi natus filius Alfonso nomine, quem in spem regni pater educandum curabat. erat difficile matris causam à filio secernere: eumque legitimum pronunciare regni hæredem fore, coniugio repudiato. Lite contestata secundum Regis voluntatem iudicatum. Reginam dimittendam videri. filium patri in regno substituendum. Eleonora Regina, sententia pronunciata nõ inuita ad sororem Berengariam abiit, oppidis dotalibus, quæ in Aragonia habebat retentis, multaque supellectile, auro, gemmis & veste pretiosa secum asportata. Rex soluto conuentu, Tarraconem ad tempus præsignatum discedens, ætatis reliquum classe comparanda, instruenda, ornandaque exegit. Magnus vndique ad Regem militum concursus fiebat, eo Duce quoduis periculum adire cupientium. mense Septembri milites in naues impositi è portu soluerunt, numero ad quindecim millia peditum, equites mille quingenti. classis centum quinquaginta quinq; naues numerabat. onerarias quinque & viginti. longas duodecim. reliquas speculatorias, auctaria, hippagines. Prouectos in mare, ac ferme in conspectum maioris Balearis, quo nauigabant, progressos ventorum procella desiecit, tanta vt cursum teneri posse non sperarent. vicit tamen Regis constantia: & ad occasum Solis Euronoto remittente, cui ea loca obnoxia sunt, commutatoque in Circium, quod nauigationis reliquum erat, prosperè confecerunt. Insulæ quadrata forma est. quatuor anguli totidem cæli plagas

plagas spectant. Palumbariæ portus, cui Columbraria insula obiecta est, ad Occasum pertinet. promontorium Salinarum ad Meridiem. medio ferè intervallo Maiorica vrbs Insulæ caput interiacet. Petræ & S. Vincentij promontoria, ad Orientem vergunt, & Septentriones. Petræ promontorio Polentia haud remota est, olim Romanorum colonia, nunc modicum oppidum, sed portu insigni. eum quia classis tenere non potuit venti flatu prohibita, Palumbariam necessariò petijt, triginta millibus passuum ab vrbe disitam. Regia triremis in eum portum plenis velis inuecta primum est: deinde reliqua classis nulla naui desiderata. Verum cum præ Maurorum multitudine, descensus in terram tutus non esset, ad Sanctæ Pontix portum vltius aliquanto versus Meridiem, & Occasum itum est. ibi excensione prohiberi nostri non potuerunt. leuia modò prælia fuere, nostris prospera, barbaris semper aduersa. In vrbe Maioricæ expugnatione summa totius expeditionis vertebatur. cui vrbs cederet, ei insulæ imperium contingere necessè erat: quòd neutra pars ignorabat. Rex Maurus, Portopineum vicinum vrbi montem castris occuparat, numerosis copijs quas magnis delectibus conflarat ferox magis quam validus. Nostri dum incautius iter faciunt, longiusque hostem abesse credunt, penè oppressi ex insidijs sunt. ac Guillelmus Moncada Bearnæ regulus, & Raymundus Moncada pluresque alij ex ea gente, qui in prima acie curabant, & sinistrum cornu hostium agresi erant, in primo conflictu occubuerunt. graue id detrimentum fuit. cuius Rex inscius, reliqua Maurorum agmina magno impetu inuasit. Erat genus pugnx, quale barbaris esse consuevit, perturbatæ, atque tumultuariæ. ordines non magnopere seruabant: rari modo, modo conferti pugnant. si premerentur, pedem referre & loco excedere soliti, collectis rursus viribus repetebant pugnam. Res proxima periculo fuit, ne nostrorum virtus ab hostium circumfusa multitudine opprimeretur. omnia tamen Regis siue virtus superauit siue felicitas. barbari primum loco moti, deinde in fugam compulsi: cum se in castra retulissent, superato monte captisque castris, omni ex parte victi sunt. fugientes sequi non placuit: quòd proximus illis receptus esset: regij continenti totius diei labore defatigati, equi, hominesque. Admota subinde vrbi castra. & quoniam Mauri copioso comœtu instructi, nihil voluntate facturi videbantur: quæ expugnandis vrbibus vsui esse solent, magna diligentia comparata. machinæ quatiendis mœnibus extructæ: balistæ, catapultæque, plutei, vineæque subruendo muro. Fossa vrbis profunda lataque, materia repleta. Hæc non paucis diebus administrata: cum opera per se difficilia, hostes impetu & ex insidijs disturbare conarentur. Vinearum ope muro tandem succeditur. dolabris quatuor turrium imi lapides conuulsi: exque contis sustentatæ, vno tempore igne supposito corruerunt. barbari ex ijs rebus metu perculsi, conditionis primum spem, deinde ea cogitatione depulsi, deditiois tentarunt, salutem pacti, atque facultatem, qui vellent in Africam Regem Maurum sequi, cum rebus suis nauigandi. A Equa ea conditio plerisque proceribus videbatur, Nunnio præsertim Ruscinonensi Comiti: cui cum Rege barbaro de ea re colloquium fuerat. Verum Bearnensis reguli, propinqui & necessarij pulcherrimum con-

filium sæuo vindictæ studio disturbarunt: cum ignominiosum fore, atque  
 fœdum dicerent, nisi Maurorum excidio tantis Principibus vindicatis, bel-  
 lo finem imponere. Obsessi desperatione salutis in furorem acti, maiori  
 quam antea animo urbem defendunt, sæpe nostrorum non exigua cæde: pror-  
 sus ut iam atrocis consilij auctores ipsos pœniteret, si liceret retractare  
 parati. Ad extremum muri magna parte prostrata, per strages & lapidum  
 rudera euadendum erat. Noctu quidam irrumpendum disputabant: quo tem-  
 pore urbis vigiliæ remiserant. Rex veritus nocturni temporis licentiam, por-  
 tas murosque asseruari iubet, ne hostis effugeret. Vbi illuxit, instructa acie  
 urbi proximus ex loco vnde exaudiri posset, hanc ad milites orationem 10  
 „ habuit. Parem vestris laboribus gratiam rependere nostræ facultatis non est.  
 „ habere nunquam desistam. En noui meriti offertur occasio. Urbem opulen-  
 „ tissimam expugnare hodierna die paratis, cuius spolijs diuites euadetis haud  
 „ dubium, beatique adeò. Ciuium strage amissos iniuria socios, amicos & ne-  
 „ cessarios vindicabitis. Nobis vestro labore nouum imperium, nouumque  
 „ regnum paratur. Obsessi confecti inedia sunt, imminuti numero, metu de-  
 „ bilitati. Pergite ergo, magno animo in urbem inuadite. numem propitium  
 „ habetis. hæc meta laborum erit, gloriam conciliabit & immortalitatem. Ijs  
 „ maximum periculum, qui hostium congressum formidabunt. Audacia, co-  
 „ nantes, proteget. Hæc vbi dixit, semel iterum & tertio pugnæ signum dat. 20  
 „ milites timor insolitus aut stupor, nescio quis occuparat. Rex quid inquit,  
 „ irruere cessatis? magno agite animo, inuadite. Ad eam vocem magno cla-  
 more edito in urbem irrumpitur. Mauri desperata salute locis omnibus occur-  
 runt. pugna multis partibus fit. nostri tandem cæsis fugatisque aduersa-  
 rijs vrbe potiuntur. Regem Maurum in latebras compactum, Iacobus Rex  
 barba apprehensum (nam ita se facturum antea iurarat) bono animo esse iu-  
 bet, atque de salute bene sperare. Arx continuo dedita est, atque in ea Re-  
 gis filius captus, tredecim natus annos: cui postea Christianis sacris im-  
 buto, Iacobo nomen fuit: prædique deinceps in agro Valentino, Goto-  
 rianque oppidum, vtrunque Iacobi Regis dono. Inde Gotoriæ familiæ 30  
 cum primis nobili generis propago. Quemadmodum Carrocus è nobilitate  
 Germaniæ, Regem in hoc bellum secutus, Rebolledo deinde donatus est.  
 vnde perampla ac perillustis familia ad nostra tempora perseuerat. Ca-  
 1 2 3 0 pra est vrbs Maiorica pridie Kalendas Ianuarij, initio anni millesimi ducen-  
 tesimi trigesimali. Sedes Episcopi ac domicilium in ea vrbe constitutum. tamen-  
 si Barcinonenses Sacerdotes disputabant, sui iuris effectam esse ex tabulis ni-  
 mirum vetustate obsoletis. Reliqua insulæ oppida, & arces breui in potesta-  
 tem redactæ: rebusque omnibus compositis, militum primùm maxima  
 pars in patriam dilapsa est: deinde Rex in Catalauniam nauigauit. Ipso an-  
 no Mercenarij monachi, quos ante aliquot annos institutos diximus, 40  
 Gregorio. IX. Romano Pontifice, institutam viuendi rationem probarunt.  
 Extat de ea re Gregorij ipsius diploma Perusij datum ad sextumdecimum  
 Kalend. Februarij.

Legionis

Legionis regnum Castella unitum. Cap. XV.



AE C in Aragonia, quo tempore Rex Legionensis, suis & filij  
 copijs cinctus, in Maurorum fines incurrit: & quod sæpe antea  
 tentatum frustra erat, Castra Cæcilia expugnauit, validum ea  
 tempestate municipium, munitissimum imperij Maurici ea par-  
 te propugnaculum. Nouo conatu Emeritam circumsedit, ferox  
 successu, viribus validus. Abenhutus Rex virtutis ostentandæ fanciendique  
 inter suos arrepti nuper imperij auctoritatem cupidus, collecto numero  
 10 exercitu, opem obsessis laturus progreditur. ancipiti sententia nutabat Alfon-  
 si animus. subiret an detrectaret certamen. hinc periculum proponebatur,  
 quod exiguæ copię essent: inde ignominie metus, qua non morte grauior?  
 Concilio conuocato variæ dictæ sententiæ. plerisque certaminis aleam formi-  
 dantibus, Rex in extrema quamuis ætate vigore iuuenili, pugnare certus  
 acies instruit: idem factum à Mauris. Datur pugnæ signum. concurritur ma-  
 gno vtrinque impetu, pari animorum constantia. vicere nostri. cæsi fugatique  
 Mauri. strages tanta hostium fuit, ut præ metu pleraque eo tractu oppida  
 deferrentur. opinio fuit Iacobum Apostolum, & plerosque alios cælites in  
 veste candida visos inter acies, nostrorum animos confirmasse, Maurorum  
 20 fregisse audaciam. præterea Zamoræ D. Isidori visam quibusdam speciem  
 renunciaffe creditum (verè an falsò non dixerim) sed renunciaffe tamen ad  
 auxilium nostrorum se, aliosque cælites festinare. Ex euentu dictis acomino-  
 data fides est. Emerita defensione desperata, continuo portas aperuit. Id præ-  
 mium victoriæ fuit. Præterea Pax Augusta, hoc est Badagioz, ad fines Baticæ  
 & Lusitaniæ, in potestatem eodem impetu redacta. Alfonso copijs appeten-  
 te hyeme in hiberna dimissis, proximo anno bellum repetiturus maiori  
 apparatu, diuino numini pro victoria, ut gratias ageret, dum Compostel-  
 lam pergat: in ipso itinere Sarricæ in Calæcis morbo tentatus, oppressusque  
 est, in anni exitu. sepultus Compostellæ. filios reliquit ex Therasia qui-  
 30 dem Sanctiam & Dulcim: ex Berengaria autem Ferdinandum, Castellæ  
 iam Regem, & Alfonso, cui Molina principatus fuit. Rodericum stu-  
 pro genuit cognomento Legionensem. Castellæ Rex Ferdinandus de bel-  
 lo Bætico cogitabat maiori impetu instaurando: vir strenuus & nunquam  
 cessans, neque suæ saluti consulens præ publica utilitate. Giennium vrbs  
 noua inita expeditione circumfessa quamuis, magnisque viribus & con-  
 tentione impugnata: cum ad omnes casus antea munita esset, facile re-  
 gios conatus eludebat. Itaque re infecta Daralferam discessum est. quod oppi-  
 dum dum obsidione premitur, nunciatum Regi est, Alfonso patrem, qui in  
 Regibus Castellæ & Legionis eo nomine nonus fuit, diem obiisse. Duobus &  
 40 quadraginta annis regnauit, vir cum propijs laudibus clarus, bellica fortitudi-  
 ne, æqui iustique tenax: quo studio magistratibus iuridicundo de publico sala-  
 ria constituit: ne accipiendis præ inopia muneribus iudicia corrumperen-  
 tur. quod supplicijs omnibus vindicabat. tum præcipuè Ferdinandi filij vir-  
 tutibus, ac pietatis insignibus merito commendandus. Cæteras virtutes  
 P p 4 fœdare





dit, aliquot Aragoniæ oppidis pignoris nomine acceptis. Erat ex Balearibus nunciatum Tunetanum Regem validam classem aduersus eas insulas comparare. ea res Iacobum compulit, quamprimum se Cæsaraugustam referre. Quo tempore Aurembiafsis defuncta Vrgeliæ principatum viro suo Petro Lusitano Principi testamento legarat, præterea Vallisoletum in Vaccæis. No- uorum ea res motuum occasio erat, cum Pontius Cabrera, vetera iura re- peteret, armisque disceptare pararet. Impendentia mala, Regis prudentia dis- cussit, foedere constituto ea lege, vt Vrgeliæ principatu se Petrus abdicaret, Baleares insulas dum viueret, Regis beneficio teneret. Balaguerim Rex reti- nit. alia oppida Cabreris data. ex Salonio mox portu in Baleares transmis- sum. verum cum nunciatum esset, Regem Tunetanum eo anno cessare, nullo ma- gno operæ pretio facto Rex in continentem redijt. Interea Ferdinandus Rex Legionis regno lustrando districtus, conciliandæque hominum gratiæ, ac pro- merendi amoris prouincialium studio occupatus, belli Maurici curam Rode- rico Præfuli Toletano commendauit, Quesada oppido donato ea lege: vt bar- baris quoniam ad eos redierat, armis eriperet. Ergo ineunte æstate fines Mau- rorum maturis iam segetibus euastati. ingens præda capta. Quesada oppidum expugnatum. neque Quesada modò, sed etiam Casorla in Baletteranis, Concha, Chelis, Niebla, Romanis Elepla, aliaque finitima oppida. quibus ab eo tempo- re Casorlæ Præfectus omnibus iura dat, Toletani Præfulis Legatus, Rege con- cedente, more vsque ad nostram ætatem retento: cum Ioannes Tavera Cardina- lis Marchioni Camarasio Francisco Cobo, quem eximius Caroli quinti impe- ratoris fauor & gratia a magna auctoritatem euexerat, ea di- tione cefsit. Ioannes Silius Taueræ successor Præful Toletanus, principatum iniuria abdicatum, iudicio repetere conatus, nihil neque ipse, neque successores ad hanc diem præstitere. Quesada sanè quoniam ad Mauros redijt, & Regis Ferdinandi armis recepta est, ex eo tempore sub Castellæ Regum imperio per- mansit. Ioannes Brena homo Gallus, Hierosolymitanus Rex, rebus propemo- dum in Syria perditis, colligendi auxilia spe, in Italiam nauigauit: vbi Vio- lantem filiam Friderico secundo Imperatori vxorem dedit. Ex eo, quoniam vir Siciliæ iura dabat, vxorque hæres patris erat, Siculi Reges regni Hieroso- lymitani titulum vsurpare cœperunt. His nuptijs celebratis Barcinonem ve- nit anno millesimo ducentesimo trigesimo secundo. Vbi benigne a Iacobo Aragoniæ Rege acceptus, atque habitus aliquandiu, in Castellam penetravit, voti reus Compostellani templi inuisendi. Venientem Rex Ferdinandus non minori lætitiæ significatione coluit. Berengariam præterea sororem, hospiti & aduenæ Regi connubio iunxit, ex sacra peregrinatione redeunti. Quibus ille nuptijs peractis in Italiam redijt, bello sacro in Syria reparando intentus, maiori conatu, quàm successu. Annales Toletani, quibus multum fidebamus, Brenam ante octo annos venisse in Hispaniam aiunt: atque Idibus Aprilis die Veneris Toleti abs Rege Ferdinando regio apparatus exceptum. & constat re- gressum in Italiam rerum suarum desperatione imperij Constantinopolitani, quod à Gallis occupatum nutare cœperat, agente Romano Pontifice, procura- torem factum: Balduino Imperatori alumno suo Martham ex nouo coniugio sus-

susceptam collocasse. Id nauatæ operæ præmium fuit. A militibus factis iun- ctis cum Placentino Episcopo viribus, Castra Iulia in Vectonibus de Mauris capta, ad octauum Kalend. Februarij. A Iacobo Aragonio tertio in Baleares transmissum, captaq; minor Balearis. Nam Ebusus Pityufarum in mari Iberico maxima, in potestatem venit anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto. 1 2 3 4  
prouentu salis diues insula, maiusque ex eo vectigal quàm vlla ex re alia. Tar- racone vt sacra peteret sancitum: quoniam Guillelmi Mongrij copijs potissi- mum expugnata est, qui in Aspargi locum electus erat Præful Tarraconensis. Quo anno ad septimum Idus Aprilis Sanctius Rex Vasconum extinctus est: 10  
Corpus ad Rocidam vallem tumulatum in D. Mariæ Canonicorum monaste- rio, quod ipse sua impensa extruendum curarat. A Vasconibus Theobaldus Campaniæ Comes lege propinquitatis ad regnum ascitus, Pompelone mense Maio regium insigne desumpsit, Aragonio etiam Rege, vt quidam scribit, coniuente. & fortassis iniecta animo religio erat: nefasq; putabat, iura alienæ hæreditatis inuadere. inuitum, bella quæ consecuta sunt, docent tantisper dis- simulasse: cum aliæ ex alijs enatæ difficultates implicarent, retinerentque ne eius regni hereditatem captaret, adoptionis iure, ferroque. tametsi haud magna victoriæ spes, in tanta prouincialium alienatione ostendebatur. Noui præterea coniugij cura sollicitabat, quod cum Violante Andreæ Hungari Regis filia 20  
pactum, Ferdinandus Castellæ Rex modis omnibus disturbare, & Eleonoræ sorori Regem conciliare conabatur. Tentata concordia spes per legatos cum non procederet, ad colloquium ventum est. Hortæ cœnobium designatum in Aragonij regni finibus. Reges ad quintumdecimum Kalend. Octobris, inter se collocuti, re infecta discesserunt. tantum Aragonius explicuit rationes, cur sibi iure Christiano, a priori discessisse coniugio licere putaret. & ne nihil effe- ctum videretur, Eleonoræ ad alia oppida dotalia Harisa adiecta est: vbi in con- templatione vitæ per virtutem actæ vitam exigeret, adiuncto filio, qui ad iu- stam ætatem in eius potestate relinquebatur. Nouum ab ea locis vicinis mo- nasterium ad Almasanum ædificatum, monachis Præmonstratensibus ab 30  
Humberto Lotaringo in Gallia non ita pridem institutis in saltu Premoste, vnde ei ordini nomen factum est.

*Valentini & Cordubensis belli initia. Cap. XVII.*

**R**EGVM colloquio dirempto, Aragoniæ & Castellæ arma ad sa- crum bellum conuersa sunt. Aragonij captis Balearibus feroces, odioque Zaeni, qui Valentino regno occupato Aragonios fines, vicos, agrosque depopulatus erat, atque vslerat, Ampostam, Dertu- lamque progressus, nouam expeditionem adornabant. cœptum in Bætica bel- lum Castellani prosequerantur. rei bene gerendæ opportunitatem Mauri in 40  
partes distracti præbebant, Almohades, Almorauides, Benamarines, atque Be- nadalodes: prorsus vt imperium Mauricum nullo quamuis impellente sua mo- le, suoque pondere ruere videretur. A Catalaunis, quod nisi supremo metu, spe ve vsurpari non consueuerat, in Valentini belli vsus Bouaticum Regi concessum.

sum. In Maurorum fines varix nostrorum manus inuectæ prædandi spe. Blascus Alagonius Morellam munitum oppidum cepit, læto quidem ad belli summam omine: quando priuata manu factum operæpretium erat: triste autem Regi eius rei nuncium fuit, cum ægrè ferret primos belli fructus recidisse ad alium. ergo illud oppidum imperio suo subiicit: factam Blasco iniuriam Sastago attributo compensat. Hoc initium belli Valentini fuit, atque Sastagi Comitibus. Secūdam Morellam Burriana post duorum mensium obsidionem deditioem fecit: ciuium salutem & libertatem pacta. ad septem millia promiscui sexus, atque ætatis homines sunt egressi. graue incommodum rebus Mauricis allatum erat duobus oppidis sublatis: vnde propter agri bonitatem, 10 plura alia eo tractu oppida & arces vitam tolerabant: quæ necessariò Regi deditioem fecerunt. In primis Peniscola (Ptolemæo Chersonesus) Castellonium, Burriolium. Alcalatenum autem Semenur Vreæ cepit: quo merito eius oppidi principatus Vreæ nobilissimæ familiæ concessus, ab eis ad nostram retinetur ætatem. Ad Sucronis ripam in ipso imperij Maurici sinu per vim à Rege expugnata Almasora, noctu irrūpentibus nostris, hostibus fuga dilapsis. Quo tempore Ferdinandus Rex rebus domi compositis, Reginaque vxore Legionem relicta, vt noui regni studia amplius conciliaret, magno exercitu conflato, Bæticum bellum aliquandiu temporum necessitate intermissum reparabat. Vbeda circumfessa, omnibusque machinis impugnata. quæ quoniam Biatæ 20 vicina est, tribus tantum passuum millibus disita, valido Maurorum præsidio, magnisque operibus aduersus omnes casus munita, parataque erat. Verum difficultates omnes Regis constantia perucit: ciuesque vna tantum salute à victoribus impetrata vrbs deditioem fecerunt. alia parte à militibus sacris Metelinum, Alfangium, atque Sanctæ crucis oppidum expugnata. Læticia ex ijs rebus noua calamitate turbata. habet has vices conditio mortalium. Regis vxor interea Tauri defuncta est. Corpus Olgis sepultum. iusta regio more, atque apparatu magnificè facta. inde Hispalim post aliquot annos migravit, viro sepulcro coniuncta post mortem: vti coniunctissima vixerant voluntate. Vbeda capta Toletum Rex redijt, Legionenses vrbes & oppida rursus obi- 30 re certus. Ijs blandimentis noui regni voluntates conciliandæ erant. milites ad Bæticiæ præsidium relicti facta manu Cordubenses agros vrunt, ac depopulantur. Mauri aliquanto numero Almogaraues capti sunt. (milites ij veterani erant, atque præsidarij) ex illis cognitum est, Cordubæ vrbs capiendæ pulcherrimam occasionem extare. insensu ne ciuibus essent, an libertatis studio fecerint incertum. suburbium sanè vrbi coniunctum est, Axarchiæ nomine. Ea muri parte, quoniam illorum fidei commissa erat, nostros re constituta per noctem in vrbs admifere, salutis anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto, Decembris die vigesimo tertio. Exiguus numerus erat, tantæ rei perficiendæ. turres aliquot occupare, portamque, cui à Tuccis nomen est, satis habuerunt, dum auxilia a nostris expectantur. quos illi missis legatis ne occasione deessent enixè rogabant: vna tantum celeritate opus esse: se tantisper tolerare: diutius si cunctarentur sustentare non posse: Mauri sequenti luce, periculo denunciato, nostros expugnare parant. Aluarus Castrius, cuius eximia & fidelis 40 opera

opera, ex quo ad officium redijt semper extitit, re ex nostrorum litteris cognita Tuccis quod oppidum præsidio obtinebat, auxilio primus occurrit. idem Rex facit Legionem profectus, quamuis locorum interuallo disitus, & iniquissimo anni tempore cum collectitia manu, proceribus & vrbiū conuentibus, vt sequerentur, præcipit. Bienquerentia arx in itinere occurrebat. eam primum tentare placuit. Præfectus arcis commeatu quidem Regem iuuat. de deditioe appellatus, negauit nisi Corduba capta, cuius auctoritatem sequeretur, facturum sese. ergo eo relicto Cordubam festinatum: quò multos sanè confluisse inuenit, pauciores tamen numero esse, quàm vt iustus exercitus conflare posset. Aben- 10 hutus Rex Astigi se ea tempestate tenebat, ad omnem occasionem intentus. validæ sequebantur copiæ. Laurentius Suarius transfuga barbaro militabat. Valentinis, an Cordubensibus in pari periculo succurreret incertus erat, nam ab Aragonio Rege Cullera tentata erat irrita spe. lapidum in eo agro penuria, qui tormentis mitterentur coegit, re infecta discedere: vt paræ sæpe res in bello, magnorum momentum sunt. In Valentina tamen planicie Moncadæ arx capta ab Aragonijs. & vt cæteri cladis eius exemplo terrentur diruta est. Hæc vno tempore nunciata, Abenuti Regis animum ancipiti cura suspensum tenebant. Suarius in regia castra speculatum missus, vt cum insigni aliquo officio rediret in gratiam, consilio clam cum Ferdinando communicato, maiora 20 vero de nostrorum apparatu & copijs, eminenti metu ac tristitiam vultu prædicando apud barbaros, auctor extitit, à cogitatione ferendæ Cordubensibus opis animos auocandi. Ea res nostris saluti fuit, externis vrbanisque copijs, si congregarentur, imparibus. Auxit nostrorum alacritatem cum Rex barbarus in Valentinum bellum intentus, Almeriæ à suis, paucis post diebus, obtruncatus nunciaretur. strenuus manu, sermone promptus fuit, ferendæ inuidiæ dissidij concitandi artifex, raptor, largitor, neque pace, neque bello cuiquam ea tempestate posthabendus: grande sanè momentum addiderat rebus Mauricis restituendis in Hispania.

30

*Corduba capta. Cap. XVIII.*

N Bæticiæ medio propemodum interuallo, qua olim parte Turduli fusi erant, vrbs Corduda sita est, in planicie quidem, cæterum ad Marianorum montium radices, qui ad Septentrionalem vrbs plagam assurgunt ardui atque impediti cauitibus. Aedificia vrbs Bætis fluius ad læuam alluit, multis admisisis fluminibus nauium capax. Quadrata forma vrbs est secundum ripam extensa, maiori longitudine quam pro latitudinis modo. Mauri, quo tempore in ea vrbe sedem imperij ac domicilium tenuerunt, multum de veteri elegantia formaque mutarunt, vt est 40 gens minimè ædificandi curiosa. Quinque olim portis aditus erat, nunc septem. suburbia addita in iustæ ciuitatis modum: ac illud maxime, de quo paulò ante mentio facta est, Axarchiæ nomine ad fluminis ripam, Solis ortum spectans, perpetuo muro iunctum vrbi veteri. Regia arx ad Occasum pertinet, proprio & ipsa munita muro. à templo maximo, quod in veteri vrbe est, pons pul-

pulcherrimus flumen impositus iungit. Olim colonia Patricia dicta est: quoniam eam initio Romanorum & indigenarum delecti tenuerunt, (auctor Strabo) magnorum ingeniorumatrix, bellique & pacis artibus præstantium. Subiectus ager omni fertilitate in primis Hispaniæ conspicuus est, eximia amœnitate lætus: non ea modo parte, qua conlternuntur campi, sed montes etiam ipsi vitibus, olea, omneque genus arboribus vestiti sunt, irrigui fontibus. In his montibus quarto ab vrbe lapide, vbi monasterium extat D. Hieronymi nomine, atque instituto, Cordubæ veteris vestigia cernuntur, à M. Marcello seu conditæ, seu auctæ: quo tempore ex prætura res in Hispania gessit. Eius loci infalubritate factum creditur, vt in alium quo nunc est posita, commigrarit. 10  
1 2 3 6 hanc urbem, parte à nostris murorum occupata, obsidebat Ferdinandus Rex anno salutis millesimo ducentesimo trigesimo sexto auspicante. defendebant Mauri pro extrema spe, magno animo dimicantes. in ipsis etiam vrbeis plateis de patria, de salute, de fortunis omnibus decertare cogebantur ciuium multitudine confisi, & auxiliij externi spe. verum cum fama primum, deinde ex captiuis quæstione habita cognitum esset Abenhutum occisum à suis esse: Laurentium Suarium se ad Ferdinandi caltra retulisse, de quo quoniam ex prima Castellæ nobilitate erat, multum confidebant, sublata defensionis spe animus etiam abscessit. Actum de deditioe: ventumq; in colloquium. regij Ferdinandi clementiam in dedititios exorabilem, in deuictos animum ostendere. Mauri neque de Regis potentia, neque de suo periculo dubitantes, de ineundo fœdere disputare. oblatae conditiones cum consentaneæ non essent, res ea in multos dies extracta est. nunc ad arma conuertebantur: paulò post ad colloquium redibatur. accidebatque obsessis, quod plerunque hominibus pertinacibus, atq; arrogantibus: vti eo recurrerent, & eas conditiones cupidissimè peterent, quas paulò ante contempserant. nostri illorum humilitate, & opportunitate temporis abusi, grauiore conditiones miseris imponebant. Eo tandem post magnam altercationem res redacta est, vt vna salute impetrata, abeundique potestate urbem dediderint, Iunij mensis die vigesimo nono, qui dies Petri & Pauli memoria sacer est. Vrbe capta in summa templi Cordubensis turri, vnde in omnes 30  
partes despectus erat, crucis signum, regiumque vexillum collocata. templum ipsum, quod Mahometis superstitioni dicatum erat, expiatum Christiano ritu, sacratumque ab ijs Episcopis, qui magno numero Regem ad bellum secuti erant. Lupus Fiterij ad Pisoricam monachus, vrbi datus Episcopus ex Regis voluntate, & Roderici Toletani Præfulis auctoritate: cuius quoniam Romam iuerat ea tempestate, Ioannes Vxamensis Episcopus vicarias partes obibat, regio etiam annulo concedito, cum Rodericus & successores regij scrinij præfectura donati essent: vt superius est demonstratum. Campanæ, quas Alhagibus Almanfor ante ducentos sexaginta annos Compostella ablatas, vt victoriæ 40  
nimentum esset, in Cordubense templum intulerat: exæquata ignominia Mauri succolantes Compostellam retulerunt. Vacua ciuibus vrbs remanserat, Mauris magna ex parte aliò dilapsis. magnis præmijs & pollicitationibus innumeri mortales exciti, Cordubam domicilium transtulerunt. Alfonso Menesius vrbi Præfectus: limitibus Aluarus Caltrius, à quo cuncta administra-

ri pla-

ri placuit, imperijque summam obtineri. Rex ex eo tempore ad veterestitulos Biatæ & Cordubæ se Regem dixit, vt eius ætatis tabulæ indicio sunt. Calagurri in D. Dominici Calfadi pontificia sedes translata est. auctor Ioannes Peresius eius vrbeis Episcopus. honore postmodum vtriusque templi exæquato, enata ex eo controuersia finem habuit.

*Valentia capta. Cap. XIX.*

10 **V**ALENTINOS Mauros interea Rex Aragonius modis omnibus exagitare non desisteat. Zeitus Valentia exul, & sua sponte & piorum consuetudinè noster totus effectus (vti duo monachi Franciscani Ioannes & Petrus Valentia ante annos aliquot eo merito ab eo occisi fore vaticinati erant) Christiana sacra susceperat, Vincentij nomine indito: arcanò tamen, ne res prodita inuidiam apud suam gentem odio religionis conflaret. nam regni recuperandi spem nondum abiecerat. Sanctius Ahonesius Cæsaraugustanus Episcopus, quoniam prauis ille moribus religionem, cui nomen dederat, habere ludibrio videbatur, effusaque libidine deturpare, auctor impulsorque extitit, vt ex ritu Christiano uxorem duceret. Dominica Lopides Cæsaraugustana connubio iuncta: vnde 20  
nata est Alda Fernandia Blaschi Semenii vxor, ad quos Arenosij Valentini proceres genus referre memorantur. A Rege Aragonio Exericæ maturis frugibus ager vastatus. Bernardus Guillelmus Regis auunculus propter opinionem virtutis, resque bellis omnibus præclare & fortiter gestas, limiti Præfectus aduersus Valentinos impetus, viresque. Proximo mense Octobri Montione comitia regni habita sunt. In ijs comitijs de ratione belli gerendi, obsidendaque Valentia vrbe disputatum: & publico consensu sancitum monetæ genus Iaguesæ: quæ quod multo ære adulterata esset, ne abrogaretur viri pecuniosi verebantur. Pro 30  
merito Regi nouum vestigal imperare permissum, vt domus singulæ singulis septem annis æreum nummum regio fisco inferrent. Arcem cui podio D. Mariæ nomen est, alternantis belli progressu à Mauris euersam, instauratamque à nostris, Bernardus Guillelmus valido præsidio obtinebat: Zaenus Valentia copijs omnibus, in quibus sexcenti equites erant, pedites quadraginta millia, sibi impugnandam desumpsit. Nostri tametsi numero multis partibus vincebantur, incredibili animorum vigore, an hostium despectu arce egressi prælio decertare constituunt. Res in supremum periculum adducta erat, propter circumfusam hostium multitudinem. cessit tamen virtuti numerus. Mauri cæsi, victi atque fugati: opinio fuit D. Georgij numine, cum se Christianis Ducem præbuisset. Quæ supra spem, supraque virtutem contingunt, diuis accepta ferre consuevit humana mortalitas. eius miraculi fidem D. Mariæ signum sub campana 40  
reperit in ea arce, vehementer auxit: cui templum ab incolis statutum est, diuinis miraculis celebre, vti eo tractu homines persuadent. mense Augusto anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo dimicatum. cecidit 1 2 3 7  
in pugna Rodericus Luesia præcipua nobilitate vir. Iacobus Rex suorum periculo victoriaque nunciata, se eò retulit: præsertim cum nouis copijs eius ar-

cis

cis expugnationem Mauros repetere nunciatum esset, falso scilicet. nostri tamen maiori quam pro numero animo centum triginta equites Regem secuti, ultra Podium, vltraque Saguntum, validæ Maurorum manui occurrerunt, quæ ductore præcipuo Artaldo Alagonio, qui exul inter barbaros (Is Blasii filius erat) in ea loca venerat aduersus nostrorum conatus. Regis eòvsque progressi temeritatem, animi constantia virtusque correxit: numenque in primis diuinum hostibus ne certamine quidem tentato, via alia digressis. Podij arcis Valentia vicina, proculque à regia ditione, nisi magno sumptu magnoque periculo retineri non poterat, præsertim Guillelmo Regis auunculo, cui arcis cura concredita erat, per idem tempus defuncto. quæ res Cæsaraugusta, quo se 10 hiberno tempore contulerat, Regem reuocauit. Guillelmo Entensæ defuncti filio, omnia quæ pater obtinuerat abs Rege donata. ea merces meritis paternis fuit. arcis præsidium Berengario Entensæ commendatum: tamen regni proceres deserendam disputabant. Militibus præfidiarijs occultè dilabi parantibus, Rex in sententia retinendæ arcis peritans, in qua bello Valentino magnæ commoditates inerant, concione militum aduocata, in ipso arcis templo contactis aris iuratus, in patriam se nunquam nisi Valentia capta rediturum, militares animos vt sustentarent confirmauit, terruit aduersarios: prorsus vt à Zaeno Rege de concordia appellatus fuerit, honestis conditionibus allatis: 20 multas se arces Regi traditurum, iustumque auri pondus annui tributum nomine representaturum. quas Rex dissentientibus quamuis proceribus, vrbis obtinendæ spe, constanter repudiauit. Almenara, Paterna, aliæque arces locis commodissimis vltro deditorem fecere. Ea res maiores animos addidit. mille pedites sub signis habebat, equites trecentos sexaginta. cum his copijs (quo quid magis temerarium esse potuit? sed audacia consilia ex euentu ferme iudicantur) Turia amne transmissa, in vrbis conspectum se dare frequentissimæ & nobilissimæ, eamque obsidere ausus est. Gradum inter, quod oppidum ab inæqualitate maris, cui imminet, dictum est, vrbemque ipsam mille vtrinque milibus passuum castra locata sunt. Valentia in ea Tarraconensis Hispaniæ parte sita est, quam olim tenuerunt Edetani, loco plano & amoenissimo, nullius 30 rei idoneæ egens, nisi quod aduecto plurimum frumento opus habet. armis virisque opulenta. lætissima cæli solique facies. hyems egelida, æstas temperata flatibus maris. tanta rerum omnium copia, ciuium ædificiorumque elegantia, vt patriæ obliuionem aduenis inducere opinio sit. Omne genus arboribus horti nobilissimi, citreis maximè in quincuncem institutis: vnde perpetua viriditas hyeme atque æstate. citrei circum parietes, citrea conclauia. ita rami innexi inflexique arte sunt, vt iustarum ædium speciem repræsentent. aditum arcet operis firmitas: aspectum frondes rimis omnibus stipatis opere topiario in varias formas compositæ: auium, animantium totius domestici apparatus. quales Elysios campos beatorum sedes antiquitas finxit, talis terræ vrbisque 40 facies Valentia est cælo data. Turia ad læuam alluit: qua parte regia est radijs surgentis Solis obiecta, atque ponte cum reliqua vrbe commissa, in plures riuos diductus: quæ res agrum irriguum efficit, vrbi aquarum copiam suppediat. Ad mare æstuarium est ad tertium milliare, nonnulla loci infalubritate.

id

id incommodum piscium tum multitudine tum varietate compensans. Vrbis mœnia rotunda ferme figura tunc erant: mille passus circulo, quatuor- que patebant portis. prima Boatellana, Meridiem inter & Occasum: Baldina ad Septentriones: tertia Templaria, ab ea æde, quam vicinis locis Templarij milites ædificauerunt orientem Solem excipit: quarta Xareana. inter hanc & Boatellanam Regis castra erant: eo commodiori loco, quod murus ea parte prominens in anguli formam nostris oppugnandi commoditatem præbebat. machinæ extructæ, opera ædificata, quæcunque ex vsu expugnandarum vrbium ea tempestate erant. Zaenus primo obsidionis 10 die copias in aciem producit pugnare paratus priusquam se nostri confirmarent. Rex in detrectandi certaminis consilio perstitit, auxiliorum spe, quæ quotidie in castra veniebant. Præsules & proceres ipseque Petrus Amillius Narbonensis Episcopus cum delecta Gallorum manu, ex Anglia etiam auxilia venerunt. Leuia aliquot prælia fuerunt nostris ferme secunda: quæ res Mauros retinebat, ne eruptionem sæpe tentarent. fossa materia repleta: vinearumque ope tecti milites muro succedunt. vestibibus conuulsi lapides: tribusque locis aditus patefacti ea latitudine, vt militem caperent. Aduersus ea pericula ab obsessis prouidebatur: quantum temporis conditio patiebatur. Cilia oppidum vltra Valentiam situm Petri Asagrae & Se- 20 meni Vrræ virtute & diligentia captum est. Classis interea Tunetana decem & octo nauium ad littus appulsa, atque in anchoris stans obsessis fiduciam addidit, nostris sollicitudinem iniecit. Verum cum aditus in vrbem interclusus Afris esset: & noua classis Dertusæ esset comparata, tentata modò Peninsulæ expugnatione (in Valentino littore id oppidum est) nullo præterea operæpretio facto abierunt. In vrbe magna annonæ penuria laborari cœptum: quæ difficultas non magis inopia præsentis, quam futuri timore crescebat. in castris lætitia omnia plena erant, copiosique com- meatus. tamen sexaginta millia pedites numerabantur: mille præterea equites. Regis non magis prouidentia ijs ex rebus conspecta, quam ani- 30 mi fortitudo in certaminibus: neque Ducis tantum, sed sæpe etiam gregarij militis munera explebat. quò factum vt in fronte sagittæ ictu dum incautius in pugna versatur die quodam vulnus acceperit, neque leue neque lethale. quinque tantum diebus publico abstinuit. Quo tempore à Gregorio Pontifice Maximo, sed & à Galliæ Cisalpinæ ciuitatibus legati venerunt, aduersus Fridericum Imperatorem, qui cuncta vastabat, si auxilia mitterentur à Rege, tyrannidemque depelleret, qua premebantur grauissima, eam prouinciam eius imperio fore subditam. Iunij Idibus anno mil- 40 lesimo ducentesimo trigesimo octauo fœdus cum illis ciuitatibus ijs conditionibus in castris ictum est. auctor consilij Violantes Regina, sine qua nihil rei magnæ decernere solitus erat: lætissima fœmina filia cognomi- nis mater, eoque gratior viro. tamen vltra pacta conuenta progressum non est, Rege alijs bellis distento, Friderico Augusto quamuis simulatè sed Pontifici tamen Romano conciliato. & iniquum erat alienis controuersijs implicari, cum tantum belli superesset in prouincia. Obsessi rebus omnibus oppressi,

Q9

auxi-

auxiliorumque spe, tum ex Africa, tum ex Hispania deiectioni, serio de vrbe dedenda deliberant. missus primum in castra Haliabata præcipua apud Regem barbarum gratia & auctoritate: deinde Abulhamaletus ex Zaeni sorore natus. actum de foedere, de conditionibus disceptatum. Vtrisque longa mora omnis videbatur. nostros spes, Mauros periculum & rerum omnium inopia incitabat. Conuenit tandem his legibus: Rex Maurus urbem Valentiam, arces & oppida citra Sucronem omnia Iacobo Regi tradito. Ciues Culleram atque Dianium Aragonia fide tuti abire permittuntur. Ijs fas esto, nemine excutiente sarcinas, aurum, gemmas, vestem pretiosam, ac omnino quidquid efferre possint asportare. Reges inter induciæ in octo annos 10 sunt: æque optima fide seruantur. Rebus perficiendis, vrbeque dedenda quinque dies designati. Ante quàm id tempus elaboretur Mauri agmine factò vrbe egressi numero quinquaginta millia promiscui sexus & ætatis: regio exercitu in armis circumfuso, præsidij causa. ex abeuntibus nullus impunè violatus: cum dedititios tueri ad suam dignitatem fidemque Rex pertinere iudicaret. Prædie eius diei, qui mense Septembri Michaelis Archangeli memoria & celebritate facer est, nostri in urbem Valentiam inuecti, regnoque nobilissimo aucti sunt. Iustrata ciuitas. expiata templa. Ferrerius ex Prædicatoria familia Episcopus datus, nouæ vrbs indigenis magna ex parte Catalaunis, ac ferme ex Gerunda, Tarracone, Dertusa. Ager suburbanus 20 æquis partibus diuisus inter Præsules, proceres, nobiles, atque ciuitatum conuentus, qui Regem eo bello iuarunt. Templarijs militibus & Hospitalarijs sua præmia fuere. Delectis ex omni numero trecentis octoginta equitibus, quoniam amplioribus prædijs donati erant, regni limites defendendi cura iniuncta est: partito ira onere, vt singulis quatuor mensibus, centeni limitibus præsidio essent. Urbis neque natura neque opere satis munitæ, & belli iniuria deformis, noua moenia extructa, amplioribus quàm antea spatijs, forma non eadem, sed in quadrum descripta: duodecim sanè portis patentia, ternis ad singulas cæli plagas. nouæ leges, nouaque scita abs Rege facta, vnde ciuibus iura dantur. Ad hunc modum Zaeni regnum euersum breui est: quod 30 iniuria erat occupatum. tametsi antiquis Regibus se fatum ferebat, Modeffi filius, Lupi nepos, eius quem Murcia regnum tenuisse superius monstratum est. Victoriæ gratulatio tanta extitit tota Hispania, quantam oratione explicare fas non est: eo syncerior, quod incolumi nostrorum exercitu, ac vix villo magni nominis viro desiderato, tantas res perfectas esse constabat. Artaldus tantum Alauonius cum ad officium rediisset rebus Mauricis desperatis, & Cardonæ regulum Raymundum Folchium, qui capta vrbe venerat, profecutus Villenam & Saissium oppida expugnare tentasset, in tumultuaria pugna ad Saissium ictu lapidis peremptus est. Numinis vindictam vulgus interpretabatur, quod Mauros rebus eorum integris adiuuasset. 40 Hunc finem Valentina expeditio habuit in paucis nobilissima. Rege Aragonio Valentinis rebus implicito Vascones quieti erant: Rege gentis Theobaldo, Pompelonis Episcopo Petro Semeno, qui per idem tempus Petro Remigio successit. Externa atque longinqua bella laudis studio quaesita.

sita. Theobaldus Rex, Comites Henricus Barensis, Petrus Britannia, Aimericus Monfortius in Syriam nauigare constituunt. Rebus omnibus comparatis Genuensium classe, qua traiciendum erat, denegata terra contendunt. Germaniam, Hungariam, Constantinopolim adeunt. Bosphoro Thracio transmissò, in Cilicia ad Tauri montis angustias, Turcis magno numero circumfusus magna pericula obeunt. vix tertia parte incolumi, illuue & squalore deformes Antiochiam tenent. Intijs & medijs, expeditionis exitus consensaneus fuit: aduersa sæpe fortuna in Palestina pugnatum. sic numina voluere à rebus nostris auersa. pauci cum Rege in patriam rediere. Gallici scriptores, Theobaldum Regem eo tempore in Syriam iuisse contendunt, quo Ludouicus Gallia Rex post annos circiter decem, iunctis cum eo viribus scilicet. negant alij, argumento quòd Rodericus Toletanus Præful in extrema historia de Theobaldi Regis profectioe meminit, Ludouici expeditionem in Syriam attigisse non potuit, morte ante id tempus præuentus, sine que scribendi quinto nõ amplius anno post captam Valentiam factò. (?)

## Libri Duodecimi Finis.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XIII.

*Multa oppida à nostris capta. Caput. I.*



**D**VO Hispani Reges Iacobus & Ferdinandus, antea  
clari præ cæteris atque præstantes: maiores & clario-  
res haberi cœperunt Corduba & Valentia captis. op-  
pida & vrbes, ob ea quæ feliciter acta erant, diuis im-  
mortalibus gratias agere: sollicitudinemque de belli  
euentu lætitiâ publica commutare. Duces & milites eo  
intentiores ad victoriam niti: omnibus modis vrge-  
re, cauereque necubi hosti opportuni essent: post victoriam sæpe rerum com-  
mutationem sequi non ignorantes. Externi Principes, ad quos rerum gesta-  
rum fama peruasit, missis legationibus de felicitate gratulari, hortarique vt  
qua cœperant via Mauros præcipitantes opprimere non desisterent. tantisper  
tamen ab armis cessatum ob inducias Mauris ab Aragonio Rege concessas:  
& quoniam Ferdinandus Rex Burgis nouas celebrabat nuptias. Berenga-  
ria mater de filio sollicita, ne præposteris voluptatibus integram ætatem  
corrumperet, tametsi nihil eo sanctius omnium opinione erat, eius con-  
iugij conciliatrix extitit. Ioanna Simone Pictauiensi Comite & Adeloide  
nata, neptis Ludouici Regis Galliarum atque Elisabethæ Alfonsi Imperato-  
ris filiarum, ex Gallia euocata, Ferdinando coniugio iuncta est. Ex eo coniu-  
gio Ferdinandus cognomento Pictauiensis, Elconora, & Ludouicus nati  
sunt. Rex celebritate peracta, iustrandique regni studio, nouam nuptiam  
per præcipuas Legionis & Castellæ vrbes circumduxit, iura populis dare  
solitus: tenuioresque à potentiorum iniuria defendere, facilis aditu, præ-  
cipua morum suauitate. omnium querelis patebant aures. nullius inopia aut  
solitudo non modò publico tribunali accessuque communi, sed ne à regio  
quidem conclauis arcebat. Intelligebat nimirum Regum officium esse scilicet  
consulere subditis, tueri innocentiam, dare salutem, conseruare & bo-  
nis omnibus amplificare rempublicam. cum sit non eius modò qui hominibus  
imperat, sed eius etiam qui pecudibus præest, eorum quibus præest, com-  
modum utilitatemque captare. Eo actionum tenore æquè Legionensium &  
Castellanorum gratiam beneuolentiamque promereri non desisteat. ventum  
Toletum. vnde Cordubam missa pecunia est, quoniam nouos ciues, negle-  
cto agrorum cultu & temporum difficultate annonæ penuria laborare, at-  
que ex ea re proximos periculo esse nunciatum erat. Modius tritici maior  
denis

denis æris (maruedinos vocant) hordei quaternis constabat, quæ suprema ca-  
ritas ea tempestate est habita. Et sanè proditum memoria est, consequenti anno 1239  
millesimo ducentesimo trigésimo nono, Solis defectioem bis contigisse: semel  
tertio Nonas Iunij, qui dies Veneris fuit, hora sexta densissimis tenebris lu-  
ce commutata: quæ defectio Solis nobilissima fuit. iterum Iulij mensis vige-  
simo quinto die, vt Bernardus Guido Aragonius scriptor est auctor: falso  
nimirum, neque astrorum conuersionibus consentaneè. neque enim vtroque  
die Solis & Lunæ coniunctio potuit contingere, sine qua Solis deliquium  
nunquam existit. Ne Luna quidem à media signiferi linea (per quam Sol  
10 decurrit, & vbi existentibus astris eclipsis fiunt, vnde & Ecliptica dicitur)  
digressa semel, ad eandem recurrit ante mensem circiter sextum. fuit præ-  
terea is annus Castellæ funestus duobus clarissimis funeribus: Lupi Hari,  
cui Dieghus filius successit: atque Aluari Castrij, cuius virtute res Chri-  
stianæ in Bætica substiterant. Is enim rerum difficultate perspecta, ad Re-  
gem qui res bellicas alijs curis implicitus, negligere videbatur, Toletum  
profectus est: & dum rem vrget, reuertiturque, Orgacij in ipso itinere  
obiit. Aluari absentiam & militum quinquaginta, qui ad arcis præsidium  
relictæ, prædatum abierunt ductore Alfonso Menelio Aluari propinquo,  
Alhamar in Abenhuti locum Arionæ Rex substitutus ad rei bene geren-  
dæ occasionem conuerti posse arbitratus, Tuccos arcem obsedit. Erat intus  
20 Aluari vxor. in repentino periculo scæminas armari mandat. obmoliri saxa in  
Mauros. præsidijque speciem præbere. Periculo nunciato Menesius & socij ac-  
currunt. hortatore præcipuo Diegho Varga Toletano ciue, cuneo facto per  
medios hostes irrumpunt: paucisque desideratis in arcem inuecti, saluti fue-  
runt sua præsentia speque auxiliij obsessorum animis confirmatis. Rex Mau-  
rus spe depulsus, & non minori inopia pressus soluta obsidione abiit. Ea res  
Regis animo magnam sollicitudinem iniecit, consideranti quantum virum  
decessisset duobus primarijs Ducibus morte sublatis: quantum audaciæ ac-  
cessisset Mauris. Itaque Burgis, quo se contulerat, pecuniæ in stipendium  
30 expediendæ causa, magnis itineribus Cordubam festinauit. Adiuncti filij  
Alfonsus & Ferdinandus eximia adolescentes indole, ætate castris idonea.  
Nimirum sagax pater primæ militiæ rudimenta aduersus Christiani nomi-  
nis hostes eos ponere volebat: insitamque animis virtutem armorum vsu  
excitare. Quo tempore Iacobus Rex Mompellerium abierat, si quo modo ab  
ijs ciuibus pecuniam in stipendium extorquere posset, cuius difficultate non  
minus quàm in Castella laborabat. & quoniam eius vrbes ciues in factio-  
nes diducti erant, ad concordiam reuocare cupiebat, de fontibus sumpto  
supplicio. vtrunque præstitum. Alhamar Rex Maurus, imperio suo Grana-  
tam adiunxerat volentibus ciuibus: urbem armis virisque potentem, nul-  
40 liusque rei indigam. (regni Granatensis, quod perstitit ad auorum ætatem, hoc  
initium fuit) Hudielis Murciae Rex Alhamaris odio à ciuibus est renuncia-  
tus. hinc mutæ atque internecinæ inter vtranque urbem simultatis semina.  
Mauri Bætici dolis fatigabant nostros: pugnandi copiam non faciebant. di-  
missæ à Ferdinando Rege variæ militum manus, in hostium fines, arces, oppida,

vrbes carpere aut vi, aut voluntate. Astigi, Stepa, Lucena, Obulcum, Marchena, (Martia veteribus) Egabrum, Vrsao, Vaena Christiani imperij iugum per-  
 tulerunt. minorum oppidorum numerus iniri non potuit, ne memoria qui-  
 dem recenti. quorum pars tamen Iacobi Calatrauæque militibus pars Episco-  
 pis publicè, qui Regis sequebantur castra, pars proceribus priuatim abs Rege  
 dono data. Mauris ex ijs rebus tanta incussit formido, quantam nunquam me-  
 minerant. Barbarus quidam è gente Almohadam, ex Africa rebus suæ gen-  
 tis cognitis, noui imperij constituendi spe, & Maurorum reliquias colligen-  
 di studio, in Hispaniam venerat, quasi gentis ignominiam, patriæque reli-  
 gionis iniurias manu vindicaturus. insigni hominem audacia atque virtute. 10  
 sed cogitationes eius nostrorum diligentia, perpetua Regis felicitas occupauit:  
 cum captus in potestatem venisset, quâ arte, quo ve loco memoriæ non est pro-  
 ditum: ac ne nomen quidem Mauri, de factò conuenit. Alhamari Granatensi  
 Regi annuæ induciæ concessæ. Ferdinandus Rex tredecim omnino mensibus  
 in ea expeditione consumptis Toletum redijt: vbi mater vxorque, eius aduen-  
 tum operiebantur præsentibus lætæ, de futuro sollicitæ. Quo tempore Ferdi-  
 nandus Rex Burgis, quo se Toletum contulerat, animo ad pacis artes conuerso,  
 Palentinam scholam ab Alfonso auo constitutam, Salmanticam transtulit, loci  
 commoditate inuitatus. Erat enim musarum otijs idonea ciuitas, præterlaben-  
 tique Torme amne salubris pariter & amœni secessus. omnino eo beneficio 20  
 cupiebat Legionensium amplius conciliare voluntates. Alfonso quidem Le-  
 gionensis Rex superioribus annis, ne subditis necesse foret eruditionis causa  
 in Castellam abire, nouæ scholæ fundamenta Salmanticæ posuerat, exigua &  
 inchoata: Ferdinandi nunc filij, & deinde Alfonso nepotis, pro eo studio quo  
 litteras complectebatur, cura & liberalitate vsque eo auctæ, nullibi vt maiora  
 virtuti præmia, neque artium professoribus stipendia vberiora proposita sint.  
 Dieghus Harus Viscaia regulus semel & iterum, quibus de causis incertum,  
 sed tumultuatus tamen, Ferdinandi Regis indulgentia, atque Alfonso Princi-  
 cipis cura ad officium redijt, amplioribus honoribus restitutis, quàm antea Re-  
 gum dono obtinebat. id maiorum meritis datum, & intestinis motibus occu- 30  
 pari importunum erat, in tanta occasione Maurici nominis extirpandi. Anno  
 1240 hæc millesimo ducentesimo quadagesimo contingere. Qui annus nõ Castellæ  
 modò faustus extitit, sed etiam Aragonijs religiosus celebrisque prodigio, quod  
 ad Chium arcem ostensum est, Corporalibus quibus sacrificatum erat, sex ho-  
 stiarum sanguine delibutis. Ea Corporalia Darocæ magna religione seruan-  
 tur. rei gestæ ordinem, quoniam testatissima est, ex aliorum litteris sermone-  
 que peti placet. Iacobum Regem ijs commentarijs, quos de rebus suis ipse com-  
 posuit, de re tanta nihil meminisse viri eruditi admirantur. Bairenium sanè  
 arx valli imposita, nobilissimæ sacchari orizæque prouentu (qualis est omnis  
 ferè finitimus Gandiæ ager) Villenaque Aragonijs armis præsidijque occu- 40  
 patæ. Setabis obsidione tentata, capi non potuit. Castellonium modò arx, quar-  
 to ab ea vrbe lapide dedita nostris est. Iacobum Regem Maurorum reliquijs  
 eo tractò excindendis intentum, districtumque, maiores curæ in Galliam  
 euocarunt.

Murcia

Murcia regnum in fidem acceptum.

Caput. I I.



EBVS igitur in vtraque prouincia pro tempore atque loco  
 compositis paratisque, Iacobus de profectioe Gallica, Ferdi-  
 nandus de Bætica expeditione eodem tempore cogitabant. Fer-  
 dinandum diuturni vis morbi lecto afflixit, vt se Burgis com-  
 mouere non posset. Alfonso ergo filius iuuentutis Princeps, ad bellum Bæ-  
 ticum necessariò est præmissus: quoniam induciarum tempus cum Grana-  
 10 tæ Rege pactum exibat, ne nostris præsidium deesset patre prouidente.  
 Toletum progressu maioris rei occasio se dedit. Hudielis Murcia Regis le-  
 gati venerant, eius nomine regnum offerentes his conditionibus. Vt Rex  
 Hudielis in fidem Castellæ Regum receptus, nostrorum armis ab omni vi,  
 iniuriaque tutus esset, tum domestica tum externa. ac nominatim contra  
 Alhamaris arma, cui se viribus esse impari sentiebat. Vitæ sustentandæ  
 causa, dum illa maneret, vectigalia regia dimidia ex parte perciperet. Ho-  
 nestissimæ eæ conditiones Alfonso visæ sunt: fortunaque, Deus certè præcla-  
 ri facinoris casum dabat. festinatione opus erat: nam nisi properasset, cuncti  
 aut magna pars fidem mutassent: tanta mobilitate gens Maurica circunfer-  
 20 tur. Itaque ne patre quidem conuento ad rem certam legatorum, quos præ-  
 miserat, vestigia subsecutus, regnum vltro delatum præsidij occupauit,  
 ipsamque in primis Murciae vrbis arcem. reguli pro cuiusque auctoritate &  
 opibus annuis redditibus donati. Eliocrota (nempe Lorca) Carthago noua,  
 atque Mula Christiani imperij iugum vt perferrent, adduci non potuerunt:  
 cum sibi priuatim consilium cepissent. vim adhibere longum erat, neque  
 Alfonso satis si bellum gereretur paratus. reliqua ergo ditioe auctus, ad  
 patrem, qui ex morbo recreatus Toletum venerat, citatò redijt. Ferdinan-  
 dus successu lætus, curaque Maurorum animos in fide confirmandi, nouum  
 regnum oculis lustrare constituit. Extatque eius ætatis diploma, à Ferdinan-  
 30 do, dum Murciae esset, templo S. Mariæ in Valle positæ concessum. Inde Bur-  
 gos maiores reipublicæ curæ Ferdinandum & Alfonso vocarunt. Quo  
 tempore Berengaria Regis filia Olgis Deo virginitatem sacrauit. Ioannes  
 Vxamensis Episcopus velum sacrum capiti de more imposuit. Iacobus Ara-  
 gonius Rex Mompellerij, quo se rebus Valentiae compositis, atque Seme-  
 no Turiaonensi pro se vicario relicto contulerat, moram trahebat. Pro-  
 uincia & Tolosæ Comites Regi præsto affuere. officij species prætende-  
 batur: re diuortium agitata Tolosatem inter & Sanctiam Regis amitam:  
 vt nullus propinquitatis respectus mouet, vbi de iure regnandi disputatur.  
 Ioanna ex eo coniugio nata, cum mascula proles non esset, ad Alfonso vi-  
 40 rum Pietauiensem Comitem Ludouici Regis Gallia fratrem, paterni prin-  
 cipatus successionem, quasi dotalem deferrebat. Id Rex ægrè ferebat tan-  
 to principatu rem Gallicam augeri, prætextusque nouis nuptijs quæreba-  
 tur, masculæque prolis spes. Conuenit, vt in eam rem arma tres Principes  
 sociarent. Nonis Iunij, anno millesimo ducentesimo quadagesimo primo, id 1241

Q q 4 foedus

foedus factum est. Quo anno vndecimo Kalend. Septembris Gregorius nonus Romanus Pontifex obiit, successit Celestinus quartus. quo intra dies decem & septem defuncto, Innocentius eo nomine quartus patria Genuensis, post viginti mensium interregnum Romanam ecclesiam regendam suscepit. His Pontificibus, Hugo ex Dominicano ordine Cardinalis, Barcinone patria, eximia eruditionis opinione clarus, diuinos libros commentarijs illustrabat. Bibliorum, hic concordantias, infinitum pene opus, Herculeam planè audacia primus excogitauit, & quingentorum monachorum ope adiutus perfecit, incredibili rei litterariæ prouentu. Hugonis diligentiam longo post interuallo Hebræi, Græcique imitati, vtriusque linguæ studiosorum conatus non parum iuuerunt.

*Ferdinandus in Baticam abiit. Cap. III.*



**I**N Bætica interea induciarum tempore elapso bellum gerebatur, neque magno conatu, cum Regem Ferdinandum aliæ curæ distinerent, neque euentu aliquo memorabili. Rodericus Alfonsus cognomento Legionensis, Ferdinandi Regis ex impari matre frater, in Granatæ fines inuectus prædandi studio à Mauris, qui maiori numero confluerant, acie superatus erat. Isidorus pro Calatrauæ militibus Tuccorum Præfectus, Martinus Argotes, alijque viri nobiles in pugna ceciderunt: milites alij magno numero, magno rei nostræ incommodo: cum bellorum euentus ferme opinione magis, quam rebus ipsis regantur. Rex Maurus successu elatus nostros fines nullo prohibente vastabat, belli fortuna conuersa, timore audacia mutato. Ferdinandus periculo nunciato, Alfonsum filium Burgis ad noui regni præsidium maturare mandat. ipse in Bætiam proficisci constituit. Illiturgim ubi appulsus est, Arionæ, & Giennij, quæ vrbes in Maurorum ditone erant, agros euastat. Ariona haud multo post sub iugum missa. minora eo tractu oppida capta. Ijs ex locis, Alfonsus Regis frater Molinæ regulus, in Granatæ fines irrupere iussus est. iustus exercitus sequebatur. vrbs circumfessa. Ferdinandus ratus, quod futurum prouidebat, circumfusos vndique Mauros obsessis auxilio venturos: obsidionis vrgendæ cura, cum maioribus copijs superuenit. Eius præsidio Maurorum exercitus quamuis copiosus victus in certamine, atque fugatus est: vrbs expugnare non licuit, cum natura, opere, ciuiumque multitudine munita esset: & Mauros Gazules (factionis id nomen est) Tuccos obsidione premere, eodem tempore nunciabatur. Quo nuncio percussus Rex, Alfonsum fratrem, & Calatrauæ Magistrum præmisit, vt opem laborantibus ferrent. Quorum aduentum, Mauri haudquaquam expectarunt. Rex satis se profecisse ad tuendam nominis existimationem iudicans, exæquata clade, multisque oppidis captis, Cordubam exercitum incolumem reduxit anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. Alfonsus filius diuersa in parte, non minori felicitate rem gerebat: nam ex tribus oppidis, quæ imperij iugum detrectare dictum est, Mulam vi compulit deditioem facere ad victoris arbitrium. Eliocrotæ hoc est, Lorcæ, & Carthaginis agri, omni belli iniuria deformati: prorsus vt fractis animis de deditioe consilia agitent. Sanctio

Mafuelo,

Mafuelo, cuius hoc bello virtus enituit vna maximè, Alcaudete oppidum prope Bugarram nauatæ operæ, atque industriæ præmium fuit Alfonsi Principis dono. Rex hibernorum tempore Puteolum abiit: quo mater Berengaria processerat, eius videndi studio, annis grauis supremaque iam ætate. quinque & quadraginta dies, officij causa in eo oppido matri dati. quibus exactis Toletum Berengaria redijt. Rex Illiturgim abiit, inchoante anno millesimo ducentesimo quadragesimo tertio. Regina vxor virum profecuta Cordubæ mansit. Maurorum fines Ferdinando ductore longissimè euastati sunt: Giennij, Alcalæ cognomento Bensaidæ. Illoris incensa. in ipsumque adeo Granatæ vrbs conspectum arma illata. Pelagius Correa S. Iacobi Magister, Alfonso Principe relicto, quem Contestano bello comitatus erat, & rerum gestarum magna pars fuerat, in Bætiam per idem tempus abiit: Regique cunctanti, monendo, hortandoque auctor extit, Giennium vrbs, quæ toties frustra tentata erat, supremo conatu obsidendi. Magnæ difficultates offerebantur. virorum atque armorum magna vis intra eam vrbs erat, frumenti assatum. situs asperitate, mœnium munitione, aggeribus, alijsque machinationibus locus importunus. Vrbs ea ad ardui montis latus posita est, præter ortum Solis & Austrum porrecta in longitudinem, latitudine non eadem. iugi aqua, eaque copiosa vtitur, fontibus perennibus gelidissimisque. fluuius ad duodecim passuum millia distat. gens Maurica superioribus annis, vt instar propugnaculi esset, rebus omnibus instruxerat, vrbs situ arduam opera milesque firmauerant. vicit tamen Pelagij auctoritas, atque constantia. Vrbs circumfessa abs Rege est. omnia quæ ex vsu essent comparata. multis tamen diebus, & laboribus consumptis haud multum proficiebatur. Fortè Granatæ Rex, Oysemelium factione inter suos tumultuante, de vita, deq; imperio periclitari cœperat. anxio & pendenti animo auxilia conquire aduersus eos motus: nihil tamen vsquam tutum inuenire, nisi in nostrorum præsidio. ergo fide accepta, ad Regem venit in castra: fortemque & fidelem operam, si in fidem reciperetur, & amicitiam pollicetur: subiectionis indicio Ferdinandi manum, facta conueniendi potestate deosculatur. foedus his legibus sancitum. Giennium continuo dedatur. Granatæ vectigalia æquis partibus inter vtrunque Regem diuidantur. ea ad septemdecim aureorum myriades excreuerant, sexagies octies sestertium, hoc est aureos centum septuaginta millia. Rex Maurus ad regni comitia tanquam beneficiarius, veniat euocatus. Communes vtrisque hostes sint, amici non alij. Gloriosum Ferdinando fuit diuersa religione homines illi se credere: eiusque societatem & fidem cupidissime petere. Itaque foedere sancito, vrbs dedita est. Rex solenni supplicatione portas inuectus, muro refecto, temploque expiato, illud ex ritu Christiano sacrandum curauit. A Guterrio Cordubensi Episcopo perfecta cæremonia, quo maior religio esset, nouo in ea vrbe Episcopo constituto. De tēpore quo Giennium capta est auctores variant. annum peritiores adscribunt millesimum ducentessimum quadragesimum tertium, mensem Aprilem dimidiatum. octimestris obsidio fuit: durissima hyeme in castris duratum. Quo anno & proximo Catalaunos & Aragonios de finibus tumultuatos inuenio. Ilerdam vtrique ad se trahere conabantur, Aragonij Sicori, Catalauni Cinga, ditionis fines de-

Qg s signa-



signabant. Iacobus Rex Catalaunis æquior erat, quod distracto imperio Alfonso maiorem filium Aragoniæ hæredem declarasset: Catalauniæ Petro cariori filio, quem ex Violante noua vxore susceperat, principatum pararet. Dati arbitri designandis finibus: conuentuque Barcinone habito secundum eorum iura & merita pronunciauit: totumque tractum Cinga & Sicori comprehensum Catalaunis attribuit. ea re Alfonso filij, ac multorum procerum offensi animi. ac illud vrebant maximè, quòd regno diuulso in partes, debilitari rempublicam necessè fore dolebant. Ergo Alfonso non obscure à patre deficiens, Calataiuba se tenebat, & Alfonso secuti Ferdinandus Regis patruus Montaragonis Abbas, Petrus Afagra, Petrus Lusitanus, alijque ex vtraque gente viri primarij, opibus magnis.

*Sanctius Lusitaniæ Rex regno pulsus. Cap. IIII.*



V S I T A N I in factiones distracti erant, atque intestinis motibus perturbati. Sanctius eo nomine secundus à vestium forma cognomento Capellus, regnum obtinebat, rexeratque initio non omnino malè. nam finitimos Mauros bello fatigasse inuenio: Merto-  
lanque & alia oppida Mauris erepta S. Iacobi militiæ donasse. cætera ea ingenij mansuetudine, vt in socordiam degenerare videretur. Mencia Lupi Hari  
Viscaïæ reguli filia connubio iuncta fuit, viri vsque adeo potens, vt non Principem se, sed ministrum ageret foemineæ cupiditatis. Apud eam gratia & auctoritate plurimum poterant, quos minimè omnium oportebat. ij soli, omnium consiliorum participes erant, sine illis neque domi neque foris quidquam maioris rei gerebatur. Horum compendio ac libidine honores, præfecturæ, impunitates, supplicia Rex largiebatur, insciens plerunque & ignarus. id Regi exitio fuit, vt ferme Principum periculo à domesticis peccatur. Proceres rempublicam ignobilium hominum arbitrio agirari molestè ferebant. Consilio inter se communicato, lege propinquitatis, & quoniam Regina infœcunda erat, id coniugium diuellere primùm conantur. res ad Pontificem Romanum delata. viri  
sancti adhibiti, qui Regis animo alioqui minimè mali, religionem incuterent. nihil ea diligentia profectum: cum Regina artibus vsque adeo captus esset, vt carminibus & veneficijs amentiam iniecisse vulgus existimaret. Amore captus animus philtris non eget. Erat Sanctio frater ætate proximus, eximia indole, Alfonso nomine: qui Matildam Bononiæ in Gallia Comitem vxorem duxerat. Episcopi Bracarensis & Conimbricensis ad Innocentium Pontificem, qui hoc tempore Lugduni conuentus ecclesiasticos agitabat cura belli sacri in Syria reparandi, à Lusitanis proceribus amandati. Pontifice conuento & longinquæ legationis causis explicatis, vt Sanctius regno pelleretur impetrari non potuit. id modò concessum est: vt Alfonso eius nomine dum viueret, rempublicam gubernaret. Extant de hac re ipsius Innocentij litteræ ad proceres Lusitanæ hoc ipso anno datæ, quæ est lex altera De supplenda negligentia Prælatorum, epistolarum decretalium libro sexto. Alfonso Pontifice primùm conuento, Lutetiæque icæti inter primores gentis, foederis leges & commoda publi-

ca iuratus, cum ad eum studia procerum inclinassent, in Rege partim præsidij esset, continuò rempublicam nullo impediante occupauit. Hinc tamen nouæ contentiones natæ sunt, quæ Castellæ Reges Ferdinandum & Alfonso implicarunt. Sanctium enim Regem primùm in Calæciam abiisse memorat: deinde cum restitutio têtata parum procederet, Toletum ad Alfonso Regem, qui Ferdinando patri successerat profugisse. eius armis quominus restitueretur Alfonso Lusitani diligentia effectum: cum priori vxore abdicata, Alfonso Regis filiam ex impari matre Beatricem se ducturum polliceretur: regnumque vectigale, vt fuerat olim, futurum. Vicit commoditas honestatem: tamen Pontificis quoque voluntas excusabat, pro Alfonso libertate pronunciantis, quasi priori coniugio inualido. nouæq; nuptiæ quamprimum celebratæ sunt. dotis nomine oppida in ea Lusitaniæ parte data, qua Anas influit in mare: cum paulò ante Mauris erepta Castellæ armis, iuris controuersi essent. Quo ex tempore nonnulli putant, Reges Lusitaniæ ad vetera insignia arces circum clypei limbum addidisse. Sanctius Rex omni spe depulsus regni obtinendi, Toleti consenuit. viuenti vectigalia Regis liberalitate donata, vnde vitam principalem sustentaret. mortuo iusta funeris regio apparatu facta: corpusq; in ipso templo maximo tumulatum, eo loco vbi Alfonso Imperator, & Sanctius filius retro aram maximam sepulti erant. De obitus tempore auctores discrepant. saniores post tredecim annos decessisse aiunt: cum regium nomen quatuor & triginta annis tenuisset, fluxa primùm deinde nulla auctoritate. Conimbricam obsidebat Alfonso in Sanctij fide perstantem: impugnabatq; acerrimè. Obsessi ad supremam quamuis inopiam redacti obstinata patientia sustentabant: cum Flectius arci vrbique Præfectus Sanctij morte nunciata, neq; satis credens tamen, quasi certiora cogniturus Toletum eundi veniam postulauit. Dat Alfonso nõ inuitus, interimque ab oppugnatione cessatur. Flectius Toletum delatus aperto Regis extincti sepulcro Conimbricenses clauis in manus dat, his vsus verbis. Quandiu Rex viuere te iudicabam, extrema omnia sum perpeffus. corijs famem toleraui, sitim lotio. ciuium animos consilia de deditioe agitantium ad malorum patientiam erexi. Quidquid à fideli & constanti homine atq; in tua verba iurato expectari debuit, præstiti. Mortuo tuæ tibi vrbis clauibus traditis, quod supremum officium est, sacramèto me solutum ciuibus, decessisseq; te renuntiabo: Alfonso fratri ne amplius resistent te concedente ero auctor. Viri fidem atq; cõstantiam omnibus seculis prædicandam. Lusitani generis & sanguinis propriam laudem.

*Bellum Hispalense inchoatur. Cap. V.*



R A N A T A E Rege in fidem accepto, Ferdinandus Castellæ Rex in magnam spem venerat Hispalis occupandæ. quingenti leuis armaturæ equites ductore ipso Rege Granatæ, præmissi dum reliqua comparantur: qui Carmonæ vrbis, olim validissimè agros depopularentur. Alcala cognomèto Guadayra auctore Rege Granatæ nostris deditioem fecit. valida inde manus Hispalim dimissa maturas segetes, vineas & oliueta præcipua nobilitate corruptit. Ita vt incendijs omnis circum

circum urbem ager, villæq; fumarent. Ductor Pelagius Correa Vrcefiæ Magister. Manus alia militum Cæsariani fines simili iniuria vexabat. ductores Granatæ Rex & Calatrauæ Magister. Ferdinadus ipse ad Alcalam Guadayram substitit, rebus omnibus comparandis intentus. atque illud maxime prouidens ne remisso belli ardore hosti se muniendi opportunitas esset. Quo minus Berengariæ matris funeri interesse potuit, per idem tēpus defunctæ. Subsecutus est Roderici Toletani Præfulis obitus Augusti mensis nono die, anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto. tametsi alij adscribunt annum millesimum ducentesimo quadragesimum septimum, Iunij mensis diem decimum: vt magis mirari liceat, in clarissimi viri obitu dissentire auctores, quàm opinionem opinionem præferre. magno vtrunq; reipublicæ incommodo accidit, propter insignes vtriusq; virtutes. Regina ætate prouecta erat, Rodericus grauior annis, multisq; laboribus fractus: ac nouo itinere, quod Lugdunum susceperat (vbi cōuentus ecclesiastici erant) aduersus Petrum Tarraconensem, à quo fuerat diris defixus, nulla grauiori de causa, quàm quòd iure Primatis per eius fines crucem dignitatis insigne prætulisset. Extat Gregorij noni Rom. Pont. sententia secundum iura & merita ecclesiæ Toletanæ. verum controuersia nondum satis cōposita, Rodericum arbitror in extrema quamuis ætate ad Pontificem abiisse. in reditu sanè cum Rhodano in Hispaniam nauigaturus nauì veheretur defunctus est. Hortæ ad aram eius templi maximam cippus cum inscriptione monstratur duobus his carminibus cōprehensa, rude & crassum, vt in ea ætate sonantibus.

Mater Nauarra, nutrix Castella, schola Parisius,

Sedes Toletum, Hortus Mausoleum, requies cælum.

Roderici semper in Hispania viuet auctoritas, memoria vigebit. Defuncti manibus in templi Toletani maximi pluribus facellis ad hanc diem parentatur, aliquot sacerdotijs eius iussu atq; impensa ea de causa cōstitutis. Roderico Ioannes. eo nomine secundus successor est datus. Raymundus Prouinciæ Comes per idem tempus decessit, ob amorem litterarum & poetices studium laude dignissimus, vna ingrati animi nota deformis, aduersus Romeum aulæ præfectum: quo agente honestis rationibus publica vectigalia triplo aucta erant. Virtutem inuidia sequitur. Itaq; criminibus appetitus & ad expensi rationem compulsus, fide probata cum baculo & pera, cum quibus Compostella venerat, peregrinus discessit. neq; vnquam quis esset, aut quò recessisset, est cognitum. Quatuor Raymundi filix, Margarita Ludouico Regi Gallix Sancto nupsit, Eleonora Henrico Anglo Regi, Sanctia Richardo Henrici fratri: Carolus Andegauensis Comes Beatricem duxit, cum qua tametsi natu minima erat, eximia prouincialium voluntate, & Ludouici fratris sui ope, defuncti soceri principatum obtinuit. Ferdinandus interea Rex Corduba, quo se retulerat, Hispalim maiori conatu impugnare obsidereq; parans, Raymundum Bonifacium Burgensem ciuem rei nauticæ peritissimū, in Cantabriam dimisit, vt classem instrueret: quoniam ea gēs nauigandi peritia potissimum celebris erat. Carmonam ipse maioribus copijs circumfedit annum circiter millesimum ducentesimo quadragesimum sextum, urbem præualidam, & ad omnes casus paratam, munitamq; aduersus hostes mēnibus, armis, viribus atq; comæatu. Itaq; expugnari non potuit. ad fœderis tamen

men conditiones redacta: multæq; nomine auri pondus in præfenti, deinde tributa annua pendere compulsæ est. Constantina, Reyna, Lora (quæ tria veteribus Iporcense municipiū, Regina, Axalita fuerunt) Cantillana, Guillena oppida pars vi, pars voluntate occupata. Vrcefiæ militibus Reyna data est: Constantina ciuibus Cordubensibus publice: Lora militibus Hospitalarijs. Omnia secunda erant nostris. Aragonij tantum Regis conciliandi cura sollicitabat, ne in eo rerum momento impedimento esset, exoptulantis Alfonso Principis armis, qui in Murcia regno curabat, designatos olim vtriusque regni fines superatos. viri præcipua auctoritate vtrinque adhibiti, concordia inuendæ viam excogitabant. optima visa est, Alfonso Principis cum Violante Iacobi Regis filia coniugium. erat vtriq; genti commodum tantos Reges nouæ necessitudinis vinculo constringi. Nuptiæ mense Nouembri Vallisoleti regio apparatu omnique lætitiæ significatione celebratæ: tametsi Ferdinandus pater aberat, in vnam Hispalensis belli cogitationem intentus, eo maiori conatu, quòd a Raymundo Bonifacio, qui instructa classe tredecim nauium, circumductoque Nerio promontorio, ad Bætis ostium, qua se parte effundit in mare, hostium classis in qua viginti naues, tum longæ, tum onerariæ erant, nauali prælio fuerat superata per idem tempus. Mauri enim qui Tingi Septaq; præsidij causa Hispalim conuenerant, cognito nostrorum aduentu, suas naues ex portu educunt. pugnatur vtrinque magna animorum contentione. neque Cantabris Afri multum virtute cedebant, homines militares, exercitati in armis, ad hæc nauium numero superiores. Cantabri celeritate nauium, & scientia gubernatorum confisi hostiles impetus eludebant: atque vbi locus cominus pugnandi erat, in hostium naues transcendendo, magno numero hoites neci dabant. Tres Maurorum naues captæ, duæ submersæ, vna incensa, reliquæ in fugam compulsæ. Miserat Rex subsidio iustum equitatum, classis periculo permotus. verum priusquam ad litus ij equites peruenissent, victoria à nostris parta erat. eo maior reliqui belli conficiendi cupiditas nostrorum animis iniecta est: prorsus vt Rex alijs omnibus curis omisis, in eam tantummodo cogitationem incumberet.

*Aragonia sacrificijs interdicitur. Caput. VI.*



NT E R E A in Aragonia sacrorum iustitium erat, templis prouinciæ omnibus clausis, mœstum silentium: quod iussu Pontificum, vindicandis sceleribus Principum, curandisque extremum remedium, nonnunquam efficax, vsurpari consuevit: vti tunc accidit. Iacobus Rex Aragonius à Therasia Vidaura, cuius amoribus iunior addictus fuerat, lege de coniugijs postulatus, quasi datam ipsi fidem iniustis nuptijs violasset, causam apud Romanos Pontifices dixit. idonei testes non erant eo coniugio comprobando, quippe nullo, aut clandestino. Ire ergo contestata, victa Therasia est: ac secundum iura & merita Violantis Reginæ pronunciatum. Vnus Gerundensis Episcopus, cui Rex arcanò rem omnem reuelasse fama est, quo id studio incertum, sed Pontifici tamen Innocentio III. renunciauit, iniuste Regem facere, qui datam fidem falleret. posteriori coniugio quasi vitioso

vitioso rescisso, Therasiam iustam vxorem loco reddendam videri. id ipsi Regem arcano confessum. neque pati cōscientiam, vt grauisima religione illum, se, & populum obstringi sineret, vnde graua supplicia postmodum instarent. id insolentibus litterarum notis renunciare, quò res esset occultior. Nihil latere Principes solet. alijs prosternendis siue veris siue falsis criminationibus, multi primum gratiæ locum & potentiæ in aulis Regum aucupantur vaniloqui assentatoresq;. Ergo cum Rex cognouisset Therasiæ causæ passim fauere Romanos: Pontificisq; animum in eam manifestè propensum: renunciato indice, seu quod res erat ex conscientia suspicatus, Episcopo Gerundensi in curiam euocato, atque in regiam ingresso, linguam abscindi coram mandauit. fœdam carnificinam, turpeq; facinus. scelus scelere vindicatum, atq; noua impietate antiqua cumulata est. tamen si religionis violatæ ab Episcopo dolor stimulare potuit sacræ confessionis secretis reiectis, quod nefas semper est habitum. Id tamen vbi cognouit Innocentius Pontifex (fortè Lugduni generales Episcoporum conuentus agitabat, vt paulò ante dictum est,) quantum dolorem animo ceperit, quantis iracundiæ flammis arserit, dicere non est necesse. Ditione vniuersa sacris interdicta, vt ferè peccata Principum multitudinis malo vindicantur, Regem diris omnibus de hixum anathematis ignominia notauit. Is legato ad Pontificem Andrea Albalato Episcopo Valentino supplices preces obtulit. penitere se facti: sed quoniam mutare non licebat, indignationi si non iustæ, certe precipiti veniam pater & Pontifex daret, parato poenarum dare quantum ipsius arbitrato decretum esset. Audita legatione Pontifex, Episcopo Camerino & Desiderio presbytero in Aragoniam legatis causæ cognitionem permittit, concessa potestate Regem etiam cum ecclesia conciliandi, modò ad sanitatem per poenitentiam redactò. Ilerdæ conuentus Episcoporum & procerum est habitus. affuerunt Episcopi Tarraconensis, CæsarAugustanus, Vrgelitanus, Oscensis, Elnensis. His præsentibus Rex verbis grauisimis castigatus, atq; in genua procumbens criminis venia donatus est ea lege, si monasterium Benefacianum, quod in Dertusæ mōtib; ante viginti annos post captum Morellam oppidum inchoatum tardis incrementis surgebat, magnis ipse molibus & cæmentis ad culmen vsque suo sumptu perduceret Virginis Matris nomine sacrum. argenti pondo centum & quadraginta circiter annua tribueret, vnde Cisterciensēs in eo monachi vitam sustentarent. Publicum hospitium Valentis D. Vincentij nomine extrui cœperat pauperibus & peregrinis suscipiendis. ei xenodochio maiora vectigalia designata sunt, argenti pondo quadringenta singulis annis, vnde pauperes & peregrini alerentur: præterea sacerdotes aliquot, qui sacra procurarent, & iuuandis fouendisq; pauperibus præsto essent. Additum, vt Gerundæ in templo maximo idoneis redditibus sacerdos perpetuis sacris diuinum numen Regi & posteris propitiaretur. Pontifex diploma concessit decimo Kalend. Octobris, anno millesimo ducentesimo quadagesimo sexto, quo potestas Legatis datur Regem conciliandi cum ecclesia: quod proximo mense factum est. quartodecimo Kalen. Nouembris, Ilerdæ solenni cæremonia Rex est piorum societati templisq; redditus. Quid acciderit Episcopo Gerundensi memoriæ non est proditum: ac ne nomen ipsius adscribunt. Ex tabularijs Benefacian

ni monasterij hæc desumpta, & à plerisq; annalium scriptoribus prætermissa, silentio præterire consilium non fuit. quam res meretur fidem, eam lector adiungat. Multus certè sermo variusq; de eo Regis factò in vulgus ex his, vt arbitrator, monumentis manauit. Ad Bæticam expeditionem recurrendum est.

## Hispalis capta. Cap. VII.



10

20

30

40

D extremum Occasum in Hispania, Hispalis sita est Bæticæ caput, in primis Europæ nobilis atque opulenta, mœnium firmitate, armis virisque munita. A Edificia publica & priuata regiarum instar magno numero. nitor cultusq; ciuium præcipua. Urbem ad læuam, & suburbium, cui Trianae nomen est, Bætis interfluit, magnis molibus coercitus: magnarum nauium fundo capaci, eoq; idoneus vtriusq; maris commercio. pons sublicius cum vrbe suburbium committit. in vrbe regia est Regum veterum domicilium. in suburbio arx firmissimo opere, ad ortum Solis conuersa. Turris ad flumen affurgit, ab elegantia structure aurea dicta. sed omnium operum magnitudinem cocto latere turris altera vincebat, ad tēplum maximum, vlnas sexaginta lata, quadruplo altior: supra quam turris minor affurgit, iusta magnitudine. ea nunc tectorio noui operis & picturæ varietate circum ornata, pro miraculo cernentibus est. Singula referre quid attinet in tanta copia & varietate? Ciuitas omnis hac tempestate supra quatuor & viginti familiarum millia numerat: in octo & viginti tribus descripta. Prima Diuæ Mariæ nomine, à templo vrbis maximo: cui ædificij amplitudine & maiestate cætera vniuersæ Hispaniæ cedunt. annuos aureos triginta millia in structuram consumit. eius summæ quadruplum Episcopo prouenit. sacerdotia alia numero & prouentu proportionem respōdent. Ager præcipua bonitate est. regio circum plana & lætissima, olea plurimum consita: cuius prima Hispali nobilitas est. muria maceratas oliuas insigni tum magnitudine tum suauitate, in omnes partes ager Hispalēsis mittit: alioqui tanto prouentu, vt centum millia quæ villas, quæ trapeta in ijs oliuetis, quibus Assaraffio nomen est, Mauris rerum potientibus numerarent. ingens numerus, sed Alfonso tamen Regis Sapiētis historiæ auctoritate probabilis. Incredibilis hac tempestate aduenarum & mercatorum multitudo, ad famam earum opum, ex omnibus partibus conuenientium: quas Atlanticæ nauigationes quotannis repetitæ maximas pariunt. Huius vrbis potiundæ Regem Ferdinandum maxima cupido inuaserat: cum propter nobilitatem loci, tum quoniam ea capta imperium Mauricum concidere necesse erat. & Aragonij Valentiam urbem magna gloria ceperant, haud dissimiliter sitam, neq; multo minore ciuium frequentia. Hispalensis Rex Axataffus haud ignarus periculi, ex vicinis locis ipsaq; Africa auxilia euocarat: frumentum ex finitimis regionibus in urbem conuexerat: equos, arma, classē, quiduis pati certus priusquam tantæ vrbis imperio cederet. Ferdinandus ad veteres copias noua vndique auxilia contrahit: frumentum aliaque omnia quæ ex vsu belli forent, summa diligentia cōquirit: quod fore diuturnum & difficile nō ignorabat. Alcala, vbi se aliquandiu tenuerat Ferdinandus, adulta iam ætate

1247 mota castra. Augusti vigesimo die anno M.CC. quadragesimo septimo, vrbs circunfessa. castra Regis ad eam partem posita: vbi Campus Tablata ad inferiorem vrbs partem & fluminis ripam panditur. Pelagius Correa Vrcefiæ Magister transmissis flumine ad Aznalfarachium constitit, magno vir animo, præstanti rei militaris scientia. huic obiectus erat Abengiafon Nieblæ Rex: omniaq; ea parte loca à Mauris obtinebantur. eo grauius periculum erat: sed omnes difficultates constantia virtuteq; superata. Ad Regis castra, erumpentibus ex vrbe Mauris, atque opera & munitiones nostras disturbare conantibus, leuia aliquot prælia facta successu vario, euentu haud memorabili. nostri sæpe meliora ferebant, hostesq; in vrbs cum clade reijciebant, mari præsertim, vnde maiora incommoda afferebantur inuehendi commeatus facultate sublata. ne terra rerum quidquam necessariarum inferretur, copiæ terrestres vetabant: variaq; manus prædatum missæ fructus maturos corrumpere, & si quid frumenti inuentum esset, diripere non desistebant. Carmona viginti quatuor millibus passuum distita, ijs malis adaçta, vt erat ante sex menses pacta, ne certamine quidem tentato, deditioem fecit: eo maiori miraculo, quod rara fides sit barbaris. classis incendendæ Hispalensibus præcipua & maxima cura erat. cedria medicato igne, quoniam in aquis ardet, sæpe tentatum. eas artes Bonifacij vigilantia eludebat, & pro se quisq; Duces terra mariq;, qua parte curare iussi erant, ne aliquod incommodum acciperetur, diligenter cauebant. Pelagius præsertim Correa Vrcefiæ Magister, Laurētius Suarius, quorum virtus & industria toto obsidionis tempore maxime enituit. ante omnes Garsias Vargas Toletanus ciuis, de cuius virtute magna ac pene incredibilia memorantur. Obsidionis initio ad ripam fluminis, vbi statio militaris erat aduersus barbarorum incursum, Garsias & socius diuulsi à cæteris nescio quò contendebant: cum ecce septem Mauros equites conspiciunt. monet socius cedendum. Garsias, si certa perniciēs sit, perstandum tamen affirmat: neq; turpi fuga ignauitæ ignominiam suscipiendam. simul elapso socio arma sumit. hostes cognito quis esset, certamine abstinent. progressus aliquanto spatio erat, cum induenda galea decidisse reticulum capitis animaduertit. ijsdem vestigijs redit. miratur Rex, nam fortè ex castris dispiciebat, certamenq; repetere putat. ille sumpto reticulo, Maurisq; in detrectandi certaminis consilio perstantibus, incolumis ad suos se refert, iterq; institutum conficit. Eo maior gloria fuit, quod socius quis esset prodere, quamuis sæpe rogatus semper recusauit. quid enim alium fugillado sibi inimicum, socio dedecus nulla sua laude quæreret: cum contra silentio ad virtutis, modestiæ etiam laudem adiungeret. Dum hoc conatu ad Hispalim pugnatur, Alfonso Ferdinãdi filius Setabim in Valentino tractu occupare tentauit inuitatus à ciuibus. Setabi contributa Enguerra incolarum deditioem venit in potestatem. Quantum quisque opibus præstat, tantum in bello iuris sibi arrogat. Iacobus Rex Alfonsi molitionibus indicatis haud secus quàm par erat motus, Villenam & Saissium, quæ Castellæ finibus comprehensa erant, corrupto Præfecto occupat. præterea in eodem tractu Bugarram eripit Mauris, anno iam M.CC. quadragesimo octauo inchoante. ex his initijs res ad maiorem contentionem atq; ad eò bellum spectare videbatur. Alfonso, vt erat sedato ingenio, cum socero de omnibus pactionibus præfens

præfens agere statuit. Almiram in Aragonij Regis ditione ad colloquium ventum. ibi Regina Aragonia interprete, Diegho Haro alijsque proceribus annitentibus, controuersia omnis composita est. Oppida vtrinque restituta, quæ iniquo iure erant occupata. vtriusque imperij fines descripti. Almanfa, Sarafulla, ipsumq; flumen Cabriuolum Murcia attributa. Valentinis Biara, Saxona, Alarca, Finelstratum. Rebus ad hunc modum constitutis, Principes ex colloquio digressi. Iacobus Rex Setabim, cuius obsidendæ causâ copias præmiserat, continuo repetijt: & adulta iam ætate ciuium deditioem cepit, loco commodissimo sitam, totius agri lætissima fertilitate, gleba feraci. Alfonso Princeps & Dieghus Harus Hispalim maturarunt. Alhamar etiam Rex Granatæ in castra Regis cum manu militari venit, opportuno sanè tempore: nam milites mora & difficultate fessi, de deserendis castris cogitare cœperant. Vulgati per castra morbi multum animos debilitarant. Prius se hyems circumegerat, quàm quidquam perfectum esset. Rex ipse tantis laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, solueret ne obsidionem, an fortunam operiretur, qua sæpe profperè vsus erat. Obsessi nostrorum operibus subuersis, incensis machinis, non vrbs munitione se tenere, sed nostris pro muro væcordiam obiectare, minari exitium, conuitio & contumelia feroces esse. obsidio ducebatur eo meliori nostrorum conditione, quod noua indies auxilia veniebant. Episcopi Ioannes

20 Arias Compostellanus (tametsi in nullo vsu fuit, ob aduersam valetudinem breui Regis voluntate è castris discedens) Garsias Cordubensis, Sanctius Cauriensis, Calatrauæ, atque Alcantaræ Magistri, Fridericus, & Henricus Regis filij, Petrus Gusmanus, Petrus Leonius, Gonsaluus Gironius, alijque magno numero Principes auxilio venerant. Obsessi propter amplitudinem vrbs commeatu penitus prohiberi non poterant: tametsi magna diligentia à nostris adhibebatur. Bonifacium classis Præfectum magna cura incesserat pontis rumpendi: quò sublata liberè vtrinque commeandi facultate, per partes opprimerentur: qui integri resistebant. erat molitio ardua, cum cymbis impositus, ferreisq; catenis connexus esset. Binæ ad id paratæ naues, quo tempore se maris æstus incitabat maximè, validis ab Occasu flatibus, plenis nauis altera velis, eo impetu in pontem impacta est, quantum ferrea vincula sustinere non valuerunt. Maij mensis tertio die, ingenti nostrorum lætitia & commoditate pons fractus est. milites cum spe victoriæ summa vi in vrbs irrumpere conantur: scalis in murum conscendere, tormentis mœnia subruere, tanta contentione, vt obsessi desperarent. maior impetus in Trianam versus. Mauri enixè dimicabant: & mœnium munitio opponebatur. Accidit vt Garsiam Vargam miles arcanò accusaret, quasi vndantem clypeum alienæ familiæ insigne gestaret. Nulli patientius vituperationes ferunt, quàm qui maximè culpa vacant. dissimulat in præsentem iram: deinde impetu à nostris in Trianam facto, tandiu in certamine perstat, donec lapidum & telorum imbre, clypeo & armis concussis, vix ipse euadit incolumis. tum ad æmulum se tuto loco tenentem: Insignia, inquit, gentis merito nobis detrahis, qui his obijciamus periculis. tu cautior, cui integra sunt. Ille pudore suffusus, culpam agnoscit, veniam petit. dat ille non inuitus: contentione virtutis (quod clarissimum vindictæ genus est) vltus iniuriam.

riam. Magna annonæ difficultate intra urbem laborari cœptum erat. quibus malis adacti Hispalenses, videntesque nostræ gentis felicitatem cum virtute certare, de vrbe dedenda clam primum, deinde in circulis consilia agitare. De muro cum nostris colloquuntur: cupere si potestas fiat Regem conuenire. facta potestate, legati ex vrbe mittuntur. velle se pacisci renunciant, modò honestis conditionibus, vrbeque retenta. Quod tandiu restiterint, vt ignosceretur postularent. malis fractos neque corpore laborem, neque animo posse molestiam sustinere. Superesse tamen in vrbe copias militares, quas iniecta desperatione irritare non deberent. Sæpe necessitatem ex timidis fortes facere. cruentam sanè atque luctuosam victoriam, nisi fœdere factò futuram. Ad hæc Rex: se quo loco res ipsorum sint non ignorare. fuisse tempus cum de fœdere agi possêt. nunc eò ipsorum obstinatione ventum, vt nisi vrbe capta discedere turpe sit: nisi dedita nullam fore concordie conditionem. Dum de fœderis conditionibus disceptatur ab oppugnatione cessatur. Pollicentur regia vectigalia, quęcunque Miramamolins antea pendebantur. ea conditione repudiata, tertiam vrbis partem adiiciunt: deinde mediam muro perpetuo discretam. Satis honestæ eæ conditiones nostris videbantur. Regi nisi vrbe dedita, vilia omnia Maurorum promissa erant, vani conatus. Conuenit tandem, vt Rex Maurus & ciues omni supellectile asportata incolumes irent quò vellent. Luciferi fano, Aznalfaracho, atque Niebla oppidis retentis, reliquæ arces & oppida Hispali contributa victoribus traderentur. Mensis designatus rebus perficiendis. Arx continuò nostris tradita est. Nouembris die vigesimo septimo centum Maurorum millia promiscui sexus & ætatis vrbe egressa, pars in Africam traiecit, pars per alia Hispaniæ loca & vrbes dissipata est. Decem & sex menses in obsidione consumpti. quo spatio in iustæ vrbis speciem castra conformata fuerant, descripta suis quęque partibus, tabernæ rerum venalium, officinæ armorum vicatim dispositæ, tendentium ordo, platearum interualla. Mense Decembri die vigesimo secundo publica supplicatione & apparatu Rex in urbem ingressus, in templo maximo, quod in eam rem expiatum erat, sacris interfuit: quæ Guterrius Toletanus Præsul, in Ioannis nuper Iulio mense defuncti locum, designatus successor, insigni apparatu peregit. Raymundus Losana Archiepiscopus nouæ vrbi datus. Is in ludo litterario fratri oculum graphio excusserat: qua religione vt se exolueret, ætate maior Romam abierat. inde eruditionis comparandæ facultas eximie, atque præstantis. Tributorum immunitate abs Rege proposita, multi mortales tota Hispania conuenerunt, certi fortunarum suarum domicilium in ea vrbe collocare. vnde pristina elegantia & frequentia in nobilissimam ciuitatem breui reuocata interuallo est.

*Ferdinandi Regis mors. Caput. VIII.*



ODEM tempore Hispali obsidebatur: & Ludouicus Gallie Rex, sanctissimis Diuorum reliquijs Toletum mittendis Toletani templi religionem augebat, à nostra gente gratiam promerebatur. magna ad hunc diem religione in ærario sacro eius

tem-

templi sacra ea pignora cum autographis Regis litteris conseruantur: quarum exemplum subiicimus tanti viri pietate prouocati. LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, dilectis viris in Christo canonicis & vniuerso clero ecclesie Toletanæ salutem & dilectionem. Ecclesiam vestram volentes xenio præclari muneris insignire per dilectum nostrum Ioannem venerabilem Archiepiscopum Toletanum, & ad preces ipsius, de venerandis & eximijs sanctuarijs nostris, quæ de thesauro imperij Constantinopolitani suscepimus, pretiosas vobis particulas destinamus. Videlicet de ligno crucis Domini. vnam de spinis sacrosanctæ spineæ coronæ eiusdem Domini. de lacte gloriosæ virginis Mariæ. de tunica Domini purpurea, qua indutus fuit. de linteo quo præcinxit se Dominus, quando lauit & extersit pedes discipulorum suorum. de sindone qua corpus ipsius sepultum iacuit in sepulcro. de pannis infantie Saluatoris. Vestram itaque dilectionem rogamus & requirimus in Domino, vt prædictas sacras reliquias in ecclesia vestra cum debito recipiatis & custodiatis honore: necnon in Missis, & orationibus vestris benignam nostri memoriam habeatis. Actis apud Estampas anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octauo, mense Maio. His Ludouicus Rex missis litteris Malsilia soluens, belli sacri reparandi studio in Syriam nauigauit. pijs conatibus exitus consentaneus non fuit. Pelusio enim (quæ hodie Damiata est) in ora Aegypti expugnata, belli fortuna conuersa est. è tribus Regis fratribus, Robertus in acie cecidit: Alfonsus, & Carolus cum Rege capti anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono. magno libertas constitit: neque tamen in Syria quò se contulere magnum operæpretium factum est. Sidon, Cæsarea, Ioppe Gallicis armis restituta salutis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo, nihil præterea. Quo anno Guterrio Toletano Præsule Aiensæ ad quintum Idus Augusti, vt Annales Toletani habent, defuncto, Paschasius in eius locum susceptus est. alij ponunt Ferdinandi Regis filium: Petrum pars nominat, pars Ioannem, in vtroque opinione haud dubium falsi. Extitit per idem tempus Petrus Gonsaluus, qui aula relicta, spretaque gratia Principum, Calæcis & Asturibus in religione instituendis, extremam ætatem consumpsit, clarus in paucis concionator. Petro æqualis Bernardus, ex Compostellano sacerdotio ob eximiam iuris cognitionem, ad Innocentij Pontificis familiaritatem admissus, in Romanorum Pontificum Epistolas decretales breuia edidit commentaria. Quo tempore Aragonij in partes scissi, ciuili dissidio æstuabant. Iacobus Rex ex Violante uxore Petrum, Iacobum Ferdinandum, Sanctium, totidem filias genuerat, Violantem, Constantiam, Sanctiam, Mariam. Regina viri potens Regi suaserat, vt regni prouincias inter filios partiretur. Consilium id reipublicæ exitiale erat viribus debilitatis: Alfonso maiori filio, in quem hæc comparabantur, graue. Itaque plerique proceres eius auctoritatem & partes secuti, à Rege palàm defecerant. eius dissidij componendi cura, vnde maiora impendebant mala Alcanicij mense Februario generales conuentus habiti sunt. Dati in controuersia iudices, viri principes ex vtroque ordine, vt filius ad officium

R r 2 rediret,

rediret, pronunciarunt. nihil tamen ea diligentia profectum, cum Rex in sententia peristeret: prorsus ut Calatauniæ principatum Petro viuens donaret. Hæc in Aragonia. Ferdinandi res multo commodiori loco erant: nam rebus Hispali constitutis, vbi se tenere constituerat, Cæsarianum inuasit. Medinam Afsidoniam, Beteliam, Alpechinam, Aznalfarachium sub iugum misit. ad maris litus pleræque arces aut captæ aut dirutæ: ut ceteri cladis eius exemplo continerentur. excursiones in Nebrissæ agros factæ. pauca oppida Maurorum, aut locis, aut operibus munita, obsidionem non ut honestiorem modo, sed etiam ut tutiorem ferre decreuerant: neq; aliorum calamitate permouebantur, ut deditiorem facerent. De bello in Africam transferendo cogitatum: classisque in Cantabriæ littoribus, Ferdinandi Regis iussu noua & numerosior ædificabatur. quo tempore morbi eum vis inuasit, ex quo Hispali extinctus est ad tertium Kalen. Iunij salutis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. regnauit in 10  
Castella quidem annos triginta quatuor, menses vndecim, dies tres & viginti: in Legionem autem annos circiter duos & viginti. Vir omnibus animæ & corporis dotibus, morum probitate tanta, ut Sancti cognomen tulerit: non magis populi fauore factum, quàm vitæ meritis datum. fortior, an Sanctior, an felicior esset, multi dubitauerunt. implacabilis sibi, exorabilis alijs, in omnibus vitæ partibus moderatus, omnes iusti & probi viri partes expleuit. Alfonso filio, quem hæredem reliquit, tum multa præcepta sub mortem dedit: tum Ioannam 20  
Reginam & filios enixè cõmendauit. Affuerunt morienti ex eo numero Fridericus, Henricus, Philippus Hispalensis Episcopus designatus, Emanuel. Iusta defuncto postridie regio apparatu sunt facta. Corpus in templo Hispalensi maximo sepultum est. Regium senatum, cuius hoc tempore litibus diiudicandis summa in Castella est auctoritas, ab hoc Rege excogitatum esse memoratur, duodecim virorum collegio creato: ad quos maiores controuersie spectant, causæ ab alijs iudicibus diiudicatæ, ex prouocatione: pecuniæ periculo, si is qui prouocauit sit victus. Paulatim gliscente calumnia, multitudineque caussarum 30  
increfcente, nouum constituere forum opus fuit: cum antea ciuitates domesticis iudicijs contentæ, aut certè proximos conuentus iuris petendi causâ appellantes modò, turpe ducerent, atque importunum regium auxilium implorare. Magnis præterea viris legum condendarum potestas data est, colligendarum cura iniuncta, earum quas Partitas vulgò vocant. Quod opus ingentis laboris Alfonso demum Rege profectum est.

*Alfonsi Castella Regis iniitia. Cap. IX.*



**F**ERDINANDI regnum iure hæreditario ad Alfonso sum eodem nomine decimum peruenit: cuius res gestas explicare pergimus, illustres quidem euentuum varietate, & alternantis fortunæ ludopius tamen habentes admirationis quàm gloriæ. Quid enim admirabilius, quàm in castris educato, armaque à prima ætate tractanti, tantam fuisse astrorum, philosophiæ, rerumque gestarum cognitionem, quantum vix otiosi homines in umbra assequuntur? extant de astrorum conuersionibus,

bus, de Hispanica historia ab Alfonso edita volumina magno ingenio, incredibili studio. Quid autem ignominiosius quam ijs litterarum præsidijs, quæ priuato potuissent summam potentiam conciliare, neq; oblatum ab exteris imperium, neque paternum regnum tueri potuisse? Vidit ea ætas quod vltimum in libertate atq; arrogãtia erat tanto Rege deiecto: vidit ipse quod vltimum in calamitate erat, motus de gradu. Quos fortuna seu vis maior ludos facit? quàm iuuat illudere rebus humanis? Sapientis cognomen, quod litteræ pepererunt, aut inimicorum iniuria, aut tēporum iniquitas, aut ipse ingenij socordia labefactasse videtur, ea sapientiæ opinione vix sibi cauere sapereq; doctus. Hispali vbi patri morienti affuit, regium insigne desumpsit. Fœdus in primis cum Alhamare 10  
Granatæ Rege instauratum: sextaq; vectigalis, quod pendere consueuerat, vltro remissa: ea superioribus meritis gratia fuit, nouorum incitamentum officiorum: quæ maxima aliquandiu & præclara extiterunt. tam grata Ferdinandi Regis memoria, ut iustum ex sua gente hominum numerum, centumque funalia è cera candida homo Maurus quotannis Hispalim mitteret, ut darent defuncto inferias anniuersarias. Regij ærarij suprema inopia laborabatur, tot annorum bellis exhausti. redigendæ pecuniæ ratio aliqua excogitata. optima visa est, Pepionibus (genus id monetæ erat purioris) Burgalenses substituere, auro non probo, magnaq; pars experientibus decoquebatur. iniquum erat, valore retento pecuniam adulterari: vnde rerum venalium pretia creuere, neque Regis inopia 20  
suppleta est, auctis magistratuum & Præfectorum stipendijs, eo maiore populi indignatione, quòd aliquanto post monetæ genus alterum inuentum est: quæ nigra vocabatur, à multo ære scilicet. nonaginta ex ea moneta numi, aurei æstimationem exæquabant. aurei, Pepionis, & Burgalensis valor æqualis. fallacissimam hanc viam colligendæ pecuniæ, à magnis sæpe Regibus tentatam, incommodam esse, dies & vñs & funesti rerum exitus declararunt. Alfonso sanè Regi magnam eius inuidiæ partem confluuit, qua breui flagrare cœpit. Sic honestas rerum causas, ni iudicium adhibeas, perniciosi euentus consequuntur. hæc fuere 30  
ciuilibis dissidij prima semina. Externi belli auzæ causæ extiterunt. Violantis Reginæ infecunditate, Alfonsi animus angebatur, procreandæ sobolis cura præcipua. Assentatores, quorum in aulis Principum magnus est numerus, diuelli id coniugium posse disputabant. ingeniosis hominibus nec tendæ fraudi argumenta non deerant, quibus Regis animus facilè expugnatus est. Ad Regem Daniæ missi legati, Christinam eius filiam in coniugium expetitam. tanto locorum intervallo disditos, circumuenire fraude promptum erat. pactis nuptijs missa puella in Hispaniam. Iacobum Regem pro eo, ac par erat, Alfonsi generi conatus mouerunt. tentata concordie spes est per legatos. nihil effectum. ventum ad arma. vtrunque in alteros incursiones, prædæque hominum, pecorumque sub eius dissidij iniitia factæ. Per idem tempus Paschasius 40  
Toletanus Episcopus obiit. successit Sanctius Alfonsi Regis frater, vti eius ætatis tabulæ ostendunt, per hos annos Toletanis sacra iura dixisse. Theobaldus Rex Vasconum eo nomine primus diem obiit, octauo Idus Iulij, salutis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, non maiore dignus laude propter studium rei Christianæ in Syria instaurandæ, quàm  
R 1 3 defor-

deformis ad posteritatem opprimēdi ecclesiastici iuris conatu. Ea de caussa interdito sacerdotum, vniuerso regno à sacris cessatum memorant toto triēnio quo exacto tempore Petrus Remigius Pompelonensis Episcopus ab exilio, in quod pulsus erat, ad Regis gratiam restitutus est viris primarijs annitentibus, lætitia totius populi & gratulatione maxima. Theobaldum nos ob alia quidem laudamus, in primis tamen ob studia liberalium artium, musicæ & poeticæ peritiam studiumq; maximum: prorsus vt carmina scribere, & ad Lyram canere doctus esset: versus à se factos in aula publicè diiudicādos proponeret. Tres vxores habuit. ex prima Lotaringio Comite nata, nullos genuit filios: qua dimissa iussu Pontificum, Sibylliam duxit Philippi Flandriæ Comitis filiam. ex eo coniugio Blanca nata est Ioannis Britanni Ducis cognomento Rufi olim vxor. ex tertia vxore, quæ Archembaudo Fuxensi Comite nata erat, Theobaldus, Henricus, & Eleonora nati sunt. Theobaldus defuncto patri successit, minor ætate, ac ne quindecim quidem annos natus: eximia virtutum indole. Margarita mater pro filio sollicita, ac Alfonsi potissimum Castellæ Regis arma verita, qui compressis atq; domitis Mauris Vascones bello repetiturus credebatur, veteri iure Regum Castellæ excitato, Aragonij auxiliij vmbra regi cupiebat. Actū de fœdere per legatos: & quo res expeditior esset, fide accepta dataque, in colloquium descensum est. Initio mensis Augusti Tudelæ inter Reges fœdus factum, eosdem amicos, inimicosque futuros. altera ex filiabus Iacobi Theobaldo Regi in coniugem promissa: cautumque vt neutra Castellæ Regis fratribus nuberet absque Regina Margaritæ voluntate. Aragonio Regi ius adoptione Sanctij Regis quæsitum, integrum mansit. Eo fœdere, quod Romani Pontificis consensu, & ex eo maiore religione sanctius vt esset curatum est, vtriusque gentis arma haud obscure in Alfonsum Castellæ Regem mouebantur. Cura eius belli metusque externus, qui maximum concordia vinculum est, Aragonios patrem & filium, de quo tantopere laboratum erat, inter se conciliauit. Itaque inuenio, quæ Petro & Iacobo à patre Rege Aragonio donata erant, Alfonsi maioris filij voluntate, atque iureiurando Barcinone confirmata. Noui præterea belli occasio extitit. Alafarchus sagaci ingenio Maurus Reguaram arcem, quæ in potestate erat, dediturum pollicitus, Regem Aragonium multis casibus obnoxium, seque obijcientem periculis, ferme viuum cepit: cum exigua manu, quasi ad rem certam accessisset. fraude prodita Maurus spe delusus, ex insidijs in apertum latrocinium se conijciens, Valentini Mauris arma sumendi auctor extitit. Rex periculo permotus Valentiam accurrit. In ea vrbe de ea gente finibus pellenda de liberatum est. Proceres compendio corrupti quod ex ea gente redibat, repugnabant. Præsules, & plebes Regi assentiebantur. Hęc vicit in concilio sententia. Iussi Mauri omnes Valentini agri finibus discedere, tametsi ad sexaginta millia in armis erant, dicto paruere. In Murcia & Granatæ fines dissipati, magna pars Marchiam, quæ nunc Aragoniæ dicitur, olim Montaragonis ab oppido eius nominis petiuerunt incultam atq; asperam regionem ea tempestate, nunc frumenti prouentu nobilem in paucis. magno Friderici quæstu, qui Alfonsi Regis fratris sui nomine Villenæ, qua miseris transeundum erat curabat, singuli per capita aureum numum pendere sunt coacti. Rex Aragonius his tumultibus impeditus

arma

arma vertere in Castellam continuò non potuit. Magni belli metus ea mora lætissimo exitu mutatus est. nam quo tempore Christina ex longo itinere Toleum tandem appulsa est, salutis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, Regina vterus sensim intumescere visus est: ac palam grauidam esse intellectum. Insperata re percussus Regis animus odium amore mutauit. ijdem auctores erant Regina conciliandæ, qui antea dissuasores extiterant. Philippus Regis frater, tametsi Vallisoleti Abbas erat, Hispalensis Archiepiscopus renunciatus, sacrata veste deposita Christinā regni spe depulsam, sibi vero iunxit Regis permisso. Quod malè cohæsit coniugium, breui ruptum est Christinæ obitu, ex dolore contumeliæ impatientiaque. sic vulgus interpretabatur. Violantis Regina infecunditas, fecunditate mutata: prorsus vt numerosa prole maritum auxerit. Berengaria, Beatrix, Ferdinandus cognomento Cerda, à crine in dorso insigni, cum quo est natus, Sanctius, Petrus, Ioannes, Iacobus, Isabella, & Eleonora nati Alfonso ex Regina sunt. ex obscura matre Alfonso Fernandus. ex Maiore Gusmania Petri Gusmanij filia, Beatrix furto concepta. Proximo anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Eduardus Henrici Angliæ Regis maior filius in Hispaniam venit. Causæ aduentus proditæ non sunt: libet tamen suspicari, quid enim prohibeat? Christinæ iniuria commotum, iter suscepisse: erant enim patruels. in quo quantum profecerit, rerum euentus declarat. Burgis tamen abs Rege benigne habitus de eius manu militiæ honorem solenni cæremonia suscepit. ijs blandimentis iuuenis animus leniebatur.

*Alfonsus creatur Imperator. Cap. X.*



ALFONSI fama non eadem apud omnes gentes erat. in Hispania, domi quidem inuidia populari æstuabat: vicinis Regibus gratus non erat: tametsi quadam simulatione, pacis an potentia metu, ab armis temperabant. apud exteras nationes eruditionis fama celebris, facundus, callidus, belli & pacis artibus peræque instructus esse prædicabatur. Ea res plerosque proceres Germaniæ impulit, vt in imperij comitijs, vbi de Augusto deligendo, atque in Guillelmi Cæsaris locum substituendo deliberatio suscepta erat, Alfonsi ratio haberetur, non vna omnium voluntate neque consentientibus omnium suffragijs. Nam Colonia Præsul suo & Moguntini nomine eius vicarius, & Palatinus Comes Richardus Cornubiæ Comitem Henrici Angliæ Regis fratrem imperio præfecerunt, octauo Idus Ianuarij salutis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto (quidam biennio post dicunt.) Præsul Treuerensis, & Saxonie Dux Richardi electionem vitiosam existimantes, Alfonsum Castellæ Regem collatis suffragijs prætulerunt, proximi mensis Martij die vltimo. Missi ad vtrunque legati. vterque, se legibus creatum dicere, æmulum vitio. eo meliori Richardi conditione, quod continuò rebus expeditus in Germaniam accurrit: & de manu Colonia Præsulis, cuius eæ partes sunt, Aquisgrani primam imperij coronam suscepit sexto Nonas Maij. Alfonsus intestinis motibus implicatus, & suorum voluntate diffusus, filiorum ætate nondum matura ire distulit. tametsi

Rr 4

Con-

Constantiæ & Spiræ Præfules ea de caussa legati venerant: & nouis subinde legationibus, vt imperium capefferet sollicitabatur. Ea mora suæ factionis ardorem restinxit, aduersæ studia causamque confirmauit. Fauebatur Alfonso præter virtutis opinionem, quod genus maternum ad Germaniæ Imperatores referret, Beatricis filius, atque ex ea Philippi quondam Augusti nepos. Richardum linguæ haud omnino dissimilis commercium, veteres & magnæ inter vtranque gentem necessitudines, morum similitudo, sanguinis propinquitas subleuauit, vt idoneus imperio iudicaretur: prorsus vt in iure controuerso, aliquanto meliori caussa niti videretur. intra annum à Guillelmi Cæsaris morte, quo die electores consensu designarant, in eius locum suffectus. intra annum alterum de manu Coloniae Præfulis, cuius eæ partes sunt, Aquisgrani imperij insignibus, & trabea exornatus: atque in Caroli Magni sella legitimæ possessionis indicio collocatus. Demum in eius verba, tum a Principibus, tum ab arcium Præfectis iuratum. Hæc omnia comitiorum imperij legibus sancta, Alfonso prætermisisse: aduersus Richardum qui ea legitimè præstiterat, nihil excipi posse. sic magni iureconsulti disputabant. Præterea discrepante electorum suffragio, neq; in vnum aliquem conspirante, Comitem Palatinum totius controuersiæ legitimum esse iudicem: aut certè Bohemiæ Regem, pari vtrinque suffragiorum numero. vtrunque à Richardo stetisse, alterum in comitijs, alteri electionem cum primùm renunciata est, probatam fuisse. Alfonso cōtrā disputabat Franconofurti intra ipsa vrbis mœnia, vt erat communi electorum consensu designatum, suam electionem factam esse. Coloniensem & Saxonem numero armatorum numero stipatos, quasi ad bellum non ad comitia, terrorem incutientes, vimque vt videbatur intentare paratos, monitosq; vt desisterent, & aliorum Principum exemplo cum competenti comitatu, vt ad comitia in urbem ingrederentur, inuitatos: neque paruissse monitis, & nouo potius atq; damnato exemplo, sibi priuatim sumpsisse consilium: quæ maxima pernicietas est: atque extra urbem comitia, veluti in castris peregisse. Id in Richardi electione præcipuum vitium esse. Principes qui in vrbe erant, tandiu sustentasse, donec spes fuit eos ad saniora consilia traduci, & posita contumacia ad concordiam reuocari posse. ea abiecta pridie Kalendis Aprilis Treuerensis Præfulis voce tum ipsius, tum Saxonis, (qui & Brandenburgensis absentis partes implebat) atque Bohemiæ Regis, cuius legatus cum suffragij iure in comitijs affluit, nomine Alfonso Castellæ Regem Cæsarem renunciatum. Hæc maiora vtriusq; causæ munimenta erant: minuta alia. facinora & flagitia inuicem obiectare neutros falso: atque anathematis vitium, quo iure suffragij alteri Treuerensem excidisse disputabant, ob noua & insolita vectigalia subditis imposita. Coloniensem alteri, Cardinalem Sancti Georgij, Romani Pontificis Legatum pulsasse, criminabantur, Episcopo iniecisse vincula. Palatinum Comitem sacros viros, quod nefas erat, indignis modis vexare, & aduersus sacrosanctam Pontificum ecclesiæque maiestatem Friderico Augusto atq; eius filio Cunrado proximo controuersijs adhæsisse. Lis hæc Alexandro. III. Pont. Max. suscepta: eo arbitro & disceptatore, vt opus erat, & vt saniores iudicabant, componi non potuit. vtraq; pars sui iuris tenax, ne causam minimè dubiam ad cuiusquam arbitrium

bitrium reuocando, ancipitem reddere videretur, sibiq; diffidere, iudicium subire recusabat. armis potius disceptare parati erant, tum proprijs tum Principum Germaniæ: quorum studijs vtrique subleuabantur. imminebatq; ex ea re magnum reipublicæ malum: nisi vtrunq; Principem res domesticæ retinuisent. Alfonso quidem Hispaniæ longinquitas retardauit: aliæque ex alijs enatæ, atq; connexæ domi difficultates. & erat alioqui natura cunctator: arteq; atq; ingenio negotium confici non desperabat. Richardum autem à belli cogitatione impediuerunt res Angliæ vehementer turbatæ: eo bello quod cum Francis supremo vtriusque gentis conatu gerebatur: ac mors anno sexto subsecuta, ex quo imperij nomen inuaserat. Verùm quem exitum hæc controuersia habuerit, alio crit loco explicandum.

*Proceres ab Alfonso Rege alienati. Cap. XI.*

**R**A T Alfonso Regi mite ingenium, animus ingens, gloriæ cupidior, quàm voluptatum: otio litterario deditus, neq; à negotijs alienus: incautus tamen, atq; actionum inconstantia mirabili. pecuniæ corradendæ audis: quæ res nisi modus adsit, in perniciem vertuntur. vt tunc accidit populi voluntate abs Rege alienata, proceribus haud amicis. Rex otij vitandi causâ, quod ferendis rumoribus aptum est, in Beticam arma vertit: diuisisque copijs oppida, quæ in Maurorum potestate erant, expugnare contendit. Ipse Cæsarianum capit, Henricus frater Arcobrigam, & Nebrissam ad Bætis æstuarium positam, qua se parte maris auctu amplissimus in Oceanum effundit. Cæsariano Nunnus Lara præfectus, veteri profapia homo, familia prope iam extincta maiorum seu ignauia, seu contumacia. Pulcherrima occasio sese dabat Maurorum reliquias eo tractu extirpandi, nisi Regem ab eo conatu noui belli cura reuocasset. Theobaldus Vasconum Rex, eo nomine secundus, ætate confirmata, fretusq; Aragonij Regis præsidio, cum quo paulò ante ad Montem acutum foedus inltaurarat, contractis vndique copijs Castellæ fines inuadere cogitabat: Guipuscoam, Alauam, Riuogiam, Viruescanum agrum iniuria intercepta esse superioribus annis, & ad se pertinere causatus. feroci iuuenis animo faces subdebant plerique proceres Castellæ à suo Rege alienati, atque ad Vascones & Aragonios dilapsi: cum patriæ prius publicis tabulis renunciassent. ne maiestatis crimine postularètur scilicet, ea via antiquis temporibus excogitata erat. Dieghus Harus inter eos proceres principem locum obtinebat, vir egregiè constans, cæterum omnis iniuriæ insolens, & regni oppressa libertate vehementer offensus. Eius conatus mors intercepta, ad Bagnares oppidum, quo se contulerat, valetudine procuranda. Eius tamen filius Lupus Harus, quamuis ætate puer erat, cum insigni suorum comitatu Stellam, vbi se Rex Aragonius tenebat, abiit. Idem Henricus ab Alfonso Rege fratre, animo penitus alienato facit. foedus inter eos mutuæ societatis, aduersus omnium Principum arma percussum. Cum his Castellæ populares, & pleriq; proceres, tametsi nondum se commouebant, voto erant. Immutatæ pecuniæ dolor vrebat: vnde maior annonæ caritas est consecuta. id malum nouo incommodo, cum reme-



dium quæreretur, cumulatim rerum venalium pretia à Rege taxata sunt: unde suprema annonæ difficultas exitit, rerum dominis eo pretio vendere recusantibus. Sic maiorem plerunque perniciem afferunt, quæ sapientissimè in salutem excogitata fuisse videbantur. Alfonsus ut erat excellenti ingenio, quantum periculum immineret non ignarus, cum Aragonio Rege de concordia agit, haud multum repugnaturus: cum Therasiæ Vidauræ amoribus indulgeret, homo ingrauescente ætate, & regij decoris oblitus. Ventum ad colloquium, Sorriæq; concordia inter Reges sancita, nouo foedere constituto, mense Martio salutis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, quo tempore tertio Idus Aprilis, Margaritâ Theobaldi Regis Vasconum mater, Campaniæ rebus componendis in Gallia intenta, Peruini defuncta est: & ad Clareuallense monasterium, opinione sanctitatis nobilissimum ea tempestate, tumulata. Proximo anno Toleti Sanctius Rex Lusitaniæ cognomento Capellus defunctus est: ut est superius demonstratum. regnum Alfonsus frater, quod tredecim annis rexerat, Regis nomine suscepit. ex Beatrice Alfonsi filia Dionysius maior natus, & Alfonsus Portalegris regulus, nati sunt. præterea Blanca, cuius corpus Olgis, ubi Præfectam virginum diu egit, sepultum est, atq; Constantia, quæ in minori ætate obiit. Interea Henricus Regis frater Nebrissæ, quo se contulerat, vtriusq; gentis incolas ad defectionem sollicitabat. Nunnus Lara non secus ac par erat commotus, Henrici conatibus occupatis, Hispali quo se tenebat, accurrit. Henricus viribus impar, neque incolarum studijs satis confirmatis, mari Valentiam fugere compulsus est: quod se Iacobus Rex tenebat reipublicæ constituendæ intentus. Is cum non reciperet, ne profugo suscipiendo, initi nuper foederis leges violasse primus videretur, in Africam nauigare compulit. ubi quadriennio apud Tuneti Regem consumpto, vagus atq; egens in Galliam primum, deinde in Italiam abiit, bellum reparaturus in fratrem, sicunde auxilia inueniret. Aragonius Rex Valentiam rebus compositis Mompellerium abiit, Galliam Regem conueniendi cupidus. Carbolium oppidum Regum colloquio designatum, ibique quinto Idus Maij eius seculi anno quinquagesimo octauo, detersis syncerè odiorum causis voluntates conciliatæ sunt, dimissis vtrinque quæ ab altero quocunq; iure possidebantur: ac nominatim Barcinonenses, & Catalauni veteri Gallorum Regum imperio prorsus exempti sunt, quod ex quo eæ regiones creptæ erant Mauris, steterat. tametsi à multis iam annis, præter imperij nomen nihil Gallis concedebatur. id foedus ut sanctius esset, Isabella Regis Aragonij filia natus minima Philippo Galliam Regis maiori filio pacta: & cum ea dotis nomine Carcaso, & Bliteræ patre concedente ad Gallorum ditionem sub iunctæ sunt. Foedus hic annus multa aquarum illuuiæ fuit. imbribus ante mensum Augustum vsq; ad septimum Kalend. Ianuarij continuis inflati atq; agris superfusi amnes, magno agrestium damno. plerique tota Hispania euersti pontes. in his Toletanus, cui Alicantaræ nomen est, proximo anno instauratur salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, Arabum sexcentesimo quinquagesimo septimo, vti inscriptio declarat ad ipsum pontis aditum supra absidem in lapidem incisa charactere Gallico, lingua Hispanorum vernacula.

*Lusitania sacrificijs interdicta. Cap. XII.*

ES in Hispania tranquille erant, ut in ea Principum multitudine, legibus, institutis, studijs, voluntatibus discrepantium. domesticæ nonnullæ calamitates extiterunt. Violantes Aragoniæ Regina, & Alfonsus eius priuignus defuncti. Regis actiones fatalem vtriusq; horam vrisse visæ sunt. Alfonsus dolor contumeliæ malè haebat, paternique contemptus ignominia: cum præ alijs fratribus quasi inutilis rebus gerendis ad nullam reipublicæ partem admitteretur in presenti: in posterum, regni hereditate partita imperij maiestas imminuta esset. Is dolor non ad Alfonsum priuatim pertinebat, sed publicè ad plerosq; proceres: qui Rege relicto, Alfonsi partes palàm secuti erant. Hi ad officium ut redirent, abrogata priori donatione Valentiam callidus senex paulò ante filij mortem ipsi tradiderat: Aragoniæq; contributa ut esset, sanxerat. Violantem vrebatur Therasiæ Vidauræ potentia: cuius amoribus Rex à prima ætate implicitus, & aliquandiu exolutus, eam denuò reconciliata gratia, ac si carminibus iniecta vœcordia esset, deperibat: eiusq; ad arbitrium res priuatas & publicas gubernabat, libidinis vsq; ad extremam ætatem, auidus & potens, oblitus officij, neque quid de ipso fama loqueretur considerans. prorsus ut eam tum superiori tempore tum deinceps Violante defuncta, iustæ propemodum vxoris loco & cultu habuerit: quem illa locum ambierrat semel & iterum apud Romanum Pontificem, pacti coniugij lite contestata: ut superius dictum est. nati ex Therasia Petrus Aierbis, & Iacobus Exericæ reguli. Violantes ad Vallem bonam virginum monasterio Cisterciensi in Catalaunis sepulta est. Alfonsus Valentiam in æde maxima, sacello Diui Iacobi. Sorita in Aragonia historia nobilis scriptor, in Veruelæ monasterio Cisterciensi ait. Theobaldus Vasconum Rex, amissa in Gallia matre, retento Campaniæ atque defenso principatu, quoniam pleriq; Galliam proceres inuadere armis atque occupare cogitabant, Isabellam Ludouici Regis Sancti minorem filiam toro sibi puellæ patre concedente iunxit. Meliodun. (id est oppidum Senonum, olim in insula Sequanæ positum, nostra ætate vtranque ex aduerso ripam ædificia quoque occupant) nuptiæ celebrata, lætiores principijs quàm successu propter Regine sterilitatem. Ex Marchesia Rada furto concepta filia matri cognominis nata Regi est: quæ deinde Petro Aragonij Regis ex Therasia filio nupsit. Matildis Bononiæ Comes Sanctij Regis Lusitani obitu renunciato, mari in Lusitaniam accurrit, veteris coniugij iura repetitura: si quo modo tandem Alfonsus vir possit à praua mente deduci. ad Cascales oppidum appulsa, tantum non in Olisiponis conspectum se dedit. Inde ne facta quidem potestate Regem conueniendi, retro se referre compulsa est. has ad eum tamen litteras dedit. Accessissem propius, tuamq; improbitatem coram accusassem, qui succerti laboris fructus esset multo maximus: sed quoniam id facere prohibeor, nostrumq; ingratis & crudelis conspectum ferre non potuisti, conscientiam stimulis agitatatus scilicet, atq; malis incurfibus furia tus: non committam, quin absens faciam: orbique vniuerso, his litteris iusti doloris indicium, acceptæ iniuriæ testimonium, tuæque perfidiæ, & impietatis perpetuum monumentum relinquam.

Sunt

„ Sunt ferè acerba morborum remedia quæ salutaria. ipsa etiam magno hæc cum  
 „ gemitu scribo : sed egenum tamen, patria extorrem, sine lare, sine spe, hominem  
 „ pene dixerim barbarum tecto, toro, imperioque recepi. O nimiam meam di-  
 „ cam, an meorum, an vtrunque facilitatem. nimirum nostra nos opinio, fidesque  
 „ tua falsos habuit: vt plura quàm velles, maiora quàm sperares dantes ludibrio  
 „ haberemur. Memini cum non anima, non nobis posse carere iurabas. en religio,  
 „ en constantia. quid hoc? cum regno væcordia iniecta est animo. in alium virum  
 „ mutatus, nostri oblitus, beneficij immemor, amoribus nouis indulges eius, quæ  
 „ pellex vocetur necesse est, priori coniugio constanti, nouo vitioso. Genus, forma,  
 „ ætas, opes displicuere? an potius vobis Regibus id sanctum, id honestum est, 10  
 „ quod regnandi rationibus vtile? Verùm ego superstes sum, croque dum Princi-  
 „ pum arma, nationum omnium odia in te concitauero. omnium telis quasi fera  
 „ appetita corrues: certè diuinam vindictam tuo capiti imminere iamque affore  
 „ præfagit animus. Qui nunc scelere ferox atq; præclarus nostras lacrymas sper-  
 „ nis: breui omnibus tormētis oppressus nostri doloris, impietatis tuæ iustissimas  
 „ pœnas dabis. hac vna spe vt in malis sustentabor. qua aut sublata, aut expleta,  
 „ vita libens cedam: atque ita cedam, vt perfidia tua iudicio nostro, non virtus aut  
 „ animus nobis defuisse videatur. His litteris nihil obstinatus animus mouetur. cõ-  
 „ trà affirmat palàm, nouum se die postero coniugium initurum: si id ex vsu fore  
 „ regnandi fuerit exploratum. Illa discedit irata Regi, eiusque capiti dira omnia 20  
 „ comprecata. De iniuriæ vindicta cum Ludouico Gallie Rege præsens agit: cum  
 „ Romano Pontifice Alexandro quarto per legatos. In Gallo parum præsidij  
 „ erat, ob locorum longinquitatem. Romanus Pontifex Alfonso monet atq; ob-  
 „ testatur, vt redintegrata cum Matilde gratia, ad primum coniugium redeat:  
 „ quanto in salutis discrimene versetur, docet: non esse numina importunis actio-  
 „ nibus irritanda. Ad has voces Alfonso aures obturatæ erant, præfractus animus.  
 „ cupiditas & ambitio mali consultores oculis officiebant, ne lumen viderent. ergo  
 „ parere recusantem diris Pontifex deuouet: Lusitaniamq; quàm longe regni  
 „ fines pertinebant, sacrificijs interdicit. Interdictum tenuisse duodecim annos  
 „ scribunt. Dum neque Rex mutat, neq; consequentes Pontifices de iustissima in- 30  
 „ dignatione remittunt, regi improbitatis pœnam innocentes populi sustinent.  
 „ sic sunt res humanæ: sic fert conditio mortalium. Et erat alioqui Alfonso miti  
 „ & tractabili ingenio, æqui iustiq; tenacissimus. Latrocinia, & maleficia quæ ex  
 „ superiorum temporum licentia, & Sanctij Regis socordia impune grassabantur,  
 „ tota prouincia sustulit: leges sanxit: iudicia constituit: summos cum medijs, atq;  
 „ cum his infimam plebem æquabili iure constrictos tenuit. Hæc domi. militiæ  
 „ autem non minor virtus fuit: eius enim armis & auspicijs ditionis fines prolata.  
 „ Farum, Algesira, Aluofera, aliaque in Syluensi tractu oppida Mauris ablata.  
 „ Catrium, Portalegium, Estremotium recens constructa. Pax Iulia, multa; alia 40  
 „ oppida, & arces iniuria prioris temporis aut euersa, aut deformata restituit. Ex-  
 „ tant pietatis monimenta: Olisipone Dominicano ordini præclarum cœno-  
 „ bium perfectum per hæc tempora, ad culmenq; perductum. Scalabi virginum  
 „ collegium sancte Claræ nomine eius impensa a fundamentis extractum. Ea in  
 „ pauperes munificencia, vt exhaustis sæpe thesauris redigenda pecunia domesti-  
 „ cana

cam supellectilem oppignerare esset solitus. Ad Alfonso Castellæ Regem, cuius  
 fama toto orbe celebris erat, ab Aegypti Sultano missi legati, cum multa ve-  
 ste stragula atq; pretiosa. attulere præterea insolenti forma, & nostris homini-  
 bus incognita animalia, salutis anno millesimo ducentesimo sexagesimo. quo 1260  
 anno Arrasatæ Guipuscoæ in Cantabria municipij vetus nomen, noua Mon-  
 dragonis appellatione mutatum: vt Alfonso ipsius litteræ declarant, inter re-  
 gias litteras, quæ Hispanica lingua conceptæ reperiuntur cum primis antiquæ.  
 Primus enim Hispaniæ Regum latinæ linguæ vsu in publicis tabulis antiquato,  
 Hispanicam linguam substituit. Extant Alexandri quarti Pontificis maximi  
 10 litteræ ad quintumdecimum Kalen. Aprilis Anagninæ datæ, quinto Pontifica-  
 tus anno. quibus litteris Segobrigæ sacra Albarracini Episcopo regenda com-  
 mittit. Extant eiusdem Pontificis litteræ alteræ sexto pontificatus anno datæ, Se-  
 gobrigæ episcopatum, cui ea tempestate vrbs Albarracinum subdita erat Toletanæ  
 ecclesiæ contribuentis, atque inter suffraganeos numerantis. His litteris  
 cum Arnaldus Peralta Cæsaraugustanus Archiepiscopus restitisset, suæq; eccle-  
 siæ iniuriam fieri expostulasset: Pontifex priorem concessionem eo tempera- 1258  
 mento mitigauit, vt Cæsaraugustanis Præsulibus sua iura & priuilegia nihilo-  
 minus constarent. Cardio controuersiæ in Segobrigæ appellatione maximè ver-  
 tebatur. Segobrigam constabat olim Toletanis Episcopis subditam fuisse: sed in  
 20 Celtiberia sitam. Segobrigam, hoc est Segorbium, de qua vrbe lis erat, in Ede-  
 tanis esse Aragonij disputabant, regionibus secretam ab altera. quæ tandem sen-  
 tentia vicit, mutato decreto, sed annis consequentibus,

*Reges Aragonius & Siculus affinitate iuncti. Cap. XIII.*

DEFUNCTO Tarenti in extrema Italia, ante aliquot annos  
 Friderico Augusto, eo cuius nomen ob infectatos Romanos Pon-  
 tifices ad posteritatem inuidiosum semper fuit, Cunradus filius suc-  
 cessit: & hoc quarto post anno, ex Sueuia in Italiam profecto, in  
 30 Siciliaq;, aut fato functo, aut quod frequens fama tulit veneno su-  
 blato Manfredi dolo, cum Cunradinum filium ex vxore Bauari Ducis filia, pue-  
 rum in Sueuia relictum moriens hæredem scripsisset, Manfredus defuncti ex  
 pellice frater, in regni cupiditatem impulsus, & pueri ætate despecta in regium  
 nomen inuasit: Siciliamque & Neapoli contributam prouinciam, armis & præ-  
 sidijs occupauit: Romanis Pontificibus, quorum in clientela ea regna à primis  
 annis erant, inuitis, palamq; ni desisteret, exitium & extrema omnia comminan-  
 tibus. Ille ad has voces nihil moueri: neque ecclesiasticas execrationes vereri: ac  
 ne curare quidem, quid de illo fama loqueretur. Tanti erat dira dominandi am-  
 bitio. Quin in Tusciam, vbi Guelforum factio Pontificum studio dedita latè do-  
 40 minabatur, Manfredi arma prolata: pulsusq; hostibus facile ea prouincia ad prio-  
 rem ditionem subiuncta est. His inijs & incrementis res Manfredi confirma-  
 tæ, haud facile euertere poterant, si imperium flagitio partum foret stabile. Roma-  
 ni Pontifices regni, quod contra fas, & auspicia constitutum erat excindendi  
 omnes vias tentant. Cõcionatores in omnes partes dimissi, cum vt impium, re-  
 ligionisque

ligionisq; hostem ad populum accusare non desistebant. parum in cæteris præsidij erat. Carolus Ludouici Regis frater germanus Andium & Prouinciæ Phocænsis Princeps, ad spem regni Siculi in Italiam euocatur. Tantarum molitionum Manfredus haud ignarus, & quâto in periculo res essent considerans, vndiq; se munire, subsidia comparare: & quoniam propinqua deerant, longinqua auxilia conquirere constituit. in primis Iacobi Aragonij Regis, cuius virtutum fama, & rerum gestarum gloria pridem celebris esse cœperat. cum sibi affinitate coniungere, salutare iudicabat, commodum atque honorificum. Constantia filia Petro Aragoniæ iuuentutis Principi in coniugium oblata. Missi Barcinonem ea de re legati. Regi Aragonio conditio quæ offerebatur, non aspernanda visa est. puella dotis nomine auri duodecim myriades, ingens ea tempestate pretium, & regni Siculi haud dubiam spem, cum Manfredus mascula prole careret, in Aragoniam regiam inferebat. Re constituta missus ad Alexandrum Põtificem legatus Raymundus Pennafortius è Dominicano ordine vir prudens, eruditus & sanctus: qui pro ea auctoritate, qua valebat maximè, Pontificem cum Manfredo in pace poneret. Pontifex eius oratione nihil moueri, sed Manfredo non modò vt iniusto Principi, sed vt notho, atq; impio dira omnia minari. tum alia crimini dare: tum illud exostulare maximè, quòd legitimi Regis atque propinqui obitu simulato, per fraudes regnum occupasset, & aduersus sacro sanctam potestatem, arma corripuisset, terroremq; intentaret. Nihil est, inquit, quod dari possit aut debeat bellum gerenti: erit fortasse, quod concedi possit roganti & supplici. hoc Regi tuo renunciato: admonetoq; meis verbis, ne caussam suam, cum nefario homine misceat. alioqui numinis vindictam, nostramq;, qui eius vices in terris gerimus, indignationem vereatur. Ea res ancipitem ac suspensum tenuit Aragonij Regis animum. vicit tamen vtilitas honestatem: pactaque nuptiarum Mompellerij in D. Mariæ omni lætitiæ significatione & ludis celebrata, anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo. Inde Barcinonem reditum. vbi mensis Augusti die vigesimo primo regnorum hæreditas ita inter filios est diuisa. Catalaunia à promotorio Veneris, quod modò promontorium à Cruce nomen habet, Aragonia vniuersa, & Valentia Petro attributæ. Iacobo, Ruscinonenses, Ceretani, Illiberis, confluens, Valle spira: earum modò vrbium nomine in Regis Aragonij verba iuraret: Catalauniæ legibus viuerent: nec monetæ cudendæ priuatim ius esset. Præterea Baleares Regis nomine datæ: atque Mompellerium in Gallia. Hæc via duobus fratribus pacandis excogitata à patre est: quoniam dissidere de successione, ac verò tumultuari cœperant. proceres in partes scissi (quod rebus suis commodum fore iudicabant) nulla honestatis cura adolescentium animis faces subdebant.

*Merini Africa imperium occupant. Cap. XIII.*



V M hæc in Hispania geruntur, noui à Mauris belli motus, atque grauisissimi, & omnium quæ illata erant maximi impendere visus est nouo in Africa imperio constituto: quod compressis Almohadibus, atque sublati, Merinorum familia armis occupauit: & quasi

veteris

veteris gentis virtute, que priorum ignauia Regum exolescere videbatur excitata, bellum in Hispaniam transferre cogitabat, in spem haud dubiam pristinae gloriæ atque imperij, quod ferme extinctum erat, restaurandi. Etenim Mahomade cognomento Viridi ad Castulonensem saltum Christianis armis superato, & deinde extincto die suo, Arrasius ex Bussafo, qui superstiti patre defunctus erat, eius nepos successit. Quo tempore Almohades imperium Oceanò Atlantico, & extrema Aegypto in Africa terminabant. Gomaransa ex Abdaluesium Maurorum familia cum primis nobili & copiosa, noui Regis nomine Tremesenij ad oram Mediterranei maris res gerebat, vrbi præfectus. Is siue Regis despectu, siue suarum virium fiducia, palam hostilia moliri ausus in primis est. Arrasius ad eos motus cum copijs accurrens, proditoriè est interfectus. Nullæ grauiores insidiæ, quàm quæ in simulatione amicitia obtenduntur. Gomaransa propinquus arce egressus, quasi Regi indicaturus arcana, cædis minister extitit, tantique patrator facinoris. Rege sublato victi fusique Mauri, qui eius auspicia sequebantur, eruptione ex arce Tremesensira facta, vbi proditor obsidebatur à Rege. qui superferunt cladi, ad Phutenses se locis finitimos ex fuga receperunt, atque eam Africæ partem, cui Algarbio, hoc est terræ planæ, nomen est. His copijs Bucar Merinus Phutensium Præfectus auctus, cupidusque heri vindicandi, armis correptis proditores nouo conflictu deleuit. & vt merces operi esset, neque alieno prouentu militasse videretur, Præfecti appellationem regia maiestate mutare constituit: sibi que & posteris, vt fecit, Africæ imperium vindicare. Ergo non vindicata proditio, sed proditore commutato, Bucar Merinus noui in Africa imperij conditor effectus est. Almorcanda enim ex Almohadum gente in Arrasij locum Marrociij substitutus, cum Bucaro obuiam profectus esset, ad Merquenofam, quod oppidum vnus diei itinere ab vrbe Phutensi abest, collatis signis superatus est. Sic gemina ex vno facta Maurorum imperia in Africa extiterunt aliquandiu. Marrociium atq; Phutense. Bucaro, Hyaia filius successit. Hyaia in tenera ætate defuncto, Iacobus Abeniuzephus pueri Regis patruus, regni que procurator, magno vir ingenio, magnoque rei militaris vsu, incredibili felicitate, familiae & posteris Marrociij atque totius ferme Africæ imperium asseruit. Nulla natio hominum Africana mobilior: nulla que imperia diu stare, aut quiescere in ea gente possunt. Budebusius ex Almohadum gente, magna potentia Maurus, Almorcandam sibi ad Marrociij regnum prælatum dolens, nam defunctis Regibus non minus propinquitate iunctus erat, obtinendi imperij spem tentare constituit: & cum cætera præsidia deessent, ad Iacobum Phutensem Regem abiit: si vires contulisset, ampliores ditionis fines pollicitus, tractumque terrarum à Phutensi agro ad Nadabum fluuium, pertinentem. Conditio reiicienda non erat: præsertim, cum ex Almohadum dissidio spes sese ostentaret totius Africæ imperij obtinendi. id noui belli præmium proponebatur. Itaque copijs comparatis in hostem mota castra. Almorcanda nondum confirmato imperio viribus impar, Marrocio vrbe relicta regnum æmulo reliquit. Is rerum potitus, pactis conuentis, quæ cum Iacobo erant, quamuis de ea re sæpe appellatus stare noluit: & ferè qui in periculo ma-

ximè

ximè supplices, rebus prosperis ingrati sunt maximè, prorsus vt Budebustus nouus Rex Phutensem urbem armis repetiturus videretur. Sic nouum bellum natum, gestumq; est triennio: & violatæ fidei merces parata. hoste atque æmulo acie victo Marrociū Iacobus obtinuit. secundum eam victoriam, cum cætera prona essent, Rex totius Africæ euasit, Tremesenio atque Tuneto demptis: quas in ea rerum perturbatione, ex Almohadum gente reguli occuparunt: & factionis viribus, atque ob locorum longinquitatem, tum ipsi tum eorum posterii tutati sunt, minuti quidem, ac veluti minorum gentium Reges. Vnde nunquam intercisā maiorum serie, Muleassēm Tunetanum Regem recenti memoria à suis pulsum, iure an iniuria non disputo, sed profugum tamen, & sine 10  
ne lare, sineque præsidio vagantem, Carolus Augustus eo nomine quintus Hispaniæ armis in patrium regnum restituit (ea scilicet subiugandæ Africæ occasio sese dabat) Ariadeno Barbarosa piratarum principe vrbe fugato: qui Solimani Turcarum Imperatoris beneficio & nomine, eam urbem & regnum præsidij occuparat.

*Bellum Mauricum renascitur. Cap. XV.*



AE inter Mauros familiæ Africam obtinebant. in Hispania Grana-  
natæ Rex erat Mahomad Alhamar, Murciae Hudielis, quamuis 20  
imminuta multum imperij maiestate, Alfonsi Castellæ Regis  
vterque beneficiarius. hi nostrorum amicitia pertæsi, & spe Afri-  
cani auxiliij, pro eo quòd Iacobi Marrocij Regis nomen in ma-  
gna gloria esse cœperat, rebellandi consilia inter se communicabant. paulò  
ante riuales hostesque infensissimi, nunc fœderati. Acres inimicitia sæpe stu-  
dio nocendi alijs, beneuolentia mutantur. Communes iniurias, grauissima  
uestigalia, gentis calamitatem conqueruntur, ad supremas angustias, & Hispa-  
niæ angulum redactos, paulò ante formidabiles & beatos. Inania penes ipsos  
& sine honore Regum nomina esse. Miserum, atque intolerandum, ab ijs leges  
accipere, quibus antea dedissent. Non quieturos Christianos, donec religionis 30  
odio ex Hispania expulissent reliquias gentis Mauricæ. Obsoleuisse nimirum  
virtutis indolem, cum qua maiores venerant: quando parta ab illis seruare,  
eorum posterii non potuissent. Merinorum familiam, recens in Africa excita-  
tam. videri com modum, eam in Hispaniam attrahere. rebus inclinatis, & per-  
ditis, aut in eo, aut nullibi fore præsidium. Hæc clam, & per nuncios: ne si res  
prodita esset, viribus nondum firmatis in perniciem verteretur. Alfonsus siue  
eius consilij & molitionis non ignarus, siue studio gentis Mauricæ extirpan-  
dæ, dies noctesque de bello Maurico instaurando agitabat. species erat, vrbes  
& arces, quæ in Bætica parere recusabant ad imperium adiungendi. In eam  
rem à Pontifice Maximo Alexandro quarto, peccatorum condonatione inui- 40  
tati sunt, quicumque cruce insigni desumpta ad id bellum proficiscerentur.  
vicini Reges de ferenda ope appellati, ac nominatim ab Aragonio, cum  
quo maior necessitudo erat, per legatos postulatum, suos vt concederet arma  
sumere: & Alfonsi generi conatus iuuare. Sic enim paulò ante in Soriano  
fœdere

fœdere pactum, atque sancitum fuisse constabat. Aragonius neq; præcise nega-  
uit, neque absolutè concessit: sed eos tantummodo excepit, qui prædijs vel mi-  
litaribus stipendijs sibi obstricti essent. Horum subditos, aliosque ex promiscua  
plebe, quin arma sumerent, nihil vetare. Nimirum callidus senex, ne proceres  
quorum voluntati non satis fidebat, aduersus se externa auxilia compararent  
prouidendum iudicabat. Alfonsi animus fœderi responso vehementer perculsus  
est, prorsus vt omissio Maurico bello vires in Aragoniam conuertere cogitaret.  
vicit tamen publicæ utilitatis respectus: atq; quas ex Soriano fœdere arces tan-  
quam fidei obsides tradere Alfonsus erat pactus, & hactenus dilatatum erat: de ea  
10 re appellatus, Cerueram, Agredam, Aquilariam, Arnedum, Autolium, Alfonsus  
Lupo Haro quasi sequestro contradidit, ea fide exoluto, vti opus erat, qua Ca-  
stellæ Regibus erat obstrictus. Dum his altercationibus agendi opportunitas ela-  
bitur, Mauri & sua sponte incitati, neque ignari quorsum tantæ molitiones spe-  
ctarent, in Contestanis Murciae arcem occupant, aliaq; oppida quæ eo tractu no-  
strorum præsidij obtinebantur. Hispalenses Mauros subornant, vt ex insidijs  
aut impetu in regiam facto Regem obruncent. Eo conatu disturbato (diui in-  
digetes Hispaniæ tantum nefas arcuere) contractis alia parte copijs in nostros  
fines inuadunt. Cæsarianum, Arcobriga, Begiar, Alsidonia, Rota, atq; quod mu-  
nicipium à Lucifero nomen habet, in hostium potestatem redacta. In eo bello  
20 Garsias Gometius Cæsarianæ arcis Præfectus magnam virtutis & fidei laudem  
tulit. præsidarijs omnibus militibus aut amissis aut vulneratis, arcem nihilomi-  
nus dedere recusauit: neq; ad vllam cõditionem quamuis rebus desperatis, dedu-  
ci potuit: virum eximium atq; præstantem. Omnino Mauri tantam in hoste vir-  
tutem admirati, saluumque cupientes in exitium destinata voluntate ruentem,  
vno ferreo attractum, atque in potestatem redactum, curandis vulneribus ma-  
gna diligentia atq; humanitate conseruarunt. Alfonsus, qui in Citeriorem His-  
paniam abierat bello reparando intentus, ad eos motus proximo anno cum co-  
pijs accurrens, in itinere nõ procul Alarci ruinis, pago (cui Putelo S. Egidij no-  
men erat, in Oretanis ab Ana flumine tribus passuum millibus, eximia regionis  
30 bonitate) amplificato propter loci cõmoditatem iustum municipium cõstituit  
Villæ regie nomine: quod deinde nomē Ioannis II. Castellæ Regis beneficio Ci-  
uitatis regie appellatione mutatum est. Prouidebat nimirum Rex, vt quoniam  
in cõfinibus Beticæ situm est, ad arcendas barbarorum incursiones, excursionesq;  
in Beticam faciendas, firmissimi instar propugnaculi esset. Ex eo loco in fines  
Maurorum penetratum est: cunctaq; circum oppida & agri hosti infensa reddi-  
ta: ac præsertim salutis anno M. CC. sexagesimo tertio, Mauri locis omnibus ma- 1 2 6 3  
lè multati. Quo anno voluntarij milites magno numero confluxerant vectiga-  
lis immunitate inuitati, quod Martiniega dicebatur, ea lege, vt cū armis & equo  
singulis annis trium mēsium spatio suo sumptu regia castra sequerentur. Reges  
40 Mauri tantæ nostrorum cõsternationi, tantisq; molitionibus veriti vt pares esse  
possent, quod antea fecerant, diligentius Marrociū Regem ad belli societatem  
denuo sollicitarunt: quanto in periculo res essent, ni maturè occurreretur, per le-  
gatos explicantes. Missi mille leuis armaturæ equites ex Africa, rem Mauricam  
secessione facta amplius turbare visi sunt. Cæsarianum aliaq; oppida, quæ paulò  
ante

1264 ante amissa erant, in Alfonsi potestate omnia rediere. Mnestei portui, cui hodie à S. Maria nomen est, oppidum adiunctum veteribus ædificijs instauratis. His rebus perfectis salutis anno M. CC. sexagesimo quarto, Hispalim itum. copie quoniam hyems appetebat, pars in hiberna dimissa, pars missione impetrata domum frequentes iuerunt. Inter hæc fama, quæ omnia in maius auget, & magnis rumoribus afferebatur, hostes ex Africa non iam auxilia sed iustum exercitum euocare, belli cura quod à nostris inferebatur, & spe non dubia veteris imperij restituendi in Hispania. Castellanos & Aragonios, qui proximi erant periculo, primi; Maurorum impetum excepturi erant, ij rumores vehementer perculerunt. prior Alfonso de belli summa sollicitus Iacobum Regem Aragonum, ut vires conferret sollicitare constituit. Comune utriusque, periculum esse. utriusque nationis caput eas copias petere. debere eum si minus propinquitate & necessitudine moueatur, rei Christianæ periculo ad arma incitari. Petrus Iuanus Calatrae Magister his de rebus ad Iacobum legatus, Cæsaraugustæ Nonis Martij sui Regis mandata explicuit. additæ Violantis Reginæ litteræ, quibus à patre omnibus precibus, ut opem ferret reipublicæ, sibi & nepotibus postulabat. Erat Iacobo gloriosum à rãto Rege de ineunda societate priorem esse appellatum. verum quietæ res non erant. filij nondum satis pacati inter se dissidebant, regnique proceres & plebem in factiones diducebant. vnde latrocinia & scelerum omnium licentia tanta, quanta vniuersæ montanæ Aragoniæ ciuitates compulit, heterias inter se constituere, inire societates: legibus constringere nouis atque, seueris sceleratorum hominum audaciam, ac præsertim suppliciorum magnitudine. nam minori commissio delicto omnibus tormentis necabantur: leuiores ob peccata fultuario aut alia ignominia penas ipsi dabant: & magnitudine poenæ reliquis documento erant, ut à scelere abstinerent. Procerum præterea voluntates à Rege erant alienatæ. honores & magistratus externis aut obscuris hominibus demandari conquerebantur: leges patrias inuerti: & qui earum custos erat, Iustitiæ Præfecti auctoritatem imminui. vectigalibus non modo plebem, sed ingenuos etiam & immunes homines opprimi. mortem subeundam potius, quam iura libertatis paterentur eueri. Hæ communes querelæ erant. quemque præterea, uti erat affectus animo, priuatim suis dolor urebat. Itaque cum Barcinone Rex pecuniæ redigendæ causâ, Bouaticum concedi in conuentu petijisset, Raymundus Folchius Vicecomes Cardonæ intercessit, obstinato animo, nisi Rex mutaret atque ab ijs iniurijs abstineret, affirmans se haudquaquam quieturum. Neque destitisset, nisi alij proceres docuissent, quam alieno tempore turbas concitaret. præstare tantisper differre, ne agendi occasio elaberetur. Catalaunorum exemplo Aragonij gens in tuenda libertate constantior, prouocandi erant. Cæsaraugustæ ea de causâ conuentus habiti. ibi magna pars procerum regiæ voluntati restiterunt. Fernandus Sanctius Regis filius, & Simon Vrrea eius focer, se duces cõsternatis præbuerunt: atque secessione facta Alauonæ foedus inter se aduersus Regis potentiam iunxerunt. Res ad arma spectare videbatur. actum tamen annitentibus viris sanctis, ut iure potius ageretur. neque Rex siue ex animo siue simulatè recusabat emendare, in quibus cætenus peccatum esset: haud ignarus, multitudinis impetus instar torrentis esse, violentos quidem, haud diuturnos tamen. Factis inducijs iudices in cõtrouersia dati,

1265 dati, Episcopi Oscensis & Cæsaraugustanus. quorum prudentia non magis con-  
trouersia sedata, quam Regis calliditate, omnia ferme pollicentis sese præstitu-  
rum, pro quibus proceres tumultuabantur. Tumultu sedato, copieque compara-  
tis, ad bellum itum est salutis anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto,  
Alfonso cum suis copie Granatenses fines irrupit. Iacobus Murciae Regem si-  
bi impugnandum desumpsit. Omnia fuere opinione faciliora: nullam enim pau-  
lo insigniorem manum ex Africa venisse inuenio: qua de causâ incertum, nisi  
quod Mauri socij dubij sunt, atque suspensæ ex fortuna fidei. Iacobus Rex per  
Valentinum tractum in Castellæ fines inuectus, Villenam Mauris abstulit: Ema-  
nuelque Alfonso Castellæ Regis fratri restituit genero suo. erat enim Constantia  
Iacobi filia Emanuelli iuncta. deinde Elda, Orcelis, Illicitani sub iugum missi,  
multaque alia eo tractu oppida hostibus detracta, pars vi, deditioe pleraque. Ad  
hæc Stabero flumine transmissio, commeatus interceptus, qui duobus millibus  
iumentis cum iusto præsidio militari Murciae deferebatur. Interea Alfonso  
Rex Granatenses impugnare, omniaque circum infesta reddere non desistebat.  
prorsus ut de veteri sedere instaurando nostros appellarent. Reges Iacobus & Al-  
fonso, ut de belli summa coram deliberarent, ex composito Alcarasium propter  
loci commoditatem ad colloquium venerunt. affuit Regina Violantes. ex collo-  
quio ad arma discessum. Aragoniæ copie, ut erant à rebus omnibus paratæ, Or-  
celi Murciae promotæ mense Ianuario, anno millesimo ducentesimo sexagesi-  
mo sexto. Est ea vrbs in plano quidem sita, amœnissima regione, quam Stabe-  
rus amnis interfluit, & diductis riuis tum agros, tum urbem irriguam facit. ma-  
lis citreis confita quidem est. sed nostra ætate bombycis præcipuus prouentus.  
& tunc multis munimentis septa. neque amœnitate potius, quam vsui belli cõsul-  
tum erat, validoque instructa militari præsidio: vnde minus terroris ab hoste  
erat, nostris suspicio, ne obsidio in longum tempus duceretur. Aliquot leuia præ-  
lia erumpentibus Mauris initio fuere, nostris semper prospera. neque diu fuit,  
cum Mauri & Aragonij Regis dexteritate illecti, & spe ipsi defensionis abie-  
cta urbem dederunt. Inter Alfonso Regem, & Granatenses colloquio ad Al-  
calam Bensaydam inter eos habito, foedus interea in has leges iectum est: Gra-  
natenis Rex à foedere Hudielis abscedito. Ducenta quinquaginta numerum  
millia quotannis pendito, ut antea solitus erat. Contrà, Guidixensis, & Malacita-  
nus reguli ab Alfonso deseruntur. Ijs nihilominus annuæ induciæ à Mauro  
dantur. Regi Murciae, si in potestatem venisset, vita donator. Foedere constituto  
Alfonso Murciae vrbs cernendæ studio, cum Iacobus rebus confectis in pa-  
triam discessisset, eo se citatò proripuit. ad S. Stephani oppidum Hudielis Mur-  
ciæ Rex obuiam factus, atque ad Alfonso pedes procumbens, fidem eius non vir-  
tute magis, quam clementia, & liberalitate præcipuam implorans, se errore  
lapsus, se amentia præcipitem, miseretur supplicis atque tantis malis domi-  
ni: ita receptus est, ut regio nomine abstineret, ijs agris contentus, qui ad susten-  
tandam vitam dati sunt. Regis nomen Mahomadi datum, eius Abenhuti fratri,  
quem ad Almeriam interfectum fuisse, superius dictum est: atque tertia tantum  
vectigalium parte retenta, reliqua in Castellæ fiscum inferre mandatum. Is hu-  
ius belli, vnde tantum terroris extiterat, finis fuit.

*Augusta venit in Hispaniam.  
Cap. XVI.*



VO tempore Bæticæ & Contestani bello Maurico æstuabant, in reliqua Hispania tranquillitas erat, aut modicè læcessita pax: res miraculo proxima in tanta principatum multitudinem, tantaque procerum & populi libertate. Gonsalvus Iuanus Bazanius principi loco inter Vascones, cum nuncium patriæ per publicas tabulas remisisset, more ijs temporibus vñtato, in finibus Aragoniæ annuente Iacobo Rege extructa arce Boeta, inde finitimos Vasconum agros vexabat. Molestiam ex ijs rebus conceptam, ingenti populi læticia mutauit spinei diadematis, quod Christi capiti fuerat impositum, pars non exigua in templi maximi Pompelonensis thesauros illata donum Ludouici Regis Sancti, cui Balduinus Constantinopolitanus Augustus senescente iam Francorum in ea vrbe potentia, & in magna pecuniæ difficultate id pignus accepti subsidij esse voluit, magna apud populares inuidia: quòd res sua sanctitate eatenus intactas loco mouere non dubitasset. Magna id fertum religione nostra etiam ætate visitur Lutetiæ, in regio Francorum facello. Hæc in Hispania. Ex Italia autem afferebatur anno superiori Francorum armis Manfredum Regem regno vitæque spoliatum, Carolumque Ludouici Regis fratrem in eius locum subrogatum: quem Vrbanus prius, deinde Clemens eo nomine quartus Romani Pontifices ea spe in Italiam euocarant, regijsque insignibus aduenientem Romæ exornandum curarant. Ad Beneuentum acie dimicatum: vnoque & facili prælio Nortmannorum opes tot annos florentes conciderunt. Quadraginta mille aureos vt nouus Rex penderet quotannis Romanæ ecclesiæ, mandatum est: atque ab imperij nomine abstineret, quamuis vltro esset delatum. Manfredi calamitate Iacobus, perinde vt æquum erat commotus animo, vix peractò Murciano bello, in extremam Catalauniam abiit: si quo modo Nortmannorum reliquijs opitulari posset, regnumque ad se attrahere iure afinitatis cum Manfredo initæ suum. Alfonso Castellæ Rex interea Murciæ rebus componendis, nouis colonijs deducendis, extruendisque tota ditione arcibus præsidij causa erat intentus. Idonea è Castella multitudo tot urbibus & oppidis incolendis non suppetebat. Catalauni in ea loca magno numero euocati sunt. Neque desistebat Guidixenses & Malacitanos contra leges fœderis occultè subleuare. Quod vt expostularet, præsensque conquereretur fœdus ab Alfonso violatum, Rex Granatæ Murciam venit: & responso accepto haud satis æquo amplius alienatus discessit. quam occasionem nonnulli proceres arripientes Alfonso pridem infensi, cum Mauro clam collocuti, ipsum ad bellum capeßendum incitarunt. consilij princeps Nunnius Gõsalvus Lara magno vir ingenio, magnisq; opibus & clientelis. Nunnium patrem Ioannemq; fratrem multis abs Rege iniurijs violatos obtendebatur: vnde nouorum motuum materia parata, cum pacem diuturnam sibi Rex polliceretur, & venturi securus Villam regiam abiisset, vt surgentis magnis operibus oppidi moles & elegantiam præsens videret. Inde in Galliam missi legati,

legati anno millesimo ducetesimo sexagesimo septimo ad Ludouicum Regem Sanctum, filiam expetitur, cui Blanca nomen, in Ferdinandi filij coniugium. Ipse Victoriam concessit: quo eum mutui colloquij causa Rex Angliæ per legatos reuocarat, venturum se quàm primùm promittens, vt de rebus magnis coram statuerent. Is, qua de causa incertum, sed veniendi tamen aut facultatem, aut voluntatem non habuit. Eduardus filius maior missus est. quo iam tempore se Burgos Alfonso retulerat. & coniunctis ferme diebus Constantinopolitana Augusta domo profuga, imperioque pulsa ad Regem venit. Balduinus eius vir, & Iustinianus Patriarcha Michaelis Palæologi armis Græcia pulsi, à Sultano Aegypti intercepti in fuga erant scilicet. vxor Augusta de viri liberatione sollicita, argenti pondo viginti millia redemptionis pretium pacta, Romanum Pontificem & Regem Galliæ adiuerat. postremo Burgos appulsa, anno huius seculi sexagesimo octauo, cum tertiam tantum pretij partem abs Rege peteret, integrum argenti pondus accepit, insigni potius atque ambitiosa, quàm prudenti liberalitate, in tanta ærarij difficultate. proceres id præcipuè in Alfonsi actionibus accusabant: quòd subsidia reipublicæ inani laudis studio prodegisset. & commotis semel animis sinistrè accipiuntur, etiam quæ rectè facta sunt. Huius narrationis quidam scriptores fidem eleuant: negantque Balduinum à Sultano Aegypti captum. Nostrarum nobis historiarum consentiens auctoritas potior fuit: tamen non ignoramus pleraque sæpe supra verum famæ prædicatione augeri. Illud fertur, Sanctium Archipræsulem Toletanum hoc anno defunctum. alij quarto anno ante putant, argumento diplomatis Calatrauæ militibus publicè dati Era millesima trecentesima secunda, die Octobris septimodecimo: vnde Toletanam ecclesiam rectore vacuam confirmant: conuincuntque, nisi sint numeri vitiosi. In eius certè locum Iacobi Aragonij Regis filium Sanctium nomine substitutum, quæstionis non est: venisseque Toletum per hæc tempora, vt mox erit explicandum.

*Iacobus Aragonia Rex Toletum venit. Cap. XVII.*

ER idem tempus res Italiæ in maximo motu erant, Corradino Sueuo paterna regna armis aduersus Pontificum interdicta repente. Fridericus Austriæ Dux, Henricus Castellæ Regis frater Roma, vbi Prætor erat (generis id nobilitati potius quàm meritis proprijs datum erat) Gibellini tota Italia exciti Corradinum secuti sunt. In Marsis ad Fucinum lacum Carolo nouo Rege obuiam facto collata signa. vicere Franci, arte magis quàm vera virtute. Fridericus & Henricus in acie capti: Corradinus in fuga. de Corradino & Friderico dicta causa supplicium est sumptum: nouo & crudeli exemplo, tantos viros quibus anceps prælij fortuna pepercerat, post pugnam in iudicio capite pœnas dare. Aragonia interea leui motu agitabatur, Gerardo Cabrera de Vrgeliæ comitatu contentente, cum Aluari fratris nuper defuncti filios nothos esse accusaret. puerorum imbecillitatem Raymondus Folchius eorum auunculus alijque viri principes commiseratione ætatis, aut alia necessitudine deuincti tuendam susceperunt.

Iacobus Gerardi causam probare visus est, iura sua in Regem ipsum transferentis, nam viribus diffidebat. Rex Granatensis Guidixenses & Malacitanos impugnare pergebat, tum iure suo, tum beneficio fœderis nuper cum Alfonso iacti: cui quod hostes clam subleuaret, barbarus infensus erat. Nunnus Lara & Lupus Harus Regi suo irati faces subdebant Mauro, polliciti si bellum instauraret, sese palam ad eum transituros, multosque alios proceres à Rege penitus alienatos. Hæc rumoribus & fama, quam nihil rei magnæ fugit, iactabantur. testibus comprobari non poterant. Re ergo necessaria compulsus Rex in Bæticam abiit. Itaque inuenio Hispani hoc anno, tertio Kalend. Augusti litteras abs Rege datas, quibus Vergaram Guipuscoæ oppidum ad Deum fluium amplificatum, veteri Sancti Petri Ariznoæ appellatione mutata, municipij iure donauit. Bæticæ rebus utcumque compositis, adulta iam hyeme, retro referre pedem compulsus est, ut Iacobum Regem venientem exciperet, quem Sanctij filij preces Toletum ut veniret adegerant: ut quoniam ipsis diebus quibus Christi Dei natalis memoria recurrit, sacris primum operari parabat, publicæ lætitiæ interesset. ad Hortæ cœnobium Alfonso processit: fœderumque honoris causa in urbem deduxit. vbi die dicta Sanctius diuina hostia solenni sacrificauit ritu. Rex vterque, Regina soror, Ferdinandus Princeps celebrantem cohonestarunt. dies octo Toleti consumpti. neque amplius Aragonius Rex detineri potuit: cum belli Hierosolymitani quamprimum suscipiendi studio arderet extrema ætate senex, neque sibi parcens, neque domestica negotia, quibus erat implicitus multis & magnis, curans præ studio nominis Christiani amplificandi, veteremque gentis gloriam, quæ obscurata esse videbatur, in Syria illustrandi. vir magnus, dignusque cui melior in eo fortuna contigisset.

*Aragonius ad bellum sacrum profectus. Cap. XVIII.*



**A**d extremum malorum ventum erat in Syria, regnumque maiorum virtute constitutum, nostrorum ignauia & cessatione collapsum erat: dum Principes ferrum inter se stringunt, commoda publica religionis dedecus priuatis cupiditatibus posthabent. Virtutis indoles, qua res tantæ perfectæ erant, consenuerat, rerum humanarum inconstantia: & quoniam toties irritò conatu Principum, qui re Christiana subleuanda eò cateruatim mari terraque sæpe commigrarunt, superioribus annis id bellum erat tentatum. Noua nunc se occasio melioris fortunæ ostentabat: quæ vno ferme tempore Hispaniam, Angliam & Galliam ad arma repetenda exciuit. Tartari ex ea Scythiæ parte profecti, ut quidam disputant, vbi olim Tractaros Plinius collocauit, cum Armenijs societate armorum iuncta, eam Syriæ partem, quam Saraceni obtinebant, armis inuaserrant: magna primum apud nostros spe pristinarum opum recuperandarum, euentu deinde nullo. Fuerant ab Innocentio quarto, quo tempore Lugduni generales conuentus agitabat, concionatores quatuor e sacro Dominici ordine, cuius ea tempestate celebris fama erat, ad Tartaros amandati: si gens horridò cultu, bello dedita, nulla aut præpostera religione, imbui posset Christiana. vsq;

eò ea

eò ea diligentia profectum, ut barbari mitiores effecti nobis præ cæteris beneuellent. Rex eorum, quem Chamum vulgò vocabant, hoc est Regem Regum, Europæ Principes missis circunquaq; legatis ad arma capeffenda excitare non desisteat, prope modum conuicio: cum Christiani nominis gloriam negligere viderentur. Id superioribus annis factitatum est, neq; consequentibus intermissum. hoc autem tempore maiori conatu, ac nominatim ad Aragonium Regem cum Alarico ciue Perpiniano, quem Rex antea alia legatione prouocatus ad Tartaros miserat, noui legati venerunt, sui Regis nomine omnia pollicentes, si quidem arma induere viresq; conferre induceret in animum. & legati quidem Barcinone subltiterunt: Alaricus autem Toletum progressus, in conuentu Principum visa à se & totius legationis summam explicuit. Ea oratione Principum qui aderant animi non vno modo affecti sunt. Iacobus ad bellum incitatus est, id ætatis homo: Alfonso gener, & Regina, Græcorum dubiam fidem, Tartarorum immanitatem excusantes omnibus precibus, quibus lacrymæ addebantur, à bello detertere conati sunt. vicit tamen Iacobi constantia, cum negaret pace dormi parta fas esse otio se dare: aut vitæ paulò post interituræ parcere, in tanto discrimine nominis Christiani. Alfonso, quoniam ita deliberatum erat, centum aureorum millia in belli sumptus promisit. proceres Castellæ nonnulli, in his Magister militiæ diui Iacobi, & promagister Hospitalis Gonsalvus Pereira, se comites obtulerunt. Valentiam itum: vbi Tartarorum legatos Rex audiuit. præterea à Palæologo Imperatore legatum alium, comitatum si proficisceretur, affatim pollicentem. Barcinone valida classis comparabatur, milite & rebus omnibus instructa. Priusquam proficisceretur, Violantis filix rogatu inde Hortam cœnobium repetijt, filijsq; & nepotibus vale dicto, neque preces admittens quibus ab incepto deterrebat, ad classem redijt: in qua triginta onerariæ naues, & aliquot præterea triremes erant. pridie Nonas Septembris die Mercurij anno millesimo ducetesimo sexagesimo nono, votis ritè nuncupatis e littore soluit, in eò modo sanè anni tempore, atque procellis obnoxio. Itaq; cum triduo in Balearum minorem peruentum esset, priusquam portum tenere potuissent, 30 fœda ventorum tempestate disiecti, alia alij littora tenuerunt. Rex ad Aquas Sextias appulsus vento reflante in Agathensem sinum reiectus est. nonnullæ naues, quæ cursum tenere potuerunt, ad Acrem Palestinæ oppidum nauigatione peruenerunt. in his Ferdinandi Sanctij naues Regis filij. Rex suorum cohortationibus fractus Mompellerij se ex maris iactatione paucos dies refecit: atque propositi pertæsus, cui superi aduersari videbantur rebus humanis irati, tametsi talium cõtempitor ut fortuitorum, in Catalauniam redijt, nullo maiori operæpretio. In Castella Alfonso Rex Lugrunium vsque processerat, comitante Eduardo Regis Angliæ filio, nurui obuiam: quæ pactis nuptijs in Gallia, ad sponsum per fines Vasconum veniebat. nuptiæ Burgis celebratæ, apparatu post memoriam hominum maximo & celeberrimo. Iacobus Aragonius Rex sponsi auus, Alfonso Regis inuitatu & Petrus Iacobi maior filius interfuere. Eduardus Anglicanæ iuuentutis Princeps, Rex Granatæ, Alfonso ipse Rex eiusque fratres & filij, atque patruus Alfonso Molinæ regulus. ex Italia, Galliaque atque Hispania plerique proceres conuenerunt. in his Guillelmus Mon-

tis Ferrati Marchio. His nuptijs illud prouidebatur, vt Ludouicus Rex suo & filiorum nomine iure decederet: quod in Castellæ regnum obtinere credebatur. Blancæ filius, quæ Henrici Regis soror fuerat natu maxima. solenni peracto Iacobum socerum Alfonso officij causa Turiasonem vsque deduxit.

*Ludouicus Rex Gallia decessit. Cap. XIX.*



1270 ANGLI Francique suscepta sacra expeditione, aliquanto longius in opere quam Aragonij processere, sed nihilo tamen meliori exitu: nisi quod fœdere inter vtranque gentem ea de causa facto, Lutetia in frequenti Principum conuentu veteres controuersia sublatæ sunt. is fructus vel maximus tantarum molitionum fuit. finesque vtriusque ditionis in Gallia inter Francos & Anglos communi consensu descripti: ea potissimum lege, vt dum Rex Sanctus Tunetum oppugnaret, quod hortatu Caroli fratris ire contendebat, Afros Italiae semper infestos, Siciliae & Prouinciæ Phocænsi formidabiles disputantis, primum euertendos esse: Anglus classe comparata Syriam perdomaret. Eduardus Angliæ iuuentutis Princeps vt conuenerat, Hispaniæ atq; Italiae littora cum valida classe legens, ad Ptolemaidem copias expoluit, in iplis initijs à supremo vite periculo numinis operuatus. in cubiculo enim percussor eum adortus, vnum atque alterum vulnus inflixit. Insidiator in vestigio trucidatus est. sceleris præcipuus auctor ne tum quidem cognosci potuit. assassines gentem in pericula promptam fama tenuit. Rex Sanctus cum tribus filijs Kalen. Martij salutis anno millesimo ducentesimo septuagesimo Malsilia soluit. Theobaldus Vasconum Rex Henrico fratre ad regni procuracionem relicto, religionis promouendæ, virtutisque ostendendæ cupidus, Regem socerum comitatus est. Immite & turbidum cælum nauigantibus fuit. Tunetum appulsa classe oppugnari cœpta. acie victi semel atque iterum barbari, cum vrbe se continerent ad sextum mensẽ obsidio tenuit. quo tempore maligni sideris vi exorta pestis multos consumpsit. in his Ioannes Ludouici Regis filius prior aliquanto, ipseque Rex ad octauum Kalend. Septembris profluuium decessit. Cum insigni ignominia discessum ex Africa esset, vsque adeo vires nostrorum & animi conciderant, ni Caroli Siciliae Regis superuentu confirmati essent. Cum barbaris ea lege fœdus ictum est, vt quadraginta milia aureorum Carolo ipsi & posteris quotannis penderet: ex quanto tributo Siculus Romanæ ecclesiæ erat obnoxius. Drepani in extrema Sicilia, quo se ex Africa contulerunt, Theobaldus Rex ad quintum Decembris diem obiit. ea necessitas belli sacri ommittendi, quod toties infeliciter erat tentatum, & patriæ repetendæ fuit. Ludouici Regis viscera ad Montem regalem in Sicilia, corpus in D. Dionysij prope Lutetiam sepultum. Theobaldi Regis corpus odoribus differtum Peruini Campaniæ vrbe in Gallia, in maiorum sepulcra illatum est. vxor Elisabetha consequenti anno Aprilis vigesimo septimo die, quinto Kal. Maij, Hieræ in prouincia Phocænsi defuncta est. corpus in Barra monasterio compositum. inferiæ ex Christiano ritu omnibus magnificè factæ. Ad Castellam reuertamur.

*Procerum*

*Procerum in Alfonso Regem conturatio. Cap. XX.*



10 ALFONSI Regis animus vno tempore multiplici cura suspensus erat. ardebat in primis cupiditate Germanici imperij cernendi, ad quod multorum litteris, & conuitio propemodum erat euocatus. regni proceres erant animis alienati. nocebant asperi mores, & nimia seueritas, cui assueti non erant. præterea rumor afferebatur, bellum ex Africa instare: maiorique quàm vnquam apparatu copias comparari: tametsi Petrus Martinus maris Præfectus, (Almirantum vocant) Gadi-  
20 tanos Mauros inopinantes oppresserat anno superiori. vrbe, & insulam præsidij obtinere difficile erat. itaque Marrocio Regi relicta, in cuius ditione antea fuerat. ea barbari promerendi occasio quæsitæ est scilicet. Ab Alfonso Lusitano Rege, Dionysius filius octo natus annos ad auum Castellæ Regem amandatus est, vt regno Lusitano immunitatem impetraret. Actum de ea re in Principum conuentu: & ceteris aut tacentibus, aut etiam conuiuentibus, cum Regum voluntati repugnare tutum non sit, Nunnius Gonsaluus Lara coniurationis princeps refragari est ausus. negabat regni maiestatem quouis prætextu, multo minus in pueri gratiam imminui æquum videri. Vicit in concilio Regis sententia, vt Lusitania immunis esset: & Nunnij tamen libertas in Re-  
30 gis animum altius descendit, quàm quisquam existimaret: & ad alias offensiones adiuncta effecit, vt Nunnius, Harus, & Philippus Regis frater exitialia consilia reipublicæ Regique agitare non dubitarent: & quoniam viribus non satis fidebant, externa præsidia comparanda decernerent. Itaque dum in bello sacro Theobaldus districtus erat, à Philippo Henricus Vasconum procurator, coram de iungendo cum ijs proceribus fœdere appellatus est. Cautior ille, ne belli grauisissimi molem ad se attraheret, fratris absentiam excusauit. proceres ea spe depulsi Reges alios Lusitanum, Granatensem, ipsumque adeo Marrociũ Imperatorem per litteras, vt vires iungerent, bellumque Castellæ inferrent, sollicitarunt cæco impetu in vindictam præcipites. Erat Alfonso sublime ingenium,  
40 sed incautum, superbæ aures, lingua petulans, litteris potius, quàm ciuilibus artibus instructus: dumque cælum considerat, obseruatque astra, terram amisit. Is re prodita indicio Ferdinandi Peresij, quem coniurati in partes attrahere conari erant, concussa mente, ac periculi magnitudinem tandem considerans, ad eos motus pacandos sese totum conuertit. Murciaque, vbi tunc agebat ad proceres, qui Palentiæ conuentus agitabant in noui belli curam intenti, Henricum Aranam legat, si quomodo possent agendi dexteritate ab ea mente deduci. ipse & Regina vxor Valentiam profecti cum Iacobo Rege de rebus omnibus consilia communicarunt. Iacobus vt erat à multo vsu callidus, quo tempore ad Ferdinandi nuptias Burgos venerat, prouisa, quæ imminebat, tēpestate ex alienatione Principum, Alfonso grauisissimis verbis castigat: dederatque præcepta. Vt à subditis amari, quàm timeri mallet. Reipublicæ salutem in ciuium beneuolentia esse: exitium in odio. Omnes regni ordines sibi conciliare, fore salutare: si minus id posset Præsules & plebem in primis complecteretur, quos procerum insolentiæ opponeret. De nullo occultè supplicium sumeret, formidinis

S f < indi-



indicio maiestatis dedecore. Qui enim in alteram partem decernit inaudita  
 causa, ius licet decernat, iniuriam tamen facit. Hæc fermè vitia in Alfonso cul-  
 pabantur: quæ si opportunè euulsa essent, magnis calamitatibus respublica fuisset  
 liberata. eo Regum colloquio nihil præterea rei magnæ gestum est. rursusque  
 Alfonso ad Regem socerum Alicantem proficisci vertente anno necesse ha-  
 buit, obtestatum ut Aragonios proceres in officio contineret, ne cum rebelli-  
 bus, ut facere parabant, fœdus iungerent: & quoniam Granatensis Guidixenses,  
 & Malacitanos bello vexare pergebat, utris opitulari æquius foret consilium  
 daret. Censuit Iacobus veteri fœdere standum, neque ultro Granatenses illato  
 bello irritandos videri. Arane legatione nihil profectum est: & Rex Granatæ  
 procerum impulsu, violato fœdere prior in fines Christianorum irrupit, finiti-  
 mos agros vrere atque depopulari pergens. aderat ex Africa equitum manus: quos  
 Iacobus Abeniuzephus præmiserat. His rebus nunciatis, Alfonso Ferdinando  
 filio, qui tunc Hispali morabatur in noui belli curam intentus, per litteras man-  
 dat, ut copijs omnibus in Granatensem Regem feratur. ipse Burgos profectus  
 est: si quo modo rebellium animi sanari possent. in ea vrbe conuentus agitati ex  
 vniuersa ditione: ac nominatim rebelles euocati fide publica: & quo tutior esset  
 accessus, loco extra urbem designato in regio xenodochio. Regis & procerum  
 colloquijs, quæ non vno loco sunt habita, amplius exacerbari voluntates visæ  
 sunt: prorsus ut fide abiurata qua Regi obstructi erant, Granatam frequentes  
 abierint, eius sæculi anno septuagesimo secundo: Nunnius, Harus, Philippus  
 tria coniurationis capita. præterea Ferdinandus Castrius, Lupus Mendozius,  
 Egidius Roa, Rodericus Saldania. ex minori nobilitate alij, quorum numerus  
 iniuri vix potest. In ipso discessu oppida incensa, agri vastati, omniaque hostilis  
 animi exempla edita sunt. Rex Toletum magnis itineribus, deinde in Oretanos  
 Almagrum contendit, quia nondum desperabat proceres sanari posse, Regem-  
 que Granatæ nouo fœdere conciliari, in eam potissimum curam incumbens, &  
 si minus succederet, bellum omnibus viribus supremoque conatu illaturus.

*Novi Aragonia motus. Cap. XXI.*



VO hæc tempore in Castella gerebantur, Philippus Galliarum Rex  
 qui Ludouico patri successerat, nouis principatibus augebatur. Al-  
 fonso patruo, qui Pictauiensis & Tolosanus Comes erat, & Ioanna  
 eius vxore sine prole per idem tempus defunctis. neque multo post  
 Fuxensis Comes Rogerius Bernardus ditione spoliatus est, non  
 alia maiori de causa, quam quod magistratibus regijs parere aliquando recu-  
 sasset. Ea res Aragonia arma, quoniam in Iacobi fide Fuxensis ditionis pars  
 erat, in Gallos concitata quidem: sed Iacobi tamen prudentia sedata sunt. præ-  
 fertim cum noui, atque intestini tumultus metus instaret. Petrus Aragonij iu-  
 stus filius Ferdinando Sanctio fratri suo ex impari matri, infensus erat:  
 quod quo tempore ex Syria redijt, à Carolo Rege Neapolitano eximie cultus,  
 cum eo exitialia reipublice consilia communicasset. Erat Ferdinandus Burria-  
 næ: quo loco Petrus cum manu militari postquam in eades factis impetu irrupit,  
 fratrem

fratrem locis omnibus quærere, scrutari latebras, clausa effringere, strepitu &  
 tumultu omnia miscere. cum interim Ferdinandus & Alfonso Vrrea vxor sese  
 occultè periculo subduxissent. Hæc initia magnorum motuum fuere, & regni  
 proceres fratrum simultatem suam occasionem facientes, in duas factiones  
 distracti sunt: tanta obstinatione, ut viribus auctis Regi ipsi bellum indice-  
 rent haud vilo operæ pretio, nisi quod Cardonæ Vicecomes, alijque proce-  
 res partibus infecti, ditione spoliati sunt. Ferdinandus Sanctius Regis filius  
 ad Pomariam arcem obsessus à fratre, atque in potestatem redactus, in præ-  
 terfluentis Cingæ vortices præcipitatus perijt, fama ancipite iure ne an ini-  
 iuria. Duce certè sublato cæteri quieuerunt. hic parricidij fructus fuit. verum  
 Ferdinandi mors tertio post anno contigit. reliquit filium in minori ætate  
 Philippum nomine, ad quem gens Castria generis originem refert. Rogerius  
 Lauria in agro Valentino Rahello & Abricato prædijs donatus abs Rege est:  
 operæ merces, quod ex vltima Italia Constantiam nurum esset secutus: magno  
 deinceps vir ingenio, summusque Dux præsertim mari futurus. Cum Vasco-  
 num Rege Henrico, qui fratri sine prole defuncto successerat, & cum quo Ara-  
 gonijs simultates erant ob interceptum iniuria regnum, in multos annos in-  
 duciarum pactæ sunt. Iacobus Rex in tanta suorum ad arma consternatione, tan-  
 tisque dissidijs prouidebat, ne pars altera Vasconibus iuncta, negotium face-  
 seret, faciliore consensu ad bellum quam ad pacem concordiamque. & maior  
 cogitatio pectori infederat vires in Mauros vertendi: vnde sæua tempestas His-  
 paniæ imminere, nisi opportunè occurreretur, prudentibus videbatur.

*Alfonso Rex ad imperium capessendum proficiscitur.*

*Capit. XXI.*



30 **A**RDEBAT Alfonso cupiditate Germaniam ad eundem impe-  
 rij insulas coronamque suscepturus: eo maiori studio & festina-  
 tione, quod auctore Gregorio decimo Romano Pontifice Germa-  
 niæ proceres malorum pertæsi, quæ inter regni tempore multa &  
 grauissima atque diuturna erant perpessi, nouam electionem  
 adornabant Alfonso prætermisso, Richardo pridem defuncto. Eo nuncio per-  
 cussus Rex, ut par erat, priorem tarditatem noua festinatione compensare vo-  
 lens, haudquaquam opportunè in vnam ad eundem Germaniæ curam cœpit in-  
 cumbere. Prudentibus tranquillitatis & reipublicæ cura præferenda videba-  
 tur. leuissimus quisque & futuri improvidus, spe vana tumens, ad profectio-  
 nem hortabatur. nec deerant qui ambitione stolidi, arma, equos, alia belli sub-  
 sidia comparanda prædicarent, quasi hostes subiugaturi, ab alijs, id ipsum quod  
 paranti profectioem tot aduersa ante contigissent, in prodigium & omen  
 40 mali successus vertebatur. Alfonso natura cunctator. rationes regni impeditæ.  
 & si aliquam honestam speciem nactus esset, destitutus dedecoris metu expe-  
 ditionem parat, quacunque conditione Granatenses & proceres ad fœdus at-  
 trahere satagens. In eam curam intento Rege Alhamarus Granatæ Rex, salu-  
 tis anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio inchoante, diem obiit,

homo audax, callidus, promptus, & rebus nostris infensus maximè. Nata de  
 successione controuersia. vicit tamen ea pars, vnde Castellæ proceres perfu-  
 gæ steterunt: regni que insigne Mahomadi datum est, cognomento Miralmu-  
 rio Leminio, defuncti maiori filio. Hunc quamuis à rebus nostris vltro ab-  
 horrentem, & à plerisque ad bellum concitatum, cum noui regni opes nuta-  
 rent, ad concordiam ineundam procliuem Alfonso conciliari posse spera-  
 bat. Nonnulli præterea proceres ad meliora consilia animos reuocabant: ac  
 nominatim Fernandus Castrius, & Rodericus Saldania fide publica Abulam,  
 vbi conuentus regni agebantur, ad Regem venire. Ipso tempore quo in Ger-  
 mania festinatis imperij comitijs, Rodulfus Ausburgensis Comes, consen-  
 10 tienti procerum suffragio ad imperium vocatus est, exiguo quidem censu, an-  
 gustoque principatu, cæterum generis nobilitatem ad veteres Francorum Re-  
 ges referens, & virtutum indole clarissimus. Aderant Franconofurti Alfon-  
 si legati. verum eorum intercessione nihil effectum est, priori beneuolentia,  
 qua Alfonso complexi erant, publica inuidia mutata. Is soluto Abulensi  
 conuentu, Requenam abierat: vt focero Rege conuento de bello Maurico  
 consilia conferret. ibi labore itineris, an animi tædio morbo tentatus est  
 haud leui. & quoniam cætera non procedebant, ipsaque festinatio tarda vide-  
 batur, optimum fore visum est, extremam pacis spem tentare Reginæ ope-  
 20 ra, Sanctijque Primatis auctoritate: qui vt in eam curam incumberent, Cor-  
 dubam continuo amandati sunt. Ad Pontificem Gregorium decimum Aima-  
 rus ex Dominicano ordine, qui postmodum Abulensis Episcopus fuit, & Fer-  
 dinandus Zamora canonicus Abulensis regij scrinij Præfectus legati Vrbe  
 veteri, vbi tunc Pontifex erat, dato senatu causas explicuerunt, ob quas Ro-  
 dulfus electionem vitiosam esse crederent. Non debere Pontificem eorum dictis  
 moueri, qui eius auribus insidiando, alienam gratiam captarent: sed medium  
 se gerendo, vt sacrosanctæ, quam gerebat, personæ ratio postulabat, ab vtrif-  
 que inire gratiam Urbani & Clementis exemplo: qui exæquato honore ne  
 alterutris præiudicarent, Richardum & Alfonso Romanorum Regis appel-  
 latione exornarant. Ea legatione nihil profectum est, cum tam diuturnæ mo-  
 30 ræ tædium cepisset. Fredulus tantum Lugduno, vbi consequenti anno mille-  
 simo ducentesimo septuagesimo quarto, præfente Pontifice conuentus Episco-  
 porum generales sunt habiti, disciplinæ ecclesiasticæ refarciendæ, belli sacri  
 instaurandi, ecclesiæ Græcæ cum Latina conciliandæ cura studioque, ad Al-  
 fonsum legatus, ecclesiasticorum reddituum decumas in bellum Mauricum  
 Pontificis nomine est pollicitus, modò ab inani obtinendi imperij ambitio-  
 ne speque animum auerteret. Externa imperia appetendo, ecclesiæ pacem  
 pulcherrimè stantem, turbare iniquum videri. Interea Henricus Vasconum  
 Rex à multa sagina grauis foedusque Pompelone obiit ad vndecimum Kalen.  
 Augusti. ex vxore Ioanna, Roberto Artesiæ Comite Ludouici Regis Sancti  
 40 fratre genita, filiam Ioannam reliquit vix triennem: sed hæredem tamen sa-  
 cramento procerum prius, deinde patris testamento designatam. vnde noua  
 dissidiorum materia, regni que Vasconum ad Francos translatio. Freduli le-  
 gatio non ingrata exiit: seque Alfonso in Pontificis potestate futurum re-  
 spondit,

spondit, illiusque arbitrio vniuersam controuersiam permissurum. Ergo Pon-  
 tifex nihil vltra moratus, Rodulfus electionem (nam eatenus in Alfonso gra-  
 tiam distulerat) in publico conuentu ratam habuit octauo Idus Septembris.  
 moxque ad omnes Principes litteræ datæ in eam sententiam: ipsique Rodul-  
 fo, vt quamprimum in Italiam ad coronam suscipiendam festinaret manda-  
 tum. Ad conuentus Lugdunenses Iacobus Aragoniæ Rex profectus est extre-  
 ma ætate homo, decoris auidus. inde tamen haud villo magno operæpretio re-  
 diit in patriam non obscure iratus Pontifici, quòd ipsius capiti regni coro-  
 nam imponere recusasset: nisi vectigali persoluto, quod Petrus ipsius pater,  
 10 quo tempore Romæ coronam susceperat, pendere quotannis pactus erat. Ia-  
 cobo Regi indignum videbatur, regnum maiorum virtute partum cuiquam  
 externo Principi esse vectigale. Interea Rex Granatæ & proceres ad officium  
 Reginæ diligentia reuocati sunt: & proceribus quidem pacandis omnia que  
 flagitabant promissa sunt. Regi autem Granatæ quotannis mandatum trecen-  
 ta millia aureos in regium fiscum inferre: magnumque in præfenti auri pon-  
 dus multæ nomine repræsentare. Guidixenlibus & Maiacitanis, quoniam  
 in fide Alfonso erant, eo agente induciæ annuæ datæ sunt. Insignem ea æta-  
 te virum Hispania vidit Gonsaluum Arienfem Regi intimum: cuius potissi-  
 mum diligentia & ingenij dexteritate id foedus est pactum. Granatæ Rex  
 20 & proceres Corduba, deducente Ferdinando Principe, qui rebus omnibus in-  
 terfuit, Hispalim profecti ab Alfonso Rege benigne accepti sunt: ex compa-  
 ratione vtriusque temporis obsequium cum securitate, quam contumaciam  
 cum pernicie præferendum esse iudicantes. Mox vno tempore Castellæ ar-  
 ma Ferdinando ductore iussu patris, in Vascones mota sunt. & Iacobus Ara-  
 gonijs Rex Petrum filium maiorem, in quem eius regni iura transtulerat, ad  
 occupandam procerum gratiam, quoniam in Aragonios proniores erant, di-  
 misit. neque Aragoniæ artes, neque Castellæ vires ex sententia processerunt,  
 cum Regina vidua in Galliam ad Regis patruelis præsidium cum filia, vim ve-  
 rita in tanta temporum colluione profugisset. Ferdinandus tantum armis  
 30 Viana tentata, inde repulsus propter loci firmitatem & obsessorum virtutem,  
 Mendauiam & alia minora oppida in potestatem redegit. omnia difficiliora  
 opinione fuerunt: tametsi nullus iustus exercitus obuiam Ferdinando proces-  
 sit: quod maiorem afferebat moram. & eius regni rationes ita erant contur-  
 batæ, vt in vnam defendendæ reipublicæ voluntatem proceres infecti parti-  
 bus conspirare non possent. Plurimi Aragonijs fauebant, ac præsertim Ar-  
 mengaudus Præsul Pompelonensis, & Petrus Sanctius Montacutus, vir prima-  
 rius regni que procurator. Petro Aragonio ad vtriusque regni fines Solium  
 oppidum progresso, cum regnum ex Sanctij Regis adoptione, & ex alijs vetu-  
 stioribus tabulis sibi deberi contenderet, & quadraginta millia argenti pondo  
 40 exigeret non ita pridem à Theobaldo Rege pacta: re multum deliberata, con-  
 sensu procerum, puella regni hæres desponsa est absens: regni que possessio  
 dotis nomine pacta: si minus id contingeret, ad centum quadraginta millia ar-  
 genti pondo in belli sumptus aduersus Castellæ vires, & conatum in inferen-  
 di belli proposito perstantis. atq; hæc mense Nouembri Oliti constituta sunt.  
 Quo

Quo tempore Alfonso Rex in Gallicam profectiōem toto animo incumbens regni conuentus Toleti agitabat, vt rebus compositis sese in viam daret. Ferdinando filio vniuersi regni procuratio commendata est. proceres alij alia curare iussi. plurima auctoritas Nunnio Laræ, quem regni limitibus aduersus Mauros si se commouerent, præficiendum iudicauit. id blandimentum factiosis promerendis abs Rege datum est. Sub anni finem conuentu soluto Rex, Regina, filij minores, Emanuel Regis frater iter ingressi. omnia ad decorem imperij composita: eoque lentiori agmine Valentiam itum est. Inde Dertusam atque Tarraconem: vbi Iacobus Aragonius Barcinone profectus aduenientes excepit. Barcinone natalem Christi diem celebrarunt, inchoante iam anno 10  
 275 M. ducentesimo septuagesimo quinto. Raymundi Pennafortij ex Dominicano ordine per eos dies defuncti, in ea vrbe funus vtriusq; Regis præsentia cohonestatum est, insignis pietate eruditioneque viri. Ipso anno Pelagius Correa D. Iacobi Magister extinctus est, annis grauis, omni laudum genere bello paceque clarissimus. corpus Talaueræ in D. Iacobi, vti frequens hominum in eo oppido opinio est, compositum. alij Tudie malunt: quam ipse ædem ad Marianorum montium radices D. Mariæ nomine sacram à fundamentis extruxerat, victoriæ monimentum: quam superioribus annis de Mauris retulit, eo loco nobilissimam. Sole etiam à cursu retento: quo dies longior, & maior esset hostium fugientium strages. sic vulgò iactatum. Sensibus ancipiti prælio atque 20  
 inter metum & fiduciam conturbatis, tempus metiri quæ vacet? hora vna multarum instar est præ cupiditate, festinatione, curaque. multa præterea in periculo creduntur facile, finguntur impune. Alfonsi conatus Rex focer non satis probabat, multisque verbis eum deterrere est conatus: cum causâ diiudicata Pontificem mutaturum nulla spes esset. neque tantis laboribus adepturus videbatur, amplius quam vt acceptæ ignominie deformis testis apud exterarum nationes viseretur. monita sapienter Alfonsi obstinatio discussit. Itaque vxore & filijs Perpiniani relictis, ad Belcairum prouinciæ Phocænsis oppidum Rhodano præterfluente nobile, præcipuaq; amœnitate, vt conuenerat, Pontificem Romanum primo vere adiit, dimisso quidem Lugdunensi Episcoporum conuentu, sed in Gallia tamen morantem eatenus. Ibi die dicta coram Pontifice 30  
 & Patribus, qui eum erant secuti, hac sententia orationem habuit. Si aliquo meo studio & diligentia imperium obtinuissim, egregium mihi erat tot prætermisissis Principibus in externum hominem voluntates Germaniæ conspirasse. nunc Dei hominumque consensu datum honorem retinere, quis iure reprehendat? cum turpe potius sit, diuina dona tueri non posse: atque in amore non respondere ijs a quibus fueris prouocatus. Quò grauiori doloris sensu conficiat necesse est, cum paucorum fraudibus audiam, Germaniæ proceres (ô homines in fide parum constantes) circumuentos, in noui Principis electionem conspirasse nobis inauditis, nondum diiudicata causâ nostra. In qua, 40  
 si quod dubium olim fuit, sublato æmulo sublatum esse oportuit. Neque fraudi esse debuit, hætenus profectiōem nostram esse dilatam: quod quidam cunctationem & segnitiem interpretantur. cum verius tranquillitatis studium fuerit, dum quorundam mentes à nobis auersas sanare satagimus: & syncerus religionis

ligionis amor, dum regni rationibus consulimus, barbarorum irruptionibus obnoxij. Nunc filio in patria relicto, geminæ iam prolis patre, imperium te auspice atque adiutore Gregori Pontifex maxime, capessemus, inane quidem & sine prouentu nomen: sed publicum Hispaniæ decus respicere, nostramque ignominiam procurare cogimur. quod vtinam sine armis præstare possimus. alioqui quodcunque periculum retinendi honoris studio subire est animus. Mihi neque maius quidquam neque carius, vestra Patres auctoritate in terris est. à primis annis ita mores conformaui, vt ab optimoquoque probarer, & famam benefactis extenderem. his actionibus nullo ambitu prioribus Pontificibus placui. ob easdem artes ad imperium sum euocatus. graue sit, neque ferenda ignominia, in hoc ætatis flexu, quæ iuuenis peperit, per fraudem eripi: nostræque gloriæ sempiternam inuri maculam. Te ô ter beate Pater, vosque quicumque adestis Patres, nostris conatibus fauere æquum est, in causa, qua maior iustiorve vlla ne excogitari quidem potest: orbique testatum facere, quid priuati affectus, quid integritas & religio valeant. Si minus prouidere saltem atque præstare cum tempus est, ne respublica nouis enatis disidijs insanabilem plagam accipiat. Ad hæc Pontifex paucis causas exponit, cur iure Christiano licuisset nouum Augustum creare. Richardi obitu nullum nouum ius Alfonso accessisse: ipsamque in Pontificis potestate futurum promisisse. Publicè id salutare fuisse, priuatum haud ignominiosum: cum non magis Hispanos Germanis imperare æquum esset, quam Hispaniæ à Germanis iura dari. Germaniæ itinera auia atque impedita esse, vrbes munitas, gentem ferocem. priora studia refedisse. aduersus Germanorum consensum, vllas vires haud posse comparari. Multum infamiæ victo fore, victori exiguos fructus. Præstare sua tueri, quam aliena petere. Eam esse benefactis gloriam partam, nullo vt posset eius nomen tempore, nulla ignominia obscurari. Daret Deo, daret religioni, si quid præposterè actum videbatur. His verbis adiicit complexum & osculum, comis natura, & à multo vsu edoctus talibus blanditijs commotas hominum voluntates sedare. Eo conatu cessatum. Secundum repulsam tamen, alia spes tentatæ sunt. 30  
 Sueuiæ principatum Corradino interfecto, sibi deberi Alfonso postulabat, genus maternum ad Sueuiæ Principes referenti. iniuria à Rodulfo occupatum esse. ad ereptum imperium nouam eam iniuriam accessisse. Vasconum regnum repetitis antiquis iuribus ad se reuocabat. iniquè facere Gallos, qui in eius procurationem inuasissent. Deniq; Henricum fratrem, auctore Pontifice petebat, à Carolo Siciliæ Rege dimitti. nam is Pontificis voluntatem excusabat, ne captiuo libertatem daret. His æquissimis, vt ipsi videbatur postulatis, cum Pontifex & Cardinales surdas aures præberent, Alfonso iratus ex Gallia discessit, præcipiti iam ætate, atque in autumnum conuersa. Regressus in Hispaniam, imperij nomine & insignibus non antea abstinuit, quam dirarum denunciatione Archiepiscopus Hispalensis Pontificis iussu, vt desisteret perfecit. 40  
 Decumæ tantum ecclesiarum in sumptus belli Maurici concessæ sunt. tertias vulgò dicimus: nimirum decumarum tertia, quam in templorum fabricationes & facta tecta consumere moris erat, datum vt regium in fiscum inferretur, lege non in omne tunc tempus lata (sic arbitror) sed annorum numero

numero definito. Hoc initium Castellæ Regibus sacros templorum reditus decerpendi. Hic fructus Alfonso longinquæ peregrinationis, tantorumque laborum fuit, erepti per iniuriam imperij compensatio, innoxij quidem, inemptique, haud felicitis tamen.

(?)

Libri Tertijdecimi Finis.

IOANNIS

IOANNIS MARIANAE  
HISTORIAE

DE REBUS HISPANIAE.

LIBER XIII.

*Rex Marrocijs transmittit in Hispaniam. Caput. I.*

20

INTEREA Rex Marrocijs Iacobus Abeniuzephus rerum potitus in Africa, cognitisque Hispaniæ rebus, Alfonso Regis discessu Bæticam præsidio nudatam: gentis iniurias toties nostrorum armis violatæ ire ultum cupiens, ancipiti animo, propter periculi magnitudinem in diuersa trahebatur. cunctatorem natura, nouoq; imperio firmando, quoniam nouitate nutabat, & ex eo multis in Africa bellis implicitum, nouus ex Hispania nuncius ad expeditionem maturandam impulit. Mahomad Granatæ Rex, pro gentis ingenio utilitati potius quam religioni fideique seruiens, quamprimum ab Alfonso Regis complexu fœdere firmato Hispali discessit in patriam, bellum instaurare Bæticamq; occupare vniuersam cogitauit, maius fortuna & viribus facinus. Dolebat eo reliquias gentis esse redactas, vt vix haberent vbi pedem in Hispania ponerent, idque precario, & annuo vectigali imposito. Malacitanos & Gurdixenses Alfonso Regis præsidio tutos, moliri hostilia non desistere: neque dubituros nouo bello lacessere cum primùm induciarum tempus exiisset. In eam cogitationem intento haud satis virium erat aduersus Alfonso Regis, quamuis absentis potentiam opesque. Marrocius Rex ad armorum societatem inuitatus, vir ea tempestate magnus, insignisque militari gloria. Venisse tempus vliscendi iniurias. Non ignauia magna imperia contineri. virorum armorumque faciendum certamen. Regnorum iura in viribus & potentia esse. Sua retinere priuatam laudem: de alienis certare id demum magnorum Regum munus esse. Lacessendos in Africa, nisi lacessierint: reliquiasque Mahumetanæ gentis texerint in Hispania. Quanti æstimandum, dum eam prouinciam subigerent in alio quodam modo orbe trophæa statuere, victoriæ gloriæque: vno impetu atque victoria vna Europam & Africam committere. His commotus Marrocius Rex bellum in Hispaniam statuit. ingentes delectus tota ditone habiti. nauium, militum, armorum apparatu strepere omnia. Nihil æquè fatigabat quam pecuniæ conquisitio: & ne re prodita nostros ad defendendum bellum vindicandasque iniurias paratos inueniret. Vtraque de causa Iacobum Regem Aragonium per legatos sollicitauit, vt pecuniam mutuam mitteret. regulum Maurum

30

40

T t ab

res, ab auctoritate rebellantem scilicet, Septam urbem occupasse. propter locorum opportunitatem, quoniam freto Herculeo adiacet, utriusque nationi fore id nisi occurreretur exitiale. malè coercitam famam, ut in rebus magnis suppressores augebant. Itaque neque Aragonius pecuniam misit, neque Castellæ proceres de sua comparatione aliquid propterea omiserunt: tametsi segniter cuncta administrabantur Alfonso Rege absente, Ferdinando filio Burgis, quo illustrato regno peruenerat sese tenente. Missi igitur in primis ex Africa qui Algeziram & Tartessum nomine Marroci Regis Granatensi, ut conuenerat, dedente obtinerent, belli quod parabatur sedes arcesque. deinde in Hispaniam numerosæ Afrorum copiæ transmissæ. decem & septem millia equites, peditum 10 numerus memoriæ non est proditus. ingentem fuisse res ipsa indicat, & magnitudo conatus. Prima cura fuit gentis inter se conciliandæ veteri dissidio sublato. Marroci Regis auctoritate Malacitani & Guidixenses cum Granatæ Rege conciliati sunt. Consilio de summa belli Malacæ habito, diductis copijs, ne sua se multitudine impedirent, & ut maius operæpretium esset, placuit in nostros fines incurrere. Marrocius Hispalensem agrum inuadit: Granatensis Giennenses fines impugnandos euastandosque sumit. Nunnius Lara monito Ferdinando Principe ut quamprimum & quam maxima posset auxilia mitteret, quoniam res moram non recipiebat, raptim delectu habito Astigim petit: quo Marrocio transeundum erat munitiorem urbem, quàm ut primo impetu capi posset. Ex vicinis urbibus nobilium ad eum concursus factus est, periculi fama, & Nunnij litteris excitantibus: prorsus ut eorum multitudine confusus, & ne timoris suspicione animos barbaris adderet, urbe egressus, cuius se munitione tueri potuisset, hosti obuiam progredi non dubitaret. Commissum prælium, in quo Maurorum acies inclinata initio, sua tandem multitudine vicit. nostri cæsi fusique sunt. Nunnius ipse Dux in acie cecidit. equites ducenti quinquaginta, pedites ad quatuor millia trucidati. urbis propinquitas cæteris perfugium fuit, incitamentum nonnullis, ne supremo conatu virtutis specimen ederent. Nunnij caput acris ante viri, manuque strenui ad Regem Granatæ missum: ingratum barbaro spectaculum propter memoriæ prioris amicitia, & quoniam eo auctore regnum se obtinuisse recordabatur. Missum itaque Cordubam, ut cum trunco compositum sepulture mandaretur. salutis anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense Maio insignis ea clades accepta vniuersam prouinciam mœrore compleuit, non ignominia tantum præsentis cõtemplatione, sed etiam maioris periculi metu. Tametsi Astigi urbe victor & exultans barbarus potiri non potuit. id doloris leuamen erat, & melioris spei initium. Sanctius Toleranus Præsul eius cladis nuncio percitus Toletis, Madrito, Caraca, Elboraq; equitatu omni contracto, magnis itineribus in Bæticam abiit. Granatenses Mauri, Giennenses agros populari, pecora abigere, hominum cædem facere, villas vicosque incendere, nullique omnino rei parcere in quam ferrum flamma ve sæuire posset. Hos Sanctius iuuenta feruens, & paternos spiritus referens aggredi statuit, prædaque omni spoliare, maiori audacia, quàm consilio. Cum enim Lupum Harum cum non contemnenda manu aduenientem propediemque affuturum saniores expectandum iudicaret: neque

sine eo totius certaminis subeundum discrimen: vicit tamen eorum sententia, qui victoriæ gloriam Lupi, si expectaretur, omnium opinione futuram esse disputabant. Dignitatis specie exitium comparatum. Commissa pugna, nostros minori numero, neque bello satis strenuos Mauri conuerso agmine facile superarunt, veterani milites, magnoque usu rerum militarium. fœda fuga fuit, minor tamen quàm pro victoria cædes. Sanctium ipsum captum (cum barbari disceptarent utrius Regis futura ea præda esset, & res ad arma spectaret) Atarius Malacæ regulus adacto in eius humerum ense transuerberauit. Absit, inquit, ut de vnius canis capite, tot viri principes, cum discrimine salutis ferro dimicent. Occisi caput & sinistra manus pontificio annulo insignis obruncata: eo maiori acceptæ cladis dolore, quod barbari si patientia esset adhibita, deleri ea parte potuerunt. Lupus enim cum sua peculiari manu in certamen ingressus, quamuis victoria exultantes Mauros, eximia virtute compressit. vincere omninò non potuit noctis superuentu. Sanctij Præsulis corpus, manusque & caput multo auro redempta, Toleti in sacello regio, tumulo sunt composita: vbi Alfonso Imperator, atque eius filius Sanctius, cognomento Desideratus, sepulti erant. Successit Ferdinandus Couarruius Abbas. & hoc sexto post anno amoto, Romani Pontificis iussu, cui electionem probare nunquam potuit, Gonsalvus eo nomine secundus, Conchen- 20 sis prius, deinde Burgenis Episcopus, ad ecclesiæ Toletanæ curam deinceps accessit. hunc nonnulli Cardinalem fuisse affirmant. Affirmat Onuphrius. Romæ in D. Mariæ Maioris marmoreum sepulcrum extat, ut fama fert eius, hac inscriptione. HIC DEPOSITVS FVIT QVONDAM DOMINVS GONSALVVS EPISCOPVS ALBANENSIS. OBIIT ANNO DOMINI. M. CC. LXXXVIIII. Gemina clade fœdum annum Ferdinandi Principis obitus insigniorem reddidit, ad Villam Regiam ex morbo mense Augusto defuncti: cum ad bellum Mauricum accurrisset, & militares copias in eo municipio expectaret. defuncti corpus ad Olgas sepultum est. Eius obitus luctum ingentem in præsentem attulit, grauiam in futurum certamina: 30 cum Sanctius frater ætate proximus regni successionem ad se deuolutam contenderet, Alfonso Regem superstitem proximo cognationis gradu attingentem. Tametsi Ferdinandus ex vxore Blanca geminam prolem reliquit Alfonso & Ferdinandum, Ioannis Laræ (Nunnij is filius fuit natu maximus) fidei sub ipsam mortem enixè commendatos. Sanctius ut erat vuido ingenio & in quancunque se partem dedisset industrius, in eo reipublicæ discrimine bello Maurico se Ducem præbuit: eiusque virtute & diligentia hostium audacia repressa est, præsidij pluribus locis dispositis vniuerso certamine detrectato: ut impetus cum quo barbari venerant, mora confenesceret. quod salutare consilium fuit. Moti & Valentini Mauri nunquam fidi, tunc sine metu ob Regis Iacobi ætatem, pleni que fiducia ob res in Bætica patratas. Initia quidem belli quieti speculabantur: vbi vicisse suos nunciatum est, ad arma communicanda excitati sunt: passimque Maurorum in agro Valentino coniurationes factæ. tametsi Petrus Aragonius Princeps patris iussu in Marciz fines inuectus, cum manu militari Almeriæ agros incen-

dijs & direptionibus deformat. Rex Vasconum nihilo quietiores per idem tempus fuere. Philipus Galliarum Rex cum Ioannam puellam filio destinasset Philippo, cui Regi Pulchro cognomen fuit, Stephanum Belmarcham natione Gallum Vasconibus præfecit, Petro Montacuto exauctorato. In homine externo satis auctoritatis non erat ad eos tumultus sedandos, qui factionum studio excitati erant: præsertim cum Petrus Montacutus dolore contumeliæ, & Garsias Almorauides qui semper Regum Castellæ studiosus fuerat, se factiosos duces præbuisent. Intra ipsam urbem Pompelonem tumultus concitati, & pars cum parte confligit: tanta contentione atque crudelitate, ut prædia inuicem vrerent, filiosque infantes alliderent: maiori eius partis damno, quæ Gallos sequebatur. Ipsum Petrum Montacutum quietis studio, aliorum impulsu ad Gallos propensum, & de transitione cogitantem, factio aduersa re cognita interemit. indignum ea calamitate ob eas virtutes: quibus nemo ea tempestate instructior cuius est habitus, nobilis idem, ac diues, forma, prudentia, viribusque corporis præstans.

*Iacobi Aragonij Regis obitus. Cap. II.*

1276



**S**VBSEQUENS annus à Christi ortu millesimus ducentissimus septuagesimus sextus, trium Romanorum Pontificum obitus extitit insignis, Gregorij, Innocentij, Hadriani, Innocentij pontificatus breuissimus fuit, ac mensium quinque & duorum dierum. Hadriani dierum triginta septem. In Hadriani locum Ioannes successit eo nomine. XXI. ciuis Olisiponensis, magno vir ingenio, studijs litterarum doctrinæque præditus, dialecticæ præsertim ac medicinæ, ut libri editi indicio sunt, Petri Hispani titulo, quod illi nomen in priuata fortuna fuit. Extat de re medica liber eius, qui thesaurus pauperum nuncupatur. vita haud multo, quam prioribus diuturnior contigit. octo enim mensibus, & diebus octo cum pontificatum tenuisset, tecti conclauis ruina Viterbij oppressus est, Nicolao. III. ex Vrsinorum gente successore. Quo tempore intestini belli semina in Castella iaciebantur. Sanctius Princeps procerum & populi studia promereri non desistebat blanditijs, comitate, liberalitate: quas virtutes cum in patre Rege populus desideraret, eum inensum habere cœperat. Aucta inuidia ex protectione Gallica intempestiuè suscepta, nulloque operæpretio. ac fere cui fortuna aduersa est, eum hominum studia destituunt. vulgus nouarum rerum cupidum, simul & pavidum: proceribus quibusdam parata seditio, apud integros dissimulatio erat. Lupus Harus, in quo tantum auctoritatis erat, Cordubæ Sanctio conciliatus est. Cum Mauris quorum iam impetus resederat, duorum annorum induciæ pactæ. Rex Marrocius foedere constituto Algezira, vbi se tenebat, in Africam cum copijs transmisit: Sanctius Toletum festinauit. Patris salutandi, atque cum eo consilia de republica conferendi species erat, paulò ante ex Gallia per Valentiam, Conchamque in patriam reducis: sed maior cogitatio inerat, consensu patris & procerum, successionis firmandæ. Actum de ea re ministro sermonum Lupo Haro. quod initio Alfonso pater

agrè

agrè tulit, se superstitie de regni successione intempestiuè agi: nepotes prætermitti iure publico iniquum esse videbatur, priuatis certe affectibus, quibus eos complectebatur, contrarium. Emanuelis tamen fratris consilio, qui iam totus Sanctij erat, eius controuersie diiudicandæ causa, regni conuentus Segobiam urbem indicti sunt. In ijs conuentibus re vltro, citroque iactata secundum Sanctij iura & postulata pronunciatum est, opinione anticipite iure ne, an iniuria. Vicit sanè publicæ vtilitatis respectus, & tranquillitatis studium. neque enim Sanctius si repulsam tulisset, quieturus videbatur: & erat ætas idonea, ingeniumque, & indoles rebus communibus gubernandis. Atque hæc in Castella. In Aragonia autem Iacobus Rex Maurorum motibus, aut consilio sedandis, aut vi comprimendis operam dabat: Valentinoque tractu vrbes & oppida pererrabat, in vnam eam curam intentus. multis locis varia fortuna dimicatum: atque ad Luxenum, quo tempore Rex Setabi erat, insignis clades accepta est, foedaque nostrorum cædes facta: profus ut eum diem Martis scilicet, malè ominatum, infastumque vulgus vocare cœperit. cecidit in conflictu Garsias Ruizius Asagra, Petro natus Albarracini regulo, nobili ea tempestate Principe. captus templi Promagister. hostium contemptus semper in bello exitialis, malo fuit. Rex ex ea calamitate mœrore conceptio, fractoque multis laboribus corpore, nouoque morbo tentatus, belli cura Petro filio relicta, Algeziram abiit, Valentini agri oppidum: vbi ingrauescente morbo ac salute desperata, filio salutaribus præceptis coram castigato, regnum de manu tradidit. Ipse Cisterciensem vestem induit certus ad Populetum cœnobium, quo se loco humari volebat, reliquam vitam exigere. Obijt tamen Valentie Iulij die vigesimo septimo, fama ob magnitudinem rerum gestarum immortalis, vir verè magnus, præcipua religione: cuius studio ad duo millia templa extructa fuisse memorantur. dedicata arbitror ex ritu Christiano Maurica superstitione expiata. Militiæ laude cum quouis veterum Ducum comparandus trigesies cum Mauris signa contulit, secundo semper præliorum euentu: vnde Præliatoris nomen tulit. tres & sexaginta annos regnum tenuit, vna tantum libidinis licentia ad posteritatem deformatus. Ex vxore Violante Petrum & Iacobum suscepit, Isabellam Galliarum Reginam, Violantem Castellæ, præterea Constantiam Emanuelis vxorem. Maria, & Eleonora in minori ætate decesserunt. ex Therasia Egidia Vidaura, Iacobum Exericæ, & Petrum Aierbis regulos genuit. hos iustos filios esse pronunciauit: atque regni hæredes substituit, Violantis filijs sine hærede, si contingeret, defunctis. Fœmina alia ex Antilonia familia, Ferdinandum Sanctium, quem à fratre occisum fuisse monstratum est, peperit. Berengaria Petrum Ferdinandum, cui Ixar oppidum donatum est. Ex his nobilissimæ familie in Aragonia propagatæ. Violantis, Constantiæ, & Isabellæ filiarum prolem masculam quatuor filijs, ad regni successionem substituit, ea lege, ne fœminis ad regni vnquam hæreditatem esset aditus. Maurorum gentem nunquam satis fidam, regni finibus uti pelleret, filio mundauit. quod vtinam præceptum, tum ea ætate, tum consequenti tempore

T t 3 à nostris

à nostris Principibus tempestiuè esset executioni mandatum. gentis efferæ obstinatio nulla arte vincitur, perfidia nullis meritis mitigatur: neque argumentis cedit, neque auctoritati. Petrus à morte patris Regis nomine tantisper abstinuit, ac regni se tantum hæredem in publicis tabulis scribebat, dum infulas & coronam acciperet: quod Valentinis motibus compositis Cæsaraugustæ Nouembris die sextodecimo factum est. Is honor vrbi nobilissimæ, atque elegantissimæ est habitus. Regina vxoris capiti corona etiam est imposita: proceresque sacramento adacti, in Alfonsi pueri verba iurarunt, defuncto Rege patre non alium hæredem regni futurum. Iacobo noui Regis fratri, uti pater testamento sanxerat, & uti superius est indicatum destinasse, Baleares dati Regis nomine sunt, adiunctis Ruscinonensibus & Mompellerij principatu. ex quo Iacobus, Sanctius, Ferdinandus & Philippus filij sunt nati. Ex hac ditionis Aragoniæ partitione suspiciones inter fratres natæ sunt: quæ in apertum bellum proruperunt. Dolebat Iacobus Valentinus esse detractos, quos à patre ante dono acceperat. fratris beneficiarium esse factum intolerandum videbatur. ira & ambitione in præceptis ferebatur.

*Vasconum motus compositi. Cap. III.*



ASCONES nihilo quietiores erant, intestinis motibus obstudia partium identidem inter se tumultuantes. Philippus Gallie Rex noui regni patrocinio suscepto, ad eos motus accedere statuit, numerosis copijs septus, in quo anni tempore, & Pyrenæi iugis quæ transeundum erat, copiosa niue rigentibus. accedebat annonæ difficultas ob locorum sterilitatem. quibus difficultatibus permotus, ipse quidem retrò iter conuertit: cum copiarum parte maxima & validissima, Carolus Atrebatensis, in quo auctoritas inerat, quod Ioannæ Reginae esset auunculus, in Vasconiam amandatus breui operæpretium fecit. Aduersa factio ad Reniegam oppidum occursum Francorum malè mulctata, intra eam Pompelonis regionem, cui Nauarrerix nomen est, sese ad præsidium receperunt. Inde prementibus Gallis Garsias Almorauides factionis dux, eiusque necessarij silentio noctis egressi per neglectas custodias, peruia, inuiaque, qua quemque aut consilium aut terror tulit, ex vniuersa ditione perfugerunt. Nonnulli Sardiniam ex fuga petierunt: vbi domicilio constituto, posteriori eorum ad nostram ætatem manent. Vrbs regia vi capta, incensaque ab hostibus est. qui cladi superfuerunt aliorum exemplo castigati conquievere. multi perduellionis lege postulati, cum die dicta non comparerent, de maiestate damnati ex patria discesserunt. Atrebas compositis Vasconum motibus, & reipublicæ pace fundata Alfonsi Regis accitu in Castellam venit. benignè habitus, atque magnificè cultus est, nimirum propinquus sanguine, atque ex eo magna inter vtrunque sermonum familiaritate: prorsus ut Rex Alfonsus haud deesse sibi in Francorum regia quorundam studia diceret, qui arcana Regis & procerum renunciarent. Ea siue verò dicta, seu simulatè ad tentandum Atrebatensium animum, altè in eius pectus descenderunt.

Bro

Brochiusque, qui Regi Gallo à cubiculo erat, suspectus haberi cœpit. Auxere suspicionem litteræ ab eo, ad Castellæ Regem insolentibus litterarum notis interceptæ, tabellario in itinere defuncto. Itaque de illo, dicta causa, supplicium est sumptum. verum hæc aliquanto post. Violantes Castellæ Regina cum nepotum ætatem, in quos potissimum erat propensa, ludibrio esse videret Sanctio prælato, neque satis ab eius iniuria tutam, vsque ad eod omnia iura peruertit exitiabilis imperandi cupido, fugam meditata, Regem Aragonium fratrem suum per speciem colloquij Hortam cœnobium ut veniret, perfecit. Regnam nepotes honoris specie comitabantur. cum illis in Aragoniam abiit Alfonso nequicquam, cum res esset indicata, prohibere conato dolenteque: ad eod ut nulla sui propria, regni que clade moueri magis potuisset. Regis iracundia in eos vertit, quos discessus auctores Reginae fuisse credidit. Fridericus eius frater, Simon Ruizius Camerorum regulus multarum vir imaginum priscaque nobilitatis Burgis, quo se Rex & Sanctius Segobia contulerant, comprehensi sunt. (nimirum concussa regia dissidio pro pueris studia multorum erant) Ruizius Treuigni igne combustus Sanctij iussu. Fridericus Burgis gulam fregit, magna inuidia noui principatus, cuius id primum specimen erat: ac illud maxime, quod indicta causa damnati essent, ut quisque interemptos aut sanguine aut amicitia contingebant, plerique vituperabant. Cæterum inuidia in occulto erat, palam dissimulatio. missæ inter Reges legationes. Castellæ Rex vxorem ad se mitti petebat, Sanctij electionem probari. Excusabat Aragonius, nondum diuiduata causa: omnibusque nedum forori in suo regno perfugium esse paratum disputabat, moturus in Castellam arma (sic quidam existimabant) ni Valentini Maurorum motus detinuissent: qui Marrocijs Regis aduentus fiducia ab imperio rebellantes Montesium occuparunt. Ij motus faciliorem opinione exitum habuerunt, cum Mauri spe Africani auxiliij destituti, Montesium aliasque plures arces Regi dedidissent, mente Augusto, salutis anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo. Quo tempore Alfonsus Rex Burgis Hispalim venerat, vnde numerosa classis, validæque copix ad Algeziram obsidendam mari terraque missæ sunt. nostrorum animos eius belli cura in primis sollicitabat: ne Afri propter locorum vicinitatem, sedem adepti in Hispania nostris littoribus nimium assuescerent. Cæterum conuersis ad ciuilia dissidia animis externa haud in magna cura erant. proximo ineunte vere, Petrus Regis Alfonsi filius cum validis copijs ad eius vrbs oppugnationem missus, nullo operæpretio factus, cum ignominia, damnoque discessit. classis etiam nostra nautis & milite vacua, aduentu Marrocijs Regis dissipata, oppressaque est. milites aliò, atque aliò dilapsi. Ea tempestate nouam à Rege Marroccio Algeziram edificatam esse, qui affirmant auctores suppetunt, modico certè a priori interuallo. Iacobi Regis corpus Valentia, vbi ad aram templi maximi compositum erat, Populetum translatum est adulto vere. inferiæ defuncto, concursu procerum iussu noui Regis Tarraconem factus splendidè data.



**V**IOLANTIS Regina discessu, Castellæ, atque Galliæ Reges pro pueris solliciti esse cœperunt, pari cura, studio non eodem. Alfonso quidem Rex in Galliam, vbi innocenti & teneræ ætati paratum præsidium erat, ne aufugerent providebat, Sanctio præsertim filio impulsore: qui munificentia animi, ingenij solertia, morumque comitate, procerum & populi voluntates promereri pergebat: seque ad omnes casus virtute, diligentia, calliditate comparare. Gallo autem Regi cura erat ne in patris potestatem redacti salutis, libertatis certè periculum adirent non ignaro, naturam mortalium ambitionem, & præ imperij cupiditate in crudelitatem pronam esse. missæ vtrinque ea de causâ ad Aragonium Regem non semel honestissimæ legationes. Quod illi gloriosum erat, totius controuersiæ, quasi arbitrum à potentissimis Regibus, ad faciendum fœdus inuitari. vtrunque suspensum teneri pueris retentis, Aragonij rationibus commodissimum. re igitur agitata vt Violantes Regina ad virum rediret, pueri in Aragonia manerent visum est, sublata discedendi quo vellent libertate. Setabi in arce custodiæ mandati. Graue id decretum Blancae matri fuit: vbi præsidium esse debuit, ibi dolos tendi, nouaque fraude adimi libertatem. Ipsa in Aragoniam profecta cum nihil impetraret, Regis auribus ad eius preces obturatis, quid fama loqueretur nulla cura præ utilitate priuata, in Galliam irata abiit ad Regem fratrem, in Castellam & Aragoniam Gallica arma motura, nisi esset obtemperatum. Vasconum Regni possessio, quoniam vtrisque fines contingit, bellum parantibus Gallis commoda erat. Aragonius Rex, & Sanctius Princeps periculum veriti, & vt se mutuis auxilijs iuuarent, de rerum summa collocuturi loco designato, Requenam inter & Bugnolium conuenere ad quartumdecimum Septembris diem, salutis anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono. Mutuo colloquio deterisæ simultates, amicitiaque & fœdus firmata. Inde digressi Petrus quidem Aragonius in Catalauniam abiit, procerum motibus tumultuantem. tametsi paulo ante Armengaudus Aluari filio Vrgeliæ principatus tanquam beneficiario datus erat, in Fuxensis auunculi gratiam, cuius ijs motibus concitandis præcipuæ partes erant, maiusque quàm cæteris studium. captus is ad Balaguerim urbem abs Rege, diu Ilerdæ in custodia fuit. Sanctius autem ad patrem abiit Pace Augusta se tenentem, quo Hispali profectus venerat: vt Dionysium nepotem Lusitanum Regem officij causâ complecteretur, & Alfonso fratri conciliaret: quem paterna hæreditate pellere correptis armis conabatur, alias ex alijs simultatis causas neçtens: haud leui inuidia populorum, cum ab hoc initio regnum inchoaret, sub initia huius anni defuncto patre Alfonso Rege Olisipone, atq; ad Dominici, quod ipse cœnobium in ea vrbe cõstruxerat, sepulto. Sanctius salutato patre ad delectus militares habendos tota diuisione continuò dimissus est: bellumq; comparandum aduersus Regem Granatæ, arce Granatensi præcipuè nobilitatis & amplitudinis ædificanda per idem tempus distentum, cui Alhambrae nomen est, pulcherrimæ atq; amplissimæ. & erat Maurus earum elegantiarum non minus quam rei militaris peritus. Belli inferendi causâ

causâ inter finitimos Reges deesse non possunt. Eum Algeziræ bello, Marrocijs Regis conatus iuuisse arbitror: atque ex ea re offensis nostrorum animis inito paulò ante cum Africanis fœdere Granatenses comprehensi non sunt. Dionysius Lusitanæ Rex, an auo diffusus, vt sunt incertæ & inconstantes mortalium voluntates, an quia fratri æquiores fore putabat: & ferè in omni certamine qui potentior est, quamuis optimo iure nitatur, iniuriam tamen videtur facere, Helbes quamuis progressus duodecimo à Pace Augusta lapide retrò conuertit iter repente mutata voluntate. Ea leuitate quantopere Alfonso Regis animus fuerit offensus dicere non attinet. Verùm cum colloquij spes sublata esset, Hispalim iratus discessit. Quo tempore Gunradus Lanca pro Rege Aragonio maris Præfectus magnaque apud omnes auctoritate, quoniam Constantiæ Reginae propinquus erat, classe comparata instructaque decem longarum nauium, Africae littora ad Tunctum præsertim, & Tremesenum tentauit: quod eæ vrbes vectigal ante impositum aliquot annis pèdere recusassent. auctor quidam Mirabusarem à fratre pulsum eius ope regno Tunctano redditum fuisse affirmat. Conuenit multam inde prædam abactam: decemque Marrocijs Regis triremes ad fretum Gaditanum obuiam factas, nauali prælio captas, submersaque. Ab Aragonio Rege Iacobus eius filius ex concubina ortus Segorbij principatu mensè Nouembri, Valentia vbi se Rex multum tenebat, donatus est. In Castella studia prouincialium in Sanctium indies magis accèdebantur, maiusque quàm quod gerebat agitare animo facinus plerisque videbatur, & fratris filijs deiectis spe regni, parentis ætatem in senium præcipitem ludibrio habiturus, per socordiam nihil minus cogitantis, notaque pariter & occulta filij consilia ignorantis. Is proximi anni millesimi ducetelimi octogesimi ætate inchoante, exercitu comparato in Gienneses abiit: nouisq; quas pater Hispali misit copijs auctus in Granatæ fines ingressus peruastatis passim agris, in ipsius vrbs conspectum se dare non dubitauit. villæ incensæ. hominum & pecorum prædæ abactæ. Cordubam deinde reditum. inde patrem Hispalim comitatus est, ex rebus prosperè gestis aucta tum gratia, tum auctoritate: quæ illi quàm belli Maurici propior cura erat, propter factionum studia. Philippus Galliæ Rex de pueris sollicitus, eos in libertatem asserere, & rescisso priori decreto auo Regi substitui postulabat. missi ea de re ad vtrunque Regem legati, vt non hostiliter statim, quia non desperabat voluntate ipsos æquissimis postulatis benignas aures præbituros, ita si frustrarentur spem nihil eorum, quæ ab hoste expectari possent Gallos prætermitturos. Regi stare sententiam, innocentem ætatem omnibus opibus tegere. verùm cum neque minis, neque precibus nostrorum animi mouerentur, placuit tandem à tribus Regibus fide accepta, dataque in colloquium descendendi, atque de omnibus controuersijs coram agere. Eo consilio Rex Gallus Saluaterram accessit, Baionam Castellæ Rex in Tarbellis sitam in finibus Aquitaniæ. Vt coram de conditionibus disceptarent, Sanctij astu impeditum est, ne à patre in nepotes haud obscure propenso aliquid contra suam dignitatem impetraretur. sermonum tantum minister Carolus Tarenti Princeps Siculi Regis filius vltro citroque vti commearet impetratum. neque quidquam tamen perfectum est, cum omnia consilia Principum Sanctij artibus eluderentur.



tur. tamen si æquissima petere Galli videbantur: Alfonso puero Giennium urbem Regis nomine dari, ut Regum Castellæ beneficiario. Soluta eo conuentu Gallus & Aragonius Reges Tolosam inter se collocaturi conuenerunt, nihilo maiori, quam priori colloquio, operæpretio: prorsus ut Regem Gallum ludibrio habere viderentur. Mompellerij tantum principatum, quoniam de eo controuersia erat, Rex Gallus iureiurando est pollicitus se Iacobo Baleari Regi relicturum. gratissimum Sanctio Principi accidit Regis Galli opera, tantaque contentione nihil à Regibus, quod ad puerorum quidem commodum pertineret, esse impetratum. patris tantum inconstantiam verebatur ne ætatis commiseratione ad nepotes respiceret: nam mutatæ voluntatis non leuia extabant 10 indicia: multique qui Principum offensas acriter speculantur, Alfonso Regem varijs criminationibus in filium concitabant. cum reipublicæ procuratorem vniuersam occupasse. omnia pro arbitratu inuertere. Regis auctoritatem contemptui habere. Erat Alfonso ingenium varium, flexibile, multiplex, pudenda actionum inconstantia, cum ætate effecta maior. Sanctius prouisa tempestate externis auxilijs se munire statuit, atque Aragonium Regem sibi omni conatu conciliare. Misi ad eum legati, primum Gonsalvus Gironius D. Iacobi Magister, deinde Montisferrati Marchio. legationis summa erat, ut de rebus magnis collocaturi conuenirent. Agredam inter & Turiasonem, ad oppidum cui Campillio nomen est, Reges conuenere Alfonso, Petrus, & Sanctius, sexto 20 Kal. Aprilis, anno millesimo ducentesimo octogesimo primo. inter utranque gentem foedus factum, eosdem amicos inimicosque futuros. ei, qui prior amicitiam violasset, argenti sedecim millia pondo, multæ nomine indicta. Nonnulla oppida Aragonio data Palasuelus, Tharasia, Xera, Aiora. Emanuelli Alfonso Regis fratri, cuius ea oppida erant, Escalona municipium eorum permutatione, donatum est. Hæc palam. Ex arcano autem regnum Vasconum communibus armis inuadere, atque occupare sancitum: finesque designati, quam quisque partem rebus patris obtineret. Præterea Sanctio datum est, ut pueri Setabi in arce diligentèr custodirentur. Quæ ut rata essent, & ut amplius Aragonium Regem sibi obstringeret, Sanctius soluto conuentu cum Agredam 30 comitatus est: Vasconumque regnum defuncto patre Aragonij iuris integrum fore est pollicitus: præterea de suo Requenam in Conteltanis & Requenæ contributa oppida. usque adeo inter metum & spem animus fluctuabat, ut securitatem magno redimere pudori non esset. Ioannes Lara, quem illis temporibus grauem & potentem virum inuenio, Albarracinum obtinebat, Therasiæ iunctus connubio Aluari Asagræ, quondam Albarracini reguli filia, Petri neptis ex eo. inde propter loci firmitatem Aragoniæ, & Castellæ finibus imminebat, utrinque prædas agere solitus, perugioque esse omnibus, quicumque ab utroque Rege essent alienati. ac nominatim Lupus Harus ea potentia regulus, ad eius urbis præsidium confugerat Castellæ Regi cum primis infensus. Eius urbis occupandæ Laræque euertendi consilia inter sese Sanctius & Aragonius Turiasone communicarunt. Alfonso Rex Burgos profectus filiorum, Petri & Ioannis celebrauit nuptias. Petro Narbonensis reguli, Ioanni Marchionis Montisferrati filia iunctæ sunt. nihil maioris rei tot Regum colloquijs, tantisque mo- 40 litionibus

litionibus est factum: Hispaniæque quamuis in præsentia pacatæ sæuissima aliqua tempestas imminere videbatur, ob alienatas commotasque omnium ordinum voluntates.

*Sanctius in patrem rebellat. Cap. V.*

**S**ANCTIVM inter, & Alfonso patrem grauisimæ suspiciones sensim exortæ à paruis initijs, ut sit, in apertam simultatem bellumque prorupere. Alfonso ægrè erat, suam ætatem contemptui multis esse: plerosque considerabat studio teneri nouarum rerum. Itaque sancienda auctoritatis, decorisque cura, collecta militari manu in agros Granatenses populabundus irrupit, ætate quamuis affecta grauis, fracto laboribus corpore. Nihil æque vexabat, atque ærarij inopia. pecuniæ redigendæ ratio aliqua quærenda erat. optima, & facillima visa est, nouum monetæ genus, tum aereæ tum argenteæ cudere immutato pondere, metallo vè permixto, retento valore: quod nisi pessimis reipublicæ temporibus vsurpandum non est. Odium certè publicè conceptum amplius accendit. præsertim cum non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectare diceretur, multosque afflictis criminibus causisque spoliassè. quæ res nulla reipublicæ necessitate excusari poterat. nihilque magis Principi studia subditorum conciliat, quàm integer iustitiæ cultus. Fredulus Ouetensis Præsul, domo Gallus, ad Philippum Regem legatus. species erat impetrandæ veniæ peccatorum à Pontifice Romano aduersus Mauros: re de liberandis nepotibus consilia communicare volebat, an ætatis innocentiam miseratus, flexusque ad humanitatem: an quod magis arbitror Sanctij odio, cuius antea metu eos regni hæreditate spoliarat. Alfonso conatus haudquaquam Sanctium lauerunt, ut nihil occulti esse in intestina discordia potest. Externis ergo auxilijs se munire certus, Cordubam abiit, cum Granatæ Rege foedus factururus tertia vestigialium parte contentus: quam conditionem Alfonso oblatam paulò ante repudiarat. Ioannis fratris opera, qui & ipse Sanctij partibus additus erat, Castellæ atque Legionis proceres aduersus Regem concitati sunt, iam pridem alienati animis, ob Alfonso Regis seueritatem, ac recenti memoria Camerorum reguli, & Friderici fratris cædem. Hæc initio anni eius seculi octogesimali secundi gerebantur. quo anno Dionysium inter Lusitaniæ Regem, & Isabellam Aragonij Regis filiam maiorem natu, ad Troncosum oppidum nuptiæ celebratæ sunt, mense Augusto. Hæc est illa Isabella quæ virtutum merito, & ob insignem pietatem, in cælitum numero locum habet: eiusque memoria anniuersarijs sacris in Lusitania celebratur. Dionysius Sanctij dexteritate in partes attractus foedere factus est, ob iram credo aliquam in auum conceptam, aut maioris præmij spem. Alfonso Rex cum ætatis inclinatione, parum animo providebat, pro ingenio hominum hoc quoque nomine prauo, quod in suis quisque periculis, quàm in alieno negotio imprudentior est. obstat metus, cupiditas, amor. Comitia regni Toletum indicit, si quo modo sine armis filij, & procerum mentes sanari possent. verum dum media, pacataque consilia sequitur.

tur, neque cauit, neque ausus est satis. Nam Sanctius contra procerum fauore fretus, aduersus patris conatus Vallisoleti regni conuentus agit, frequentiores multo, quam apud patrem. Mariam Alfonsi Molinæ reguli magni patris filiam connubio sibi iunxit, posteritatis cura: vnde Ferdinandus natus maior alijque filij sunt nati. procerum arbitrio omnia acta: omniaque à Sanctio concessa quæcunque priuatim aut publicè postulare ausi sunt. maioribus in futurum promissis onerati. Ea via conciliandis omnium ordinum voluntatibus optima fore visa est. Noui delecti magistratus, nouæ leges sancitæ. quantum quisque viribus & auctoritate valebat, tantum sibi è republica arrogabat. Inuasit defectionis tabes etiam popularium motas iam mentes: isque habitus animorum fuit, vt facinus ingens auderent alij, plures vellent, omnes ferme pate-  
rentur. neque deerant qui Sanctium, Regem, patrem patriæ salutarerent, & omnia principatus nomina inter faustas acclamationes deferrent. quod ille constanter renuit, passurum se negans patri superstiti regium nomen, honoremque detrahi: seu ingenij modestia, inani appellatione cum omnia pro Rege ageret repudiata, siue vt cunctando studia magis inflammaret. Emanuel sanè patruus suo & aliorum procerum nomine, Alfonsum publica sententia in conuentu pronunciata, regno priuauit: ea calamitate dignum, quod diuinæ prouidentia opera, & humani corporis fabricam insigni linguæ procacitate, ingenijque confidentia accusare ausus fuerat: vt vulgo hominum opinio est, ab antiquo ducta per manus. vocis stoliditatem numen iustissimè vindicauit. Id fore altra memorant portendisse eius artis non ignaro: si ars est, & non potius inane mortalium ludibriū, quod à prudentibus semper accusabitur, & semper tamen patronos habeat. Ex eo ferunt suspicacem esse redditum, atque ex metu crudelem magnam eius odij partem concitasse, quæ illi calamitati fuit. Sanctij Principis nuptiæ Toleti peractæ, apparatu non magno quippe in ipso belli ciuilibus procinctu. Alfonsus in timore inter studia suorum destitutus à Marrocio Rege opem mutuamque pecuniam petere est compulsus, regia corona barbaro oppignerata. Alfonsus Gusmanus Sancti Luciferi regulus Alfonso Regi iratus sese Marro-  
cium contulerat. de causa non constat, sed in magna tamen apud Regem barbarum erat auctoritate Maurici exercitus Dux. Extat ad eum Alfonsi Regis litteræ in calamitate supplicis, extremum malorum: quibus hortatur, vt veteris amicitia suæque nobilitatis memor, immemor iniuriæ opem rebus asperis ferat: pecuniamque atque copias militares in auxilium mittendi pro ea gratia, & auctoritate, qua valebat maximè, auctor existat. eius beneficij memoriam perpetuam fore pollicetur: iubetque summa omnia ab eius beneuolentia expectare. Rex barbarus spe plenus ex intestinis nostrorum motibus, sui commodi occasionem oblatam, plus etiam, quam quod petebatur deferens Alfonsi Regis voluntate Algeziram traiecit: atque in Zahara regni Granatensis oppido Alfonsum Regem ad se venientem excepit, magna vtrinque beneuolentiæ significatione. altior sedes Alfonso est data. is honos hospiti habitus, & quoniam Alfonsus ex Regum progenie ortus, & in regni spem a prima ætate educatus, dignitate maior erat ipsius etiam Regis barbari confessione. mutuo colloquio de belli summa deliberatum, quoniam pacis consilia non processerant. Hispalis

in

in Alfonsi fide erat. Corduba partibus infecta Sanctium secuta est. Eam urbem Mauri, Bæticæ agris primum euastatis obsidendam sumpserunt. Affuit Alfonsus Hispali suorum manu contracta. vrbs virtute ciuium, Sanctijque diligentia, qui hostium aduentum celeritate occupauerat, fortiter defensa est. Maurus vigesimo obsidionis die, quoniam properanti festinatio quoque tarda erat, dimissa vrbe, Alfonsoque annuente, saltum Castulonensem superauit, atque ad Montielem agros populatus, multaque præda abacta (is ciuilibus dissidij fructus fuit) Astigim redijt. Inde Alfonsus cum indicatum esset, eius capiendi barbarum consilia agitare, Hispalim vnde venerat clam se subduxit. veræ ex-  
delationes fuerint, an falsæ in ambiguo fuit, magno sanè dolore Regis Mauri accidit fidem suam apud Alfonsum sigillatam: prorsus vt relicta Hispania redierit in Africam, redditis mille equitibus, qui Fernando Pontio Duce Alfonsi iussu, Maurica stipendia faciebant. id signum animi non penitus alienati fuit. Ij ad Cordubam, decem millia equites obuios factos, inito certamine vicisse memorantur: tanta erat pugnandi scientia, virtusque animorum, multis bellis comprobata. Ab Alfonso Rege Hispali in publico conuentu Sanctius furiali carmine deuotus, & iure paterno diris execrationibus caput deuinctus, regni-  
que successione spoliatus est, octauo mensis Nouembris die. Sanctius neque ea religione tactus, fœdere cum Granatensi Rege instaurato, ad omnem  
occasionem intentus circum Gordubam & ipse morabatur, & copias in hiberna distribuit.

*Ioannis Prochita in Gallos coniuratio. Cap. VI.*



VIT hic annus non magis Alfonsi Regis casu, & Castellæ motibus, quam Ioannis Prochitæ coniuratione nobilis. Is insulæ sibi cognominis ad Siciliam Princeps fuit, magno ingenio vir, magna-  
que quondam apud Manfredum Regem gratia. quod ne fraudi esset, apud Gallos rerum dominos omnes occasiones euertendi vi-  
ros magnos captantes, profugus in Aragoniam abiit. Aragonij Reges Iacobus & Petrus idoneum virum nacti, per quem regnum iniuria ereptum Siciliae, atque Neapolis recuperarent, oppidò gaudentes benignè acceptum amplis possessionibus, vnde sustentaret vitam, donarunt: ac nominatim à Petro Rege in Valentino tractu Luxenum, Benisanum, & Palmam accepit. Gibellini tota Italia Francorum imperio oppressi, gentis ferocis imperio: (sic illi prædicabant) ad Aragonios respicere cœperunt, eorum ope sperantes grauissimi imperij iugum posse depelli. Vidit ea tempestate Italia, quod vltimum in seruitute erat, sermonis etiam libertate sublata Gallorum impotenti dominatu Romæ etiam constituto urbanæ præturæ specie. Nicolaus Romanus Pontifex eius tyrannidis euertendæ consilia agitabat. Edicto primum vetuit præturam Romanam plusque annuam esse, sublata etiam facultate eius magistratus gerendi Regibus, Regumque propinquis. Carolo Siciliae Regi Vicarij nomen & auctoritas abrogata (qua in Italia, quasi Imperatorum Legatusungebatur) per speciem Rodulfo Cæsari sic esse placitum. Quæ omnia tametsi ad imminuendas Ca-  
roli

roli opes pertinebant, iure excusante factum, nondum mouebantur arma. Nam  
 quod auctores nonnulli defendunt, ex familia Ursina, vnde Pontifici Nicolao  
 genus, binos Reges Italiæ destinasse, Longobardiæ, & Hetruriæ Transalpinis  
 prohibendis Italiæ aditu, fama frequentior & sensus prope omnium damnat.  
 Omnino Carolus defuncta priori vxore, Balduini Cæsaris filiam, sibi toro iun-  
 xerat: sex eoque Philippi Leuiri patrocínio suscepto, Byzantio spe imminebat,  
 Alfonso Castellæ Regem conciliare parabat, Violante eius filia Philippo in  
 coniugium impetrata. Ij conatus Aragonijs artibus elusi: & ad Campillium,  
 vbi Reges collocutos esse dictum est, cautum expressè erat, ne Castellæ Rex  
 Gallis affinitate iungeretur. Beatrix Manfredi Regis filia Constantiæ Reginæ 10  
 Aragoniæ soror, à Carolo in custodia detinebatur: neque de eius libertate ap-  
 pellatus mutare voluerat. Ea ad alias simultatis causas accedebat. Prochita ex  
 ijs rebus commodam occasionem nactus, patriam, opesque recuperandi, Byzan-  
 tium mutata veste, semel & iterum abiit. Palæologum Augustum rebus suis  
 ante timentem, maiori suspitione metuque implet: iunctis cum Gallo Rege opi-  
 bus à Carolo classem validam in eius exitum comparatam docet. Francorum  
 vires integras, Græcos domesticis factionibus debilitatos imparesque futuros,  
 „ duorum Regum conatui. Superiores victoriæ documento sint. dicere vera li-  
 „ ceat, in te superbia non cadit. in ira atque periculo regi posse magnificum. an  
 „ domi residens per socordiam expectabis, dum bello lacessant: suisque viribus, 20  
 „ & partium studijs subleuati, quod dicere perhorresco imperio deturbent? Ma-  
 „ gnum onus sustines, quod aut regendum est arte, aut sua te mole opprimet. do-  
 „ mi proprio discrimine hostes implicadi. Siculis veteris imperij memoria, noui  
 „ inuidia alienatis dux tantum ad quem deficiant potius, quam voluntas rebel-  
 „ landi deest. Aragonios Reges sollicitare non desinunt ad ferendam opem, re-  
 „ gnumq; capessendum. Pontifex Romanus Gallis infensus est. Si eorum conatus  
 „ iuueris, nã Cæsar paruo labore, impendioq; te atq; rempublicam magnis tem-  
 „ pestatibus eximes, atque in eorum caput vertes quæ in te illi moliuntur. Postre-  
 „ mò hoc in pectus tuum demitte, Francos nunquam tibi amicos fore: nam viri-  
 „ bus & potentia quid valeant ipse scis. Ad ea Cæsar quoniam vera Prochitam 30  
 „ dicere compertum habebat, auro se Aragonios conatus iuuaturum promittit,  
 „ occultè tamen ne tantæ molitiones proderentur. Ille re constituta redijt in Ita-  
 „ liam, Pontificeque Romano ad Rocam Surianam prope Viterbium conueno,  
 „ & de rebus omnibus edocto, in Siciliam se se refert, defectionis consilia cum  
 „ proceribus eius insulæ communicaturus. tanta Francorum socordia, aut confi-  
 „ dentia, coniuratorumque silentio, vt quid ageretur penitus lateret. Moritur in-  
 „ terea Nicolaus Pontifex, successore Martino. IIII. Turonensi ciue Caroli par-  
 „ tibus deditissimo: prorsus vt in eius gratiam Palæologum Cæsarem diris de-  
 „ uouerit, de impietate postulatum, quòd Romanæ ecclesiæ nollet obtemperare.  
 „ Ab Aragonio Rege Hugo Metaplana vir multarum rerum vsu ea ætate præ- 40  
 „ stans, ad nouum Pontificem legatus est, vt eius animum consiliaque exploraret:  
 „ tamen si legationis species erat Raymundi Pennafortij nomen vt consecraretur.  
 „ Renuit Pontifex, negauitque aliquid se concessurum ei, qui vestigal Roma-  
 „ næ ecclesiæ debitum pendere recusaret. præterea decumæ sacerdotiorum Iaco-  
 „ bo

bo patri a prioribus Pontificibus concessæ, abrogatæ sunt. Quæ res Aragonium  
 deterrere potuit, ad maturandam expeditionem amplius inflammauit: ne cun-  
 ctantem casus aliquis impediret. numerosa classis in Aragoniæ littoribus ædifi-  
 cata est, Africæ inuadendæ specie: vbi pulsi paulò ante Tunetani Regis à Conra-  
 do Lanfa, vt dictum est, duo filij de Constantinæ atq; Bugiæ, quas ille vrbes, re-  
 tinuerat, principatu inter se certabant. Hæc palàm iactabantur. maior tamen  
 & verior cura suberat Siciliæ occupandæ. Pontifex per oratores tanti appa-  
 ratus causam percontatur. qui cum percontandi finem nõ facerent, Rex in iram  
 concitatus: Comburam, inquit, tunicam si meorum consiliorum esse gnaram  
 10 putarem. Simile responsum Rex Francus tulit: vterque de Caroli incolumitate  
 sollicitus, cui Aragonios esse infensos compertum erat. Græcus Imperator vt  
 erat pollicitus, in belli sumptus aurum suppeditauit minimè parcè. Siculorum  
 coniuratio ad effectum perducta sanctissimo anni tempore, quod nefas esse vi-  
 debatur. Christi resurgentis memoria festo die, tertio Kalend. Aprilis, cum lu-  
 dis atq; lætitia cuncta personarent, lasciuia & securitas magis quam formido  
 ostentaretur, atque ex templis populus campanæ sonitu ad vespertinos hym-  
 nos conuocaretur, tota insula cædes Francorum nihil minus cogitantium,  
 vno temporis momento est facta. Inde Siculus vesper in prouerbium abiit.  
 classis etiam occupata, quæ in Siciliæ portibus parata instructaque erat ad-  
 20 uersus Græcum Imperatorem à Pontifice Maximo hostem iudicatum. sic fama  
 vulgatum est: sic multi auctores memoriæ prodiderunt. Alij affirmant Pa-  
 normi primùm cædem Francorum esse factam, cum ad Sancti Spiritus, quod  
 templum ad Montem Regium est à Panormo tribus millibus passuum itato  
 die conueniretur: sceminæque cuiusdam pudicitiam contrectasset per causam  
 perscrutandi an telum ferret Drochetus Gallus. ex ea re populum ad arma  
 consternatum. in agro, in vrbe, in arce, promiscuam Francorum cædem fa-  
 ctam, nullo discrimine sexus, aut ætatis. Tanta vindictæ cupiditate, vt scemi-  
 næ etiam, quibus ex Gallis vterus intumuerat, neci darentur. vrbs ipsa hostili-  
 ter direpta: vt nunquam commota multitudo in vno gradu resistit. Omneque  
 30 magnum facinus aliquid ex iniquo habeat, propemodum necesse est. Oppida  
 alia & vrbes Panormitanorum exemplo, multis in locis tumultuatæ sunt. Messa-  
 na in fide tantisper perstitit Herberti Aurelianensis totius insulæ pro Francis  
 Præfecti diligentia & auctoritate. Metus haud diuturni officij magister extitit.  
 Itaque Messanenses breui aliarum urbium auctoritatem secuti, correptis armis  
 rebellant, Gallico tum præsidio, tum Præfecto vrbe pulso. Guillelmus Por-  
 cellus Calataphimiæ Prætor, quamuis natione Francus, in medio seditionis  
 ardore abire incolumis permittitur, vna probitatis & modestiæ opinione te-  
 ctus. Hic fuit exitus Prochitæ coniurationis, famosæ magis quam claræ. Siculi  
 sanè residente animorum impetu, tamen si intelligebant quanto in periculo es-  
 40 sent, quosdam etiam cædis defectionisq; pœnitere cœpisse, obstinantes tamen  
 animis mori priusquam se Francis dederent, Aragonium Regem ad opem fe-  
 rendam sollicitare constituunt: quo se ille tempore ad Dertusam tenebat in-  
 structa classe, certusque in Africam festinare. Inde euastatis ijs littoribus longè  
 lateque, cum mutato repente cursu in Corsicam appulisset, cæcos in Sicilia pul-  
 sosque

fosque Francos cognouit: Carolumque ex Hetruria ad eos motus, accurrisse, & contractis vndique copijs mari terraque Messanam obsidere. Nulla à multis annis acrior oppugnatio fuit. Ardebant Franci cupiditate iniuriæ vlciscende: sanguineque Siculorum interemptis ciuibus parentare cupiebant. obsessi id intelligentes supremo virtutis conatu propugnabant. omnis ordo, omnis ætas adesse omnibus partibus, nullaque onera aut pericula detrectare. Inter hæc Rex Aragonius Panormum appulit, sumptoque regio insigni Rex ab omnibus saluatur. aucta classis cum qua venerat, ijs nauibus quas Siculi aduersus Græcos paratas ipsis seditionis inijs occuparant. Carolus victoria desperata, nam cum spe maturi auxilij obsessis animus creuerat, mœstus atque inglorius in Italiam redijt Messanæ obsidione soluta. Hoc Aragonijs multæ offensionis initium fuit, magnæque gloriæ. missæ inter Reges litteræ iracundia contumelijq; plenæ. Ijs litteris amplius exacerbatae voluntates. bellum vtrinque indictum. Aragonius ex Hispania nouas copias expectabat. Carolus ex Prouincia Phocæensi. Aragonio omnia in Sicilia prona erant, Francis aspera. Horum castra ad fretum Messanense in Sicilia conspectu erant: Aragoniæ copiarum vrbibus atque oppidis in fide confirmandis in varias manus dissipatae. Petrus metu amittendi, quæ parata erant, in tanta hostium potentia suorumque auxiliorum longinquitate, ad artes conuerso animo Carolum viribus & scientia pugnandi confidentem, misso feciali ad certamen prouocat. si vir esset congrederetur, innoxioque multorum sanguini parceretur: suo ipsorum periculo belli quod instabat materia sublata. sic Franci scriptores rem tradunt. Aragonij contra affirmant; Petrum à Carolo priorem fuisse prouocatum, internuncio Simone Leontino ex Prædicatorio ordine. Constat accepta vtrinque conditione placuisse, vt centenis vtrinque equitibus dimicaretur. De loco pugnae dubitatum. Burdigala delecta est, quoniam in Eduardi Angli Regis potestate erat, Aquitaniæ caput. Dies dicta certamini, & conditiones vtrinque sacramento firmatae. Interea Pontifex Romanus rebus cognitis, quæ in Sicilia gestæ erant, Aragonium Regem, vt desisteret monet, neq; intempestiua ambitione pacem turbaret. Ad extremum parere recusantem, nono Nouembris die, ex piorum numero eximit sententia ad Montem Fiasconem pronunciata. Regi Anglo verbis grauissimis mandat, ne pugnaturis Regibus in sua ditione locum præbeat. nihil ea diligentia profectum. Regina Constantia viri iussu in Siciliam abiit, ne absente Rege Siculorum fides nutaret. Aprilis vigesimo secundo die, anno millesimo ducentesimo octogesimo tertio, Messanam appulsa est cum Iacobo filio, cui pater Siciliae regnum destinabat. Reges ad certamen properant. Carolus in Galliam, vbi certissima gentis præsidia erant, propensæ in eum voluntates: Petrus classe Hispaniam tenuit. Kalend. Iunij, qui dies certamini erat designatus, Carolus cum equitum ala Burdigalæ præsto fuit. Petrus Aragonius Rex nusquam comparuit. Franci scriptores ignauia factum dicunt, simplicesque Gallorum animos decoris specie obiecta delusos: cum se Aragonius interiecto spatio, viribus & potentia confirmare cuperet. nostri scriptores excusant: Petrum à Præto Burdigalensi admonitum, vt Gallicas insidias caueret. cum iusto exercitu Regem Francum propinquare. centum Aragonijs equitibus aduersus

omnes

omnes Francorum copias certamen fore? Francorum quàm Aragoniorum auxilia multo esse propinquiora. Tunc Aragonium Regem Burdigalensi galeam clypeum, hastam, & gladium de manu tradidisse argumento ad statutum tempus affuisse, & per dispositos equos sese periculo eripuisse in finitimam Cantabriam, varijs sermonibus & opinionibus præbita occasione, nouorum bellorum parata materia.

*Alfonfus Castella Rex moritur. Cap. VII.*

10



RAGONIVS Rex in patriam rediens vno tempore Ioannem Laram Albarracino pellèdum suscepit, Aragonijs finibus propter locorum munitionem impunè sæpe imminentem: Aragonios & Catalaunos proceres pacandos, qui incòmodo sanè reipublicæ tem

pore, cum tantum externi belli superesset, tumultuari pergebant. Quod impotentè abs Rege habitum iusto propemodum seruitio opprimerentur, nulla cura legum querebantur gentis moribus abrogatis. neq; ibi desunt lingue promptæ ad plebem concitandam specie patriæ libertatis defendendæ. Itaque Turia sone primum deinde Cæsaraugustæ, Barcinone tandem regni còuentus abs Rege habitum sunt priora peccata licentiamq; (sic præ se ferebat) emendare parato: quod

20

nouis diplomatis se facturum cõfirmavit. Ea blandimenta genti gratissima fuerunt: tamen non ignorabant, non voluntate data, sed necessitate potius fuisse expressa. Externi belli cura, quod grauissimum impendebat, Regem sollicitabat, ne conuerso in Siciliam atq; Italiam animo, domi intestini motus essent, obiecta præsertim à Romano Pont. anathematis religione, qua Regem vt paulò ante dictum est, deuinxerat. recensque quoniam parere recusabat, sententia ad Urbem veterem pronūciata Martij die vigesimo primo paternis regnis priuauit, occupandaq; dedit Carolo Valesio Regis Galliarum filio minori. Quod iniquum plerisque visum est: neq; satis idonea caussa Siciliam armis occupasse Siculis in calamitate eius opem fidemq; implorantibus: ad hæc Manfredi Regis Siculi iura repentem Nicolao. III. Pontifice auctore atque auspice. Res Castellæ nihilo

30

tranquilliores erant. regno inter patrem & filium in factiones diducto, pars multo maxima Sanctium sequebatur: Alfonso præsidio destitutus, externaque auxilia conquirens Marrociū Regem secundo in Hispaniam attraxit: quo minori inuidia esset, aduersus Granatensem Regem aduersæ factionis studiosum, Sanctioque deuinctum fœdere. bellum haud villo euentu memorabili fuit. Africam enim omnia difficiliora opinione experti, quoniam vrbes & oppida Granatæ Rex prouisa tempestate munienda curarat, totius certaminis aleam detrectare constituens, nullo magno operæpretio redierunt in Africam. Nouum ex Italia subsidium petiit, religionis obiecta specie. Sanctius apud Martinum Pontificem Maximum per oratores de impietate atque ingrati animi noxa postulatur. superstite patre in omnia regni iura inuasisse: neque præ ambitione regnandi senis obitum expectare. Ergo in impiorum loco haberi mandatum est, quicumq; relicto Alfonso filij partes sequerentur. dati etiam iudices à Pontifice in caussa, vrbes & oppida Sanctio addicta, ex ritu Christiano sacrificijs interdixerunt.

V v

Itaque

Itaque eodem tempore, non eadem de causa in Aragonia & Castella sacrorum veluti iustitium fait, moesta prouincia, Sanctioq; iudicibus, si eos nancisceretur, extrema quamuis comminanti. quæ res iniecta animis religione multos à Sanctio alienauit. In primis Petrus & Ioannes eius fratres, vt natura cogebat, ad patrem respicere cœperunt. verum re indicata Petrus quidem Murciae regni spe iniecta retentus est: Ioannes autem cum mutatae voluntatis speciem præbuisset, per Lusitaniæ fines ad patrem abiit, Hispali se tenentem. Multæ vrbes & oppida cum defectionis pœniteret, circumspicerentque qua ratione placare iram Alfonsi Regis, procurare anathematis religionem possent, spe veniæ gratiæque impetrandæ Alfonso sese suaque dederunt. In his Agreda Treuignumq; multique proceres: qui iuncti cum Philippi Regis Galliae copijs, in Castellæ fines, Toletum vsq; populabundi peruenerunt. Erat Philippo filius Philippus cognomento Pulcher. Is hoc anno (alij sequenti dicunt) Ioannam Vasconum Reginam vxorem duxerat regno dotali. & vt est ingenium hominum priorum Regum iure repetito ditionis acceptæ fines immensum extendere cogitabat, interstinaq; nostrorum dissidia in suum commodum conuertere. Sanctius, quantum in tanta colluione rerum dabatur, in omnes partes accurrens Taurum urbem imperio rebellantem pacauit: Ioannem Laram cum sua & Vasconum manu Calagurris, Vxamæ, & Segontiae agros vexantem, Albarracinum reiecit obuiam factus. Actum deinde missis legatis, vt pater & filius fide accepta dataq; inter se colloquerentur: eoque consilio Alfonso Rex Constantinam accessit, Sanctius Guadalcanam. spes erat mutuo colloquio rebus reddi tranquillitatem posse. Sæpe ex iniuria postmodum gratiam ortam. & Sanctius in ipsa defectione præterquam quod regnum eripuerat præcipua pietate patrem complecti visus erat, à contumelia abstinere, honorificè loqui, & sentire. destinata salubriter Alfonsi Regis æmuli Sanctij familiares discusserunt iniecta periculi suspicione: & regia dissidia calamitatemque reipublicæ plerique ad suum commodum vertebant. re infecta Alfonso Hispalim, Sanctius Salmanticam discesserunt. Eorum cōcessu Beatrix Lusitaniæ Regina vidua, & Maria Sanctij vxor Tauri, per idem tempus Isabellam filiam enixa, pacem reuocare conantes, nihil amplius præstiterunt, indiesque recrudescabant odia, & reipublicæ calamitas augebatur. Alfonsi Regis breui subsecuta mors, rebus propemodum desperatis auxilio fuit. Hispali ex morbo defunctus est, pœnitentia atque Eucharistia de more procuratus, ad vndecimum Kalen. Maij, vt quidam tradunt, certè salutis anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto. superiori Nouembri mense testamentum nuncuparat: in quo Alfonso & Ferdinandum nepotes inter se substitutos regni hæredes nominauit: & vtroque sine prole defuncto Philippum Galliae Regem ad priores Castellæ Reges maternum genus referentem. de filijs atque fratribus mentio nulla Sanctij odio, in quem Francorum vires eo testamento mouebantur. Iohanni tamen filio sub mortem Hispalim & Pacem Augustam eo expe-  
 1 2 3 4

tris sepulcra. impensa mōgimenti non maxima, neque necessaria, quoniam vita meruerat, vt memoria duraret, essetq; immortale nomen. maximus & prudētissimus Rex si sibi sapere didicisset, felixq; nisi sub vitæ exitum multis calamitatibus esset vexatus, atq; præclaras animi & corporis dotes, auaritia, seueritas, atq; impotens dominatus sedassent. Primus Hispaniæ Regum vendendi atq; paciscendi vulgari Hispanorum lingua potestatem concessit, eius linguæ nimirum quæ rudior erat, excolendæ locupletandæq; studio. sacros Bibliorum libros in maternam linguam vertēdos curauit. Ex eo tempore in regijs diplomatibus ac publicis tabulis Latina lingua, cuius antea vsus erat desijt vsurpari: vnde pudenda litterarum ignorantio in nostram gentem atque vtrunque ordinem inuasit.

*Sanctij Regis initia. Cap. VIII.*



ALFONSI defuncti regnum ad Sanctium peruenit nullo prohibente, iure controuerso, Abulæ id temporis res gerentem, ac vix ex morbo recreatum, ex quo Salmanticæ paulò ante decubuerat, salute propemodum à medicis desperata. Integra ætas salutaribus succis adiuto corpore præsidio fuit. Regis nomen, quo eatenus abstinuerat (reuerentiæ id patris datum est) continuò desumpsit. Fortis cognomen animi magnitudo perit, resq; magis feliciter quàm præclare factæ: & ferè magnifici tituli fortunæ potius quàm virtutis sunt beneficium. verus honor non in splendore nominum situs est, sed in æquitate & innocentia atq; modestia. Erat audax, strenuus, callidus, & in quancunq; partem se dedisset industria singulari. vndecim annis, diebus quatuor regnum tenuit, spoliati eiectique patris nota ad posteritatem infamis: alioqui in bonorum Principum numero. Imperium enim flagitio partum bonis artibus exercuit. Abulæ patris manibus iusta funeris magnificè persoluta ab eo sunt. Toleti infulas, regiaq; insignia desumpsit, lugubri veste in purpuram trabeamq; mutata. Ex aduersa factione proceres passim ad nouum Regem salutandum conueniebant, quasi priores offensas maioribus officijs, fideq; integra compensaturi. Quæ quo magis falsa erant, eò propensius per adulationem fiebant, ementiente lætitiæ vultu, quo nihil est in speciem fallacius. eas artes Sanctius alta dissimulatione eludebat, confirmato mox regno iram animo conceptam effusus. Populus, proceres, legiones in eius verba sacramento addacti. Isabella noui Regis filia secundum agens annum regni hæres, si alia proles deesset, consensu ordinum renunciata. aduersus Cerdas fratres ea præsidia comparata. à quibus, quoniam iniuria auiti regni hæreditate spoliati esse putabantur, nonnulli palam, plerique voto erant. Regis Aragonij, in cuius potestate erant, nouis officijs promerendi præcipua cura sollicitabat, Albarracinum urbem obsidere occupareque parantis, iniuriarum impatientia: quas Ioannes loci firmitate, & Vasconum auxilijs confusus inferre non desistebat strenuus manu, sermone promptus, serendæ inter Reges inuidiæ artifex, seditionibus potens, raptoque viuere assuetus, Castellæ atque Aragoniæ finibus euastatis. que res Sanctium prouocauit, vt quoniam adesse non poterat, noui regni cura districtus, validam manum auxilio mitteret aduersus communem hostem. Ipse Hispalim

maturavit, vbi Ioannes ex patris testamento regnum constituere conabatur, quamuis dissentientibus ciuibus, idque vnum ex ijs quæ Alfonso testamento mandaratur fieri non oportere dictitantibus: confectum annis, morboq; oppressum, parum animo valuisse: regni maiestatem imminui nobilissima ciuitate detracta non passuros. In hæc Aluarus Lara consternatis ad arma ciuibus se ducem præbuerat. Ij motus aduentu Sanctij pacati. Marrociij Regis legati amicitiam cum eo firmaturi, Hispalim appulsi cum verborum cõtumelia reiecti sunt, haud sano consilio: importunaq; seueritate, noui belli occasio barbaris data est. in cuius belli vsum subeunte facti pœnitentia, aut certa animi destinatione, valida clas̄is comparata instructaq; est. Ex Liguribus, qui ea tempestate mari potentes erant, & ex ea re rerum naualium in primis periti, Benedictus Zacharias euocatus magnis propositis præmijs duodecim triremes aduexit. maris præfecturam ad tempus, Mnesthei portum iure hereditario accepit. vtrunq; Regis dono, triremis proprijs sumptibus ædificandæ instruendæque lege in perpetuum imposita. Regni conuentus Hispali habiti de republica constituenda: in qua superioris temporis iniuria multa erāt deprauata, præcipua vitiorum colluue. In his conuentibus decreta consultaq; rescissa sunt, quæ necessitate temporum extorta potius quàm impetrata, tum ab Alfonso Rege erāt, tum ab ipso Sanctio. In Castellam deinde maturatum, vbi aduersæ factionis integra studia superesse nunciabatur: multosq; de Cerdis fratribus restituendis inter se arcandõ consilia agitare. eorum conatibus Sanctij celeritate occupatis, pars ad meliora consilia traducti, pars capite pœnas dederunt: eorumq; calamitatis exemplo cæteris documētum datum similis perfidiæ vitandæ. Hæc in Hispania. Quo tempore Rogerius Lauria Aragoniæ clas̄is ad Siciliam præfectus, victis viginti Francorum triremibus, quas ad Melitam nactus est, Duceq; earum Guillelmo Gornuto natione Gallo in pugna interfecto sexto Idus Iunij, Neapolim versus, Carolum Claudum Salerni Principem Caroli Regis filium valida clas̄e parantem Siciliam aggredi vindicareque iniurias, ad certamen elicuit: cumq; quamuis Legato Romano periculum denunciante, nauali prælio decernere ausum in pugna cepit cum multis alijs. De numero nauium variant auctores, neq; quid certi sequeremur habebamus. Fama frequentior Aragonias triremes duas & quadraginta fuisse vulgavit, hostium septuaginta. Ad nonum Kal. Iulij pugnatum est. Secundum eam victoriam in magna Græcia plurima oppida & vrbes ab Aragonijs occupata. Victoribus omnia prona erant, victis ardua. eo maiori dolore luctuque eæ calamitates contigerunt, quod Carolus pater intra tertium à pugna diem sese in Caietæ portum intulit cum viginti triremibus, quas ex Prouincia Phocçensi auxilio vehēbat: & filius Messanæ, vbi captiuus tenebatur, à Siculis captus sententia damnatus est, Corradini necis exemplum in illum vertere certis. Regina custodiri iussum, consultoq; Rege, vt opus erat, maiores pœnas daturum diuturna captiuitate exquisitis cruciatibus, qui si absint mortem miseriarum victo metam fore dictitans, periculo eripuit. Socij omnino ad sexaginta effraçtis custodijs in tumultu populari perempti sunt inexpiabili gentis odio. Interea Albarracinum ac si nihil externi belli superesset, ab Aragonio Rege supremo oppugnabatur conatu. ducebatur obsidio, magnæq; inerant difficultates: ardua

vr̄bis

vr̄bis moenia, saxæ turres, ferrati portarum obices, locorum asperitas. Ad hæc firmatus vsu miles, nulla discordia corruptus, nullis emollitus voluptatibus, nulla acie exhaustus, multis bellis exercitus: equites omnino ad ducentos, peditum iusta manus. vna tantum annonæ difficultate laborabant, non satis opportunè prouisæ: quoniam talem vr̄bem obsessum iri nūquam induxerant in animum. Ioannes Lara periculo perspecto, se in Vascones aduocato senatu, iturum dixit: vbi certissima auxilia fore, minimè dubitabat. hortatur, ne animo deficient: vr̄bemque qua cœperant virtute tueantur. quæ tametsi falso dicebantur, ipseque consilium fugæ capere constituerat, neque vultus cum oratione consentiebat, dimitti placuit. Eo digresso aliquandiu sustentatum: donec auxilijs desperatis, ipso Michaelis festo die vr̄bs dedita est. Milites maiori parte Galli, Vasconesq; incolumes abire permisi. ex vicinis locis coloni, tum veteres, tum noui euocantur. Rex ex Agnete Sapata, cui Algeziram & Liriam in agro Valentino antea donarat, Ferdinandum furto genuerat. illum vr̄be capta continuo donauit. Albarracini obsidionis hic exitus fuit, principatusq; finis: quem diu Asagræ in ea vr̄be tenuerunt reguli cum primis nobiles. Eorum stemma subijcere, hoc loco commodum fore putabam. Petrus Rodericus Asagra conditor principatus, pro uectæ ætate fratrem Fernandum Rodericum Asagram hæredem nuncupauit: fortassis cum ipse prole careret. Extat Ferdinandi testamentum confectum vndecimo Kalend. Augusti, Era millesima ducentesima trigesima prima. ex eo testamento colligitur, duos illi filios fuisse, alterum ex vxore Therasia Iuania hæredem principatus: nothum alterum Iacobæum militem. vtrique Petro, Fernandus nomen inditum. Vidimus etiam Petri Principis testamētum quarto Nonas Aprilis, anno Christi millesimo ducentesimo quadagesimo primo, morum atque simplicitatis eius ætatis speculum. filios is iustos reliquit Petrum, Garciam Fernandum, Therasiam, hæredemque principatus Aluarum. Therasia vnica Aluari proles Ioāni Laræ Nunnij filio nupsit, paterno principatu dotata. ex Ioanne & Therasia nati Aluarus & Ioannes, de quibus mētio reditura nobis est.

*Trium Regum obitus. Cap. IX.*

O bello confecto maior cura supererat belli, quod ex Gallia imminebat grauisimum, atque omnium ea tempestate maxime memorabile, Romano Pontifice auctore, facesque subdenti Francis. Aduersus Galli Regis potentiam præsertim cum Vascones in bellum traheret, satis virium Aragonio non erat. externa auxilia conquisita. Missi in Germaniam legati Rodulfum Cæsarem pertentatum, si forte Gibellinæ factionis misericordia commotus ab aduersarijs oppressæ vires communicare, Italiamq; aggredi induceret in animum, cunctator natura, & cui cauta potius consilia quàm periculosa placerent, & tunc Heluetiorum bello implicatus. Itaq; præter speciosa verba, nihil melioris spei ex Germania relatum est. Sanctius Castellæ Rex ad colloquium ab Aragonio inuitatus Soriam accessit. Cirizæ atque Borouizæ, que propinqua oppida sunt, amicitia inter Reges nouo firmata foedere: neutrosque alteris in periculo defuturos pacti sunt. Hispaniæ

V v 3

assiduus

assiduus atque infestissimus hostis Marrocius Rex bellum denuò inferre conatus batur, Franci Aragonios fines inuadere: eo maiori periculo, quòd se Iacobus Balearium Rex, in quo præsidium esse debuit, hostibus coniunxerat. vtrinque magnum periculum, nouaq; laborum facies. à Mauris Cæsarianum obsessa decem & octo equitum millibus, ab ijs in finitimos agros Hispalim vsque excursions factæ sunt: multaque hominum & pecorum præda abacta. Sanctius suorum periculo commotus Toletum maturauit: quo Carolus Atrebas à Galliæ Rege legatus venit. legationis duo erant capita. Cerdas fratres in libertatem eius opera restitui, cum Rege Aragonio, qui edicto Pontificis in impiorum numero esset, nihil commune habere. Ad hæc Sanctius, legatos se quamprimum ad Galliæ Regem cum amplis mandatis missurum respondit palàm: ex arcano autem Carolum hortatus est, vt se Regi conciliaret suo. Sunt etiam qui hoc tempore scribant Atrebatem à Sanctio perentatum, vt regni arcana detegeret: Brocchioq;, quod alio loco est positum, eius sceleris manifesto gulam fractam laqueo. Ab Aragonio Tudela in Vasconum finibus corona cinctæ est, atq; omnibus viribus oppugnata, Francorum impetum, quem in Ruscinonensem agrum parari prouidebat, aliò auertere cogitanti, in eorum prouincia nouo bello concitato. Oppidum Ioannis Laræ virtute & diligentia defensum alieno imperio felicioris, quàm suo, vastitas tantùm illata agris: finitimaque oppida ad auertendam hostium vim præsidij & operibus munita. quibus rebus confectis, hyeme iam appetente, se Rex Aragonius Cæsaraugustam retulit. Fogiæ, quod oppidum in Apulia est, anni vertentis initio millesimi ducentessimi octogessimi quinti, omnino septimo Idus Ianuarij Carolus Neapolitanus Rex è vita decessit: malorum tædio, captiq; filij ex dolore confectus: si principijs vltima consentanea fuissent, Princeps bello paceq; clarissimus. longa ætas cum multis vertenti fortunæ tribuit. Francorum vigor cum quo venerant, cælo terræque amenitate & copia voluptatum mutatus extinctusque erat. In externos imbelles, in subditos feroces. vrbibus & oppidis præfecti Principis sui periculo peccabant, proprio compendio quæstusq;. Eius obitus Aragonium spe bona lætitiæque compleuit. Francus maximum animo dolorem cepit, quem hostium sanguine procurare parans magnis delectibus numerosas copias armat, equites viginti millia, pedites octoginta. classis ad fossas Marianas instructa (Aguas mortuas vocant) in qua centum & viginti, partim triremes, partim diuersi generis naues erant. Sequebantur Regis castra Philippus & Carolus filij: Iacobus Rex Balearis fratri, vnde multæ iniuriæ extiterant, in primis infensus: Geruasius Cardinalis Legatus à Romano Pontifice Martino IIII. qui quarto Kalend, Aprilis Perusij decesserat, Honorio successore Romano ciue, è genteque Sabella, Francorum tamen non minus studioso. Mense Maio Narbone Perpinianum itum est. id oppidum Iacobo Regi deditioem fecit, Francosque intra mœnia recepit: atque eius exemplo reliqua eo tractu oppida, præter vnum Genuam nomine, obsidionem tolerare ausum, propinqua spe subsidij, Iacobi odio, sub cuius imperium redire detrectabat. Obsessos spes fefellit: captumque vi oppidum: cæsisque ad vnum oppidanis, in ipsa tecta sæuitum est. Ruscinonensis nothus, alioqui genere nobilis, magnoque animo, in templi turrim se recepit. Loci firmitate

firmitate defensus, & Iacobi Regis precibus, magis quàm sanctitate seruatus, Francis gratiam retulit, in vltiora penetrare parantibus. Pyrenæi montis fauces Aragonio obsidente, sic vt transeundi spes nulla esset, notis tramitibus, Francos circumductos integra fide ad iuga deduxit, quæ hostium castris imminabant. repentinus metus ex ea re Aragonijs incussus, tutum Regibus iter aperuit. qui superatis Pyrenæis montibus in agrum Emporitani descendunt. Petra lata, & Figueria oppida, breui in potestatem venerunt. ad Gerundam urbem castra promotæ, eo tractu nobilissimam amplamq;. Sita est in Aufetanis loco decliui, subterlabente Thici amne (quem hodie Theram vocant) excauatis ripis, vnde vrbi munitio, mœnia firma, faxæ turres. Vrbis superiora templum maximum occupat, sede domoq; Episcopi nobile. supra templum turris instar arcis eminet, nomine Gerundella. Raymundus Cardona Vicecomes vrbis præsidio præfectus nouis operibus muniebat. suburbana ædificia diruta. Felicis ante mœnia templum, loci religio & antiquitas tutata est. Eius diligentia Francorum opera disturbata sæpe sunt, machinæ incensæ. Aragonius Rex cum valida manu propinquis locis versabatur, impar quidem viribus, cæterum locum insidijs opportunum captans, occasionemq; expectans, auxiliij ciuibus ferendi. Obsidio in tertium mensem ducta est. Quo tempore, à Sanctio Castellæ Rege. Martinus Calagurritanus Episcopus, & Garlias Vallisoleti Abbas, de pace inter vtranq; gentem legati, re infecta redire compulsi sunt: ac vix facta Regem Francum conueniendi potestate (insignem gentis confidentiam) multis præterea & asperis facetijs, contumelijsque violati. & erat rumor legationis specie Francorum vires, & apparatus exploratum venisse: viresq; Castellæ Regi cum Aragonio iungendi voluntatem non deesse. Tametsi bellum Mauricum in Bætica vrgebatur, Cæsarianique obsidio in multos menses ducebatur: Mauris occupare eam urbem, quæ opportunissima erat contendentibus, Sanctio Rege certamen, in cuius euentu regni opes vertebantur, subire detrectante, seque partim Hispali, partim Nebrissæ tenente, ad omnes occasiones intento, excursionsque prohibendas. Quo consilio post sextum obsidionis mensem barbari rebus omnibus oppressi, vimq; Sanctij veriti, si mutato consilio congregeretur, relicta vrbe abierunt. Ex Rege barbaro transmissa raptim Lethe fluuio, cum fugæ causam rogasset quidam: Ego, inquit, in nouam familiam Barramedæ, regni maiestatem primus intuli: hostis quadraginta nihilominus Regibus ortus, tanto septus præsidio, pugnam iniret, versaturis ante oculos, nobis ad terrorem, illis ad fiduciam. cælum præclari facinoris opportunitatem præbere videbatur delectis hostibus. sed Rex cui cauta potius consilia cum ratione quàm prospera cum temeritate discrimineq; placebant, Cæsariano tantùm munita Hispalim redijt, hostem elabi de manibus quamuis milite dolente, pugnamq; exposcenti, & si ea occasio dimitteretur comminanti haudquaquam alio tempore pugnaturum. Rex animo ad pacem propenso eas voces contemnebat. Missi vtrinq; legati de ea re. Ad Bætis æstuarium (alij ad Rupem ferratam dicunt) Reges collocati. Vt in belli sumptus, Rex barbarus Marauediorum (genus id monetæ erat Hispanis vsitatæ, non vnus semper valoris) bis centum myriades penderet statutum est, eaq; lege inter vtranq; gentem fœdus factum. Quod egrè tulerunt tum alij proce

tum Ioannes Regis frater, & Lupus Harus: prorsus vt Hispani profecti vterque in iuz ditionis oppida commigrarint. sed nimirum magni Duces prouidendo, consultando, cunctatione sæpius quàm temeritate profuerunt. cæteris obsequium conuenit, cupidoque pugnandi. sic belli munera sunt diuisa. decessit paulo post Rex barbarus Iuzepho filio successore. Gerundam redeamus. Aragonius Rex comteatum qui à Rhodopenfi portu, vbi classis erat hostium, in castra deuehebatur intercipere parans loca insidijs opportuna obsidebat. Re per exploratores cognita, Rodulfus Magister equitum, & Haricuria Marefcalus, hoc est Magister castrorum, viri fortissimi, consilio communicato cum trecentis delectis equitibus ad locum insidiarum contendunt: id prouidentes ne multitudine deterriti Aragonij pugnam detrectarent. Ad octauumdecimum Kalend. Septembris certatum. acris ea pugna fuit. uunero Aragonij præstabant, Francis neque virtute, neque scientia pugnandi cedentibus. Rex Aragonius nullum neque prudentis Ducis, neque strenui militis officium prætermisit. graui in facie vulnere deformatum, seque è pugna subducere conantem eques Francus correptis habentis cepisset, ni ijs gladio discisis in repentino periculo fuga euasisset. sic Villaneus scribit, qui cæteros in errorem misit. Nam Aragonij scriptores Regem integrum ex æquataque vtrinque cæde discesisse confirmant: verè ne, an ex amore incertum. Constat sanè ad Gerundam propter æstum, & fordes, iniquissimo anni tempore, pestem in Francorum castris grassatam: & accepto tamen eius pugnae nuncio obsessis defensione desperata animos concidisse, legesque à Franco accepisse. Vti vrbe dedita cum ijs quæ agere ferreque possent obsessis emigrare quo vellent potestas esset. In deditos multa crudelitatis exempla extiterunt. ipsa quoque Diuorum templa violata: Narcisq; sepulcrum, quoniam eius vrbis tutelaris est præcipua religionis opinione, disturbatum à militibus, donaria direpta. numen suas sedes tutatum est, de violatoribus vindicta aucta peste sumpta. Sic fuit hominum opinio. præterea Ducibus consilium ereptum. nam cum vrbe capta, pedestri itinere in Galliam se se referre præcipiti autumno pararent, mercenariæ naues, quæ in portu Rhodopenfi erant, ne sumptui & oneri essent, dimissæ sunt, pessimo consilio vt vsus probauit. Rogerius enim Lauria, capta in extrema Italia Tarento cum omni circum regione, in Hispaniam Regi laturus opem maturans, imminutæ Francorum classis beneficio occasioneque inuitatus, commisso nauali prælio victor exitit. Ioannes Scotus classis Gallicæ Præfectus, & quindecim triremes captæ: duodecim sese in Rhodopensem portum retulere. Ijs milites & oppido incensis (tantus terror animus inuaserat) ad Regem in castra abiere, acceptæ cladis nunciij testesque. Qui omnia difficiliora opinione fore prouidens, aduersaque valetudine afflictus, Gerunda munita iter continuò in Ruscinonensem agrum conuertit. In transitu Pyrenæi saltus magnopere laboratum. angustias & fauces montium Aragonij obsidebant, Regemq; Gallum lecticariorum humeris, ob valetudinem vectum capere conabantur. magna certè clades accepta, multaque eo itinere impedimenta intercepta sunt. Ex agitatione itineris, aucto Regis morbo Perpiniæ decessit pridie nonas Octobris, Philippo Vasconum Rege successore: cui ab oris venustate Pulchro cognomen fuit. Defuncti corpus

pus ab vxore & liberis ad Dionysij templum, quod prope Lutetiam situm est, deportari iussim. Francorum discessu breui quæ ablata erant ad Aragonij Regis imperium rediere. Maiora conantem Aragonium & ardentem fortunam vrgere parantem, mors ad Villam Francam oppressit, sexto Idus Nouembris, integra adhuc ætate, annos natum quadraginta sex. Magni cognomen, auctum imperium & res pepererunt præclare gestæ. decora facie, corpore ingens fuit, animo immodicus, eloquentia, cultu, liberalitate, conciliandi hominum studia artifex, vna tantum anathematis ignominia ad vitæ finem notatus. quam imaginem menti morientis atque oculis inerrasse fama est. vera ne affirmare non ausim. interest tamen publicè vt vera videatur. Tamen si ea etiam religione à Tarraconensi Præfule procuratus est sub mortem, ecclesiæ Romanæ, cui parere recusarat, obedientiam conceptis verbis iuratus. Corpus ad S. Crucis cœnobium, quod vicinis locis est, sepultum. Filios reliquit Alonsum natu maximum, quem paterni imperij heredem testamento dixit (de Sicilia regno mentio nulla) præterea Iacobum, Fridericum, Petrum, Elisabetham, Constantiam. Hi omnes ex Constantia vxore sunt geniti. Arnaldus Villanoua vt Regi decumbenti adesset Barcinone venerat, rei medicæ ea tempestate peritissimus: maiori tamen fama quàm laude: cum nobile ingenium, eruditionem maximam, prauis superstitionibus, prauisque de religione opinionibus scædare visus sit. Quo nomine aliquanto post ab Inquisitoribus ignominia notatus est: librique quos magno numero ediderat reprobati. Ex humano semine, quibusdam in vase medicamentis hominis corpus efformasse, qui affirmet auctorem habeo, verò an mendacio disputare non est necesse.

*Regum Gallia & Castella colloquium. Cap. X.*

**A** N N V M tot Principum funeribus infaustum, Reginae Castellæ partus, aliqua ex parte procurauit. Regè enim per causam componendi rempublicam, tumultusque sedandi Pacem Augustam profectò, Hispani octauo Idus Decembris filium enixa est, cui Ferdinando nomen fuit, & deinde in minore ætate patri in regno successit. Eius educandi, instituendique cura Ferdinando Pontio Leonni, viro primario demandata est: Sentica vrbe vbi educaretur, propter cæli salubritatem, regionisque amoenitatem à patre designata. qui eum proximo anno millesimo ducentesimo octogesimo sexto regni heredem renunciari in conuentu procerum curauit, de successione sollicitus tum propter Cerdas fratres, tum quòd coniugium ipsum inter & Mariam Reginam lege propinquitatis vitiosum esse constabat: neque vt ea lege soluerentur à Pontificibus Romanis, quorum ex partes sunt, impetrare potuerat, Regibus Gallis intercedentibus, qua causâ incertum, nisi fortè regni intercepti dolor stimulabat. quos Sanctius omni ratione placare, atque ad amicitiam adiungere cum studeret, repetita legatio. iisdem qui superiore anno Martinus Galagurritanus Præsul, & Garsias Abbas ijs de rebus legati in Galliam. Vbi octauo Idus Ianuarij, Gallia se & Vasconum Philippus Regem dixerat, sacra inaugurationis inunctionisque



de more Remis peracta. Hoc Rege, eiusque iussu Lutetiæ in insula Sequanæ regia in iustæ arcis modum extructa: vbi non multo post forum agi cœptum: & quæ vaga antea fuerat iurisdictio, certis sedibus collocata est. Reginæ impensa, in eadem vrbe schola quæ Nauarræ dicitur, ipsa ædificij amplitudine, præceptorum auditorumque numero in paucis præstans, extructa est. Septingentos alumnos bonis temporibus Galliæ, intra vnas ædes habitantes, numerasse fama est. rebus turbatis vix quingenti erant (quo nos tempore scholas Theologicas Lutetiæ explicabamus) nonnulli publica impensa collegij, pleriq; collata de suo stipe victitates. Ex his Regibus numerosa proles nata est: Ludouicus, Philippus, Carolus, Isabella, filia altera in tenera ætate defuncta. Hæc in Gallia. In Sicilia Iacobus cognita patris morte, regium insigne Messanæ desumpsit quarto Nonas Februarij: seque Regem Siciliae, Apuliæ, atque Capuæ Principem dixit, regni Neapolitani partem obtinens, reliquis vrbibus, & oppidis spe imminens. tametsi Roberti Atrebatensis, cui rerum procuracionem Rex Galliæ demandarat, egregia tum virtute tum diligentia aduersus Siculorum conatus munita erant. Alfonsus Aragonius Balearibus classe inuadendis, occupandisque, quod vt faceret, pater supremis verbis mandarât, aliquot menses districtus, mensis tandem Aprilis die quintodecimo, quo die Christi resurgens memoria recurrebat, Cæsaraugustæ regiam coronam desumpsit de manu Iacobi Oscensis Episcopi, vacua Tarraconensi ecclesia, cuius id dignitati deferri solitum erat. Regni priuilegia immunitatesque ratas fore à Rege iureiurando sancitum. de regiarum sumptu restringendo, magna contentione actum est: ac nominatim in Oscensi conuentu aliquanto post, Aragonijs proceribus datum, vt Valentini dudum ad imperium subiuncti Aragonijs legibus viuerent. Magni sacerdotes per idem tempus defuncti. in his Michael Vincastrius Pompelonensis Episcopus, successore Michaele Legaria. Ecclesiam Toletanam Gonsalui obitu aut absentia Præfule distitutam, Guterrius magni nominis vir, præcipua apud Reges gratia cœperat gubernare. Is Regem ad Galliæ fines contendentem profecutus est: cum superiori legatione esset impetratum, vt Castellæ & Galliæ Reges mutui colloquij causa Baionam conuenirent, de rebus omnibus coram disceptaturi. Omnino Reges collocuti non sunt. de causa non constat: & suspicari libet enatas inter vtranque gentem suspiciones, aut præpostera ambitione factum vt Sanctius ad Sebastiani fanum consisteret, Gallus Rex ad Montem Marfanum. per internuncios de fœdere actum. Guterrius Toletanus Præful à Sanctio Baionam missus, à Gallo Burgundiæ Dux. de ineunda amicitia deliberatum, summo vtriusque partis conatu. Negabant Galliam concordie conditionem fore, nisi Reginam lege propinquitatis malè coherentem coniugio Sanctius repudiaret: Gallique Regis sororem, aut Margaritam, quæ Eduardo Anglo Regi, aut Blancam, quæ Austriæ Duci postea nupsere, sibi connubio iungeret. Ea re Sanctius vehementer commotus est. vxorem dimitti scœminam lectissimam, & vnde gemina prole erat auctus, graue iudicabat. Itaque internuncijs reuocatis, re infecta Victoriam, vbi Reginam reliquerat, iter conuertit, Abbati Vallisoleti in primis iratus: quem alienissimo tempore noui coniugij mentionem fecisse, Francisque vt id postularent occasionem

tionem præbuisse constabat. Eius euertendi consilia cum Regina, quam is dolor maximè vrebatur, consilia communicata. causa quærebatur. optima visa est, regionum vectigalium, quorum procuratio penes ipsum fuerat, ad rationes reuocare, atq; reipublicæ malæ gestæ crimen intendere. Eius rei Guterrius Præful cura commendata. Sanctius Rex voti reus, an religionis studio Compostellam abiit. quo in itinere ad Sancti Facundi cœnobium Alfonsi Regis eo nomine VI. & Isabellæ atque Mariæ eius vxorum ossa, quæ in humili loco iacebant, in comodiorem transtulit, cippis cum inscriptione dicatis. Vallisoletum rediens Lupum Harum Viscaizæ regulum, cuius magna in ipsum merita extabant, & quopotissimum auctore regnum obtinebat, regiarum Procuratorem, Regum Antesignanum esse voluit. Multæ atq; munitissimæ arcès tota ditio in eius potestatem contraditæ. Ad hæc Kalend. Ianuarij Comitibus honore, & appellatione ab Rege est cohonestatus, salutis anno millesimo ducentesimo octogesimo septimo. & quo gratius esset beneficium, expressè cautum, vt eos honores Dieghus Harus filius patre defuncto susciperet. Lupi frater Dieghus Harus limitibus aduersus Mauros præfectus. Ex his rebus aucta immensum eius familiæ auctoritate cõfirmatis opibus, Lupus Regis potens esse cœpit, atq; pleraque ad suum arbitrium reuocare: plusq; vnus posse, quàm reliqua nobilitas, magna multorum inuidia atque obtrectatione dolentium, dictitantiumq; iusto se propemodum seruitio opprimi, Lupum alieno nomine regnare. Calæcos & Legionenses ea res in primis malè habebat: Lupumque accusabant præter cætera, quòd seuerus in alios propinquis & necessarijs omnia tribueret: eo validior, quòd regiarum familiæ sanguinem suum miscuerat, Ioannis regij fratris socer, cui Maria filia in coniugium data erat, nouamque cum Rege propinquitatem ambiens. quod ad cæteram inuidiam adiunctum Regis animum abalienauit maximè: atque ita vt priorem beneuolentiam odio maiore mutaret. Regium enim coniugium criminando, quasi vitio coherentem, id agebat vt Guillelmam Gastonis Bearnensis filiam, consobrinam suam, in regium torum inferret, vir immodicus, venturique securus præ confidentia animi. Rex in ea atrocitate temporum, tantaque reipublicæ perturbatione, tametsi cupiebat maximè, Lupi euertendi consilia non explicabat. Itaque eo comite Carpetania lustrata, Asturicam abiit. species erat Merinum Asturicensem Episcopum genere nobilissimum, atq; ad eò Gallorum Regis propinquum, primum sacrum de more facturum sua præsentia cohonestare. re Calæcorum & Lusitanorum motus comprimere in animo erat. Calæcos pacandi cura Lupo demandata. Rex Sanctius cum Lusitano Rege consilio communicato, iunctisq; cum eo viribus, eas incursiones arce-re statuit, quas Alfonsus Lusitani frater & Aluarus Lara Ioannis filius in finitimos Legionensium agros faciebant viri acres, impatientes quietis, raptoque viuere soliti. Portalegrum & Ronchæ, quæ oppida in Lusitaniz finibus in Alfonsi ditioe erant, vt id facerent opportunitatem præbebant. Ronchæ vtriusq; Regis viribus præsentiaque oppugnatur. villis, agris, ædificijs extra oppidum ignes illati. obsessi damno rerum suarum permoti, & maioris mali inagine metuque subeunte oppidum dederunt. In ea obsidione Sanctio Dionysius Rex, si rempublicam incolumem tranquillamque vellet, Lupi opprimendi consilium

consilium dat: Aluarumq; vt in gratiam reciperet auctor exitit, Lupi potentia-  
 acrem æmulum futurum, propter amplas eius familiæ in Castella opes, pares  
 nobilitati. Non tulit ille iniuriam, Regis artes quo tenderent non ignarus, ani-  
 mo perucax, impatiensque æqualis. simulata caussa in Vascones abiit per spe-  
 ciem conueniendi Gastonis Bearnensis Vicecomitis, re iratus Regi superiora  
 merita maleficio compensanti. sed nimirum nunquam apud Reges satis tuta  
 potentia, vbi nimia est. neque deerat apud Vascones belli concitandi materia,  
 haud satis æquos Sanctio ob memoriam iniuriarum regniq; intercepti. Quo  
 tempore Clemens Lunus, homo Gallus Vascones gubernabat rerum summæ  
 præfectus bello paceque. In Castellæ & Aragoniæ fines à Vasconibus excur- 10  
 siones sepe factæ, euentu nullo memorabili nisi quod Saluaterra Aragonijs abla-  
 ta est, & Vasconum præsidio occupata. In Italia Aragonij meliori euentu pu-  
 gnabant. Rogerius Lauria superioribus victorijs ferox atq; præclarus, ad Nea-  
 polim vrbe hostium classi improuisus adueniens, quamuis numerosam inge-  
 ri prælio vicit Iunij mensis sextodecimo die. Duæ & quadraginta naues captæ.  
 captiuorum numerus ad quinque millia fuit. in his plerique genere & factis no-  
 bilissimi. ceteris pretio dimissis, Guido Monfortius vt dimitteretur, neque pre-  
 cibus neq; pretio potuit impetrari. In quo Aragoniæ & Angliæ Regibus, hosti-  
 bus implacabilibus gratificari volebat. Erat enim Simonis Monfortij prone- 20  
 pos, eius quo Duce ad Tolosam Petrum Aragoniæ Regem cecidisse, môstratum  
 est. Simonis filius, in prælio ad Leuisium Gallos inter & Anglos commissum  
 superioribus annis Richardum Cæsarem ceperat. Guido ipse in patris vindi-  
 ctam ab Anglis in acie interfecti Viterbij sacris operantem Henricum Richar-  
 di filium, quo tempore Eduardus Rex Angliæ ex bello sacro reuertebatur, impie  
 æquè & crudeliter in templo maximo interfecerat: viaq; sibi ferro facta ad Ru-  
 brum Comitem Anguillarum abiit, magna inuidia Caroli tunc Regis Siculi,  
 quòd cædem factam non persequeretur, Hetruriæ ea tempestate Vicarius. Angli  
 Galliq; scriptores Guidonem affirmant in Regis Angli potestatem traditum.  
 Siculus auctor eius ætatis in Sicilia obiisse contendit ex morbo, cui sola Venus,  
 iudicio medicorum succurrere potuit. eò maiori cõtinentiæ in viro laude, quòd 30  
 vxor Margarita marito vidua parum honestè pudicitiam habuisse fertur. Ana-  
 stasia Guidonis filia Romano Vrsino nupsit. Nicolai III. Pontificis Maximi  
 propinquo. Ad hos Nolani Comites in Campania nobilissimi generis origi-  
 nem referebant, posteritate ad nostram memoriam propagata extinctaque.

*Cerda fratres & Carolus Salerni Princeps liberati. Cap. XI.*



**Q**UIESCEBAT Aragonia viris, opibus, & rerum gestarum  
 magnitudine gloriaq; præltans. In Catalaunis tantummodo lacef- 40  
 sita paululum pax Iacobi Balearis armis, nulla re memorabili. Al-  
 fonsi Regis nomen celebre. pacis & belli arbiter effectus erat ma-  
 gnis Principibus captiuus. Cerdæ fratres in Morella arce, Salerni-  
 tanus Princeps in Siurana, locis munitissimis detinebantur. Ij diuturna capti-  
 uitate fessi, & maioris mali metu perculsi, ad pacem quibus vellet cõditionibus  
 erant

erant propensi. Magni Reges deprecatores adhibiti. multis legationibus Ara-  
 gonius de pace interpellatus, à Gallia & Castellæ Regibus. Verum Eduardi Re-  
 gis Angli auctoritas præcipua erat: cum mediam personam gereret, sibiq; eum  
 Aragonius socerum destinaret, Eleonora filia in coniugium destinata. vt Olo-  
 ronem (Lugdunum id Coquenorum est in Gallia finibus ad Pyrenæi montis  
 radices, alijs Illuro apud Antoninum) Anglus & Aragonius cõuenirent, de re-  
 bus omnibus collocuturi statuitur. In eo colloquio summa Angli Regis cõten-  
 tione Carolo Salernitano Principi, libertatem intra annum reddi impetratum,  
 his legibus. Sicilia regnum Iacobo cederet, Pontifice Max. vt annueret, Ara-  
 10 goniosq; anathematis religione solueret exorato. Carolus Valefius iure Arago-  
 nij regni decederet, quod à Martino Pontifice erat datum. Eidem viginti mil-  
 lia pondo argenti penderentur. Ea omnia nisi intra triennium præstita essent,  
 in custodiam rediret. interimq; obsides daret tres filios Robertum & Carolum  
 ac Ludouicum: præterea è Prouinciæ Phocænsis nobilitate viros sexaginta.  
 Graues eæ conditiones erant. pacisci tamen quacunq; ratione cum victori expe-  
 pediret, victis necesse erat: receptaq; libertate haud defuturam occasionem me-  
 lioris fortunæ sperabant. salutis anno M. CC. octogesimo octauo, Carolus ab  
 Aragonio dimissus in Galliam abiit: moxque in Hetruria Gibellinorum moti-  
 bus compressis, Romæ à Nicolao III. Pontifice Maximo, qui sub initia huius  
 20 anni Honorio successerat, Apuliæ & Siciliae Rex dictus est, corona imposita ca-  
 pit, cæteroq; ornatu regio cõcesso: cum negaret foedus ratum fore, quod iniussu  
 suo factum erat, de regno Romanæ ecclesiæ ab antiquis temporibus vestigali.  
 Ea res vehementer Aragonij Regis animum perculit, eo magis quòd Sanctium  
 Castellæ Regem ab eius amicitia dielli, atq; ad Gallos esse propensum, erat re-  
 nunciatum eodem Pontifice auctore: cuius auctoritatem Toletanus Præsul Se-  
 menus Gonsaluus, Gonsalui Cardinalis propinquus (eiusq; opera, vt quidam vo-  
 lunt, in Guterrij locum per hæc tempora defuncti aut abdicantis substitutus)  
 Reginaq; sequebatur: quamuis multis proceribus Aragonij amicitiam propter  
 locorum vicinitatem, & quoniam Cerdas fratres in potestate habebat, præferen-  
 30 dam iudicantibus. Verum Lupo Haro, quod proximè explicandum est, perem-  
 pro, eius propinqui & necessarii ad Aragonios aufugerunt, noui & diuturni bel-  
 li auctores futuri, vindictæ cupiditate priuatum dolorem communibus dissidijs  
 miscere parantes. Ea res Sanctium impulit, vt foedus cum Gallo facere matura-  
 ret. Lugdunum vbi Pontificis ea de caussa Legatus Ioannes Chauletus Cardina-  
 lis erat, ab utroq; Rege missi legati: à Gallo Mornaius & Lambertus viri prima-  
 rij, à Sanctio Merinus Præsul Asturicensis. Foedus his conditionibus factum. Al-  
 fonso Cerdæ modò Regis Castellæ appellatione abstineret, Murcia regnum  
 tanquam Castellæ Regis beneficiario Sanctius se traditurum pollicebatur, sub-  
 stituto etiam si sine prole decederet Ferdinando minore fratre. Castellæ Rex  
 40 mille equites auxilio, Gallo Regi mitteret, Aragoniam bello reperere cogirãt:  
 & si necesse esset tutum iter Gallicis copijs per prouinciam daret. Cerdæ fratres  
 Regum opera libertati redditi, in Galli potestate essent. Id foedus Blancae pue-  
 rorum matri ingratum fuit: prorsus vt Rege fratre dimisso in Lusitaniam abiret,  
 virilis animi foemina, nouaq; belli subsidia aduersus Castellæ vires cupiens  
 com.

comparare, maiori tamē conatu, quā successu. Dionysius enim Lusitaniæ Rex Mauris omni Lusitania pulsus, opima pace fruebatur: neque eam ut alieno comodo, suo periculo turbaret, adduci poterat. quid enim dubia spe in certum discrimen incurreret? partamq; pace gloriam intempestiuis armis obscuraret, numerosa prole felix? ex vxore enim Isabella, antea filia Isabella, Constantia hoc anno nata est: post biennium Alfonso, quem regni successorem habuit. ex soluto concubitu hi: Alfonso Alburquerqueus, vnde eo cognomine familia in Lusitania, nobilissima genus ducit. Petrus litterarum studijs deditus, ut argumento est liber ab eo editus de Hispanicæ nobilitatis stemmatibus. præterea Ioannes & Ferdinandus, duæq; filia, altera Ioanni Cerdæ nupta, altera virgo sacra. 10

*Novi in Castella motus. Cap. XII.*



**N** Castella quies erat à Mauris quidem: cum Granatensi pax, cum Africa induciæ nouo fœdere cum Iuzepo Marrocio Rege firmatæ. belli tamen intestini maior cura suberat concitati Lupi Hari cede, iure an iniuria incertum, in regia certè, atque coram Rege patrata. quod qua ratione contigerit altiori aliquanto ex principio explicare conuenit. Alvaro Lara, paulò post quā in Sanctij Regis gratiam redditus erat, defuncto, Lupus in Castellam se retulit, pristinum auctoritatis locum recuperaturus, aduersario sublato. sed natura, quæ nullum sine æmulo esse sinit, Ioannem Aluari fratrem ad parem dignitatis gradum, continuò fauore populi euexerat, Regisq; gratiam ingenti Lupi dolore: cum Regis artibus violari se, atq; imminui palam conquereretur: adeò ut neq; Regi ipsi motum animi indicare vereretur. Nam Ioanne Lupi genero Salmanticæ agros vastante, & Mirobrigam vsque cum suorum manu excursions faciente, Regi de ea re cum Lupo exoptulanti profiteri non dubitauit, suo id consilio, suaq; voluntate patratum: Vallisoletum Rex pergeret, Ioannem Cigales venturum (is pagus Vallisoletum vicinus est.) Dare frænos impotenti naturæ, Regum iracundiam minis irritare, vtrunque exitiale est. dissimulatum tamen donec se occasio daret tantæ temeritatis, tantæq; audacia castigandæ. interim Vallisoleti cum Ioanne fratre collocutus Rex, eos motus tantisper composuit. Inde digressus, Roam primùm, deinde Valeranicam ac Soriam abiit, Turiasonem petens Aragonij Regis conueniendi causa, cupidusque Cerdas fratres, ut sibi dederet impetrandi. Lupi artibus Regum congressus disturbatus est, vltro citroq; commeantis, iniquasq; neque easdem vtrique Regi pacis conditiones alterius nomine denunciantis. & spes erat per Cerdas fratres Sanctium euerti posse, à quo ipse animo penitus alienato erat. Conuerso Rex itinere Alfarum abiit, ad fines Aragoniæ & Vasconum in Castellam situm municipium. Ioannes Regis frater & Lupus focer, officij causa Regem adeunt, haud satis idoneo præsidio si vis adhiberetur. aderant Episcopi Gonsaluuus Toletanus, Ioannes Alfonso Placentinus, Galagurritanus, Vxamensis, Tudenensis: præterea scrinij Magister Hispalensis decanus, atque Vallisoleti abbas consilio de republica instituto. Tunc Rex arces, quæ in Lupi & Ioannis potestate erant, sibi continuò restitui mandat, milite præsidario sacramenti religione soluto, 40

soluto, tesseraq; indicata, per quam intelligerent haud dubiè ipsorum mandata esse. parere recusantibus vincula iniici iubet. Lupus districto gladio, inuolutaq; sinistra sago, addita etiam verborum contumelia, tyrannum, perfidum, impium, cæteraque, quæ furor dabat, inclamans Regem irruit interfecturus. ingens facinus, confidentiam singularem. In vestigio, altantium concursu, dextra primo ictu obruncata confossus ipse est, vir acer ac fortis: cui nimia potentia, nimiaq; gratia crimini, inuidia populi calamitati fuit, insolensque animus. Ioannes gener vno & altero ex aulicis in Regis oculis vulnerato, postquam focerum occisum vidit, ad Reginæ cubiculum fugit. Eius precibus tantum non sinum & latus operam 10 ponentis insequentis cum gladio Regis manus, necemq; euasit: vincitus tamen ferro & in custodiam traditus est, dicturus in iudicio causam. multa breuitatis studio prætermittantur necesse est. & quis omnes perfidiæ formas, quis tantumultus referre casus omnes, regiæq; ex eo perturbationem explicare possit? Omnino sublatis ducibus tumultus in præsentem pacatus. claro recentiq; noxæ simul & pœnæ exemplo factionis studia retenta, ne se continuò commouerent. At receptis mox animis, pleriq; in circulis palamq; Regis factum accusare, qui simulatione beneuolentiæ tantos Principes oppressisset. eos ut quisque aut propinquitate aut amicitia contingebat, alij curia, alij se regno magno numero subducunt. Noua imminere tempestas visa est. quæ præcipua causa extitit fœderis cum Gallo Rege Lugduni, uti dictum est, maturandi. Ioanna Lupi occisi vxor ad D. Dominici Calfadij Reginam sororem adiit, in lugubri veste, naufragij domestici reliquias colligere parans, tum suis lacrymis, tum Reginæ precibus Rege placato: qui patre cæso filium Viscaie principatu armis spoliare parabat: & iam Harum municipium, Treuigni arcem armis ceperat. Actum de concordia: Reginaq; Didaco filio, si quod necesse erat, patris cædem æquo animo ferret, seq; & sua Regis potestati permetteret, paternæ auctoritatis locum pollicita est. Ioanna ex ijs rebus metum interpretata, muliebri inconstantia repente mutata, atq; in vindictam præceps, egro filij animo subdere faces, hortarique, uti fide qua Regi tenebatur renunciata, ad Aragonios discederet. Maria Ioannis captiui coniux, in Vasconiam finitimam abiit. Multi ex factione, abeuntes profecti. pars maxima ut in intestinis dissidijs ferme sit, suspensis & incertis animis, ad tempusq; fortunam in consilio habituri substiterunt in patria. Gasto Bearnensis Vicecomes rebus cognitis, cum propinquis & necessarijs vires communicaturus occurrit in Aragoniam, pro eorum dignitate & salute quoduis fortunarum discrimen paratus subire. His auctoribus Cerdæ fratres ab Aragonio Rege emissi è custodia sunt. & quo maiorem dolorem inureret Sanctio Regi, mense Septembri Iaccæ, quo ad se deducendos curauit, Alfonso natu maiorem Castellæ & Legionis Regem dixit. inde nouorum bellorum materia segesque ampla. & necesse propemodum est magna regna magnis nouisque motibus sæpe turbari. Eorum & Aragonijs auspicijs bellum in Castellam comparatum. Multitudo rerum nouarum cupida & pauens, Castellæ proceres studijs non consentiebant. optimus quisque tranquillitatis amore, Sanctij iudicium sequebatur, eique quoniam rerum potiebatur, nauare operam & studium maliebant. Victoriam in Cantabria, vbi Regina Henricum filium enixa est, per 40

cos dies appulso, tum vt cum Gallo Rege Baionæ, vt erat per legatos constitutum, colloqueretur: tum vt Viscariæ oppida sub imperium adiungeret. Bellum difficilius opinione fuit, propter locorum asperitatem, inopiam commeatus, gentisque ingenium in retinenda fide constantis. Didacus Harus Lupi frater, quem spes fuerat Calatrauæ Magistro annitente retineri posse, limiti antea à Rege præfectus, & nunc maioribus honoribus præmijsque inuitatus, Viscariæ etiam principatus spe iniecta, tandem in Aragoniam exul abire maluit, nullam fidem ei fore sanctam dicitans à quo viri principes, propinqui & necessarij per fidem colloquij violati essent: certusque consilio, opibus, diligentia profectui fratris filium. Verùm dum omnia belli apparatu circunstreant, atque Castellæ fines inuadere armis parant: Didacus ipse Lupi filius extinctus morbo est, magno Sanctij Regis commodo. eius enim obitu factionis studia remissa, Viscariæ eatenus magnis motibus iactata, in Regis potestatem vniuersa concessit, Didaci Salcedij virtute, cui summa expeditionis permissa erat, plurimæque fides bello paceque habebatur.

*Regum colloquia. Cap. XIII.*



**S**ANCTIVS rebus in Cantabria patris, colloquijque cum Rege Gallo spe in aliud tempus seposita, Ioannem fratrem in Burgenfi arce custodiendum reliquit: vnde Curielem translatus deinde est. Ipse belli Aragonij, motique regni cura Sabugalem abiit, quod oppidum in finibus Lusitaniæ situm est. Ibi Sanctij & Dionysij mutuo congressu foedus factum aduersus Aragonium Regem & Castellæ exules, qui per speciem Alfonso Cerdæ in auiti regni, in cuius iam appellationem inuaserat, possessionem mittendi, bellum grauissimum moliebantur. Soluta colloquio Sanctius contractis vndique viribus & copijs ad Almasanum oppidum Aragonijs occurrit. mense Aprili, anno millesimo ducentesimo octogesimo nono castra castris collata, euentu nullo memorabili. Moronum sanè oppidum ab Aragonijs vi expugnatum: Almasanum obsessum. Còtra Sanctius in Aragonios fines peruadens agros populatur, pecora abigit, villas vicisque incendit. Dieghus Harus diuersa parte Conchæ & Optæ, hoc est, Huetis tractum populationibus vastat: hostium manum ad Paiaronem oppidum vincit fugatque, Roderico Sotomaiore Duce cæso. signa militaria capta, missaque Turulim. locorum angustiae exitio fuerunt, Aragonijs de suo loco pugnantibus, atque ex omni parte imminētibus. Nulla parte quies dabatur. alia alijs in orbem succedebant mala: & innocentium poenis Principum dissidia luebantur. Pleraque vrbes & oppida, quæ metu, quæ voluntate in fide perstabant. in vna Pace Augusta intestina ciuium seditione tumultuatum est in duas factiones ab antiquo scissa. Beiaranos cum Portugalenses bonis eiecissent, Sanctius de iniuria interpellatus, ijs qui pertulissent, damna reponi mandauit. imperium Regis recusantes aduersarios magno numero, Beiarani reparatis viribus cædunt: reliquisque ex vrbe pulsus, temeritatem lucentes noua temeritate superiori oppido munito Alfonso Cerdam Regem proclamant, incredibili Sanctij Regis

gis dolore, motuque. Vis magna populi est semel ad arma consternati, Regum tamen potentia maior. Missis abs Rege copijs audacia repente in metum mutata est. deditioem facientes, tametsi salutem pacti erant, ad vnum omnes trucidati, quatuor millia capitum, nulla neque sexus commiseratione neque ætatis. Talaueræ in Carpetanis, quoniam Alfonso partes sequebatur, ad quadringentos ex nobilitate trucidati, membratimque dissecti sunt, ad eam portam, quam ex eo tempore vulgus Quartos vocare cœpit. sic hominum opinio est ducta per manus, nullo meliori auctore. Vtriusque vrbis calamitate, cæteris ne se facile commouerent documentum datum: & firmè omne magnum exemplum ex iniquo aliquid habeat opus est. verùm quod contra singulos peccatur, utilitate publica, & tranquillitate compensatur. Proximo anno millesimo ducentesimo nonagesimo, Galliarum inter & Castellæ Reges mutui colloquij spes tentata est. tempore & loco constituto conuentum Baionam in Tarbellis. Nihil in eo colloquio maioris rei factum, præterquam quod pace inter vtranque gentem firmata Rex Francus iure decessit, quo illi tanquam Blancae nepoti regnum Castellæ, plerique destinabant, assentatores, vaniloqui, pacisque publicæ hostes. Tolosa, Segura, Villafranca, in Cantabriæ finibus, ab Alfonso Rege ædificari cœptæ, Sanctij opera ad culmen per hæc tempora sunt perductæ. extant de ea re publicæ tabulæ ipsiusmet iussu Victoriarum & Vallisoleti, quo se ex colloquio digressus contulerat, confectæ. Rex Gallus isto cum Castellæ Rege foedere, Aragoniarum armis repetendæ, consilia agitabat. Aragonius Castellæ, Galliarum, atque Italiæ viribus impar, ad pacem propensus erat. tametsi Carolus Neapolitanus Rex, isti antea foederis conditionibus non stabat. Anglusque Rex, quo agente libertatem receperat, fidem suam ludibrio haberi ægrè ferre videbatur. Romanus Pontifex de tota controuersia ab vtrisque appellatus, legatos se missurum respondit, qui in re præsentate disceptarent, æquisque conditionibus dissidentes pace stabili coniungerent. In eam rem duo Cardinales Benedictus Columna & Gerardus Parmensis in Galliam destinati. Interim Carolus & Aragonius Rex ad Iunqueram oppidum in Catalaunis, fide vltro citroque data inter sese collocuti aliquot mensium inducias pangunt, dum de omnibus pactioibus, paceque perpetuo foedere reuocanda, à legatis agi posset. Vterque ad pacem procliuus erat: Carolus iniecta spe Siciliæ recuperandæ: Aragonio graue erat, tandiu prouinciam sacris interdictam: & belli molem, quod ex Gallia grauissimum comparabatur, auertere cupiebat, viresque in Castellam conuertere.

*Ioannes Lara ad Aragonios transit. Cap. XIII.*



**V**I Ioannes Lara ea auctoritate, gratiaque & opibus ad Aragonios respicere cœperat in fide haud satis constans, atque spe vrbis Albarracini recuperandæ prouocatus: & solent homines utilitati magis quam religioni seruire, commodumque honestati præferre. Eius transitionem quoniam magnum in vtranque partem momentum facturam Sanctius cogitabat, nihil prætermisit eorum, quæ ad sanandam hominis mentem pertinere visa sunt, vsque eo dum limiti aduersus Aragonios

præficeret, omniaque blandimenta daret. Nihil ea diligentia profectum. Burgos vbi Rex erat, litteræ ad Ioannem allatæ à puero sunt, quibus insidias vitæ suæ parari denunciabatur: verò creditum, falsò mallem vt idonei auctores affirmant, confictas ab ijs litteras, quibus ægrè erat, virum acrem & præpotentem ad Regis gratiam restitutum esse, priuatas cupiditates salutis publicæ potiores existimantibus. Ille natura suspicax, fide habita ijs, quæ nunciabantur, curia se citatò subduxit, atq; per Vasconum fines in Aragoniam abiit, Sanctio nequicquam eius iter Vallisoletum vsq; prosequente, atque omni diligentia retrahere à fuga curante. Impendere enim grauem tempestatem prouidebat, si vir præpotens, qui multorum studia conciliarat, cæteris se transfugis adiunxisset. Omnino in Castellæ fines continuo Ioannes inuectus cum suorum manu, Conchæ, atque Alarconis agros omni belli iniuria vexauit: hostes prælio fudit: Moiam oppidū subegit. multa militaria signa capta. hominum & pecorum factæ prædæ. Hac tempestate sedata, noua validiorque breui subsecuta est. Aragonius Rex, Harus, atque Lara viribus ad Valentiam collatis, quo se Lara rebus patris receperat, irruptione repetita Molinæ, Segontinæ, Valeranicæ, Almafani agros impunè vastant, Sanctio Conchæ, quo ad eos motus accurrerat, ex febre quartana importunissimo reipublicæ tempore laborante: ita vt neque se loco mouere posset, neque belli defendendi cogitationes explicare. vnde, quàm ex morbo, tædium maius. Regina Vallisoletum, vbi per eos dies filium pepererat, cui Petro nomen fuit, cognito periculo, nondum confirmata valetudine ad Regem aduolauit: amor metusque incitabant. Eius aduentus Regi iucundus, reipublicæ salutaris fuit, Ioanne Lara ingenij dexteritate ad officium retracto. Leuitatis enim & inconstantia pœnitentia suberat, Albarracini recuperandi spes inanis. Isabella, Blanca & Regine fratre nata, viro matura, excellenti oris dignitate Ioanni desponsa est Ioannis Laræ filio. dos dicta Molinæ principatus, cum sponsæ pater virili prole careret. Re constituta nuptiæ principali apparatu Conchæ peractæ. inde Toletum itum est, Regem prosequente Ioanne Lara, neque satis fido, neque satis constanti, vt euentus declarauit. In D. Pauli Prædicatorum cœnobio, qui extra mœnia ad fluminis ripam erant, hospitio designato ad multam noctem cum Iudæo quodam copioso ludentem fortè tesseriis, Nunnus Ciurrucius improviso adueniens monet, insidias vitæ suæ fieri: multa hesternæ nocte arma in regiam illata. Fugæ consilium quasi certo periculo captum, clausæ vrbis portæ impediunt, intra quam iumenta omnia, & agalones erant. metuenti ac sollicito nox peruigil fuit, grauissima mora. Albente cœlo euocati domestici, indicato quamuis periculo subsistendum tamen hortantur. interpositam noctem, mendacium arguere. quid enim cessarent? quid lucem expectassent, perfidiæ testem futuram? quid aliud aduersarios cupere, quàm eum à curia diuelli, inuidiosa potentia, opibus formidabilem? quæta omnia in vrbe esse: prioris fraudis meminisset, denique aut incolumitatem eo consilio queri, aut nihil grauius quàm fugæ necessitatem proxima nocte fore: per diem nihil auferos aduersarios. Sic metus mitigatus. simul re prodita Rex ægrè ferens fidem suam in dubium vocari, ad eum sanandum animum retulit, hæud falsa esse etiam, quæ vera non probabantur, quasi studio occultata suspi-

cantem

cantem tamen. Quo tempore cum Granatæ Rege pro ingenio gentis in fide nuntante, foedus firmatum, persoluto quod debebat vectigali. Ferdinandus Pontius Legionensis, qui limiti aduersus Mauros præfectus erat, Reges inter se conciliandi præcipuus minister. Toletum Burgos primum, deinde Palentiam itum est: vbi Dominicani ordinis generales conuentus habebantur. Ioannis Laræ infidus animus nullis beneficijs sanabatur: neq; solus ipse defectionis consilia agitabat, sed & proceribus alijs vt res nouas molirentur suadere non desistebat: multorumque studia à Rege erant alienata. Aduersus has molitiones Ioannes Regis frater Principibus æquè ac plebi gratus est à custodia emissus, in Regis ac Ferdinandi filij verba sacramento adactus est, pueri manus patriæ recepto more, tanquam regni hæredis deosculatus. Huius opera plurimi ad meliora consilia traducti. Regis industria, cum Compostellam procurandæ religionis specie abiisset, Ioannes Alfonso Alburquerque vir primarius, qui in Calæcis Ioanne Lara impulsore, tumultuabatur, ad sanitatem reuocatur, arma ponere persuasus. Hæc salutis anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo in Castellæ gerebantur. quo anno mense Februario ineunte à Cardinalibus, quos Romanus Pontifex (vti ante dictum est) legarat in Galliam, inter Aragoniæ, & Gallia Reges foedus, Tarascone in Gallia Narbonensi compositum, præfente Carolo Neapolitano Rege, missisque ab utroque Rege cum ampla potestate legatis. Pacis hæc conditiones dictæ. Aragonius missa Romam legatione eorum, quæ commissa sunt, veniam supplex petito. Vectigalis nomine, vt eius proauus pactus erat, Romanæ ecclesiæ triginta auri uncias annuas pendito. In Syriam belli sacri causa, cum iusta manu nauigato. In reditu matris fratrique vt Siciliam restituant, hortator. Ac omnino ex ea insula Aragonios tum proceres, tum milites, seuro edicto aduocato. Carolus Valesius iure cedito, quod Pontifex Romanus in Aragoniæ regnum sanxit. Ad has condiciones adiectum, vt Pontifex Aragonium in gratiam reciperet, legaretque qui prouinciam interdicto ecclesiastico solueret. Ei Rex Aragonius obsides à Carolo Neapolitano acceptos redderet. Foedere sanciendo Siculi legati non affuerunt Aragonij Regis artibus, ne pacem turbarent, magno Iacobi Regis, & Sicilia totius dolore: cum se proditos, atque desertos, à quo minime oportuit, conquererentur: perstituros tamen in fide, neque Gallica imperia passuros, vitamque & sanguinem, si res ita ferrent, ante profusuros. Itaque Sicilia restituentæ, recuperandæque vana spes fuit: ac ne in Syriam quidem abs Rege Aragonio nauigatum: cum per idem tempus nunciatum esset, Ptolemaidem quæ vrbs Christianorum ditio, vna in Syria retinebatur, ab Helpi Agyptio Imperatore, filioque eius Melesaiti obsessam, expugnatam, euerfam, vt ne indicium vllum, monumentumque vrbis extaret, ciuibus ad vnum cæsis. Hic finis belli sacri fuit, nostrorum cessatione, foedaque ignauia. A Regibus Aragonio, & Neapolitano Iunqueram rursus in colloquium de pace ventum, propensis vtriusque Regis ad concordiam animis. fessi malis præteritis erant, percussi futurorum metu. Itaque Carolus è colloquio digressus, Clementiam filiam natu maximam, Carolo Valesio nuptui dat, dote dicta Andegauensi Comitatu. additi deinde Cenomanni, ea lege, vt Aragonij regni repetendi

X x 2 iure

iure, actioneque decederet. Aragonius quæ pollicitus erat constanti fide præstare paratus erat, nisi subsecuta mors importuno sanè tempore, Barcinonæ oppressisset, cum Eleonoram desponsam aduocare pararet, plenaque omnia lætitia essent. defunctus in ætatis flore est, viginti septem natus annos, octauodecimo Iunii die, si vita longior contigisset, Rex celeberrimus futurus, ut datum multarum virtutum specimen pollicebatur. Ostensa certè Christiano orbi, magis quam reddita pace, clarus imprimis, & præstans. Corpus ad D. Francisci in veste Franciscana tumulo contactum est. inferiæ patrio more magnificè datæ.

*Tres Reges affinitate iuncti. Cap. XV.*

10



**A**LONSO Aragonio Rege cælibe ac sine vlla prole defuncto, Iacobus eius frater ex Sicilia continuo in Aragoniam accurrit, iure propinquitatis & ex testamēto fratris debiti sibi regni hæreditatem cernere festinans. Cæsar Augustæ in Saluatoris æde ad octauum Kalen. Octobris inunctus de more, regni infulas & coronam suscepit. Abrogato fratris testamento Siciliam Friderico minori fratri legantis regnum sibi eripi passus non est, quod agente patre, propensa Siculorum omnium voluntate erat delatum. ab Alfonso Cerda coram, atque à Sanctio Castellæ Rege per legatos vno tempore, de iungenda amicitia sociandisque viribus appellatus, æquiores aures Sanctij postulatis præbere visus est, fortunæ magis fauens, quam causæ, nulla paternæ voluntatis memoria. Cerdarum vires, quæ impetu valuissent, mora consenescere: aduersæ factionis studia indes confirmari augerique, erat exploratum. præsertim ex quo Ioannes Lara Reginæ opera, uti antea dictum est, in partes erat traductus. Eo amplius maioriq; studio Sanctio fauendum putabat, quòd per idem tempus cum Lusitano Rege fœdus ab eo ictum esse nunciabatur, Constantia eius filia desponsa Ferdinando filio Castellæ Principi, paterni imperij hæredi futuro. Castellæ etiam arces & oppida in Lusitani Regis potestatem tradita, ut datæ fidei obsidum instar essent. Itaque Reges Aragoniæ & Castellæ, re per legatos constituta, per causam amicitie sancientiæ Montëacutum conueniunt, loci opportunitatem secuti, quoniam ad vtriusque Regis confines situm est. Nouembris die vigesimo nono fœdus inter Reges factum eosdem amicos inimicosque futuros. neutris apud alteros à Rege suo deficientibus tutum per fugium fore. & quoniam per eos dies à Marrocio Rege Begia (quæ quibusdam Bigerra Balteranorum est apud Ptolemæum Liumque,) rupto fœdere obsidebatur: cautum nominatim, ut in eius belli usum, si res ferret, viginti triremes Aragonius auxilio mitteret. Quæ ut firmiora essent, Isabella ei Sanctij Regis filia nonum agens annum pacta est. Sponsalia Kal. Decembris Sorie præbita: puellaque nondum viro matura in sponsi manus conuenit, spe veniæ à Romano Pont. ob legem propinquitatis impetratæ, cum Regum festinatio moram non ferret. Calataiubæ, quò se Reges post data sponsalia contulerunt, publicæ lætitiæ testimonio, ludi principali apparatu commisi sunt. In his ludicra certamina: quibus Rogerius Lauria, qui Aragonium ex Sicilia comitatus erat, primas ab eximia pugnandi dexteritate tulit. Aragonij proceres à superioribus

20

30

40

ribus annis inter se & aduersus Reges magna contentione tumultuati sunt: prorsus ut aulæ sumptibus modum Alfonso Regi imponerent, leges & magistratus commutandos contenderent, nouo reipublicæ statu collocato. & est quidam libertatis modus, sicut & aliarum rerum, & quædam imperandi mediocritas. Ij proceres Rege Sanctio agente, cum suo Rege conciliati sunt. Anni exitu Reges ex colloquio digressi. barbarusque Rex in Calæciæ littore à Benedicto Zacharia validam classē comparari audiens: præterea oppido loci munitione & nostrorum virtute defenso, obsidione soluta, in Africam nauigauit. Tantis rebus peractis, pax in Hispaniam ex longo interuallo reuocata est: domestici externique hostes pacati. Vnus Ioannes Lara cæteris quiescentibus, turbida cōsilia agitare visus est: neque Regi fidere, neque arma planè deponere. in hunc impetus factus. Moia & Cagnetum, quæ Sanctij dono acceperat, quo tempore Regi suo conciliatus est filij nuptijs pactis, armis ablata sunt. ille viribus diffusus, nulloque in Hispania perfugio, Sanctij diligentia pace inter Reges facta, in Galliam exul abiit. Gonsalvus Toletanus Præsul abeuntis vestigia subsecutus est à Sanctio legatus, Galli Regis conciliandi cura, ne Ioannis delationibus, credulas aures accommodando, alieno animo esset. fœdus cum Aragonijs Gallie hostibus percussum, belli intestini necessitate factum excusabat. Ad hæc Gallus: id haudquaquam fore sibi graue respondit: quin Carolum fratrem Aragonij regni iure vltro decessurum, modò Sanctio auctore Aragonius Siciliam ecclesiæ Romanæ restitueret. Interim ineunte salutis anno M. CC. nonagesimo secundo, à Benedicto Zacharia in Castella maris Præfecto ad littus Africae, nauale prælium commissum cum viginti Maurorum triremibus. victi Mauri. captæ tredecim triremes. Ea res Marrociū Regem, qui Tingi validas copias conuocarat, à cogitatione traijciendi in Hispaniam deterruit: Sanctium Regem ut victoria vteretur prouocauit, collectisque vndique copijs Tartessum Mauris eriperet. quod post diuturnam obsidionem contigit ad vndecimum Kal. Octobris. Lusitanus Rex ut ad id bellum auxilia mitteret adduci non potuit. Regina Hispali per eos dies filium peperit, cui Philippo nomen fuit. Captæ vrbi Rodericus Calatrauæ Magister præfectus primum est, deinde Alfonso Peresius Gusmanius, stipendij quod solui solitum erat, duabus tertijs detractis, se oppidum defensurum recipiens, diues pecunia: quam non modò in Hispania, sed etiam Marrocio Regi aduersus alios Mauros, opera venditata copiosam collegerat: vnde multa oppida in Bætica redempta, atque ad paternum S. Luciferi principatum adiuncta. multa etiam beneficia in egentes collata: quæ illi Boni cognomen pepererunt, superbis aliorum Principum titulis multo præclarius. Ab hoc Afsidoniæ Duces præ cæteris Hispaniæ regulis ditione, opibus, clientelis præstantes generis stemma deducunt. Alfonso enim Ioannes filius fuit, nepos item Ioannes. Huic cum Beatrice Henrici Regis filia notha, Niebla oppidum Comitum nomine accessit, vnde filio & hæredi Henrico nomen Nieblæ Comiti. Henrico Ioannes filius successit, Henrici Regis eo nomine IIII. beneficio Afsidoniæ Dux. Ioanni Henricus filius deinceps Ioannesque nepos, cui Ferdinando Rege Catholico in ora Africae Mellilla vrbe, & Casafæ arce expugnatis, nauatæ operæ merces datus est Casafæ marchionatus. Ioannes duos deinceps filios successores habuit, Alfonso

10

20

30

40

1292

non satis mentis compotem, & eo defuncto Ioannem. Huius hæres Alfonso fuit, nostra ætate Ioannis nepos ex Ioanne filio maiore, qui superstiti patre diem obierat. Hæc de Afsidoniæ regulis. nunc ad Reges sese conuertat narratio.

*Sanctij Regis obitus. Cap. XVI.*



N curam conciliandæ pacis inter Aragonios & Francos Nicolaus Pontifex, Sanctius Castellæ Rex, conuinctis temporibus incumbant. Pontificis conatus quamuis Bonifacio Calamandra milite Hospitalario, ea de causa in Aragoniam legato, mors intercepta pridie Nonas Aprilis nullo successore biennio amplius, ob importuna Cardinalium dissidia. ægras affectasq; res Sanctij diligentia recreauit, qui Galli Regis responso prouocatus Aragonium votis ut sperabat non repugnaturum, Caracam ut veniret ad colloquium inuitauit. Actum ibi de pacis conditionibus. rem tamen integram in nouum colloquium reijci placuit, Lugrunio municipio ad id designato. datisque ab Aragonio obsidibus Regis Neapolitani filijs, Carolus eorum pater, quo maior esset auctoritas, ad colloquium Regum vocatur. Carolus non accessit, incertum qua causa. sed proximo tamen anno Castellæ, & Aragoniæ Reges Lugrunium conuenere. In eo congressu nouæ inter eos suspiciones natae sunt, cum generum socer impotenter habens omnia ad suum reuocaret commodum. ex eo tempore Aragonius animo ab Isabella sponsa alienato, ad nouum coniugium respicere cepit, per speciem ueniæ propinquitatis à Pontificibus Romanis nondum impetratæ: & agente Calamandra ad Iuncariam oppidum cum Carolo Neapolitano collocutus est, arcanò tamen ne res efferretur. tempore tamen cognitum est, de restituenda Sicilia atque de nouis Aragonium inter & Blancam Caroli filiam nuptijs consilia agitata. Interea in Castellâ Isabella Ioannis Laræ iunioris coniuge defuncta, Molinæ principatus iure propinquitatis ad Reges redijt. Ioannes Lara, siue erepti principatus dolore, siue patris inconstantiam & exempla imitatus, & cum eo Ioannes Regis frater, consilio inter ipsos communicato tumultuari cœperunt. Rex prouidus belli intestini, quod futurum metuebat, procurandi studio commotus, eorum mētes omni diligentia sanare tentauit. breui ea tempestas sedata, Regis fratre in Lusitaniam digresso, Ioanne Lara reuocato ad officium. Excursiones, quas in Legionem agrum Ioannes Regis frater iunctis cum Alburquerqueo viribus faciebat, Ioannes Lara senior cum iusta manu, ut reprimeret missus est, paulò ante ex Gallia redux, atque receptus in gratiam. eoq; blandimento agebatur, ut plurimam fidem habendo, Regi tandem fidus euaderet, ingenijq; dexteritate eos motus cōprimeret. sed contra res accidit. victus enim acie in hostium potestatem venit, unde libertate impetrata Taurum ad Regem redijt Beatricis filia in ea vrbe nata, natalibus lætum. mox ad Bæticæ fines tutandos Ioannes Lara cum duobus filijs Ioanne & Nunnio missus abs Rege est, quoniam Granatæ Regem defectionis consilia versare, & Marrociū rursus de Hispania cogitare nunciabatur. Verum totus is apparatus euanuit, Mauris quiescentibus, Ioanneque ipso nostrorum Duce, Cordubæ per idem tempus defuncto. Ea tempestate sedata

ta, noua à Ioanne Regis fratre excitata est, cum Lusitaniam finibus à Dionysio Rege prohibitus, ne pacem ea occasione turbare videretur, nauis conscensa Tingim appulisset. Marrocius enim Rex idoneum hominem nactus, per quem Hispaniam turbaret, benignè acceptum, cultumque honorificè ad Tariffam (hæc Taressus est, atque Carteia, ne quis rerum mutationem, quæ nominum est, putet) expugnandam dimisit. Adiuncti equites quinque millia. vineis, turribus & machinis omnium generum, oppidum impugnatum. Obsessi moenium firmitate confisi, & Alfonso Præfecti virtute prouocati, supremo conatu propugnabant. Accidit, ut Alfonso filius vnicus, in Ioannis & Maurorum potestate esset: quem illi pro muro ostentantes, in patris oculis, ni oppidum dederetur, sese iugulatos minabantur. Ad eas voces pater nihil commotus, cum negaret, proditæ urbis maculam villo incommodo elui, ne si centum quidem filij iugulandi essent: gladio etiam si in sententia perstarent, è muro proiecto ad prandium interritus abiit. Inde militum clamore dissono, & ululatu vehementi, puerum barbara crudelitate trucidari non ferentium, crudele spectaculum, barbaræ immanitatis exemplum, eo scædus, quod Ioannis Principis iussu peractum est, reuocatus Alfonso causa cognita, Credebam, inquit, ab hostibus urbem captam. Itaque ad uxorem & prandium redijt nulla turbati animi significatione. sic affectibus, sic lacrymis potuit heros imperare, cum antiquis comparandus. barbari cum reputarent animis, nullis artibus, nullisque viribus uinci posse, qui filij amore non moueretur, ut fidem proderet officiumq; desereret, desperata victoria redierunt in Africam. Algezira etiam Granatæ Regi ultro restituta est, magna nostrorum lætitia: quorum ceruicibus imminere videbatur, tuto paratoq; Afrorum in Hispaniam traiectu. Quo tempore Henricus Regis patruus Neapoli, ubi tandiu in custodia fuerat, dimissus in Hispaniam venit. eo adiuncto Burgis itum in Viscaiam aduersum Dieghum Harum, eam prouinciam suis & Aragonijs armis subiugare paratam. Diegho pulso, atq; ijs motibus pacatis Vallisoletum reditum, inde Complutum. Vnde mense Ianuario, incunte salutis anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto cognitis Rex ijs rebus, quæ ad Tariffam gestæ erant, litteras ad Alfonso præfectum dedit, quibus fidei constantiam cōmendat, filij saluti prælatæ Abrahæ exemplo. Boni cognitum, quod virtutes peperissent, eximiusque populi fauor, ratum ipsi facit adscribique mandat. Tantis meritis, tantisque laboribus præmia pollicetur. ad complexum inuitat. mutuo, aspectu, gratulationeque maximum fructum capturos scilicet: quando ipsi valetudine impedito, ardenti quamuis studio, ad eum se conferendi facultas non esset. Has litteras Afsidoniæ Duces, fidei à maioribus cultæ monumentum, testimoniumque autographas monstrant, auro gemmisque nobiliorem thesaurum. Tertio post mense omnino septimo Kalend. Maij Rex animum sacris Christianis procuratus Toleti decessit, in eam urbem lætica militari delatus, hominibus inuicem subeuntibus ob ingravescentem vim morbi, quo Compluti tentatus oppressusque erat. Regnavit annis vndecim, diebus quatuor, magnis Principibus exæquatus fortitudinis, æquitatis, prudentiæque laudibus: sed egregiè callidus, sagax, neque vno loco crudelitatis impressa vestigia ad posteritatis inuidiam relinquens. Ferdinandum

dum filium regni hæredem dixit. eius ætatem tuendam, reipublicæque procurationem Reginæ commendauit, nondum iustæ coniugi propter vitium propinquitatis. secundum Reginam, proximum auctoritatis locum Ioannis Laræ esse mandauit, simulata beneuolentia pectore anxius ob memoriam prioris inconstantia, fide tamen fidem redimere, merendoq; flectere saragens, haud ignarus quanta eius morte reipublicæ imminerent mala. Corpus in sacello regio, quod ea tempestate retro aram maximam erat, tumulatum est. Mortuo habitus honores, decreta laudatio. de rebus gestis non vna opinio fuit. turbidæ certè tempestatis vim, fortunæque impetum superauit: regnumque sibi, & posteris, armis asseruit: in quibus sunt iura regnandi. Sanctio Rege in Aragonia 10  
Guillelmus Galuanus, in Castella Garfias Hispanus iuris vtriusque peritissimi sunt habitus, priuati & publici, sacri atque profani. Edidit Garfias commentaria in Epistolas Pontificum decretales.

*Fridericus Rex Sicilia salutatur. Cap. XVII.*



ER hæc tempora Romanam ecclesiam obtinebat Bonifacius eo nomine. VIII. Celestini. V. successor, eius qui ex eremo consentienti Cardinalium suffragio ad supremum ecclesiæ honorem vocatus, cum humeris impar onus esset, sexto initi pontificatus mense, spontè abdicauit, exemplo quod posteritas admiraretur, laudarent omnes, imitaretur nemo. Eo maiore successoris inuidia, quod eremum repetentem otij cupiditate, retrahi custodiaque mandari curauit, veritus ne motus aliquis existeret, multis abdicacionem vitiosam esse disputantibus. Defuncti in custodia post annum & sex menses memoriam Clemens. V. consecrauit: Ludouicum Regem Gallia hoc ipso anno Bonifacius: eorumque nomina templis addita. 20  
,, Extat Celestini elogium in Petrarche libro secundo de vita solitaria. Papatum, 21  
,, inquit, quo nihil est altius (rem tam exoptatam tamque mirabilem, vt ab admiratione ac stupore dictam ferant) quis vlla ætate præsertim ex quo tanto in 30  
,, pretio esse cœpit, tam mirabili, & excelso animo contempsit, quàm Celestinus 30  
,, ille pristinum & nomen & locum & amicam bonis moribus egestatem appetens? Audiui narrantes qui viderant, tanto illum fugisse cum gaudio, eaque 30  
,, signa lætitiæ spiritualis, oculis ac fronte gestantem, dum à conspectu concilij iam tandem sibi redditus, ac liber abscederet, quasi non humerum blando 40  
,, oneri, sed collum diris securibus subduxisset. Bonifacij opera, vt erat à multo rerum vsu, & magnarum artium disciplinis instructus præclare, quod toties frustra tentatum erat, inter Francos & Aragonios pax facta tandem est Anagninæ: quo Carolus Neapolitanus Franci & Aragonij legati, viri ex vtraque gente principes ad Pontificem conuenerunt. fœderis hæc leges scriptæ. Aragonio Blanca Neapolitani filia nubito. dos dicta, argenti pondo millia ad septuaginta. Sicilia & quidquid Aragonijs armis in Brutijs & magna Græcia fuit ablatum, ad ecclesiæ Romanæ ius redito. Si Siculi recuserint, Aragonius copiarum tantum dato, quantum arbitri iudicarint. Carolus Valesius iure abscedito, quo Aragonium regnum armis vindicare parat. A Pōtifice Romano interdicti, atque

que anathematis religione exoluuntor, quoscunque ea controuersia implicauit. Obsides liberantor. De Baleari Rege actum. summaque Galli Regis & Pontificis contentione impetratum, vt restitueretur in regnum. Hæc palam iactata. Ex arcano tamen Sardinia & Corsica spes Aragonio iniecta dono Pontificis: quarum imperium ob locorum propinquitatem commodissimum iudicabat. Extant de eo fœdere Bonifacij litteræ vigesimo septimo die Iunij promulgatæ. Quæ res fama vulgata, ceteras quidem orbis Christiani partes lætitia compleuit: Siculis autem grauissima extitit, extremum malorum putantibus, ad Gallorum imperia redire. Itaque Fridericus (quem frater discedens rebus præfecerat) & cum eo Rogerius Lauria, Ioannes Prochita, & Manfredus Lancia viri primarij Pontificis rogatu, & de fœderis euentu solliciti, ipsum adierunt ad littus Romanum excensione facta. Catharina Philippi filia, neptis Balduini Augusti Friderico modo ne pacis conditionibus vnus obsisteret, despondebatur spe dotali Græci imperij communibus armis, atque viribus recuperandi. neq; is detrectabat conditionem, si verbis responderent facta. Aragonius semel & iterum à Siculis per legatos ne se in discrimine desereret interpellatus, cum studio pacis, conceptaque semel animo religione de sententia non decederet: Panormi tandem, vbi ea de causa generales regni conuentus agebantur, Fridericus Rex est Siciliae renunciatus. Iacobo fratri noua vxor conubio iuncta. Nuptiæ ad Villam Beltranam celebratæ Octobri mense sunt. Isabella repudiata, dimissaq; in Castellam. Aragonij proceres Regis edicto ex Sicilia euocati. sic magnarum rerum initia motusque graues, lætum & iucundum exitum habuere, pace Aragonijs reddita, neque amisso penitus Siciliae imperio, in quam haud obscure nouorum bellorum tempestas vertebatur. Vascones sub imperio Gallico quiescebant, Hugone Confluentio Franco, Campania in Gallia Marefcalo, prouinciæ moderatore. Singulæ vrbes & arces præfectis, ex vtraque gente promiscue condebandantur. nonnullum id inuidiæ leuamen erat in externum principatum passim conceptæ animis, quod Galli non omnia sibi arrogarent. (?)

*Libri Quartidecimi Finis.*



# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XV.

*Novi in Castella motus. Caput. I.*



**I**N Castella res tranquillæ esse non poterant. proceres in studia scissi tantum sibi quisque in republica auctoritatis tribuebat, quantæ inerant vires. multitudo sine rectore præceps, pauca, socors, auida rerum nouarum, vitio humanæ naturæ præsentibus futura commodiora fore putantis. pessimo cuique vt in discordia ciuili plurima vis. per vrbes, oppida, agros scelera, latrocinia, cædes, quæ vindictæ studio, odioque implacabili, quæ avaritia in sæuitiam degenerante. domus effractæ, direpta bona, abacta pecora: vbique luctus, & miserabilis rerum facies. Reginæ auctoritas fluxa, Regis nondum coaluerat propter ætatem: tamen à morte patris die proximo Toleti fuerat Rex salutatus, cunctaque ipsi decreta, quæ Principibus deferri solita erant. A Regina vectigal sublatum, quod ex annona redactum Hispanorum lingua Sisa vocatur: & à Sanctio Rege inuectum, magnam eius inuidiæ partem conflauerat, qua ipsi flagrare visi sunt. Id blandimentum à prudenti scemina datum, multitudinem in fide retinuit in tanta omnium fermè Principum & Regum ad arma consternatione quasi ad prædam accurrentium, nemine prohibituro. nam bellandi causæ in ea temporum colluuiione deesse non poterant. Ioannes Lara in quo plurimum præsidij esse debuit, ad hostes non obscure inclinabat, inconstans natura, memorque sub Sanctio ob fidem suspectam discrimen adijssè. inde causâ irarum, spes ex reipublicæ malis ditionis amplificandæ, oppida recipiendi, quæ superiori tempore erant ablata. Henricus longa captiuitate, irritato potius ingenio quàm mitigato, turbidus natura & inconstans, malisque artibus assuetus, in regni procurationem inuadere cogitabat, grauissimam iniuriam interpretatus, quod ad nullam reipublicæ partem defuncti Regis testamento vocatus esset. Eo studio ad Valeranicam priuati, clandestinique multorum primùm conuentus habitus: multa deinde, fama vulgata, circum oppida in fraudem inducta. Burgique vrbs regia in primis eos conatus iuuabat. Vallisoleti ea de causâ regni conuentus agitati, tanta procerum in Henricum propensione, vt Regem & Reginam aduenientes non ante diei vesperam in municipium admiserint, idque comitatu relicto, quo maior discernendi libertas esset. In eo conuentu regni quidem procuratio Henrico decreta est. Regis educandi cura penes Reginam mansit. Cuncti qui aderant, in pueri Regis verba nouo sacramento adacti. A Diegho Ha-

10

20

30

40

ro

ro per fines Vasconum in Viscaiam impetus factus est: quem principatum Sanctius Henrico filio legarat, tanquam iure belli quæsitum. præter Balmasedam, & Orduniam, cætera eo tractu oppida, pars vi pars voluntate occupata à Diegho Haro: cuius conatibus Laræ fratres enixè fauere cœperant, veteri vtriusque familiæ contentione deposita, odioque Henrici, quem rebus esse præfectum agrè ferebant, Sanctij Regis testamento mutato, irrita voluntate. Ioannes Regis patruus ex Africa vbi eatenus se tenuerat, Granatam appulsus, regnum sibi Castellæ vendicabat, in eo Sanctij fratris exemplum secutus, Ferdinandumque fratris filium illegitimis nuptijs procreatum esse accusans. immane quam multos ea religio abalienauit. Eius armis ad fines Portugalix Alcantara, nonnullaque alia oppida occupata sunt. Dionysius Lusitaniæ Rex in partes attractus, quo tempore Vallisoleti regni conuentus agebantur, puero Regi per seiales bellum indicere non dubitauit. Res trepidæ, metus ingens, bellum improuisum. quæ mala tolerari potuerunt, nisi vt nunquam in vno gradu resistit calamitas, maior belli moles ex Aragonia vrgeret. Ianuarij die vigesimo primo, anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto Bordaluæ in agro Harisæ Aragonium inter & Alfonso Cerdam Regis Castellæ & Legionis titulos vsurpantem fœdus ea lege factum, vt communibus armis auitum regnum Alfonso recuperaret, Murcia Aragonio cederet: Concha, Alarconium, Moia, Cagnetum, Petro eius fratri præstandæ operæ merces, quoniam futuro bello Dux erat destinatus. Violantes Alfonso auia, Reges Gallix, Lusitaniæ & Granatæ eo fœdere comprehensi. Ioannes Lara spe Albarracini recuperandi ad Aragonios abiit. Dieghus Harus Castellæ Regi conciliatur, Ioannis perfugæ ditione attributa adiunctaque ad Viscaix principatum. Ab eo principio Reginæ artibus multi proceres in partes attracti sunt, ac nominatim Ioannes Alfonso Harus Camerorum principatu, quem quasi hereditario iure debitum ambiebat, donato. præsidia aduersus ingruentes vndique tempestates comparabantur. Mense Aprili Aragoniæ copiæ in Castellæ fines penetrarunt Alfonso & Petro Ducibus. Legionem vsque castra promota, opulentam quondam urbem, viris, armisque, tunc ad exiguum ciuium numerum redactam: eoq; ciuium ditione sine sanguine in potestatem venit. atque in ea Ioannes Ferdinandi Regis patruus Legionis, Calæciæ, atque Hispalis Rex est salutatus. ad S. Facundi oppidum Alfonso Cerdæ, Castellæ regnum pari celeritate delatum. sic erat icto inter eos fœdere cautum. Maiorgam vigesimo ab vrbe Legionis lapide castra promota. quod municipium dum mœnium firmitate, & præsidij virtute defenditur, obsidio ducta est in mensem Augustum. Quo tempore proceribus Castellæ, atque urbium conuentibus Vallisoletum euocatis, Primus Henricus eò delatus Reginam in arce sacris operantem, vt erat paludatus accedit. secundum salutem, quantum periculum impendeat rebus, simulato mœrore explicat. A tribus Regibus in tuam perniciem coniuratum, non ignoras. hos sequitur magna prociæ procerum pars. aduersus tantam tempestatem, in te scemina, me sene, Rege puero quantum præsidium? arte vires adiuuandas censeo. Iniuria, inquit illa, filium paterno imperio spoliare parant. superis innocentem ætatem curæ fore non diffidimus. id certissimum præsidium causæ spesque. Esto Henricus ait.

1296

ait. non vôtis tamen, & muliebribus lacrymis numina placantur. vigilando,  
 agendo, mentemque in omnes partes vertendo, pericula procuranda. sic sæpe  
 in magnis periculis respublica conseruata est. in somno, ignauiaque certum  
 exitium. Vt Petro Aragonio cælibi cælebs connubio iungaris, consilium do,  
 vrinam tam gratum,quàm salutare. possum exempla commemorare multa, &  
 præclara principum fœminarum, quibus & filijs id salutis fuit, nulla populi re-  
 prehensione. Exhorret illa ad insolentiam nouæ vocis. Apage, inquit, tantum de-  
 decus, infamiamque. regnum filio paterna contumelia conseruare, nunquam  
 inducam in animum. neque externa exempla imitabor: cum domestica suppe-  
 tant, illustrium fœminarum, quarum integra fama vitæque cælibe filijs in tene- 10  
 ra ætate imperia steterunt. non deerunt præsidia, viresque. vitæ innocentia  
 magis quàm vlla arte superum auxilium constabit. si certum periculum sit, per-  
 stare tamen est animus, neque filij maiestatem suscepta turpitudine fugillabo.  
 Sic Henrici consilium repulsum est. Conuenerunt ad quatuor millia equitum.  
 Vt ijs copijs Maiorgæ obsidio dissiparetur adduci Henricus non potuit: cum  
 Bætici belli necessitatem excusaret. Zamoram modò itum, quoniam in fide  
 nutabat. deserta pene omnia, Diui indigetes sustentarunt. mora, residente pri-  
 mo cum quo hostes venerant impetu, calor ætatis, cæli grauitas, rerumque om-  
 nium inopia, morbos in exercitu vulgavit: & Petro Duce extincto, coegit in pa- 20  
 triam redire, nulla re præterea memorabili, numero imminuto, nam mille equi-  
 tes cataphracti, peditum quinquaginta millia venerant. Rex Aragonius eod-  
 em tempore in Murcia fines inuectus meliori euentu bellum gessit. Murcia  
 vrbe & omni circum tractu ad imperium adiuncto, Castellæque detracto, Al-  
 cala, Lorca, Mula exceptis, quæ in fide Ferdinandi perstiterunt. In tantis moti-  
 bus, tantoque reipublicæ discrimine Henricus, penes quem rerum procuratio  
 erat, in neutram se partem fortiter commouere, mediam personam gerere, vi-  
 derique quencunque cursum res habuissent, fortunam in consilio habitur-  
 us. vnde neque ab hostibus gratiam promeruit, & prouincialium odium gra-  
 uissimum incurrit: suspicioque eius sponte bellum excitari, cunctaque quæ eue- 30  
 nerant mala non inertia militum, neque hostium vi, sed eius fraude conti-  
 gisse. Regina mutua dissimulatione aduersus Henrici artes pugnabat, alij pa-  
 lam præstanti fide proceres. In hoc numero Alfonso Gusmanus principem  
 locum omnium confessione obtinuit, aduersus Granatæ Regem Bæticiæ fines  
 tutatus, Henricique conatibus, quod grauius certamen fuit, vnus maximè obfi-  
 stens. Is enim sermonis vitandi causa, & ne nihil ageret, delectu militari habi-  
 to in Bæticiam abiit Maurorum irruptiones prohibitorus. ad Arionam tamen  
 commissa pugna victus, discisis fortè habenis, quibus equus regebatur, ne in  
 hostium potestatem veniret, ab Alfonso Gusmanio, nam pugna interfuit equo  
 altero commodum præbito seruat. secundum eam pugnam de fœdere cum 40  
 Mauris instaurando actum. Granatæ Rex Tarissam petebat Quæsadæ & alia-  
 rum duarum & viginti arcium permutatione. viginti aureorum millia addi-  
 turum, pollicebatur. præterea quatuor annorum vectigal, quod pendere soli-  
 tus erat, repræsentaturum continuò. In ea rerum difficultate, fisci que tenuitate  
 Henrico quidem eæ conditiones probabantur, Alfonso repudiabat. fidem ha-  
 beri

beri barbaro, Tarissam reddi, vtrunque incommodum nostris rationibus dis-  
 putabat. res ad arma spectabat. accensa contentione Mauri suis nostrisque vi-  
 ribus, quo quid exitius esse poterat? eam urbem obsidere parabant. Alfonso  
 domesticis opibus destitutus, externa præsidia conquirere statuit. Lusitanus in-  
 fensus erat, atque in armis. Aragonium Regem tentare placuit, si nominis Chri-  
 stiani ignominia moueretur, his ad eum litteris. Graue est oneri prius, quàm  
 vsui esse. sed communis patriæ salus, & religionis respectus cogit, ad tuam  
 opem confugere. quod facio nihil pro me sollicitus, cui exitium parari libens au-  
 direm, si ibi malum sisteret, mortemque in tantis malis, vt finem miseriarum  
 expectarem. reipublicæ me pudet & miseret, non magis externis armis quàm  
 intestina, pro scelus, quorundam perfidia labefactata, atque oppressa. Quid  
 enim grauius esse potest, quàm ab ijs exitium comparari, qui præsidio esse de-  
 bebant? quid periculosius, quàm in simulatione officij, & vtilitatis insidias te-  
 gi? Tarissam nostræ fidei concreditam barbaris reddi volunt, mandantque. For-  
 tissimo scilicet aduersus Africæ vires propugnaculo, Hispania nudata rebus  
 turbatis regnare ipsi soli cupiunt, atque in communis patriæ ruinis exultare,  
 egregij nimirum atque præstantes viri, regni gentisque protectores præclari.  
 Nobis deliberatum est, pro qua fide filij mortem antea cõtempsumus, eam quod  
 reliquum est, nostro sanguine & vita tueri. Pecuniam si mutuam miseris ma- 20  
 rique auxilia, hanc urbem tuo Rex inuicte nomine obtinere polliceor iuroque,  
 dum erit adulto Ferdinando Rege, de sumptibus satisfactum. Tu si quid offen-  
 sionis est, debes id totum patriæ caritati condonare: gloriosumque ducere, pupil-  
 li Regis ætatem, ab iniuria externa, domesticaque fraude tutari. Ad hæc Ara-  
 gonius fidem, constantiamque Alfonsi laudare: cæterum, iccti paulo ante fœde-  
 ris religione prohiberi. quod si esset à Mauris violatum, non moraturum spem,  
 neque communi causæ defuturum. Interea Lusitana arma mouebantur. Dio-  
 nysius Rex, cum suorum manu Salmanticam progressus est. Assuere Ioannes  
 Ferdinandi Regis patruus, & Ioannes Lara Aragonijs copijs reuersis in pa-  
 triam. De belli summa deliberatum. placuit Vallisoletum, vbi Rex Ferdinan- 30  
 dus erat, obsideri. ad Septimancas cum esset peruentum octauo ab ea vrbe la-  
 pide, dilapsis Castellæ proceribus, plerisque indignum iudicantibus Regem  
 impugnari, obsiderique à suis: Dionysius veritus ne id exemplum ad cæteros  
 pertineret, obsessisque vijs reditus esset difficilis, præsertim vrgente iam hye-  
 me, magnis itineribus Medinam Campestrum primùm, inde dimissis copijs in  
 regnum contendit. Reginae copiae, quas ad defendendum bellum paratas ha-  
 bebat, eius iussu Paredes municipium obsederunt nullo operæpretio: cum Hen-  
 ricus delectu in Carpetanis atque Vaccæis habito, cum apparatus dissi-  
 passeret. regni conuentus, qui Vallisoletum indicti erant, ob locorum vicinita-  
 tem disturbari nolebat. sic videri voluit, re à Ferdinando Rege alienatus, ho- 40  
 stiumque causæ impensè fauebat. Eæ fraudes Reginae patientia eludebantur,  
 simulataque beneuolentia: nam eodem tempore Gormatium & Calecanto-  
 rium oppida Henrico donata sunt. eadem arte Ioannes Lara ad officium retra-  
 ctus, quamuis ancipiti fide, & si Albarracinum traderetur, ad Aragonios redi-  
 turus. regni conuentus Vallisoleti habiti salutis anno millesimo ducentesimo  
 nonage-

nonagesimo septimo auspicante. In ijs conuentibus, quoniam pecuniæ difficultas maxima erat, grandis summa à populis in belli vsus promissa, & post modum repræsentata est. Quo tempore Ioannis Hari virtute, Vascones qui Anagari vrbs partem improviso aduentu occuparant, & repetitis antiquis iuribus Riugiam vniuersam armis occupare parabant, pulsi sunt. Iacobus Aragonius Rex Romæ, quo se accitu Pontificis contulit, Sardinæ & Corsicæ Rex est renunciatus. Venerunt ex Sicilia Constantia mater, & Violantes soror, Rogerius maris præfectus, Ioannes Prochita. Auspice Pontifice Bonifacio, vt antea erat per legatos constitutum, Violantem inter, & Robertum Calabriae Ducem Regis Neapolitani hæredem designatum, nuptiæ principali apparatu celebratæ sunt. Aduersus Fridericum, Siciliae regnum semel susceptum armis tueri parantem, communemque orbis Christiani pacem disturbantem, bellum decretum, Duce ipso Aragonio fratre: quo quid inhumanius esse potuit, quàm armari fratrem in fratrem, naturæ iura resolueret? sed tanti fides, religioque fuere, imperiosi Pontificis mandata. rebus constitutis Rex quidem bellum comparaturus in Aragoniam redijt. Rogerius Lauria Neapolim missus, Carolo operam nauaturus. Constantia & cum ea Ioannes Prochita Romæ hæserunt, siue religionis studio, siue rebus fessi, Siciliaeque miserati casum. Sunt qui defunctos Romæ affirmant. verior tamen fama tenuit, & idonei auctores testantur, Constantiam Reginam, quinto post anno Barcinone defunctam, sepultamque in Minorum æde: vbi extat cum inscriptione tumulus eius nomine.

*Ferdinandi Castella Regis sponsalia. Cap. II.*



1298 **A**RAGONIO in patriam reduci Lerda, Vlia, Filera, Saluateraque, vt erat Agnaniæ foedere cautum, à Vasconibus reddita sunt. Anno proximo millesimo ducentesimo nonagesimo octauo Vasconum Prætorum pro Gallis Alfonso Ronæo, natione Gallo, Albarracinum de cuius possessione tandiu certamen fuerat, Ferdinando Aragonij Regis fratri notho ablatum, Rege ipso auctore atque iubente: traditumque Ioanni Laræ, qui meliori iure niti videbatur, patremque iniuria spoliatum constabat, aut fingebatur. honesta species, sed hominis præpotentis conciliandi, in partesque trahendi præcipua cura suberat. Valentis is septimo Idus Aprilis fidei constantiam iurauit, maiorem quàm antea scilicet. Hæc ab Aragonio præsidia comparabantur, vno tempore Castellam Siciliamque armis inuadere cogitanti, validiori quàm pro ditione proque opibus conatu. Siciliae quidem Rex ab omnibus destitutus, iniuriæ opportunior futurus erat. à Castellæ Rege Dionysius Lusitanus in partes attractus inito foedere, quod gemina affinitate firmatum est. Constantia Dionysij filia, nondum quamuis matura viro ætate, connubij foedere, vti ante conuenerat, iuncta Ferdinando est. Alcanitij, quo in oppido non procul Zamora vrbe ad fines Portugalis, pacis sancientiæ causâ conuentus Regum erat, solennitas peracta eò maiori publicæ lætitiæ significatione, diurnæque concordie certiori spe, quod Beatrix Ferdinandi Regis soror Alfonso Dionysij filio & hæredi, octo nato annos desponsa

desponsa est: & quo maior esset fides, de matris Reginæ manu socero tradita, atque in Lusitaniam missa, tanta ad concordiam animorum propensione, vt cum dotis nomine nihil constantiæ esset datum, Oliuentia Conguela, & Campus Moia (oppido id nomen est) Lusitanis accesserint, nonnulla maiestatis sigillatione timoris significatione maxima: sed tanti erat temporum conditio, & reipublice perturbatio, vt suscepto etiam dedecore, pacem redimere non vererentur. datum modò à Lusitano in patriam discedente, vt trecenti equites delecti Castellæ Regibus operam nauarent, Duce Ioanne Alfonso Alburquerqueo, aduersus Ioannem Ferdinandi Regis patrum, qui se Legionis Regem dixerat, vt paulò ante dictum est. Maiori apparatu, quam successu expeditio fuit. nulla enim re memorabili Lusitani equites in patriam redierunt. contra Almasanum ad Aragoniæ fines, aliaque eo tractu oppida ab Alfonso Cerda, præsidij sunt occupata. Segontia à Ioanis Laræ militibus tentata in Celtiberis, eximia ciuium virtute in fide perstitit. Pecuniæ difficultate, cum cætera prona essent, maximè coniurati laborabant. quæ ne in stipendium deesset, regijs insignibus, & nomine percussa est, metallo non probo. experientibus pars multò maxima decoquebatur. Dionysius Lusitanus à Rege genero sollicitatus cum iusta manu per Mirobrigæ (ca ciuitas Roderici vulgo est) fines ad ferendam opem occurrit, maiori pacis studio, quàm res turbatæ postularent. Itaque nullo operæ pretio facto, irato similis in Lusitaniam redijt. Ioanni regios titulos vsurpanti Calæciam, quàm armis inuaserat, relinqui perpetuo iure volebat: Legionem urbem, dum viueret. Regina & Castellæ proceres consilium repudiabant: in quo pacis specie, grauis ignominia, regni viribus nobilissimæ prouinciæ detractione imminutis, iniuriæque publica continebatur. Lusitani tamen Regis reditu, quos metus in officio continuerat, procerum tumultus concitati sunt, importuno sanè tempore regni perturbationem ad occasionem vindicandi iniurias ditionis ve amplificandæ vertentium. Reginæ patientia singularis, vltro eorum cupiditatibus occurrentis, oppidaque & arces, tranquillitatis reuocandæ causâ donantis. & est sapientis rectoris rebus commotis, quacunque re putat, ad rempublicam iuandam posse homines adduci, ea vti: nemoque ita in arma promptus est, vt non idem pretium quietis quàm periculi malit. De Sicilia imperio vario belli euentu certabatur. Rogerij Lauriæ conatus Gallicis partibus iuandis eximij, vt in quancunque partem se daret, victoriam, felicitatemque secum ferre videretur. Eius diligentia multa oppida in extrema Italiae ora Siculis adempta. quo merito perduellionis lege postulatus, damnatusque, ampla ditione, quam in Sicilia obtinebat Regum priorum donum, virtutis præmium, spoliatus primùm est. mutatae fidei crimen obijciebatur. deinde vertente fortuna ad Catanzarum in Lucanis dum vrbe recepta, arcem obsidet, à minori hostium numero victus est. Hostium despectus malo fuit, semper in bello exitialis, & quoniam aduerso Sole pugnasse fama est. multi in pugna ceciderunt. plures noctis beneficio seruati. Rogerius ipse Dux inflicto vulnere in vicina oppida, deinde in Aragoniam euasit, præceps in vindictam, eò maiori ignominie dolore, quòd præter consuetudinem acciderat, superioribus pugnis victor. Ex Aragonia Rex Rogeriusque bello Dux foederatorum Principum consensu destinatus

stinatus, numerosa classe instructa, in qua octoginta triremes erant, idonea tempestate soluerunt. Romæ à Pontifice lustrati sacra prece. Neapoli Robertus Calabriæ Dux adiunctus. Siciliæ littora tentata. omnia spe faciliora. primo aditu inuenta. Pacti (quæ vrbs Ptolemæo Agathyron esse creditur) aliæque eo tractu arces occupatæ. mox circumducto Peloro, fretoque enauigato, Syracusæ diuturna obsidione mari terraque fatigatæ. locorum longinquitas, Patenses ciues prouocauit, vt pulso Aragonio præsidio ad Friderici Regis ditio-  
nem redirent, arcemque viribus omnibus impugnandam susciperent. Ioannes Lauria datis abs Rege Aragonio viginti triremibus auxilio obsessis accurrit. re confecta instructaque arce comæatu, in reditu a Messanensibus classe instru-  
cta, tum ipse, tum sedecim triremes captæ sunt. fretum vorticibus infame, temereque in modum venti nunc huc, nunc illuc versis fluctibus velut monte præcipiti deuolutus torrens Siculos iuuit: Aragonijs ob inscitiam nauigandi exitio fuit. Interea Syracusani eximia virtute propugnantes, Rege Friderico vicinis locis ad omnem occasionem excubante, Aragonios soluta obsidione discedere compulerunt. & erat exercitus imminutus. decem & octo millia capitum desiderata. insuetus calor, cæli insolentia, rerum inopia morbos vulgauerant. Ioannes Lauria iussus è vinculis causam dicere Messanæ lege perduellionis, capite pœnas soluit, Rogerij patruï dolore incredibili: in quem ea ignominia redundabat, dolor proprius. Erat is Aragonium Regem in Hispaniam profecutus. vnde circumacta hyeme maiori conatu in Siciliam reditum est, Roberto atque Philippo Caroli Neapolitani filijs ex itinere adiunctis. ad Orlandi promontorium non procul vrbe Pacti, classe appulsum: in qua sex & quinquaginta triremes erant. Fridericus ex superiori victoria, auctis suæ gentis animis minori numero nauium, omnino quadraginta, ausus prælij fortunam tentare victus est. naues pars captæ, pars in fugam versæ. in captiuos à Rogerio præfecto sæuitum, vindictæ studio: magna Catalaunicæ gentis inuidia. Fridericus naue ex qua pugnabat capta, in scapham desiliens Messanam abiit. Aragonius causis siue veris siue simulatis, in patriam est reuocatus, non absque Pontificis Romani, Neapolitanique Regis obtrectatione. saniores factum probabant. & erat stultum alienam rem suo periculo curare. erga fratrem sublata contentione, humanitas misericordiaeque successerat. Commissa ea pugna est ad quartum Nonas Iulij mensis, in paucis ea ætate memorabilis. Galli vt victoriam vrgerent in Sicilia relictæ, diuisis copijs bellum gerere constituunt. inde certa calamitas. Robertus & Rogerius Lauria Randalum firmum ijs locis Pactim inter & Catanam medio fermè interuallo municipium obsident. cum classis parte Philippus Tarenti Dux ad tentanda Lilybæi littora missus, Friderici Regis aduentu improviso victus acie, captusque est. inde inter vtraque gentem societatis amicitiaeque iungendæ copia bello potior, vt mox ostendet narratio.

*Annus Iubilei. Cap. III.*

ANNVM



ANNVM secularem Bonifacius Romanus Pontifex clausit, ex Romanæ vrbs Iudaicique populi institutis lege temperata lataque in perpetuum: vt centesimo quoque anno venia peccatorum donarentur quicumque Romana templa venerabundi inuiserent plena religione, vetustate sancta. Ad Romanæ maiestatis reuocandæ, religionisque amplificandæ cultum, id institutum pertinebat. quod Clemens V I. anno quinquagesimo: ac longo interuallo Sixtus III. quinto quoque & vigesimo nouis id legibus fieri sanxerunt, memores humanæ mortalitatis, vitæque exiguis plerunque annorum spatijs circumscriptæ. Magnus mortalium concursus ad rei famam in Urbem factus. in his Carolus Valesius secundis nuptijs Catharinæ Philippi filia, neptis Balduini coniux, Græcorum imperium quasi dotale recuperare contendebat pollicitus, si id contingeret, bellum in Syria pridem intermissum, fore instauraturum. Honorificum id Bonifacio erat, eius ætate auspicijsque pia arma repeti: Carolo haud irrita vota, modò cum iusto exercitu in Italiam primo tempore redeunti pollicebatur fore. In Cantabria Dieghus Harus Lupi frater, eius quem ad Alfarum Rege Sanctio cæsum diximus, Viscariæ principatu parto ad Neruij ripam, quod flumen incolæ Ibaifabellum à latitudine vocant, Bilbaum oppidum construxit, Viscariæ totius nobilissimum, octauo à litore milliari, eoque propter maris subuectiones frequens commercio: & quoniam Bermei mercatores loci commoditatem secuti, eò plerique commigrarunt. Incolis datum, vt Lugrunij legibus viuerent. Iherdæ ab Aragonio Rege publicæ scholæ iura data sunt. litterarum professores magnis præmijs euocati constitutique in ea vrbe. Quo tempore Vasconibus Alfonso Roleedus pro Gallis Præfectus erat: nihil insignis in ea gente, nisi, quod est præcipuum, festa pax alijs Hispaniæ partibus bello continuò quassatis. Eo auctore Vallisoletum missa legatio per causam à Regina Castellæ, cuius auspicijs vsque dum respublica steterat, expetendi quidquid ab Ataporca (oppido id nomen prope Burgos est) ad regni fines peruebat, vi & armis magis quàm vllò iure olim ablatum. Regina legatis accuratè & liberaliter habitis, negabat tamen Galli Regis voluntate id expeti. recentissimæ cuiusque possessionis vsu, potiùs quàm exoletis vetustate exemplis & tabulis stare ius imperandi affirmabat. Re infecta abeuntes legati, vnde certior spes pro quibus venerant impetrandi, ad Alfonso Cerdam & Ioannem Laram se contulerunt. Tentata ij Palentia, ac tantum non ciuium prodicione capta Donnijs se tenentes, de alienæ ditiois oppidis liberales exire. Missus in Galliam Ioannes Lara, vt de omnibus pactioibus præfens ageret: Gallosque ad opem maturè ferendam incitaret. Parum ea diligentia profectum: ac ne Cerdæ quidem fratres Ioannis vestigia subsecuti, vltra speciosa verba quidquam retulerunt: cum belli Flandrici, quod vtriusque gentis supremo conato gerebatur, quàm longinqui potior cura esset. Icto tantum foedere, permissu Philippi Regis delectus in Vasconibus est habitus. Militum manus ea parte in Calagurritanum agrum inuasit. Ioannes Harus Camerorum regulus eos acie superauit, capto eorum Duce Ioanne Lara, neque ante in libertatem reddito, quàm arces & oppida omnia restituit, quæ eius fidei erant

Yy

erant

erant concredita, integram præterea fidem & constantiam iuratus. Quæ res Aragonium quidem Regem impulit, ut Albarracinum urbem Ioanni datam, sui iuris faceret: Ioannis autem patruī Ferdinandi Regis animum perculit, ut armis positis, in quibus contra adolescentis Regis resurgentes vires parum præsidij fore sperabat, ad pacis consilia traduceretur. fœdus salutis anno millesimo trecentesimo primo ea lege factum est, ut Regis nomine posito, urbibus atque oppidis redditis, quæ belli tempore occupata erant, Viscariæ etiam principatum dotalem Diegho Haro relinqueret, Medinæ à sicco flumine, Castri Nunnij, Mansillæ, Paredum, Cebreri permutatione. quæ novos motus vitandi causa, & ut esset unde vitam principalem sustentaret, Ioanni abs Regibus donata sunt.

*Raymundi Lulli obitus. Cap. IIII.*



VAE res in hunc annum inciderunt neque minutæ, neque insignes maximè: sed hoc tamen loco commemorandæ. Raymundi Lulli exitus, multa sanctitatis doctrinæque fama: Calatrauæ Magistro Garciæ Padillæ facta iniuria, honore quem gerebat detracto. Raymundus gente Catalaunus in Beleari maiore natus, iuuenis mercaturam exercuit spe quæstus, maiorum vestigia domesticamque laudem in eo secutus. cum ætate rerum humanarum tædio abscessit in solitudinem, vitato hominum congressu. Quo tempore artem conscripsit, quæ nouis tramitibus, compendio in artium ingenuarum, philosophiæ, atque ad eò diuinarum rerum cognitionem inducit, magno hominum miraculo: cum litterarum omnino expers, ut ne Latinè quidem sciret, sermone patrio viginti amplius voluminibus, iusti ponderis euulgatis, ea de rebus tum diuinis tum humanis tradat, quæ vix, ac ne vix quidem expoliti doctrina homines assequantur legendo. ut præstigiæ oculorum, & ludibria potius artium, quàm veræ artes quibusdam videantur. Ipse ea se diuinitus accepisse confirmat, in monte obiecta Christi Dei specie, quasi cruci affixi. eò haud dubium meritis laudem, quòd studio religionis in Africa propagandæ Bugiam in ora Mauritanæ delatus, cum operi insistens, monendi castigandiq; finem non faceret, lapidibus petitus occubuit. Corpus in Balearum maiorem translatum, magnam à populis venerationem habet, tantum non memoria consecrata, nomineq; in fastos dato. De libris non vna opinio fuit, plerisque accusantibus, quasi ineptos noxiosque, alij defendunt, quasi delapsos cælo, humanæ ignorantie remedia. Quingenti errores de religione ex ijs libris decerpti nihilominus, Gregorij X I. Pontificis Maximi iussu Auenione anathematis ignominia notati, agente Aymerico ex Prædicatorum ordine Inquisitore aduersus hæreticos in Hispania. Ex ijs propositionibus Petrus Tarraconensis Præsul centum euulgauit, Directorij Inquisitorum parte altera. in quibus si verum fateri conuenit, non pauca duriores sunt & absonæ, cum ecclesiæ placitis pugnantes. Sed nos bardis crassoque ingenio assequi non possumus ea, in quibus Raymundi sectatores reconditas significationes, & arcana maiora contemplantur, melioribus oculis.

an hallucinantur potius & videre se fingunt, aut somniant, quod non vident: & digito conantur ostendere, quod nusquam est? quorum est nostra etiam ætate magnus numerus, schola etiam Barcinone ijs libris explicandis dicata, conquisitis lectitatisque postquam reprobati sunt. habendi licentia obliuionem attulisset. de Raymundo hætenus. Calatrauæ Magistrum inuidia euerit sui ordinis concepta animis: cuius expromendæ occasio venit. Maurorum irruptionibus prohibendis, in ea temporum atrocitate, facultas nostris non erat. Itaque superiori anno Alcaudete oppidum Calatrauæ militibus detractum inuenio: Vaenæ magna parte capta, præsidij virtute ægrè quamuis repulsos extra mœnia Mauros: Giennium circumsessam, atque magno conatu impugnatam. id Garciæ Padillæ crimini datum, quasi eius culpa Alcaudete esset amissum, & nouo conatu cum Alfonso Cerda sentiret. Hæc species erat: re asperos hominis mores oderant, ingenium immite. multa militari laude, præstanti armorum scientia metum faciebat, & ex timore odium. Habitis comitijs, honore Padillæ detracto, Alemanus est in eius locum substitutus iniuria: uti dati à Pontifice Romano iudices in causâ, patres Cistercienses pronunciarunt. Ergo vertente anno loco redditus multis annis rebus præfuit, inuidia militum compressa magis quàm sanata: prorsus ut extrema ætate hominem nouis criminibus appeterent, Ioanne Prado pro eo subrogato haud meliori iure quàm antea. Verum ille annis grauis, bellicis curis, sed & ciuilibus impar, honorem iniuria detractum æmulo sponte reliquit, paucis in Aragonia oppidis retentis, unde senectutem sustentaret, vir eximiè præstans, non magis rebus gestis, quàm præ pacis studio, contempto honore, condonata iniuria. Ad institutum iter reuocanda narratio est.

*Nuptia Ferdinandi Regis confecta. Cap. V.*



VENIAE propinquitatis à Pontifice impetrandæ cura sollicitabat, ut pacta inter Lusitanæ & Castellæ Principes coniugia legitima essent, eo vitio irrita: & spes suberat veniæ, quoniam Bonifacius Pontifex originem Hispanicam præferens, rebus nostris fauere videbatur: à Gallis alieno animo esse cœperat. Placentiæ, Regum Castellæ & Lusitanæ colloquium ea de causâ habitum. missi Romanam legati omnia facillè impetrarunt, ac Mariæ & Sanctij Regum coniugium eodem vitio procuratum: tamen Sanctius vita functus erat, & plerique negabant mortuorum coniugia irrita iure, venia ritè coalescere, ignorantes quanta Romanorum Pontificum auctoritas sit ad hominum nonnunquam gratiam, sæpe pro communi salute, data potestatis fines amplificantium. Soluta certè lege propinquitatis, noua lætitia Ferdinandi Regis & Constantiæ coniugia Vallisoleti peracta. nuptiarum solenni celebrato, noua nupta mulier facta est. Regis ætas, infixaque religio animis intactam eatenus seruauit. Ioannes Lara regiæ Magister factus est. Henrico patruo Atienfa & Gormatium dono data. regni procurationis ablata ea compen-

fatio fuit. sanari tamen prauus animus non poterat. quem comperio simul Aragonios & Mauros simulatione beneuolentiæ distinuiffe dubia fide, suspensoque semper ex fortuna animo. Itaque eo conueniente Almasani, quod oppidum à Cerdis obtinebatur, obsidio dissipata est, Castellæ copijs amandatis aliò. conuento ad Harisam Aragonio Rege, foedus simulatum magis quam factum. Aragonius Lorcam in Contestanis validum municipium diu obsessum, salutis anno millesimo trecentesimo secundo inchoante in potestatem redegit. Nobile municipium in Vaccæis ad Durium est, Pennafielis nomine. In eo conuentus Episcoporum fuit prouinciæ Toletanæ, ipsis Kalendis Aprilis. actionum moderator Gonsaluus Toletanus Præsul. Ne clerici concubinam publice habeant supplicio sancitum. (sic erant eius seculi mores publica scelera vindicare satis habebant) ea lex tertia est. Sexta sacerdos peccata reuelans per sacram confessionem accepta æternis vinculis addicitur, pane & aqua in victum tantum concessis. Decumas ex omnibus, quæ terra etiam sine cultura sponte fundit, solui sacerdotibus octaua lex mandat. Liba azyrna quibus sacrificatur confici nisi à sacerdote aut eo præfente proxima lege vetatur. tum alia sancuntur ad pietatis cultum præclara. Mense Maio Granatæ Rex Mahomad Myrus diem obiit, successore Mahomade Alhamade ipsius filio natu maximo. Gemina ex ea re nostrorum lætitia, subblato patre strenuo industrioque, filium luminibus captum substitutum esse considerantium. Malacæ regulus Farrachenius eius sororius, magni animi vir, præstantique erga nouum Regem fide, bello paceque rempublicam gubernabat. In Sicilia ex tantis motibus pax tandem facta est. ad Pontiam insulam victi primùm Siculi in pugna nauali. Conradus Oria Genuensis classis Præfectus captus. Inde Siculis timor aliquantus, Gallis spes amplior belli ex sententia conficiendi. Messana certissimum totius insulæ propugnaculum, à Gallis continuò obsessa. rem proximam periculo, ciuium constantia, Fridericique diligentia, quoniam in eo summa belli vertebatur, tutata est. Accessere preces Violantis Aragoniæ virum ad bellum secutæ, ac tunc Catanæ agentis. ea annitente in ora Syracusana ad turrin Maniaci de pace ab utroque Principe in colloquium ventum est. Induciæ tantum pactæ, amicitie coniungendæ certa vtrinque spe. Duæ res incommodo tempore subsecutæ, eam spem perturbare visæ sunt. Violantis obitus ad Thermas Himeras (Termini nunc ea vrbs vocatur, & in Gallorum ditione erat) defunctæ. Caroli Valesij aduentus, qui spe imperij Græcorum recuperandi Italiam repetens Hetruriæ rebus turbatis in Siciliam transfugerat. Fridericus comiteatu omni in munita oppida comportato, corruptis frugibus alijs, perstansq; in cõsilio vniuersæ dimicationis detrectandæ, eò hostes residente cum quo venerant ardore adegit, vt de pace volentibus ageretur. Xacam inter & Calatabeloram, vbi se Fridericus tenebat propter loci munitionem, mutuo trium Principum colloquio de ineundo foedere disceptatum. Initæ pacis hæ conditiones fuere. Philippus Tarenti Princeps redderetur libertati, alijsq; vtrinq; captiui. Continenti Italia Fridericus abstineret. Siciliæ oppidis Galli decederent. Eleonora Roberti soror Friderico nuberet, dotis profectitiæ nomine Siciliam retenturo: donec Sardinia,

Sardinia, aut quoduis aliud regnum Pontificis permisso opeq; armis subdidisset. Si id non contigisset Friderici hæredes Sicilia decederent, cum primùm ducenta quinquaginta aureorum millia Neapolitani Reges numerassent. Siculis & Italis exulibus parum constantis fidei, venia ab vtrisque, mutuo est data. Pridie Kal. Septembris his legibus foedere constituto, ab armis discessum est. Ioannes Villanus, qui bello interfuit, & Dantes Aligerius eius ætatis poeta in primis elegans & grauis, Valesio probro dant: Hetruriam bello inteltino turbasse: in Sicilia foedam pacem sanxisse: nihil præterea tantis molitionibus factum. Fuit hic annus frugibus aduersus in Hispania quidem maximè propter aeris siccitatem & arationes intermissas, bellis ciuilibus quarta colonorum parte absumpta, sic vulgò opinio fuit, vti magni auctores testantur,

*Bonifacij Pontificis obitus. Cap. VI.*

**D**ER idem tempus Iacobo Rege Balcari defuncto, a filioque cognomine paterni regni iure abdicato, veste Minorum desumptra, Sanctius frater natu minor Rex salutat in Aragonij Regis verba iurauit. In Castella tranquillæ res non erant, ærarij inopia maxima. Burgis & Senticæ regni conuentus habiti. In his conuentibus publicis impensis modus adhibitus est, magnaue vis pecuniæ prouincialibus imperata. Procerum animi à Regina matre potissimum auersi erant, cuius auspicijs rempublicam gubernari dolebant. Henricus & Ioannes Regis patruj, Ioannes Emanuelis filius, Ioannes Lara, Dieghus Harus, alijsque viri principes, Regine euertendæ occultis apud filium criminationibus consilia communicabant. Scrinijs regij Magister Sanctanderij Abbas, quoniam penes eum regij patrimonij administratio fuerat, ad rationes compulsus. in quo Regine contumelia continebatur, qua concedente ijs honoribus auctus fuerat. Verum innocentia atque integritate perspecta, procerum calumniæ repudiata sunt. Philippi Gallie Regis legati anno millesimo trecentesimo tertio inchoante Vasconum oppida repetentes, re infecta dimissi sunt. Oblatæ à Rege Aragonio pacis conditiones repudiata, Illicis permutatione pollicentis, Murcia tractum armis occupatum redditurum: neque id Regine probatum, quin Ioannes Lara, qui potens Regis esse cœperat, Regina auctore loco motus, Henricusque regie procurator effectus est, honore haud diuturno: breui enim abdicauit, sponte an coactus non satis compertum. Inde certè inter Regem & matrem exortæ suspiciones, inter proceres similtates. Ioannes Lara & Ioannes Regis patruus ex tantis paulò ante offensis gratia reconciliata præcipua apud Regem iuuenem auctoritate pollebant. prauis & callidis cæteros criminando, quod facillimum factu est, bonis & modestis præferebantur. Henricus patruus, Ioannes Emanuelis filius, Dieghus Harus ægrè ferebant, exclusa Regina, à qua erant magnis beneficijs obstricti, ad duorum arbitrium rempublicam verti: prorsus vt consilio inter se communicato Alfonso Cerdam de ineundo foedere vltro appellarent. Gonsaluus Ruizius eo conatu Almasanum legatur, Aragonia arma in Castellam attracturus,

nulla fidei cura præ partium studio. Hæc in Castella. quo tempore, incredibili  
 audacia, inaudita impietate, sacrosancta Romanorum Pontificum maiestas fœ-  
 data est violato Bonifacio à Columnijs proceribus, atque in custodiam tra-  
 dito. quod propter facinoris magnitudinem, paulò altius explicandum est.  
 Erant à Bonifacio vno tempore Gallica gens & Columnij proceres multis ini-  
 iurijs irritati. non vna causa initio, consensu tamen ad extremum aduersus  
 communem hostem vno. Carolus Valefius ludibrio habitus videbatur, Pontifi-  
 ce promissorum immemore. In templorum bona, sacerdotumque redditus, Rex  
 Gallus inuadere cœperat. Apamæ Episcopum, quam urbem paulò ante Boni-  
 facius in Gallia Narbonensi sitam, contributamq; antea Tolosatibus, Episcopi 10  
 iure donauerat, verbis oblatrantem in vincula coniecerat. vtrunq; Pontifici gra-  
 ue atq; iniuriosum. legatis vltro citroq; comitantibus exacerbata amplius vo-  
 luntates. ventum ad anathema iniuriarum extremum. Episcopi ex vniuersa Gal-  
 lia Romam aduersus Regem euocati. Pontificum magna auctoritas est, Regum  
 maiores vires. Philippo enim agente aduersus conatus Pontificis, Lutetiæ Pa-  
 trum concilium habitum est. In eo concilio Bonifacium vitio creatum, Celesti-  
 ni abdicationem legibus repugnantibus factam decernitur. conuitia vtrinque  
 iacta. extant alternæ epistolæ contumeliosæ ignominiosæq; veræ ne an fictæ,  
 affirmare non ausim: interest tamen ad exemplum vt falsæ esse videantur. Co-  
 lumnij proceres Romæ fuga, exilio, bonorum spoliatione duobus lustris, vt Pe- 20  
 trarcha auctor est, exagitati: Gibellinorum ab antiquo duces, nobilitate, opi-  
 bus, clientelis Pontificibus formidabiles. Petro Iacoboque ex ea familia Cardi-  
 nalibus ius rubri pilei edicto abrogatum. Stephanus gentis Princeps in Gal-  
 liam fugere compulsus. idem facit Sarra Columna atrox ipse Bonifacij hostis,  
 nouisque malis exacerbatus, quæ in fuga pertulerat ab Archipirata captus, ad  
 remumque datus. Audacior Guillelmus Nogaretus Tolosæ, cui à Rege cura  
 demandata erat à Bonifacij sententia Romanam sedem legitimo Antistite  
 tunc viduam appellandi. Inter hos euertendi Pontificis consilia communica-  
 ta. auctore aut conscio Rege, etiam memoria recenti dubitatum. in Hetru-  
 riam certè appulsi Staggiæ confedere, dum per occultos nuncios facinoris 30  
 maturandi opportunitas adest. Ceccanus & Suppinus proceres, ex ipsaque Ana-  
 gnia vrbe Massij potentis viri filij, multo auro corrupti facinore patrando.  
 Rebus constitutis Anagniam, vbi Pontifex erat, trecenti equites, peditum iu-  
 stus numerus inductus, Sarra Columna Duce præcipuo. Prima luce clamor  
 militum sublatus, Philippi Regis nomen ingeminantium. fit fuga aulico-  
 rum. Bonifacius cognito periculo, pontificio ornatu desumpto, in sacro so-  
 lio confedit. eo habitu à Sarra comprehensus, Nogareto illudenti ac mini-  
 tanti, constantissimè respondit: Paterini minas nihili se facere. fuerat is No-  
 gareti auus Albigenfium impietatis conuictus, igneque crematus. ad eam  
 Pontificis vocem Nogareti ferocia concidit. appositi Pontifici custodes. re- 40  
 gia direpta. Hispaniæ Ostiæque Cardinales duo apud Bonifacium perstite-  
 re cæteris fuga dilapsis. Triduo post Anagniæ ciues misericordia succeden-  
 te, metuque ne Pontificem ciuem suum prodidisse dicerentur, correptis armis  
 coniuratos vrbe pellunt. Pontifex ipse quamprimum Romam rediens, ex  
 dolore

dolore incidit in morbum, ac furenti similis decessit quarto Idus Octobris,  
 quinto & trigesimo à captiuitate die. felix Pontifex si quàm facile minas ride-  
 re erat solitus, tam facile hostium insidias euitare potuisset. Eius calamitate do-  
 cumentum datum sacerdotum imperia, opinione magis hominum, fama; in-  
 tegra (quam tueri ipsi & extendere benefactis debent) metuq; religionis, quàm  
 viribus & potentia constare. Villaneus auctor est, Bonifacium doctum quidem  
 virum fuisse, & à multo rerum vsu excellentem: sed crudelem, ambitiosum: aua-  
 ritia se sordibus fœdasse, vt gentiles locupletaret: quæ grauissima pernicies  
 est, detestanda ignominia. duos & viginti Episcopos, duosque Comites ex sua  
 10 gente fecit. Sexto decretalium libro edito, magnam ab eruditis meritis laudem  
 est. In eius locum Nicolaus ciuis Tarusinus proximis comitijs suffectus est, or-  
 dinis Prædicatorum princeps, Benedicti nomine in pontificatu assumpto. id  
 Bonifacij memoriæ datum, cui id nomen in minori fortuna fuerat, & à quo in  
 numerum Cardinalium allectum se esse meminerat. in Gallos tamen clemen-  
 tior: quos interdicto soluit, Bonifacijque in illos acta rescidit. Sarram Nogare-  
 tumque die dicta non comparentes, maiestatis lege damnatos execratione de-  
 uinxit. Petrum & Iacobum quamuis in gratiam receptos, purpura tamen vt  
 vetuit, ex decessoris sanctione.

20

*Pax inter Reges ad Campillum facta. Cap. VII.*



**Q**UIESCEBANT Hispani malis fessi, sublata magis faculta-  
 te bellandi, quam voluntate materiaque. Magnæ controuersia se-  
 danda erant. Castellæ & Aragoniæ Reges de Murcia imperio  
 disceptabant. Alfonso Cerda regios titulos vsurpabat. inanis vni-  
 bra, & sine prouentu nomen. Nouus Granatæ Rex Castellæ in fen-  
 sus assiduusq; hostis in Aragoniæ ditionis fines inuectus, Bedmarem oppidum  
 non procul Biatia ceperat. Publica hæc dissidia erant. priuatim cum Haris re-  
 gulis Ioannes de Viscaia principatu certabat, Regis propinquitate fretus fauo-  
 30 reque, melior causa. Ea res Haros à Rege auerterat, & ad arma spectare vide-  
 bantur. Rex Ferdinandus ætate confirmata, periculi non ignarus, finem his dis-  
 sidijs ardentissimè exoptabat. Penes Aragonium Regem hac tempestate spes &  
 opes Hispaniæ sitæ erant. Ioannes Ferdinandi patruus ad eum de pace legatur.  
 Calataiubæ mense Martio, salutis anno millesimo trecentesimo quarto, re agi-  
 tata conuenit tandem, vt dati consensu partium iudices, de controuersijs pro-  
 nunciarent: interea induciæ essent. Regum colloquio tempus locusque dictus.  
 Rex Ferdinandus de rebus Bæticæ sollicitus, Burgis quo se tenebat, mense  
 Aprili Pacem Augustam abijt, per causam soceri Regis conueniendi. nam  
 minores controuersia suberant: oppidaque quædam se minori pignoris loco  
 40 data, erant recipienda. Nihil propius factum, quàm vt inimici discederent.  
 pecunia tantum Ferdinandus à socero adiutus in Bæticam abijt. Missi Gra-  
 natam legati, ipsius Mauri Regis rogatu. Rex ipse Ferdinandus Cordubæ sub-  
 stitit. ea legatione cum Mauro pax reconciliata est, vestigal quod pater pende-  
 re solitus erat pacto. Henricus Princeps annis grauis Roæ defunctus est. funus

1304

Vallisoleti in Francisci ædem illatum. vario vir ingenio, inquietoque, morum inconstantia mirabili, gloriæ avidus ad extremam ætatem, potentæque, cuius cupido etiam sapientibus nouissima exiit. Magno commodo lætitiæque provincialium Henrici obitus accidit, nam vnum maximè pacem ne interturbaret verebantur. Eius oppida, quoniam prole caruit cælebs ad vitæ finem, à Rege alijs proceribus data, maxima pars Ioanni Laræ: tanta erat apud Regem gratia. Regum controuersijs componendis Dionysius Lusitanus Rex, partium consensu delectus arbiter, Ioanne Ferdinandi patruo, & Semeno Luna Cæsaraugustano Episcopo adiunctis. ad Torellas oppidum in Aragoniæ finibus ad radices Cauni montis locis amœnissimis, Lusitanæ & Aragoniæ Reges mutui colloquij causa priores conuenerunt. In eo oppido à iudicibus pronunciatum, vt Aragoniæ Castellæque ditionis Staberus fluuius communis terminus esset: Aragonij præcipuo commodo, Illicis portu alijsq; circa oppidis aucti: vltroq; ipsi datum, quod magnis antea votis exoptarat. ad octauum Augusti diem sententia est pronuntiata. Die proximo ad Campillium vicinum oppidum trium Regum colloquium fuit, memoria fœderis ante viginti tres annos Alfonso inter Castellæ Regem, & Petrum Aragonium sanciti bene ominatum. eo loco firmatum fœdus. indeque Agredam itum atque Turiasonem, præcipua Regum provincialiumque lætitiæ, celeberrimo conuentu. nam præter Reges, tres Reginæ aderant, duæ Castellæ, tertia Isabella Lusitanæ fœmina sanctissima. præterea Isabella Ferdinandi soror, Aragonio Regi olim pacta. sequebatur tantis Principibus comitatus par. Ac Lusitanus præsertim pro ingenio gentis, laudis avidus, pecuniæ copiosus, ob diurnam pacem, mille secum equites ex Lusitania deduxisse memoratur: tentorijs toto itinere erectis abstinuisset oppidis. In Cerdarum causa Aragoniæ & Lusitanæ Reges arbitri pronunciarunt: vt Alfonso deinde regio nomine abstineret: oppidaq; & arces redderet, quæ in eius erant potestate. Alba, Begiar, Vallis cornegiz, Gibræleon, Sarria, aliaque oppida & prædia vnde vitam principalem sustentaret, attributa. leuis tantorum regnorum compensatio. rara hominum fides, parata imbecillium obliuio. & Aragonius à Gallo destitutus, belli pondus solus eatenus sustinuerat, pacisci; quacunq; ratione cupiebat: tanto Alfonso dolore vt ne sententiæ quidem audienti interfuisse feratur, discessisseque Regum capitibus mala omnia imprecatus. Reliqua erat Ioannis & Dieghi Hari controuersia, magna Ioannis spe: cui Rex pace facta Viscariæ principatum traditurum sese erat pollicitus. Soluta Regum conuentu, dies Haro dicta, qua die Mediæ Campestri, vbi regni conuentus futuri erant, causam diceret, arbitris in causa datis. Harus siue ex conscientia alieni principatus occupati, siue quia Regem à se auersum non ignorabat, ne venia quidem discedendi postulata è curia abiit. solutis conuentibus, cum neque Harus pro sãto quidquam facturum videretur, & Ioannes Regi assiduam causam vrgeret: Vallisoleti secundum eius iura & merita sententia est pronuntiata, executione tantum in aliud tempus dilata. in quo illud prouidebatur, vt ratione aliqua concordie inter ipsos excogitata, belli impendentis tempestas compesceretur. Salutis anno millesimo trecentesimo quinto hæc in Castellâ gerebantur. Quo tempore Ianuarij mensis septimodecimo die, Rogerius Lauria

ria maris Præfectus in Catalaunis defunctus est, Dux ea tempestate nulli secundus, acer consilio, manu strenuus, Regibus carus, Petro præsertim, cuius auspicijs Siciliam subegit. multa solus prosperè, Reges sine illo nihil magnæ rei gesserant. prope Petri Regis sepulcrum, mutue beneuolentiæ argumento, tumulo composito, ad S. Crucis cœnobium sepultus est. Lutetiæ Ioanna Vasconum Regina extincta sexto Aprilis die. in D. Francisci æde regio funere, celebri apparatu compositum corpus est: ea quam Nauarriæ collegij septa complectuntur. Ludouicus cognomento Hutinus matri defunctæ continuò in Vasconum regno successit, regia corona Pompelone sumpta, Galliæ postmodum Rex paterno iure futurus. Philippus cognomento Longus, Carolus cui Pulchro cognomen fuit, Galliæ & Vasconum deinceps Reges, Ioanna etiam Regina geniti erant. filiarum duæ: altera in minori ætate defuncta, alteri Eduardi Angli Regis vxori, puellæ omnium sui temporis pulcherrimæ, Isabellæ nomen fuit.

*Clemens. V. Pontifex Maximus. Cap. VIII.*

**B**ENEDICTI pontificatus octo mensium & dierum sex fuit. subsecutum interregnum diuturnius decem menses, dies octo & viginti tenuit. magnæ contentiones iactatæ, diuersa Patrum studia Italici generis atque Gallici, quorum erat magnus numerus, in gratiam Regum Neapolitanorum pluribus ex ea gente in Cardinalium collegium cooptatis. Conuenit tandem vt Italici Gallos tres ad pōtificatum nominarent: ex ijs diuersa factio vnum eligeret. trium Archiepiscoporum nomina edita, qui Bonifacij beneficio obstricti erant, ab eo creati. Raymundus Gottus Burdigalensis Archiepiscopus prælatus, re prius omni cum Philippo Rege Galliæ communicata, coramque in Santonibus ad Angelinam oppidum, quo ad se Rex euocandum curarat, sacramento adactus Bonifacij octauum memoriam damnaturum: Petrum & Iacobum Columnios Cardinales honori, vnde exciderant, redditurum: sacerdotiorum decimas concessurum in annos quinque: alia præterea pontificio nomini ignominiosa fœdaque. sed tanti est dira ambitio dominandi. sic Nonis Iunij Pōtifex renunciatus Clementis nomen edidit. Cardinales in Galliam continuò euocati. Lugduni pontificia insignia desumpsit tertio Idus Nouembris, incredibili omnium concursu: tristi omine, sic plerique interpretabantur, quod ipso celebritatis die, dum nouus Pontifex in pompa circumfertur, parietis ruina vetustate atque onere superstantis multitudinis procumbentis, ex equo quo vehebatur excussus est, tiara ex eius capite: ex illa carbunculus magni pretij amissus. Rex Galliæ lateri adhærens, proximus periculo. Ioannes Dux Britannus perijt. Anglus atque Aragonius Reges incolumes perstiterunt. plures tum ruina, tum multitudine obruti oppressique sunt. His initijs cætera consentanea fuerunt. honesta inhonestaque venalia habita. duodecim Cardinales ad Philippi Regis gratiam creati. De Bonifacij memoria, vt erat pollicitus, postulante Rege responsum: nisi in concilio generali de re tanta statui nihil posse. Ea via eludendi regios conatus excogitata. eaque princeps occasio extitisse fertur proximi concilij Viennensis conuocandi. Pontifi-



cia sedes ab Vrbe in Galliam translata. id caput malorum fuit, percusso Christiano orbe, indignante Italia ad cæteras ecclesiæ calamitates, nouas ex ea re tempestates concitari. Tres tantum Cardinales in Italiam legati, cum ampla potestate rempublicam bello paceq; curandi. Interea in Castilla noui tumultus concitati. Rex Ferdinandus, vt nihil est Regum gratia fallacius, Ioanni Laræ infensus, Lupum Dieghi Hari filium regiæ procuratorem dixit. consilio species obtendebatur, quod Ioannes limiti præfectus aduersus Mauros, vtrique curæ impar esset. re Haros conciliandi, Ioannemque ab eorum amicitia diducendi Regi propositum erat. In domestica discordia, cum occulti nihil esset, vtrique inter se maiori quam antea beneuolentia fideq; vires inter se conferunt, regijs conatibus obsistere destinantes. res ad arma spectare videbatur. Alfonsi Gulmanij & Reginæ matris prudentia, proceres ad officium reuocati sunt. pristini honores & magistratus vtrisque restituti. Præterea Ioannem inter Regis patrum & Haros proceres ex magnis atque veteribus odijs amicitia sancita his legibus. Vt Viscariæ principatus penes Dieghum Harum dum viueret esset. eo defuncto, Ioanni redderetur. Vrdunia, Balmaseda Lupo Dieghi filio iure perpetuo relinquerentur. Rex de suo Mirandam Villalbamque addidit. tanta erat cupiditas eas procerum simultates, quibus regnum in partes trahebatur, inita concordia pacandi. Magna id prouincialium læritia, vnus Ioannis Laræ mœrore, rem publicam prædæ habere soliti, & ex alienis calamitatibus crescere: prorsus vt nullam sibi spem euadendi nisi in scelere ratus, fide qua Regi tenebatur abiurata ad Tordefumos se receperit, oppidum loci natura & operibus munitum. vnde suis & familiæ viribus bellum defendere parabat, Regem iratum offensumq; non ignorans. Obsessum à regijs oppidum. cæterum in ea colluione voluntatum Ioannis partibus plerique fauebant. bellum segniter gerebatur, obsidioq; in longum ducta est. Mentioni iniectæ de pace cum Rex surdas aures præberet, milites alius aliò dilapsi. auctor Ioannes Regis patruus, cum alijs ex occulto Laræ fauens. Itaq; necessariò in gratiam receptus est. Moia tantum & Cagnetum ablata. mox Lara, Ioannesque Regis patruus fœdere inter se facto, cum esset indicatum vtrique abs Rege exitium comparari, verò an falsò non liquet, sed ad eum nuncium tamen palam rebellarunt. Ioanni breui abs Rege satisfactum. Laræ animus obstinatio. Quo tempore ab Alfonso Cerda, cum se ab omnibus destitutum videret: cedendumq; necessitati iudicaret, ne regno amisso, datiq; oppidis spoliatus, egens ac vagus ageretur, Martinus Ruizius in Castellam amandatur, vt oppidorum quæ ab arbitris attributa erant, possessionem cerneret. vnde spe posita regni recuperandi Alfonsus Exhæres vulgò cœpit nuncupari.

*Bellum Granatense resumitur. Cap. IX.*



**V**LGVS vti plerunque solet Maurorum maximè, ingenio mobili, turbidum, leuitiosum, cupidum rerum nouarum, quieti & otio aduersum per hæc tempora Granatæ tumultuari cœpit, magno rerum suarum discrimine: cum vndiq; hostes circumfusi essent, ægra que spe regnum Mauricum in Hispania staret. Inde tumultus occasio,

casio, quod Rex rebus gerendis inutilis otio marceret. Malacitanum regulum alieno nomine regnare, & pro vno duorum imperia pati graue videbatur. Apparatu, incessu, excubijs Regis auctoritatem fastumq; completi, nomen remittere leuio accusabant, duplicatis regiæ sumptibus. Præstare alium regno præfere virum gubernatoremque: cuius auctoritatem cuncti respicerent, cuius imperio deuincti hostium iniurias propulsarent. Plebi ad hunc modum commotæ proceres faces subdebant. in primis Aborrabes ex Marrocijs Regum sanguine fatus, suis & factionis viribus Almeriam armis occupauit: seque eius vrbis Regem dixit. Pleraque studia in Mahomadem Azarum cæci Regis fratrem, natu minorem, quoniam in eo indoles erat, & aliarum virtutum semina, palam inclinabant. Aborrabes Almeria pulsus, de Septa cogitans, quam urbem in ora Africæ Granatenses obtinebant, nostrorum opem implorat. Occasio pulcherrima belli instaurandi, regniq; Maurici penitus euertendi oblata erat. Aragoniæ & Castellæ Reges consilio communicato, hortam cœnobitum venire constituunt, de rebus omnibus coram deliberaturi. quod principio anni millesimi trecentissimi noni factum est. In eo oppido, atq; ad Montem regalem, quod se Reges contulerunt, de Alfonso Cerda pacando primum actum, ijs conditionibus, quæ ab arbitris dictæ erant, non nihil immutatis. ne Regibus bello externo occupatis factionis studijs motus in Castilla concitaret prouisum. Communibus armis Mauros Granatenses intruadere statuunt: eosque ancipiti bello implicare, Algezira Almeriaque vno tempore impugnandis. Eleonora Ferdinandi Regis soror Iacobo desponsa est Regis Aragonijs filio maioris sextæ eorum quæ Granatensi bello quæsita essent, parte dotali, ac nominatim Almeria designata. Regibus è colloquio digressis, omnia armorum apparatu strepere, pecuniam expedire, milites, equos, comæatum comparare. Erant vtrique genti exercitus vsu firmati, nulla ciuili discordia corrupti. Aragonius maximè belli externi domitor Mauris terrorem incutiebat maximum. Ferdinandus Toletum abiijt matris hortatu, Sancti Regis ossa, instaurato exequiarum honore in commodum tumulum transferre parantis. Erat Ferdinando ingenium candidum, pudor ingenuus (vti Guterrius Toletus ei à primæ ætate assiduus affirmare erat solitus) vultus modestia, compactum corpus, magnus animus, sed clemens. Accidit vt ipso natali Christi die, vir primarius, quem Castellæ rebus præfecerat, in prouinciam discessurus ad salutandum accederet. Rex abiectis tesseris, quibus fortè ludebat, moriet in Calæcis plures viros nobiles tumultuari. supplicium quamuis meritis irrogare caueret. vinctos modò ad se mitteret, bello sacro vtilis futuros. Effert ille ad cælum clemens Regis consilium. quod specie temerarium, felix euentu fuit. nulli illis in bello Maurico fortiores fuerunt. ignominia demendæ cupido, Regique gratificandi voluntas incitabat. fortia facta in paucis latere non poterant. cum hoste odio implacabili, inter se virtutis æmulatione certabāt. Ergo Toletum in Bæticam itum. Castellæ copiæ Iulij vigesimo septimo die Algeziram promotæ. Proximo mensè dimidiato Almeria ab Aragonio Rege circumfessa. in Aragonijs castris Ferdinandus Sancti Balearici Regis filius, iuuenis ea tempestate præstantissimus, Rocabertus Tarraconensis Præiul, Raymundus Valentinus regioque scriuio Præfectus.

Præfectus. classis Bernardus Sarria Dux erat. Ferdinandum Regem Hari proceres, Ioannes Lara paulò ante ad officium retractus, Ioannes Regis patruus Præful Hispalensis, alijque viri principes secuti sunt. cum parte Aragoniæ classis Iasbertus Castelli noui Vicecomes ad oram Africæ Septam expugnauit. præda Aragonijs celsit. Aborrabi vrbs ex fœdere relicta est. Granatenfes de belli summa consilio habito, ne diductis copijs vtrique bello impares essent, Almeriam tueri decernunt: an Algeziræ munitione præsidioque confisi, an dolore Septæ ab Aragonijs captæ, & quòd se bello Granatensi immiscuissent, nullo iure innixi, nulla iniuria prouocati. ipso D. Bartholomæi profesto die, collectis vndique copijs se in Almeriæ conspectum dant. pugnae ab Aragonijs copia facta ancipitis initio, cum barbari supremo conatu pugnarent. mox victi, fœdaque hostium fuga facta. vicinæ syluæ multis perfugio fuerunt. Nulla in rebus humanis syncera lætitia, dum nostri fugientes barbaros auidius incautusque insequuntur, Almeriæ ciues eruptione ex vrbe facta Aragonia castra inuadunt, modico præsidio munita, Duce Ferdinando Baleari. vallum ab hostibus superatum: captaque & direpta tentoria aliquot. ægrè tandem Ferdinandi virtute repulsis in vrbemque reiectis Mauris, factum ne castrorum calamitate, de victoriæ voluptate & gratulatione aliquid diminueretur. periculo tamen cognito, cautiore in posterum effecti sunt. Rursus Idibus Octobris coeuntibus Mauris numerosa multitudine, omnino ad quadraginta millia Aragonia castra impugnata, euentu nihilo hostibus lætiori. Interea Algezira mari terraque nihilo minori conatu virtuteque oppugnata. vrbs munitio validumque præsidium nostris opponebatur. Obsidione in multos menses ducta Heraclea Calpi monti imposita, Gibraltar à nostris dicta, quoniam opportunior iniuriæ erat, impugnanda decernitur. Præful Hispalensis, Alfonsus Gusmanius, Laraque cum parte copiarum dimissi eò sunt. Alfonsi Gusmanij iactura facta: celeberrimi ea ætate viri ad Gausinum montem in tumultuaria pugna interfecti à Mauris, magno reipublicæ incommodo, bonorum omnium luctu. Vrbs dedita. vsque ad Ferdinandi Regis tamen aduentum sustentatum, vt victoriæ laus penes ipsum esset. Mauris datum, vt incolumes abirent in Africam, bonaque secum efferrent. In eo numero confecta ætate Maurus Regi cum discessionem pararet, in hæc verba locutus fertur. Quo meo fato genij mei infelicitate, meis ve malis meritis factum putem, vt per omnem ætatem profugus agar, sedesque mutare identidem compellar: & quasi omnes vrbes mea calamitate lustrare? A proauo tuo Ferdinando Hispali pulsus, Cæsarianum abij. Inde vrbe capta, Alfonsus auus Tariffam migrare compulit. Ex ea vrbe Sanctio Rege patre tuo Heracleam profugi. Nunc quo tempore mala finem cepisse videntur, mortemque veluti ærumnarum portum expectabam: denuò fugam captare cogor. In Africam nauigare statuo: si longinqua fuga extremam senectutem tueri possim, & tantulum vitæ quietus securusque peragere. Ad Algeziram regij milites quamuis aduersus pericula feroces, laboribus fracti, & hibernis tempestatibus malè accepti, è castris passim dilabebantur: neque proletarij modò, sed viri principes Regi irati, faciles aures prauorum hominum criminationibus præbenti. Ioannes eius patruus & Ioannes Emanuel

Emanuel, in nullo Granatensis belli vsu fuerunt. contrà incommodi ob discessum multos vt se sequerentur, Regemque desererent, auctoritate exemplo prouocantes. Dieghus Harus extinctus in castris est. corpus Burgos delatum, in D. Francisci sepultum. Viscaie principatus ad Mariam redijt Ioannis Principis vxorem, vt erat superiori fœdere cautum. sic regulorum Viscaie series, quæ eatenus per viros ducta erat, intercissa est, fœminis nouo exemplo ad eius principatus hæreditatem admisis. Dieghi morte, subsecutisque continuis imbribus, iniquissimo anni tempore, necessariò ab Algeziræ obsidione discessum est, fœdere factò: ex quo Quesada & Bedmar oppida nostris restituta sunt. in belli sumptus quadraginta aureorum millia representata. id tanti apparatus tantorumque laborum pretium fuit. In Aragonijs castris rerum omnium, quæ ad ducendum bellum opportunæ essent, magna facultas erat. Almeriæ vrbs expugnandæ non minor desperatio. Ergo receptis captiuis, soluta etiam eius vrbs obsidio est, Februarij die vigesimo sexto, salutis anno millesimo trecentesimo decimo: non alio memorando in partem vllam euentu, nisi quòd in ipso ardore belli Rex Maurus à fratre Azaro regno deiectus est, vinculisque iniectis custodiae ad Almunecarum oppidum mancipatus. Grauis è regno in seruitium, atque ad eò in captiuitatem casus: tolerabilis tamen homini luminibus capto, si ibi restitisset calamitas. in Granatam retractus peremptusque est nulla famæ memoria, nulla humanitatis cura. ita omnia peruerit exitiabilis imperandi cupido. Quo tempore Ioannes Lara sine belli in Galliam orator missus, obita ad Clementem Pontificem legatione, Hispalim redijt, quo se Ferdinandus dimisso exercitu retulerat. Sacerdotiorum decumæ ea legatione impetratæ in sumptus belli Maurici. Deterritusque Pontifex, ne Bonifacij decessoris memoriam ignominia notaret: quod à Gallo Rege agi, neque auersas à Pontifice aures præberi idoneis auctoribus fama vulgauerat. In Cantabris ea parte, cui Guipuscoæ nomen est, Azpeitia oppidum Regis Ferdinandi iussu, impensa prouincialium constitutum primum est, vti diploma ab eo Hispali datum huius anni initio declarat. Isabella Regis soror ab Aragonio relicta, Ioanni Britannicæ Duci desponsa erat. Ad eas nuptias celebrandas ex Bætica Burgos abs Rege Ferdinando itum est. Ioannes Emanuel regis procurator renunciatus, Petro Regis fratre, qui eum honorem gerebat, non inuito. præterea in Murcia tractu limiti Præfectus erat, Vicario Petro Lupo Aiala. ea blandimenta abs Rege data sunt conciliando homine præpotenti, eximiaque felicitate duabus filiabus genitis, postmodum Reginis, Constantia Lusitaniæ, Castellæ Maria. De Ioanne Ferdinandi patruo auxerat curam rumor, morumque inconstantia. nam ita facturum quæ Regi placerent, prædicabatur, vt facile appareret non diuturnius officium necessitate futurum. quo metu Burgis, quòd ad nuptiarum celebritatem venerat quamuis fide data, eius vitæ insidiæ comparatæ Rege auctore, dissuasore Ioanne Lara, factique turpitudinem accusante. Periculo ille indicato è curia clam abijt. fugientem multi proceres rei fœditate cognita profecuti sunt. Regis auctoritas, imperij maiestas, nuptiarum celebritas ludibrio habita. Noui motus, qui impendere videbantur, Reginæ matris prudentia procurati. Inter Regem

gem Ioannemque beneuolentia syncerè conciliata. Regis morbus, quo Palen-  
tiæ decubuit salute propemodum desperata, medicorum diligentia, ætatis ro-  
bore, ac præsertim cæli mutatione, nam Vallisoletum continuò abijt, depulsus  
planè est. Barcinone tamen Blanca Aragoniæ Regina decessit pridie Idus  
Octobris, pudicitia laude & cæteris virtutibus clara, fœcunda prole. Iacobum,  
Alfonsum, Ioannem, Petrum & Raymundum enixa Regi est: filias totidem, Ma-  
riam, Constantiam, Isabellam, Blancam, Violantem. Blanca in Xixenæ cœno-  
bio vitam exegit virginibus præfecta: cæteræ varijs coniugijs magnorum Prin-  
cipum sanguinem, regiæ Aragonum familiæ propinquitatibus inseruere. de-  
functæ Regiæ corpus ad Sanctæ Crucis tumulatum est, nobile in Catalaunis  
cœnobium. inferiæ regio apparatus magnificè datæ.

*Templarij extincti. Cap. X.*



**E**PISCOPI toto Christiano orbe Viennam Allobrogum ad  
generales conuentus Clementis Pontificis edictis per hæc tem-  
pora euocabantur. Ad alias euocandi publicas causas, noua om-  
niumque grauisima accedebat: de Templarijs militibus, quorum  
nomen multis turpitudinum maculis infame esse cœperat inuidio-  
sumque, cognoscendi statuendique Patrum collatis sententijs, quoniam ea res  
ad omnes pertinebat. Sæuæ tempestatis initium in Gallia exortum est. crimina  
inaudita non singulis modò sed vniuersis totiq; ordini obiecta. Accusationis ca-  
pita innumera erant. Hæc grauisima. Christum eiurare esse solitos, Virginem  
matrem, cælites omnes, cum primùm sese ad eum ordinem adiungebant. Per  
eum salutem se habituros, Deum ve esse negare. Suorum scelerum poenas cru-  
cis morte soluisse. Crucis signum, Christi Dei imaginem sputo, lotio, pedibus  
fœdare consueuisse, sanctissimis præsertim diebus, quibus Christi cruciatus me-  
moria recurrit, quo maior contumelia esset. In sanctissima Eucharistia Christi  
corpus esse, idq; & cætera Christiana sacramenta repudiare. Ne à sacrificiis qui-  
dem mystica verba proferri, cum diuina hostia sacrificare videbantur, quasi ho-  
mirum commento excogitata, inutiliaque. Magistrum ordinis generalem, alios  
que singulis cœnobijs præfectos, quamuis presbyteri non essent, peccata omnia  
condonandi potestatem habere. Catum in conuentu apparere solitum, quasi re-  
ligiosum venerari, plenumque numine. præterea idolum aliquando triceps, ali-  
quando vniceps, aliquando etiam cranio demortui hominis pelleque conte-  
ctum. ei diuitias, incolumitatem, bona omnia accepta ferre. Chordam eius ido-  
li contactu sacram corpori inuolutam gestare, ominis causa scilicet. Auersæ li-  
bidinis licentia, & patientia par. Impurissimas inter se corporum partes deos-  
culari, in omne fas & nefas auidos, idque honestatis specie tanquam iure con-  
cessum, probitati consonum. Eius ordinis amplificationem numero copiisque  
curaturos omni conatu iurare, honesti inhonestique nullò discrimine. Alia,  
quæ referre tædet horretque animus. Quid hic lector dicturus est? facta hæc,  
ac non ficta potius, similiaque anicularum fabulis esse iudicabit? Villaneus cer-  
tè Antoninus alij à calumnia defendunt. fama frequentior & sensus prope  
omnium

omnium damnat. diuitias quibus aucti immensum erant, malo fuisse fatemur  
necessè est, siue copia voluptatum virtutum indole, quibus res tantas terra  
marique perfecerant, extincta: siue ex ea re inuidia apud populum conflata,  
apud Principes spe lucri. Tam cito in omne improbitatis genus publicè dege-  
nerasse, vix esset credibile, nisi Clementis diplomata, quæ inter tabulas templi  
Toletani omnium maximi plura extant, vnde hæc hausimus, indicio essent  
famam haudquaquam vanam fuisse, affirmantis duos & sexaginta ex eo ordine  
se coram quæstione habita, scelera quæ enumerata sunt fassos, veniam petij-  
se. Primi indices, duo ex eodem ordine extitere: Prior Monfalcons in agro  
20 Tolosano, Noffus exul Florentinus, auctores haud satis idonei, vt testimonio  
multorum vulgatum est. Accessere alij. in his ipsius Pontificis Clementis  
cubicularius, qui vndecimo ætatis anno ad eum ordinem adiunctus, visa facta  
que referebat. Accusationis capita ad Regem missa Pictauium, vbi cum Clemē-  
te Pontifice erat. vno tempore, quasi inde signo dato, Templarij omnes com-  
prehensi in Gallia ante annum tertium Octobris die tertio decimo. de ijs quæ-  
stiones tormentis habitæ. plerique aut omnes dulcedine vitæ, aut ex scelerum  
conscientia, crimina de quibus accusabantur, confessi sunt. damnati quampluri-  
mi, ac viui igne cremati. In his summus ordinis Magister Iacobus Mola Bur-  
gundus cum ad supplicium raperetur sententia pronunciata, proposita quam-  
20 uis vitæ spe impunitateq; si veniam supplex palam peteret, huiusmodi verba  
,, fecisse probatæ fidei auctores affirmant. Ego, inquit, extremo vitæ tempore  
,, cum inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego, ac per omnia numi-  
,, na iuro, quæ de Templariorum impietate criminibusque, & ante iactata, &  
,, nunc recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, iustus, ac orthodoxus est. ego tamen  
,, extremo supplicio dignus, qui Pontifice Regeque hortantibus, flagitia impia  
,, sceleraque ementitus sum in ordinem meum de religione Christiana optime  
,, meritum. Quod vtinam, ô, vtinam factum non esset. sed quod vnum superest,  
,, meis delictis, si veniæ locus est, ignosci postulo, vltroque grauiore etiam poe-  
,, nas deponco. si quo modo diuinum numen patientia placare, apud homines mi-  
30 sericordiam hac calamitate mouere possim. Vita mihi p ecaria quid opus est:  
,, tanto præsertim scelere impietateque ad quod prouocor retenta? Multos alios  
idem palam dixisse fertur. in eo numero Delphini Viennensis fratrem nobilif-  
simum, cuius nomen intercidit, de facto haud ambigitur. Proximo anno pri-  
die Kalend. Augusti, litteræ à Pontifice datæ, quibus inquirendi in Castellæ  
Templarios, Compostellæ & Toletano Archiepiscopis potestatem permittit,  
adiuncto Aimerico Inquisitore ex Prædicatorio ordine, (num eo à quo Dire-  
ctorium Inquisitorium editum extat?) alijsque Præsulibus. in Aragonia idem  
negotium Episcopis Raymundo Valentino, Semeno Cæsaraugustano, datum  
est. idem in reliquis prouincijs toto Christiano orbe factum. eo temperamen-  
40 to, vt inquisitione habita, de summa rerum in concilijs tantum prouinciali-  
bus cognosceretur. Magna turbatio: ingens Templarijs eorumque necessa-  
rijs luctus: nouæ spes alijs ex eorum calamitate. In Aragonia correptis ar-  
mis arcium se munitione tueri constituunt. variæ militum manus ad eos  
comprehendendos abs Rege missæ. ad Montionem propter loci munitionem  
maxima

maxima belli moles incubuit. victi Templarij, ferroque vincti. In Castella Rodericus Iuanus ordinis Promagister, sociique omnes, à Gonfaluio Tolentino Præsule ad dicendam causam vocati. vincula iniecta abs Rege omnibus bona eorum occupata, penes Episcopos tanquam sequestros deposita, vsque ad cognitionem causæ. Salmantica in Vectonibus Patrum concilium habitum est. Rodericus Compostellanus, Ioannes Olisiponensis, Vascus Idigitanus, Gonfaluus Zamorensis, Petrus Abulensis, Alfonsus Ciuitatensis, Dominicus Placentinus, Rodericus Mindoniensis, Alfonsus Asturicensis, Ioannes Tudensis, Ioannes Lucensis affuerunt. de vinctis atque supplicibus quæstione habita, causaque cognita, pro eorum innocentia pronunciatum communi Patrum suffragio: ad Pontificem tamen Romanum reiecta totius rei summa deliberatio. ea contra Patrum decretum valuit: deletoque ordine bona abs Rege occupata, atque oppida omnia sunt. in Calæcis Ponsferratus, Farumque: in Legionensi tractu Balduerna, Tauara, Almanfa, Alcanitium: Tagum inter & Anam ad Portugaliæ fines, Valentia, Alconera, Sericum, Nertobriga, Capella, Carcuuium: in Bætica Palma: in Vaccæis Villalpandum: in Contestanis Carauacca: in Carpetania Montalbanum, aliaque oppida, prædia, domus tota ditione Castellæ Regum, quæ numerare singula longum esset. In Maguntia cum in frequenti Patrum confessu, iussu Pontificis de ea causâ ageretur, Hugonem cum viginti ordinis sui socijs, irrupisse in conuentum aiunt: claraque voce testatum, si quid grauius in eum ordinem esset decretum, se Pontificem Maximum Clementis successorem appellare: ferocia eorum deterritos Patres bono animo esse iussisse. Clementem certiorum litteris factum ius de integro quærendi statuendique Archiepiscopo demandasse: causâ illum cognita, crimine liberasse tanquam innocentes. Demum in Concilio Viennensi, quod salutis anno millesimo trecentesimo vndecimo, Octobris die sextodecimo, haberi coeptum est, defuncti Bonifacij memoriam lacerare, eique hæresis crimen imponere nefas iudicatum. De bello sacro instaurando, magna contentione actum est. In Templariorum causâ decretum, vt eorum nomen & ordo penitus aboleretur. Crudele decretum fuisse plerisque visum est. neque est verisimile ea delicta in omnes prouincias manasse, contaminasse singulos. sed cunctis tamen, eius ordinis clade documentum datum, similis perfidiæ vitandæ, præsertim viris sacratis: quorum opes, viresque integra magis probitatis opinione, quam re alia nituntur. Bona Hospitalarijs addicta, quo illi tempore Rhodum insulam Turcis eripuerant: vnde maior ad populum gratia, spesque posse per eos bellum in Syria instaurari. Hispania excepta est, quoniam in ea belli moles aduersus Mauros, magna supererat. Interfuere concilio Philippus Galliæ Rex, filij eius tres, Carolus Valesius frater. aliorum Principum Legati magno numero, Patres ad trecentos fuere, alij centum quatuordecim dicunt: duo Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenusque: Romanus Pontifex cæteris omnibus auctoritate potior.

*Ferdinandi Castella Regis obitus.*

*Caput. XI.*

TEMPLA



EMPLARIORVM casu orbis Christianus conturbatus est. fontibus irrogata supplicia: infantes conseruati, attributæque eis Patrum Viennensium decreto annuæ pensiones ex ipsis cœnobiorum bonis, vnde vitam sustentarent, insigni tantum veste detracta. In Castella omnia gratulatione plena erant, Alfonsi infantis ortu, quem in spem paterni regni Constantia Regina pepererat tertio Nonas Augusti, eò maiori lætitia, quòd prope desperationem res fuerat, coniugio eatenus infœcundo. Inter Petrum Ferdinandi Regis fratrem, & Mariam Aragonij filiam, per legatos coniugium erat pactum. eo perficiendo Regum Castellæ, Aragoniæque conuentus Calataiubæ habitus est. affuit Constantia Regina à partu confirmata valetudine, atque ex vtraque gente viri clarissimi factis nobilitateque. quibus diebus Christi Dei natalitia celebrantur, nuptiæ peractæ. Iudi exhibiti, commissa spectacula. Eleonora Ferdinandi soror, Iacobo Aragonij filio antea promissa coniux, datis nunc sponsalibus, in soceri potestatem est contradita. De bello Maurico instaurando primo quoque tempore consilia communicata. In lite Lusitaniæ inter & Castellæ Reges contestata belloque proxima, Moram & Serpam, quæ oppida in extrema Lusitania ad promontorium Sacrum sita sunt, repetente Ferdinando, quoniam se minore, Lusitano erant tradita contra ius fasque, Aragonius delectus arbiter, componendis controuersijs industrius felixque. In id soluto Regum conuentu, Ioannes Aragonij frater in Lusitaniam legatur. Ferdinandus bello Maurico comparando, Vallisoleti conuentus regni habet. pecunia conquisita collataque propensa prouincialium voluntate æquo animo ferentium damnum pecuniæ, grauitatem vectigalium præ cupiditate impiæ nationis extirpandæ: neque cogitantium honestis sæpè occasionibus iura imminui libertatis: dum malis reipublicæ temporibus concessa vectigalia, sedata etiam tempestate imperantur, retinenturque. Petrus Regis frater adulto vere salutis anno millesimo trecentesimo duodecimo ad bellum præmissus Alcaudetem, quod oppidum à Mauris occupatum fuisse dictum est, contractis copijs circumsedit. Rex eius vestigia subsecutus Tuccos venit, Martos nostri vocant. In eo municipio Caruaialij fratres, Petrus & Ioannes, regio iussu comprehensi è vinculis more gentis causam dixere. Cæsi ad Palentiam, cum regia noctu egrederetur Benauidij viri primarij, lege maiestatis postulati. Cædis auctor cognosci non poterat, suspicionibus multi exagitati: hi oppressi, neque iudicio conuicti, neque crimen falsi, quæ maxima iudiciorum labes est. De vicina rupe præcipites dari iussi. Rex intractabilis erat, cum recens iniuria prouocabat, neque in ira regi valens: aulici vt fit viris nobilibus euertendis eius offensas acriter speculabantur. Rapti ad supplicium Diuum hominumque fidem testati se innocentes mori, quoniam regiæ aures obturatæ essent, ad Deum æquissimum iudicem prouocare: Regique diem dicere, ex eo die trigesimum. Eæ voces in præsentem pro vanis habitæ, casu fortasse, esto, at mirabili certè euentu confirmatæ sunt. Rex nulla periculi cura Alcaudetem in castra abiit. ibi morbo tentatus grauisimo Giennium sese retulit: quo tempore de oppido dedendo à Mauris mentio erat illata. Vis morbi in dies augebatur. Rex curis grauioribus impari valetudine, lætus tamen nuncio

Zz oppidi

oppidi capti, nouæ irruptionis faciendæ consilia explicabat: cum die Iouis, septimo Idus Septembris, à prandio somno se dans in strato exanimatus reperi-  
 tus est. Obijt in ipso ætatis flore, annos natus quatuor & viginti, menses no-  
 uem, in maximo cursu rerum suarum. regnauit annis decem & septem, qua-  
 tuor mensibus, diebus decem & nouem. Cibi & potus intemperantia exitio  
 fuit. alij diuini numinis vim interpretabantur, quod à cæde patrata, magno  
 omnium miraculo diem trigessimum præcise numerarent. vnde inter Castella  
 Reges Ferdinandus In ius vocatus nuncupari cœpit. Corpus Cordubæ  
 translatio funere tumulatum. Hispalim, Toletum vè deduci, propter anni  
 tempus non potuit, nondum ætatis ardoribus remissis. Auxere vulgi opi-  
 nionem religionemque conceptam animis confirmarunt, duo Principes sum-  
 mi, duobus proximis annis extincti: Philippus Galliæ Rex, atque Clemens  
 Pontifex, à Templarijs militibus, cum in eam nationem igne, atque omnibus  
 cruciatibus sæuiretur, ad diuinum tribunal citati. sic fama ferebat, siue vera, si-  
 ue conficta rumoribus. placet tamen vt falsa esse videatur. de Ferdinandi ca-  
 su haud ambigitur. In controuersia inter Reges Castellæ & Lusitaniæ, quid ab  
 Aragonio sit constitutum, clam est: nisi quod in Lusitanos propensior esse vi-  
 sus est, iniqua petere Ferdinandum iudicare. eius sanè morte rebus in Castella  
 turbatis, imbecilla filij successoris ætate ea oppida de quibus controuersia erat,  
 Lusitano stabili possessione confirmata sunt.

*Alfonsi Castella Regis initia. Cap. XII.*



FERDINANDI obitum exceperere in Castella tempora turbi-  
 da, disidijs ciuilibus plena fœdaq;: vt Rege minore annum & dies  
 sex & viginti nato, non secus ac rectore destituta republica con-  
 tingere propemodum erat necesse. Regni hæreditarij id incom-  
 modum est, quod alijs commodis compensari pleriq; prudentiæ opinione præ-  
 stantes, litteris expoliti persuadent, fucata an vera oratione non disputamus.  
 Fuerat Alfonsus continuò ab obitu patris, Castellæ Rex proclamatus, Petro pa-  
 truo qui ad rei famam accurrerat, auspice auctoreque. officio id datum fideique,  
 prouincialium voluntates amplius deuinxit. Alfonsus puer Abulæ erat. Vata sæ  
 foeminæ nobilissimæ Theodori Lascari quondam Græcorum Augusti nepti  
 Principis educandi instituendique cura demandatur. Maria Alfonsi auia Valli-  
 soleti erat, rerum administratione, siue deposita siue ablata. Constantia Regi-  
 na virum ad bellum secuta, Tuccis mæstitia, luctu, squalore oppressa, quip-  
 pe viro in florenti ætate viduata. Ioannes patruus Valentiam, Lara in Lusi-  
 taniam abierant, auersis paulò ante obitum à Ferdinando animis. Qui im-  
 becillam Regis ætatem regeret, regnique molem tantisper sustineret qua-  
 rendus erat, virtute, prudentia, nobilitate præstans. Plures sese vltro ob-  
 trudebant. vnum præferre, qui cæteris omnibus imperaret, periculosum. in-  
 sita mortalibus potentia cupido, metu potentioris sublato eruperat: nam pu-  
 dorem vincebat ambitio spesque: nec diuini quidquam nec humani san-  
 ctum erat præ cupiditate dominandi. Alfonsus pueri magnus auunculus,  
 Philippus

Philippus patruus, Ioannes Emanuel ad reipublicæ curam nitebantur occul-  
 tius modestiusque. Ioannes & Petrus palàm: hic melior iure causaque, ille ætate  
 commodior, nisi ingenio inquietus esset. & reipublicæ disidijs exagitandæ na-  
 tus prudentioribus esse videbatur. Nusquam amor fidesque. potentia priuatim  
 augendæ studium occupabat animos. Reginæ propter sexum tantis quamuis  
 curis ipsæ impares, magnum tamen momentum allaturæ erant, in quancunque  
 se partem dedissent, inter se discordes, nempe nurus cum socru. Petrus Bæticæ  
 rebus intentus cum Mauro pacem pepigit vtrique commodam: cum res dome-  
 sticæ Petrum à belli cogitatione auocarent: Farrachenius Malacæ regulus, Al-  
 hamari impie interfecti vltionem expeteret, non magis armis fretus quam in-  
 uidia, qua æmulus flagrabat ex fraterna cæde apud populares conflata. Eo fœ-  
 dere inito, Petrum inter & Constantiam Reginam consilio communicato, de  
 republica Regeque educando actum est. conuenit vt Abulam maturarent spe  
 nihil ciues denegaturos, & si morarentur vi parata. Contrà Ioannes Ferdinan-  
 di patruus, & Ioannes Lara concordiam inter se sanciunt. morum similitudo  
 animos conciliabat, parque periculum. Mariam Reginam in partes tradu-  
 cere satagunt, iniecta spe Regis educandi. Abulam Lara prius accurrens, Re-  
 gem templi maximi munitione defensum à Sanctio Episcopo, in potestatem  
 redigere non potuit. Petrus & Constantia subsecuti nihil amplius impetra-  
 runt. Quod medium erat, decretum ne Rex alterutris traderetur, nisi antea in  
 regni conuentu lite diiudicata. in eam rem Abulenses ciues sacramento ada-  
 cti. auctor consilij Lara Petri excludendi spe. Conuentus regni Palentiæ pri-  
 mo tempore habiti sunt. turpis ambitus, magna prehensio. sanior pars Pe-  
 tro Mariæque eius matri ad filium propensæ, rerum procurationem destina-  
 bat: alij Ioannem præferabant, Constantiamque factionis artibus à Petro ab-  
 ductam. inde nouorum motuum occasio. Proceres & vrbes diductæ in par-  
 tes: pro vnoque gemina imperia extitere. tetram rerum faciem, miserabili-  
 lem conditionem. Petrus domesticis externisque præsidijs ius obtinere sat-  
 gens cum Ioanne Emanuele fœdus facit, si voti compos esset Carpetanos,  
 Contestanosq; Ioannis fidei permissurum. sic rempublicam licebantur, ludibrio  
 que erat regni maiestas. Calataiubæ Aragonium socerum conuenit principio  
 anni millesimi trecentissimi tertijdecimi. aduersariorum dolos artesque expli-  
 cat, reipublicæ periculum si diutius controuersia alatur, ne pars cum parte  
 contendat armis. debere ipsum æquitate causæ moueri, generoque opitulari,  
 præsertim iustissima postulanti. Michael Arbe communi consensu ad Lu-  
 sitanum legatur, si eius auctoritate seditionum conatus comprimerentur  
 Petro regni procuratio cederet: penes Constantiam Reginam Regis educan-  
 di cura esset. eo temperamento vtrisque rationibus optimè consultum iri vide-  
 batur. Abulenses rerum magna ex parte arbitri in neutram se partem forti-  
 ter commouere: vtrisque spem modò, modò metum ostentare. Petri tandem  
 & Mariæ partes secuti sunt. Gratum id primoribus ciuitatis populus appro-  
 bauit, ea lege tamen ne Rex vrbe efferretur. Quo tempore Azar Rex Gra-  
 natensis ciuium rebellionem intra arcem compulsus est. Ismael Farrachenij  
 filius seditionis auctor, duxque. Petrus fœderati paulò ante Regis iniuria

atque periculo commotus rebus cæteris posthabitis, eò contendere constituit: ferum perditis rebus auxilium: nam pactione cum hoste facta, regno regioque nomine abscesserat, Guidixensem recessum principatumque beatos nempe Turdulorum sinus agrosque pactus. quæ proxima auxilio est ultio petita. Rutes arx munitissima in Granatensi tractu Mauris erepta. latæ populationes factæ. regnauerat Azar annis quatuor, mensibus septem, alieno regno felicior modestiorque quàm suo. successit Ismael æmulus sororis Ferrachenijque filius. Rute capta, Petri auctoritas confirmata est, gratiaque maior ad populum recordantem, à prioribus Regibus tentatam sæpe antea frustra, nunc intra triduum expugnatam. Motæ dissidijs ciuilibus reipublicæ cura à bello Maurico auocauit, externaque negligi propemodum necesse erat. Ad sancti Facundi fanum proceres, vrbiumque procuratores conuenere: si concordia via aliqua excogitari inueniri que posset. Dum ij conuentus agitantur Constantia Regina diem obiit mense Nouembri. filij erepti dolor vrebatur, tantaque rei familiaris inopia: vt soluendis nominibus aurum ad ornatum subsidiumque fortunæ non sufficeret, vt ipsa testamento testata est sub mortem nuncupato. Constantiæ sanè obitu, constituendæ pacis expeditior ratio fuit. Ioannes Princeps tanto destitutus præsidio ad Mariam Petrumque se contulit. conuenit vt Regis educandi curam Regina auia susciperet. Ioannes & Petrus regni procuratores essent. ijs vrbibus pro se vterque partita cura iura darent, à quibus essent in Palentinis conuentibus, ad id munus nominati. Incommoda quidem gubernandi ratio, multisque obnoxia difficultatibus, tempori tamen accommodata. Rex Taurum, quæ vrbs antiquis Sarabis fuit, præcipua regionis amœnitate, salubritateque deductus est salutis anno millesimo trecentesimo quartodecimo, detractusque Abulensibus: in quo superioris contumeliæ vindicta continebatur. Noui inde motus in Carpetania excitati. scelerum vbique licentia: latrocinij ac cædibus cuncta misceri. sæda rerum facies, neque idoneæ vires tantis motibus pacandis. Commodior reipublicæ administrandæ ratio quærebatur. Ea causa Burgos regni conuentus indicti sunt. in ijs sancitum supremam reipublicæ curam penes regium senatum fore: ad quem gentis instituto ex omnibus partibus libera prouocatio est, pecuniæ depositæ damno, si is, qui prouocauit, causa cadat. Id collegium Regem Reginamque sequeretur: Petrus & Ioannes minora negotia decernerent. Regia vectigalia donandi alienandi ve facultas ablata: substituendique suo loco alium, si quid humanitus è tribus vni contigisset. Ijs diebus tres viri principes morbo extincti: Alfonso Reginæ frater paulò ante. Tellius huius filius, cum ad comitia festinaret. Ioannes Lara Burgis, dum regni conuentus habentur. Is inter alia mala reipublicæ, regis procurationem recuperauerat. in eius locum Alfonso Ioanne procuratore natus substitutus est. Erat Ioanni Lara soror Ioanna nomine, Ferdinando Cerdæ iuncta coniugio: vnde Blanca nata, & Ioannes Lara (quoniam eius familiæ principatum obtinuit) auunculo cognominis. Mense Nouembri Elisabetha Aragonij Regis filia Friderico Austriæ Duci paulò ante pacta, ad virum in Germaniam missa est, Regem Romanorum paulò ante renunciatum, Colonienfis, Saxonis, Palatinique suffragijs. nam tres alij Principes Ludouicum Bauarum imperio præfece-

præfecerunt, quibus Vincellaus Bohemiæ Rex accessit. vnde melior causa Bauarus, æmuloque tandem acie superato captoque felicior quidem fuit: insectandis tamen Romanis Pontificibus, nouo Pontifice Romæ creando, vetera odiorum nomina exæquaturos.

*Turcarum imperij initium. Cap. XIII.*



10 **G**RAECORVM imperium per hæc tempora Andronicus obtinebat, Michaelis Palæologi filius, notum perfidia & impietate nomen, diuis hominibusque inuisum. Romana religione eiurata, quæ à Græcis superioribus annis suscepta erat populariter, patrem in impiorum numero habuit: funeris honorem, iusque sepulturæ defuncto denegauit. Id imperij initium fuit, faustum scilicet, atque præclarum: tanto in nostram gentem odio, vt iusta matrimonia non haberentur, Græcos inter Romanosque iuncta, nisi prius à parte altera patrijs sacris abdicatis. Multi fidei damnati crimine grauissimo apud Græcos ea tempestate. Ijs sceleribus vindicandis Turcæ hoc ipso tempore certissima numinis ira excitati, gens eatenus obscura, nunc nostris cladibus illustris fama, ignauia magis Principum, qui nascenti incendio occurrere potuissent, quam sua ipsorum virtute. In Scythiæ 20 ea parte, quam Volga flumen interfluit, eius gētis sedes olim fuere. inde salutis anno septingentesimo sexagesimo, magno se numero in Europam infuderunt: prælioque cum Hungaris rerum potentibus commissio male accepti, in Asiam transmiserunt, locorum fertilitate inuitati, gentisque ignauia: quàm voluptates locorumque amœnitates emollierant. Ijs in locis, montibus Turcæ occupatis, eorum munitione magis quàm armis tuti, diu incolumes perstiterunt, nulla celebres fama, nullo magni nominis Duce, latrocinio viuentes, stipendiaque facientes militia venali: vnde maior spes ostenderetur, cum à vicinis Principibus ad ferendam opem inuitabantur, præsertim ab Aegypti Suitano, iniuriæ opportuni, si fuissent, qui communibus reipublicæ malis mouerentur. Sed præterita reprehendi magis quàm retractari possunt. Bello sacro, quod Gotifredi virtute in Syria susceptum gestumque est, nobiliores esse cœperunt ob eas clades, quas nostræ genti intulerunt, acceperuntque ipsi mutuo, diuisi in plura imperia regulosque: donec hoc tempore Othomanus quidam Zichi filius, obscuro quidem loco, cæterum animi magnitudine, roboreque præstans, alijs sublati oppressisque magna ex parte Turcarum Ducibus fulam gentem palantemque Numidarum more, sub vno imperio deuinxit. Hic imperij Turcici nostra tempestate latissimi, conditor primus, Othomanorum familiæ cognomen dedit. ab hoc perpetua serie Turcarum Imperatores deducti, filij pierunque patribus raro inter se fratres succedentes, vti subiectum stemma indicat. Othomani filius ac successor Orcanes fuit, nepos Amurates, pronepos Baiacetus, Tamerlanis felicitate, suaque calamitate (nam victus captusque ab illo est) quàm proprio imperio celebrior. Baiaceto successit Calapinus filius, duoque deinceps ex eo Baiaceti nepotes Moyse & Mahometes. huic rursus Amurates filius fuit, tædio rerum humanarum sub vite finem imperio deposito, contemptoque quàm gesto

illustrior. integra ætate, florentissimis rebus, regna regiumque cultum reliquit. felix si pro vera religione id studium suscepisset. Amuratis filius Mahometus, is cuius armis Constantinopolis proximo seculo capta est, Mahometo Baiacetus, Selimus, Solimanus, Selimus, Corcutusque successere. sic Turcicum imperium à tenui principio exortum, nostrorum ignauia auctum amplificatumque est: discordium inter se, ac ne aduersus quidem communem hostem consensu.

*Catalauni Græcorum imperium inuadunt. Cap. XIII.*



**M**AGNA Asiæ minoris parte Turcæ armis occupata oppressaque, de Europa cogitare cœperunt. Angustum, quo dirempta est, fretum exultantibus barbaris tanquam frænos furoris iniecit. nam in Græcis parum animi erat, parum roboris ad vim propulsandam omnium voluptatum illecebris fracti corporibus, imminuti animis, in pace inquieti, procaces ore, in bello ignauissimi erant. Andronicus periculi magnitudine perspecta externis se & imperium auxilijs munire cōstituit. Catalauni pace inter Principes in Sicilia composita, vti superius monstratum est, quietis impatientia, belloque viuere assueti piraticam exercebant. Rogerius Brundusinus præcipuus eorum Dux, militari scientia, & rerum gestarum fama præstantissimus, magnis præmijs euocatur. Huic origo ex Germania. pater Richardus Florus Friderico Augusto familiaris, assiduusque, Brundusij amplas possessiones habuit. eo ad Manfredoniam cæso, cum Corradini partes sequeretur, filius se Templarijs primùm adiunxit: deinde Friderico Siculo Regi fortem operam nauauit. inde illi bellica gloria, nomenque apud exteras etiam nationes celebre. Regis sui voluntate, Græcorum accitu, Constantinopolim abiit cum classe nauium octo & triginta: in quibus triremes octodecim, equites mille quingenti, pedites ad quatuor millia, exigua tantis molitionibus manus: cæterum bello viuida virtus, vsu firmati milites, belli Siculi domitores. Rogerio coniux data Zauræ Imperatoris filia, ex Andronici sorore genita, præcipuusque secundum Imperatoris auctoritatis locus. nomen Magni Ducis additum. His blandimentis Catalaunorum animis conciliatis, bellicæ studio incensis, in vicina Asiæ littora transmissum est. primo prælio è Turcarum numero tria millia equitum, pedites ad decem millia interfecti. rursus Phrygia Mæoniaque penetratis, ad Philadelphiam Pactolo fluuio nobilem, locis amœnissimam cum Turcis pugnatum est, pari euentu, neque minori hostium strage. ad Darniam tandem Ciliciæ urbem, non procul Epheso atque ad Tauri montis angustias, Ferri portam vocant, dimicatum pari nostrorum felicitate. claræ eæ victoriæ in præfens, in posterum vsui fuere. arma, equos, pecuniam, quibus indigebant adepti sunt, magna inter vtranque gentem fama. Ab ijs initijs facta spes est impiæ gentis euertendæ, nationis Christianæ omnibus malis vexatæ in libertatem vindicandæ. Incommodè accidit, vt Rogerij socero defuncto, frater eius imperium armis occuparet. leuitorum calamitate, qui patrum

patrum iniuria à paterna hæreditate excludebantur, Rogerium moueri necesse fuit, præsertim Andronico in Europam euocante. breui ea tempestas sedata ex sententia est. Magnum momentum accessit Berengario Entensa domo Catalauno in auxilium attracto. Sequebantur eum equites trecenti, mille pedites ex omni copia delecti. is Magni ducis titulo, continuo cohonestatus. Rogerio Cæsaris nomen datum: quo nomine à quadringentis annis Græcos vsos non esse constabat propter amplitudinem potestatis imperio proximæ. Hactenus omnia secunda, nihil vt desiderari posset, nisi è summo verti fortuna cœpisset. ex honore nata ad populum inuidia est. præterea milites ad Callipolim, vbi in hibernis continebantur tumultuantes, stipendiaque postulantes, dispersi per vrbes & oppida, rapere, spoliare, vi & stupris cuncta polluere, in omne fas nefasque auidi suo compendio, Ducum periculo, in quos Augusti ira vertit. eorum vitæ insidiæ comparatæ. Rogerius Hadrianopoli oppressus: quo euocatus venerat quasi de rebus magnis deliberaturus, insigni perfidia, publico damno. Sic est: procliuius iniuriæ, quam beneficio vicem rependimus, quia gratia oneri, vltio in quæstu habetur: ac ferè magna officia insigni maleficio compensantur. Rogerio cæso Callipolis, numerosis Græcorum copijs obsessa. magna nostrorum virtute propugnatum. multæ de Græcis victoriæ partæ sunt. in quodam conflictu, sex millia equitum, pedites viginti millia trucidati, cæteri castris exuti, res comparanda miraculo, vixque fidem factura, ni Raymundus Montanerius, qui bello interfuit, visa litteris prodidisset. Entensa iniustæ necis vindicandæ studio incensus, Byzantijs littora classe vastauit. pecora abacta. hominum cædes factæ. villæ vicique incensi. Caloioannem Andronici filium resistere ausum, acie vincunt, fugantque. Classis Genuensis forte fortuna, ad ea littora appulsa Eduardo Oriæ Duce, rebus Græcorum opem attulit: Catalaunorum rationes vehementer conturbauit. simulatione amicitia, classis Catalaunorum oppressa est. Entensa captus, ea calamitate dignus quod Turcas auxiliares euocasset: quod Christianis legibus turpe semper est habitum. supererat Rocafortius ad Callipolim in præsidio relictus. eo duce irruptiones sæpè factæ, multæque hostibus illatæ clades, tum Græcis, tum Genuensibus. Eo successu ferox effectus, neque iustum neque iniustum imperium pati poterat, omnium scelerum licentia, vi, stuprisque contaminatus. Entensam reddita longo interuallo libertate, cum noua classe, quam in Catalaunis venditis paternis oppidis comparauerat, ad ea littora appulsum, rebus præfici passus non est. inde ciuiles discordiæ grauesque vtrinque insidiæ comparatæ. A Friderico Rege Siciliæ, cuius auspicijs pugnare cœperant, periculo renunciato, Ferdinandus Balearici Regis minor filius eò est missus: si nominis auctoritate, ingenijque dexteritate in pace poneret Catalaunos. Parum ea diligentia profectum. impetratum tamen, vt quoniam omnis ad Callipolim tractus vastatus erat, facto omnes agmine, modicis interuallis Neapolim peterent, urbem Thraciæ ad Macedonia fines nobilem Neso & Strymone fluminibus prouentu celebrem, præcipua amœnitate. In eo itinere pars cum parte confligit. Cecidit Entensa. multi alij perempti. Ferdinandus necessario in Siciliam nauigans ad Euboeam insulam à Gallicis triremibus captus

est. Cum ea Gallorum classe Rocafortius eorum, quæ commiserat venia apud Aragonios Siculosque desperata, foedus facit. ab ijs, cum præ superbia fastuque contemptui se haberi cernerent, ferro victi Rocafortius, Rocafortijque frater, Auersæ in Roberti Neapolitani Regis infensissimi, potestatem contraditi carceris squalore perierunt. Merces ea scelerum iustissima est habita. Ferdinandus Balearis in libera custodia fuit: ac mox Aragonio, & Friderico annitentibus, redditus libertati Messanæ Isabellam duxit Ludouici neptim, eius qui Gallicæ stirpis postremus Peloponnesi Princeps sine virili prole ante aliquot annos decesserat. Gallorum discessu Catalauni quamuis viribus & numero imminuti ferocia retenta, quæcunque irent, omnia vastare, diripere, auferre. 10 Quo tempore Athenarum Dux Gualterus Brenna, ex veterum Gallorum nobilitate, à finitimis bello fatigabatur. ab eo Catalauni ad armorum societatem inuitati. diuturna amicitia non fuit. stipendia flagitantes, facta secessione Ducem in acie cædunt, urbem eodem impetu capiunt, domos, vxores, opesque incolarum. imperij summa, nomenque Friderico Regi Siculo referuatur. externis hominibus, tantaque ex eo facto inuidia, externa præsidia conquirenda erant. Itaque Fridericus in præsentem conditionem accepit, præfectosque vrbi- 20 bus, Duces bello dedit, qui eius nomine res gererent: deinde Guillelmo minori filio eum principatum testamento legauit. Guillelmo Ioannes frater successit. Ioanni Fridericus filius. Hoc nulla ex se prole defuncto, Friderico prioris Friderici pronepoti Regi Siculo, is principatus iure hæreditario obuinit. inde Aragonijs Regibus Ducis Athenarum & Neopatriæ, nostra etiam ætate, inane nomen vmbraque. Fuit hoc bellum ea tempestate maximè memorabile, militum audacia, præliorum numero & varietate, diuturnitateque temporis, nam duodecim annis tenuit. quod mirum sit circumfusis vndiq; hostibus, sublata inter ipsos concordia, nulla imperandi parendiq; disciplina. Ea res Clementem Pontificem, hoc ipso quo extinctus est anno, excitauit, vt minacibus ad Aragonium litteris ex Græcia deduci Catalaunos pro regio imperio, mandaret, Caroli Valesij in Peloponneso dotales vrbes obtinentis gratiæ, incolarum lacrymis, qui malis omnibus à paucis latronibus opprimi, se suaque conquere- 30 bantur, datum id officium a Pontifice est.

*Joannes. XXII. Pont. Max. Cap. XV.*



VO anni proximè consequentes nouis in Gallia Regibus, nouoque post duorum annorum & mensium ferme quatuor interregnum Romano Pontifice insignes extiterunt. Ludouicus Hutinus ad saltum Vincennarum, quarto ab vrbe Lutetia lapide, ex morbo extinctus est, Nonis Iunij salutis anno millesimo trecentesimo quintodecimo. ex priori vxore Margarita Burgundi Ducis filia Ioannam reliquit. matri adulterij conuictæ in custodia gulam fregit. iustus is dolor est habitus: mirumque vno tempore tres Philippi pulchri nurus, lege de adulterijs fuisse postulas, præcipua in foeminis principibus impudicitæ licentia. duæ conuictæ Ludouici, Carolique vxores. adulteris verenda conuulsa, 40 cutis

cutis detracta: vncoque per plateas tractis laqueus vitæ finis fuit. Clementia Hungari Regis filia in Margaritæ locum posterioribus nuptijs substituta veterum ferebat, quo tempore vir extinctus est. in spem paterni regni Ioannem peperit. Eo tamen intra vigesimum diem sublato, Philippus patruus cognomento Longus, eatenus regni procurator, regium insigne desumpsit, consensu omnium ordinum, Ioanna puella fraterna hæreditate exclusa, lege Salica, seu vera seu in gratiam potentioris recens conficta, extensaque. cuius hæc verba sunt. 1, IN terram Salicam mulieres ne succedant. Regno Vasconum spoliari non poterat, quod auiam cognominem recenti memoria obtinuisse hæreditate cõsiderabant. De Pontificatu Romano maior concertatio erat, Italicis Cardinalibus ex sua gente Pontificem creari, Romamque pontificiam sedem referri satagentibus. vincebant Gallici numero. vicere successu. Carpentoraçti Gallia Narbonensis vrbe, vbi Clemens Pontifex decesserat, cum electio noui Pontificis duceretur, concursu prouincialium Italorum ædibus direptis, capta vrbe, dissipatique vtriusque nationis Cardinales: re schismati proxima, longo interuallo Lugdunum ad comitia pontificia conuenerunt. In ea vrbe Iacobus Ossa genere Gallus ex Episcopo Portuensi, Romanus Pontifex creatus est, septimo Idus Augusti, anno eius seculi sextodecimo. in Pontificatu Ioannes XXII. dictus 1316 Tolosa & Cæsaraugusta Metropoleis vt essent, efficit vtriusque gentis Gallicæ 20 & Aragoniæ promerendi studio. Cæsaraugustæ Pompelo contributa: cum vtrique à Tarraconensi Præsule sacra petere soliti essent. Cadurcos Episcopi sede donauit. is honos patriæ habitus est. Noua Diuorum nomina templis data: Thomæ Aquinatis ex Prædicatorio ordine Theologi præstantissimi: Ludouici Episcopi Tolosani. is Caroli Iunioris Neapolitani Regis filius fuit, Aragonij leuir. Ex res Ioannis Pontificatum diuturnum, magis illustrem effecerunt. In Castella res quietæ non erant: neque tamen externi belli cura intermittebatur. Azarius priuati fortunam quamuis feliciorum ferre non valens, grauemque ex regno casum, regios titulos vsurpabat contra iæti foederis leges. infirmus viribus imparque hostium potentiæ, nostrorum auxilia euocare non desiste- 30 bat. foederati Regis calamitas mouebat, spesque ex intestinis disidijs gentis Mauricæ opprimendæ. Belli cura Petro Principi demandata. id ætati eius concessum, & quoniam foedere facto prior Maurorum gratiam occupauerat. præterea domestica calamitate Ioannes Princeps distinebatur Alfonsi filij maioris, valetudine primùm, deinde obitu, inter Maurici belli initia confecuto, ad Morales oppidum in agro Tauri. defuncti corpus Legione ad D. Mariæ de Regula sepultum est. Quo tempore Ferdinandus Balearis in Peloponneso, vbi Catalaunorum ope dotalem eius gentis principatum armis vindicabat, in ipso ardore belli extinctus est. corpus in Hispaniam relatum, Perpiniani in Prædicatorum æde, tumulo compositum. Is viri exitus fuit ea tempestate 40 clarissimi. filium ex vxore procreatum auo cognominem in tenera ætate reliquit. Petrus Princeps bellum in Bætica omni conatu comparabat. Guidixenses annonæ penuria laborabant corruptis circum segetibus, agris, ferro flammaque vastatis. Iumenta sarcinaria, quorum magnus numerus erat contractus, valido præsidio, per hosticum ducenda erant. Iacobi & Calatrauz Magistri euocati.



adiuncta valida manus Petro ipso totius expeditionis Duce præcipuo. ad Alatenum oppidum occurrunt Granatenses equites numero, virtuteque præstantes, Ozminio ductore. eorum aduentu, nostri in pedes desiliunt. supremo conatu dimicatum pari periculo. nostrorum tandem virtute hostium ferocia repressa est. in pugna fugaque mille quingenti è Mauris desiderati sunt: in his quadraginta è præcipua nobilitate Granatensi. quæ res effecit, vt ea clades luctuosissima barbaris esset. Secundum victoriam reliqua prona fuerunt. Guidixenses commeatu instructi. geminæ arces, Cambiles, & Algabardus vi expugnatæ, ereptæque Mauris. Quod gratiam apud populum & Principes conciliare debuit, multorum inuidiam accendit. Petri euertendi consilia agitata, 10  
Ioanne patruo cæteros proceres occultè instigante. honesta caussa quærenda erat. optima visa est: rectam regni administrationem oppidis oppigneratis prædibusque cauere. ærarij id rationes nimium exhausti exigere. Burgis primum, deinde Carrione conuentus agitati. vtrunque vt postulabatur, præstitum: Petrique fides ad examen vocata illustrior visa est. A Erarij inopiæ supplendæ ratio aliqua excogitata. ad vocem tributi absurdescebant prouinciales, quod auctis sæpè vectigalibus, iniquitate temporum, bellique Maurici stipendijs, consumptum erat. impendebant infiniti sumptus, nouæque copiæ militares conscribendæ erant. Adire nouum Pontificem Petro visum est: atque ab eo in vsus belli Maurici, missa legatione postulare sacerdotiorum decumas. prætereà peccatorum veniam ijs qui voluntariam militiam suscepissent. vtrunque 20  
benigne à Pontifice datum est. aliquid etiam pecuniæ in stipendium à prouincialibus redactum. His subsidijs nostrorum copiæ auctæ sunt. hostium fines semel, iterum, tertio, irruptione facta, euastati. hominum, pecorum prædæ abactæ. agri, villæ, oppida vexata. belli terror circumlatus. in ipsius aded Granatæ vrbs conspectum, penetratum est. Mauri pugnandi copiam non facere: nostri in eo victoriam esse positam arbitrari, si ventum esset ad manus. si qui in acieni prodire ausi erant, eos pedes magis, quàm arma tutabantur. Heraclea Maurorum conatibus occupatis, qui eam vrbs obsidere parabant, egregiè munita. Itaque proposito destiterunt. Belmasium oppidum, arxque nostrorum armis, præsidioque occupata sunt. salutis anno millesimo trecentesimo sextodecimo hæc in Bætica gerebantur. Quo anno Rocaberto Tarraconensi Præfulle defuncto, collegij suffragijs vt tunc in more erat, Ioannes Aragonij Regis filius substituitur. electionem vt Ioannes Pötifex ratam haberet, impetrari non potuit. caussæ memoriæ non sunt proditæ. simoniaci ambitus (sic suspicor) vitium obtendebatur, aut minoris ætatis. Nondum soluendarum legum ad Principum gratiam vsus percrebuerat. In Pontificibus ea erat animi magnitudo, vt maximorum sæpè Regum cupiditatibus obsistere non dubitarent. Semen Luna Gæsaragusta Tarraconem migravit. Petrus Luna in Semeni locum suffectus Cæsaragustanus Archiepiscopus. Ioannes Regis filius Montaragonis Abbas creatur: quod sacerdotium Petri electione vacuum erat. 40

*Petrus & Ioannes Principes in bello Maurico occisi.  
Caput. XVI.*

PROXIMO

**P**ROXIMO anno millesimo trecentesimo septimodecimo repetitis antea legationibus, supremaque Aragonij Regis contentione, ex bonis, quæ Templarij in Valentino tractu obtinere soliti erant, noua vti militia constitueretur impetratum, Calatrauæ quidem contributa, proprio tamen Magistro in veste candida, cruce rubra insignis simplici planaue. Cisterciensium instituto, legibusque viuere mandatum est. præcipua sedes Montesia, vnde militiæ nomen. tenuis census. virtus bellica aduersus Mauros, qui Valentina littora infesta reddebant, cæteris non inferior. Proximo tempore in Lusitania eodem Pontifice concedente, noua 10  
militia constituta, cui à Christo nomen est, eo regno nobilissima, cruce rubra, linea candida interfecante distincta. huic militiæ Templariorum oppida, prædialia, ædes attributæ. ad castrum Marinum præcipuum ordini domicilium. inde Touarium migratum. Præclare hoc. Intestinis tamen motibus prouinciæ tranquillitas, quæ diu steterat, turbata est. a Dionysio Rege filius Alfonso dissidere cœperat. regnandi ambitio, exitiale malum, iuuenem agebat præcipitem. tametsi caussæ aliæ obtendebantur: Alfonso Sanctium furto genitum plus apud senem patrem posse, quàm pateretur æquitas. ei regiæ procurationem delatam: ad summa de republica consilia adhiberi solitum: ex eius arbitrio pendere omnia: & quod caput erat, eo auctore Alfonso abdicandi consilia agitata 20  
esse. hæc siue verò siue falso in vulgus iactata multorum animos à Rege auerterunt: eorum qui nouas spes præsentis fide metuque potiores arbitrabantur. proceres in partes scissi. Conimbrica Portusque ab Alfonso occupatæ. exules, latrones, parricidæ sese ad Alfonso adiungebant, Dionysij Regis patientia singulari: si arte posset filius ab ea mente deduci, victoriam funestam fore existimantis victoribus æquè ac victis. Hæc in Lusitania. In Aragonia Maria Regina extincta est: quam Cyprij Regis sororem è Cyproque aduectam superiori anno, sibi connubio Aragonius Rex iunxerat. nuptiæ Gerundæ celebratæ: inferiæ Dertuse. vbi anno millesimo trecentesimo octauodecimo, mense Mar- 30  
tio extremo defuncta est: tumulusque in Minorum æde compositus. Proximus annus duabus maximè rebus insignis extitit. Ioannis & Petri Castellæ Procuratorum tristissimo casu, Iacobi Aragonij abdicatione. Ioannes alter regni procurator æmulum potentia & auctoritate, ob ea quæ præclare gesta erant, indies crescere ægrè ferebat. belli pacisque consilia ad eum cuncta referri grauissimum: ac illud vrbat maximè, quod sacerdotiorum decumas solus administraret excluso socio. Petrus quo plura præclare strenuèque fecisset eo iniuriam minus animo suo tolerare. si diutius aleretur controuersia fore providebatur, vt pars cum parte confligeret: nam specie belli Maurici magni in Vaccæis atque Veetonibus delectus à Ioanne habebantur. Regiæ industria impendentes motus pacati. Vallisoleti concordia constituta, vbi regni conuentus agebantur. Conuenit vt in Maurorum fines irruerent ambo, diuisis copijs, publicaue pecunia. prudenter destinata vis altior euertit. In his conuentibus Berengarius Compostellanus Episcopus paulò ante à Ioanne Pontifice institutus, ab eoque in Castellam legatus, Alfonso Cerdæ caussam egit, dira omnia Pontificis verbis comminatus ni morem gererent iustissimis postulatis. moue- 40  
bat

bat commiseratio hominis ab spe regni certissima, in quam natus erat, deiecti, egeni, profugi, vagantis: & est eo nomine natura hominum praua, quod sæpe perit, atque ad ea consilia cupidissime recurrit, quæ antea obstinatissime erant repudiata, pari in utroque temeritate, stultitiaque. vti Alfonso accidit, eorum oppidorum possessionem repetenti, quæ superioribus annis attributa, contemptaque erant. id excusabant proceres: sacramentique religione teneri sese prædicabant ne Rege minore, de regia ditione diminui quicquam concederent. Ferdinando Alfonsi fratri datum, vt regis Magister esset, leuis tantis incommodis compensantio. Regina Mirobrigam abiit per causam Alfonsi Lusitani generi sui, ad colloquium alliciendi: si posset inter patrem & filium conciliari concordia. frustra labor omnis consumptus. Petrus & Ioannes in Bæticam diuersi contendunt. Ismael Rex Maurus aduersus ingruentem tempestatem transmarinis auxilijs se munire constituit, Algezira, Arunda, alijsque interiectis oppidis Regi Marrocio donatis: quod vtriusque rationibus fore commodum videbatur. magnò certè Afrorum amicitia stetit. Tifarum municipium opere naturaque munitissimum, armis virisque opulentum à Petro vi expugnatum. arx dedita à Mahomade Andone, in cuius ditione id oppidum erat. magnum momentum ad totius belli summam ea victoria factum videbatur: pronaque cætera fore putabant: ni Ioannes præpostera ambitione laudis, sibi, & cæteris exitium comparasset, magnum reipublicæ luctum. Vaenæ, vbi se tenebat, virtutis ostentandæ cupidus, in Granatæ vrbis conspectum penetrare constituit. Temerarium id consilium erat propter anni tempus æstusque graues. ad Alcaudetem tamen vtriusque Principis copiæ collatæ, equites ad nouem millia, peditum numerosa multitudo. In hostium fines penetrant. latæ populationes factæ. in primo agmine Ioannes curabat, virtutis ostentandæ intempestiua cupiditate: in postremo Petrus: Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ Magistri: Præfules Toletanus, Hispalensisque aderant: lectissima Castellæ pubes virtute nobilitateque. Illora ex itinere capta. arx impatientia festinandi Mauris relicta. In Granatæ conspectum ventum, sabbatho, quo die Ioannis Baptistæ profestum agebatur. eo & consequenti die haud vlllo moræ pretio, loco manserunt. die tertio castra retro mota. præcedebat Petrus: subsequebatur cum impedimentis Ioannes. Mauri de nostrorum consilio certiores facti, vrbe egressi, quinque equitum millia, incondita peditum multitudo, duce Ozminio: neque spe victoriæ, neque pugnandi proposito, sed vt locorum notitia nouissimos carperent. Procefferant, nostri procul à flumine, ardentissimo Sole, nulla præparata aqua. fortuna Mauris præclari facinoris casum dabat. In nostros omnibus partibus inuadunt. certatur magna vi. clamor permixtus hortatione, lætitia gemitu. armorum fragor procul exaudiebatur. Petrus ad eas voces conuerso agmine accurrit. milites dispalati, à cursu fessi, vix sustinere arma, vix ingredi poterant. imperia neque reddi, neque accipi. In tanta perturbatione districto ense cum suos ad pugnam concitaret, laboris, molestiæ, æstus magnitudine interelusa repente anima concidit. idem Ioanni accidit, nisi quòd alienata mente ad noctem spirare visus est. tristissimo casu per exercitum vulgato, milites conglobantur. Mauri parari pugnam suspicantes, direptis impedimentis abeunt.

abeunt. id nostris salutū fuit. noctis beneficio in pacata euaserunt. duorum Principum corpora Burgis tumulata sunt. Ioanni cognominis filius erat, à fœditate oris cognomento Cocles. mores nihilo honestiores. Maria Petri Principis vxor Cordubæ subliterat ventre graui, hæredeque. filiam enixa est, cui Blanca nomen fuit. Gasias Lassus Petro dum viueret intima familiaritate coniunctus, infantis patrociniū, paterni principatus procurationem suscepit. subsecuta sunt noua dissidia: nouæque inter Castellæ Principes enatæ similitates, regni procurationem malis bonisque artibus singulis ambientibus. Quo tempore Aragonia turbata erat, nouo insolentiq; successu. Iacobus Aragonij Regis filius maior, obstinato animo paterni regni hæreditatem abdicare cupiebat. causæ in incerto fucere, nisi quòd inconditi eius mores, importuna patris seueritas, aliqua offensione incitatum vt crederetur effecerunt. Filij sanè conatus grauisissimus patri extitit. monere, hortari, & pro imperio iubere, ne id admitteret, vnde nomini patriæque dedecus luctumque inureret sempiternum. Nostra, inquit, senectus conferre amplius populo nihil potest, quam bonum successorem: nec tua amplius iuuenta quàm bonum Principem dare. eo consilio regijs moribus à prima ætate te imbuendum curavi: neque deesse indoles videbatur vt dignus imperio esses, etiam si Rege patre non esses genitus. Vxorem parauit lectissimam puellam nobilissimamq;. regio apud me cultu habui. si quid addi potest, addam. Nunc spes me mea fefellit, teque nimia indulgentia, felicitasque corruptit: vt regnum humeris sustinere iuuenis detrectes: quod extrema senex ætate sustineo. An tuam tranquillitatem publicis commodis anteferas, patrio imperio, religioni sanctissimæ: qua obstricti sumus Eleonoram sponsam, cuius te misereri opus erat; coniugem tuam, Aragoniæ Reginam fore? Fortasse senis obitum expectare, qui diu abesse non potest, graue est: tamen si alias causas nectis, libido te dominandi exagitat. ego diuinæ voluntati, vnde viuendi fines pendent, præscribere non possum: quod meum tamen est libens tibi regno cedo. istam tantum mentem deponere: quæ nobis communique patriæ non potest non esse grauis. Quod vt facias per omnia numina, & quidquid in cælo sanctum est, moneo, hortor, obtestor. ac illud vide, ne præpropera festinatione eò progrediaris, vnde regressus non sit. Ad hæc iuuenis pauca. Stare sibi sententiam ait, vitam principalem, tot ærumnis obnoxiam, priuata & beatiore commutare. Ergo Tarracone, quò conuentus procerum & Præfulum erat, regni hæreditate vltro celsit Decembris die vigesimo tertio. Calatrauæ vestem continuò induit: quam deinde Montesiæ militia mutauit. Vxor Eleonora intacta ad suos in Castellam missa est. De Iacobi facto non vna opinio fuit. morum licentia, vitæque deinde turpitudine argumento fuit, non colendæ pietatis studio, sed ingenij leuitate abdicasse. Eo sanè amoto hæreditatis ius Alfonso fratri ætate proximo quæsitum: qui Petro septimestri partu ex Therasia vxore paulò ante suscepto pater effectus erat Vrgeliæ principatu dotali, ex Armengaudi testamento, magno Therasiæ auunculo. Ergo vno tempore Lusitani Aragonijque domesticis calamitatibus exagitati sunt, contrarijs quidem studijs, pari tamen incommodo infelicitateque.



CEPTA ad Granatam calamitate, Mauri victoria feroces atque præclari Oſcam in Baſtetanis, Ores, Galeramque occuparunt, eripueruntque D. Iacobi militibus, in quorum ditione erant. parte altera Tucci lautissimum municipium expugnatum. in incolas ferro sæuitum, nulla neque sexus neque ætatis misericordia.

proxima rupes, arcisque munitio, multis perfugio fuit. In Castella Citeriore atque Vltiore, alijsque contributis prouincijs motus erat: nouæque spes Principum, quos generis nobilitas potentiaque proximè ad regni procurationem destinabat. Maria Regina fœderis beneficio annis superioribus facti, rerum summam ad se auocabat. de ea re ad vrbes & oppida litteræ datæ, ne se prauis cuiusquam artibus in fraudem induci paterentur, decoris obliti scilicet, fidei immemores. Regina imbecillitas plerisque contemptui erat: imparque grauisimis regni curis fore videbatur. proceres multi ad rerum fastigium vno tempore aspirabant. hi præcipui: Philippus Regis patruus: Ioannes Emanuel, & Ioannes alter Viscaïæ Princeps remotiores quidem stirpe, cæterum egregiè fortes, opibus ingentes, regioque ex sanguine nobilissimi. his cura summaque omnium rerum demandata est, haudquaquam in vnum consensum conspirante prouincia, sed in partes factionesque scissa. Inconsultè, ac veluti per dementiam cuncta agebantur. Multi priuati conuentus habiti, vrbium oppidorumque. multum timoris, multum periculi erat. Philippum Bætica rebus præfecit. Ioannem Emanuelem Carpetania, atque ea veteris Lusitaniæ pars, cui Extremaduræ nomen est. Ioannem Viscaïæ Principem multo maxima Castellæ Vltioris pars sequebatur. intra vrbes sæpe partium studio tumultus erant. imperia sæpe mutata: dum nunc his, nunc illis afficiuntur, prout cuiusque res erant, spe largitionum multitudine pretio venali, dubia fide. hinc scelerum licentia, cædes, latrocinia, luctuosissima rerum facies. A potentioribus tenuiores opprimebantur. regia vectigalia domum auertebant magistratus, Principesque. infame latrocinium, turpissimum peculatum. nullum erat genus mali, quod ea prouincia non pateretur. Ferdinandus Cerda viribus inferior, suspicionibus obnoxius, ob veteres de regno contentiones passim exclusus, Ioanni Viscaïæ Principi ad hæsit. Eius seculi anno vicesimo hæc in Castella gerebantur. Quo anno Ioannes Aragonij Regis filius, Toleranus Pontifex Ilerdæ sacratus est, in locum Gonsalui priori anno defuncti substitutus, eximia vtriusque gentis lætitia, spe, plausu, prosperum iustumque pontificatum faustis vocibus ominantium: Regina Mariæ haud obscuro dolore metuentis, ne tanti Principis aduentus, res commotas amplius exulceraret. verum eæ suspensiones Romani Pontificis ad Reginam litteris detersæ sunt, timorque exemptus, pacata omnia fore pollicentis. Cum Aragonijs certè Præsulibus magna de dignitate ecclesiæ Toletanæ contentio fuit. Ioannes de more crucem præferabat potestatis insigne. id sibi veteri iure concessum recentique memoria confirmatum, licere arbitrabatur: cum Primas esset Hispaniæ. Tarraconensis, Cæsaraugustanusque Præsules, qui inaugurationis cæremonia interfuerant, iure controuerso, caussaque nondum diiudicata

diiudicata negabant. ad has voces cum Toletanus non mutaret suæ ecclesiæ dignitatem tueri certus, patrisque fauore fretus: Cæsaraugustæ, vbi regni conuentus à Rege habebantur, à Cæsaraugustano Præsule anathemate notatur. clausa templa, sacrorum iustitium fuit. incredibilem audaciam, confidentiam singularem. Constitutio superioribus annis anathemate sancita, si quis in aliena prouincia crucem præferret, facto prætendebatur. Id ægrè Aragonium Regem habuit, filium in suo regno violari, suisque in oculis. Datæ ad Romanum Pontificem de ea re litteræ acres atque minaces: videbaturque crudele aliquod exemplum editurus, ni admonitus à suis, de suarum ecclesiarum dignitate agi, regnoque: neque videri æquum priuatis affectibus indulgendo publicam causam prodere, multum de animi furore remisisset. Pontificis ambiguo responso vtrique suspensi, ita factum accusantis, vt anathematis ignominia exolu Toletanum iuberet, si fortè extitisset iusta. cum nouus Præsul ex Aragonia digressus in prouinciam appulisset, de quo maximè timebatur, ne Ioanni Emanueli faueret, quoniam Constantiam eius sororem natu maximam vxorem habebat: cum maximè abalienauit regijs vectigalibus in prouincia denegatis, quæ ille pro iure acceptæ potestatis auertere cupiebat. vnde implacabile inter vtrunque Principem odium. Quo tempore Vascones sub imperio Gallico quiescentes memorabilem cladem in Cantabria acceperunt. Obierat Philippus Longus Rex Galliarum quarto Nonas Ianuarij, salutis anno millesimo trecentesimo vigesimo primo, nulla relicta prole. successerat Carolus eius frater cognomento Pulcher, forma, liberalitate, animi magnitudine fratribus par. Hoc Rege à Cantabris ea parte cui Guipulcoæ nomen est, Gorritia arx improviso aduentu occupata. caussa obtendebatur, quoniam à Vasconibus iniuste possideri, sui que iuris esse compertum erat. Iniuriæ vindicandæ studio, Vascones progressi ad sexaginta millia, nisi aut numeri sunt vitiati, aut fama mentitur, ad Beotibaram (id oppido nomen est) Septembris die nonodecimo, à paucis Cantabris, omnino octingentis iuga montium, claustraque occupantibus: indeque vegetes magnis lapidibus refertos, in subiectos prouoluentibus, profligati sunt. maior quam pro numero cædes fuit, multique capti. Cantabrorum Dux Egidius Onizius, Vasconum Pontius Morentaina, homo Gallus eius prouinciæ pro Rege Gallo Præfectus. Victoriam ea ætate in paucis celebrem fuisse necesse est: argumentum vulgarium carminum, quibus ad hanc diem ad lyram canere, celebrareque eius prouinciæ homines, vtraque lingua Castellæ & Cantabriæ, eius pugnae euentum consueuerunt. Guillelmus Cardinalis Sabinus Episcopus à Romano Pontifice in Castellam legatus: si eius diligentia, pontificia auctoritate malis, quæ vniuersam prouinciam occupabant, finis imponeretur. Eo auctore Palentiam regni conuentus indicti. Quo tempore Maria Regina annis grauis, fracta valetudine reipublicæ calamitatibus oppressio animo extincta est, Iunij Kalend. anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo, trium Regum ætate reipublicæ præsidium, Castellæ columen. Pietatis monumentum Olgarum cœnobium est, eius impensa instauratum, extructumque: vbi funus eius illatum. duo alia monasteria Burgis vnum, Tauri alterum constituta: alijs per prouinciam locis alia. Guillelmi Legati iussu Episcopis vniuersa ditione Vallisole,

lisoletum conuocatis, concilium hac tempestate nobilissimum peractum est. In eo concilio quarto Nonas Augusti multæ salutares leges promulgatæ sunt. in eo numero anathemate vincuntur, qui carnibus quadragesimæ aut quatuor temporum diebus vescuntur: quique in eis publicè vendiderint carnes. A nostra religione alienis, templis dum res diuina peragitur, interessè vetatur. Ijs tamen si nostra sacra susceperint sacri ordines, & sacerdotia vnde inopiam tollerent, non denegantur. Purgatio vulgaris reprobatur, qua Hispani vulgò vtebantur. Extant Ioannis Toletani Præsulis constitutiones per idem fere tempus promulgatæ. In ijs, nisi Iudæi & Mauri quo tempore res diuina peragitur à templis recesserint, cessare mandat. Redactas Cruciatas pecunias ad se cum fide deferri captiuis redimendis, egenorum inopia subleuanda. Presbyteri quater minimum per annum diuina hostia sacrificant: neque vnquam nisi matutinis precibus exorato numine. Ecclesiasticis obsequijs parta bona, ea dare legare ve filijs quamuis iustis nefas esto. & erit qui sacerdotes & Episcopos eorum bonorum dominos & arbitros faciat? Eodem anno Granatæ in arce Alhambra, Rex Ismael suorum coniuratione occubuit. Cædis minister auctorque Algeziræ regulus, conscius Ozminius, vterque infenso in Regem animo: ex quo Tuccis oppido capto priori captiuam abstulit, excellenti formæ venustate, Ozminij nepos in ipsa expugnatione occisus est. Mahomad Ismaelis filius, nondum planè cognita Regis morte, duodecim natus annos sellæ impositus, atque per plateas circumductus, Rex salutatur, eximia Prætoris fide, plerisque vt in repentino casu, miraculo attonitis. nam coniurati, nisi eorum conatus essent occupati, alium ex suo numero Regem destinabant. ij omnes vrbe exacti, maioris mali metu, in exilium abierunt.

*Alfonfus Castella Rex regnum capessit. Cap. XVIII.*

**R**EGINAE obitu regni calamitates auctæ sunt: tumultus, cædes, latrocinia vigeant. spes communes & priuatæ in vno Rege ea tempestate sitæ, si ad iustam ætatem peruenisset. in minoribus annis id specimen præbuerat, vt iusti atque optimi Principis indolem habere crederetur. & fauent homines libenter votis suis, credunt, sperantque quod cupiunt. Ergo cum primùm ætatis annum, quintumdecimum attigit, Vallisoleti regnum capessere constituit: ætate quidem nondum tantis matura rebus, cæterum rerum status moram non recipiebat. Maior ipsi, quàm pro annis prudentia inerat: prouincialium studia accensa festinaque, ingenita gentis erga Reges suos caritate. Garsias Lassus, Aluarus Osorius, præcipua prudentiæ opinione viri, quam multarum rerum diuturno vsu, magnoque ingenio quæsierant, vltro se in adolescentis Regis gratiam insinuabant spe veniæ, eorum quæ diuturno interregno commissa erant, rei priuatæ augendæ, publicæ iuuandæ studio. Hos in familiam admisit, intimosque habere cœpit: quorum consilijs vteretur. duobus tertius adiunctus Iuzephus quidam Astigitanus Iudæus, proximum gratiæ locum obtinuit, homo copiosus, publicanorum princeps. vnde omnes pecuniæ vias norat, quod in tanta ærarij inopia

cx

ex vsu futurum erat. & est id genus hominum maximè Principibus gratum: regijs litteris regni procuratores acciti, certatim Vallisoletum venerunt, pro se quisque Regis gratiam præoccupare, alijsque eripere contententes, assimulatis ad tempus officijs, fide neque syncera neque diuturna. Philippo penes Regem resistente, Ioannes vterque è curia, venia neque impetrata neque petita abierunt à Rege penitus auersi: quem pessimis consilijs in fraudem induci querebantur. Mutuis auxilijs aduersus omnem iniuriam vt se munirent, ad Cigales oppidum armorum societatem sanctissimo iureiurando constituunt. & quo sanctius foedus esset Ioannem inter Viscariæ Principem, priori vxore defuncta cælibem & Constantiam Emanuelis filiam, pactæ nuptiæ. Sanciendæ inter proceres societatis hic mos fuit per multos annos seruatus. Legibus foederis lectis, pater patratus eorum nomine: Testor, inquit, Deum & matrem eius, vt cuncta quæ sunt ordine ex tabulis pronunciata, sine dolo malo fraudeque illis legibus stabo: neque in fines hostium sine socio ibo: neque quid aliud contrà faciam. Si prior defecero certo consilio, illo die vos superi corpus in hoc seculo, in futuro animam diris cruciatibus mactate: vires verbaque deficient facite: in pugna equus, arma, calcaria, subditi cum opus esset maximè. Id vbi dixit, socij subiiciebant, Amen. Nonnunquam etiam diuinam hostiam diuisam in duas partes, vterque sociorum libabat. addebantur execrationes. hoc erat sanctissimum iungendæ inter proceres societatis pignus, ritusque. Eius societatis distrahendæ, vnde noua bella metuebant, cura regios sollicitabat. ratio aliqua quærebatur. optima visa est, vt Rex à Ioanne Emanuele Constantiam filiam coniugem peteret. Vtilitatis magis quàm amicitiae aut religioni seruire Principes solent: atque eò se conuertere, vnde spes melior affulget, nulla famæ memoria. Emanuel Pennasielem suæ ditionis oppidum occultè digressus totum se ad Regis amicitiam transfert. puella in eius potestatem contraditur, nondum matura viro. Ioannes ea se spe deiectum dolens, suisque artibus peti videns, Blancam Petri Principis filiam ad Granatam extincti in coniugium ambire constituit, amplissima dote inuitatus: quæ Almasani, Alcocerij, aliorumque circa oppidorum ditione constabat, ad Aragoniæ limitem locis commodissimis res nouas molienti. Aduersus eos conatus Regi persuasum, vti Blancam paterno principatu opibusque spoliaret. Omne magnum exemplum aliquid iniquitatis habere admixtum, sed iniuriam tamen priuatam vtilitate publica compensari. Præcipuus auctor Garsias Lassus, vt fidem, consilij atrocitate Regi probaret, Petri Principis beneficiorum immemor. & est erga mortuos obliuio parata, raraque fides. Ioannes Emanuel in Regis gratiam restitutus Toletani Præsulis vlciscendi euertendiq; consilia agitabat. accidit vt Rex vectigalium rationem exigeret à Toletano. ille iniuriam interpretatus æmuli fraude comparatam, apud Regem quidem eorum quæ facta erant, causas excusauit: in æmulum verò (nam fortè aderat) grauissimis verbis inuectus est. probra inter se obijciunt, quæ furor dabat. Contentione ad tempus sedata Emanuel pro ea auctoritate quam obtinebat, vt dolorem vlcisceretur, multa suadendo auctor extitit, vt scrinij regij præfectura, quo magistratu proxima secundum Regem potestas continebatur, & ab antiquo penes Toletanos Præsules fuerat,

A a a

Ioanni

Ioanni detraheretur. Non tulit ignominiam insolens contumeliæ animus. ergo è curia Castellaque discessit: Regisque patris interuentu impetrauit, vt Toletanum pontificatum Tarraconensi mutaret, adiuncta Alexandrini Patriarchæ inani & sine prouentu appellatione. Semen Luna, Præsul Toletanus effectus: Garfias Lassus scrinij regij Magister. Inde initium eius magistratus imminuendi, obscurandique obscuris ministris. nostra ætate debilitata auctoritate, ac nulla ferme (quæ magna labe fuit) nomen tantum Cancellarij à Toletanis Præsulibus retentum est. Dum hæc in Castella gerebantur, Aragonius ex Bonifacij Pontificis concessione Sardiniam armis petebat à Pisanis publicè possessam nullo iure, sed vi tantum & armis: iniuriaque Romanæ ecclesiæ, in cuius clientela ab antiquo eius insulæ imperium fuerat. Missus Alfonsus Aragonij filius, adiuncta valida classis. biennio insulani domiti. varijs locis & prælijs victi Pisani. Aragonij ex saluberrimis Hispaniæ locis in eam insulam cæli grauitate infamem deducti, morbis grassantibus pars magna periere: haud exigua Petri Principis spe, si Alfonso fratri aliquid humanitus contigisset, regni hæreditatem exclusa fraterna prole sui iuris futuram sperantis. recenti Castellæ exemplo erectus erat, multorumque procerum studijs fretus, quæ illi certatim offerebantur. ea causa extitit pacis cum Pisanis maturandæ. Junio mense

1324 anno millesimo trecentesimo vigesimo quarto sancita est, his legibus. Vt captiui vtrinque redderentur. Mutui commercij libertas esset. Calaris arce à Pisanis retenta cum territorio & oppidis contributis, reliqua Aragonijs cederent. Eo federe facto insulæ quidem possessio penes Aragonios Reges mansit. Alfonsus autem in patriam reuersus apud patrem effecit, vt filios suos in regni successione Petro præferret. Cæsar Augustæ id à Rege præstitum, vbi conuentus regni erant. proceres sunt in puerorum verba sacramento adacti. sic legum instituta, opinionisque hominum variabant. Anno proximo millesimo trecentesimo vigesimo quinto, septimo Nonas Ianuarij, Dionysius Lusitaniæ Rex Scalabi decessit, diuturno regno annorum quadraginta quinque, nouem mensium, dierum quinque, excelsa animi magnitudine, & perpetua felicitate inter Principes ea ætate inclytus. Domestica dissidia implacabileque inter patrem & filium odium ad aliquam iniuriam extrema ætate accesserunt. Corpus in Cisterciense monasterium illatum, quod eius impensa ab Olisipone sex passuum millibus, ab imototum erat extractum. Pietatis id argumentum esto. liberalitatem magnificentiamque animi, multa oppida constituta, alia perpetua moenium corona, aut alijs operibus munita indicant. Elisabetha vxor femina sanctissima ad vndecimum annum viro superuixit, in memoria vitæ per virtutem actæ, sinceroque religionis cultu, egenorum miserijs subleuandis, viduitatis incommoda sustentans. morum innocentia tanta, vt defunctæ memoria ex ritu Christiano templis cæloque dicata sit. Corpus Conimbricæ ad Sanctæ crucis præcipua prouincialium religione colitur. Dionysio Alfonsus filius maior absque controuersia successit, Fortis cognomen ab ingenio bellicis studijs nactus. filios Alfonsum, Dionysium, Ioannem, quos ex Beatrice vxore genuerat, in tenera ætate amisit, nulla neque vitæ neque mortis gloria. Maria, Petrus, Eleonora, meliori fato parentibus

tibus superstites fuerunt. Ipso anno in Ceretanis Sanctius Rex Balearis vita functus est nulla ex se prole. Iacobus tamen fratris Ferdinandi filius, eius testamento regni hæres nuncupatus. Rex Aragonius ex Iacobi aui testamento, qui id regnum primus instituerat, minoriq; filio reliquerat, sui iuris factum Sanctij obitu disputabat. vtrique argumenta non deerant, quibus causam regerent. Iacobus puer possessione potior erat, hominumque misericordia, propter infirmam ætatem, patrisque memoriam. Aragonius validior. Conuenit, vt Constantia Aragonij neptis, Iacobo Baleari nuberet, dotisque nomine aui patrisque iura in viri domum inferret. sermonum minister auctorque fœderis Philippus pueri Regis patruus, vir sacratu: penes quem Sanctij Regis testamento, regni procuratio puerique Regis tutela ad iustam ætatem fuit.

*Aragonij Regis obitus. Cap. XIX.*



ONDVM Castella conquiescebat. superior licentia proceres feroces vt essent, effecerat: multorum inter se odia accenderat, non secus ac fluctus maris ventis agitati, remissa tempestate, nondumque in malaciam compositi. Ea res Alfonsum Regem, alioqui mitem ingenio prouocauit, vt in turbulentos ciues seuiret: vnde illi Vindici nomen. plectendi initium à Ioanne Cantabriæ Principe factum est. Blanca is nuptias malis artibus ambiebat (quæ cum matre in Aragoniam abierat) luculento atque commodissimo principatu inuitatus. nisi impetraret Alfonsum Cerdam ex Gallia ad spem auiti regni reuocaturus. sic se facturum minabatur, in vtraque re Alfonso Regi ægrè factururus. Importuni conatus occupandi erant. vi periculosum, fraude indecorum. Quid Rex faceret? vicit utilitas honestatem. cum bellum in Mauros compararet, specie eius belli Taurum ad se Ioannem vocare constituit. fit spes Eleonoræ regis sororis ipsi iungendæ. splendidius id coniugium visum est. præterea Garfias Lassus, quem Ioannes insensissimum inimicum esse conquerebatur, è curia amandatur. sic ars victa arte est. Vocatus venit ad Regem. conuiuio splendide accipitur, ipso omnium Sanctorum festo die, anno M. CCC. vigesimo septimo. dies apparatusque conuiuij ludum & securitatem magis quam metum ostentabat. Itaque inermis & imparatus accessit. inter epulas Regis iussu obtruncatur. comississe quidem videbatur, vt hostis loco esset: iura tamen hospitij violare, & per fidem colloquij incautum opprimere iniquum fuit. tametsi nõ deerant, qui Regis factum excusarent: veris an falsis rationibus non disputamus. vnica certè Ioannis filia, quæ in nutricis potestate erat, Baionam in Tarbellis, quæ vrbs Anglico imperio tenebatur, fuga delata. Maria Ioannis mater Peralij (id oppido nomen est) in virginum collegio à superioribus annis vitam exigens, & nunc atroci nuncio luctu, lacrymis, squalore oppressa, Viscariæ principatum Garfia Lasso auctore, Regi pretio vendidisse fertur, metu an voluntate incertum. Et erat Regi obistere periculosum: iniqua certè cõditione nepti superstite, Ioannis Laræ postea vxore, vt est inferius demonstrandum. (huic tandem Viscariæ principatus cedit, Regis ira remittente) paterna Ioannis oppida arcesque supra octoginta pars armis pars voluntate occupata penes Reges perpe-

tuo iure substituerunt. Erat Emanuel Princeps limiti aduersus Mauros Præfectus. eo Duce, quamuis Ioannis cæde territus erat, eiusq; exemplo intelligebat malè Regi fidem committi, qui nuptiarum specie Principem sibi propinquum violasset: bellum tamen cum Mauris impigrè gerebatur: à quibus Rute arx paulò ante improuiso aduentu occupata erat: & Ozminio Duce in fines Bætice irrum pere cogitabant. ad flumen, cui Guadalfortium nomen est, pugna commissa. victi cæsiq; Mauri. Emanuel victoria parta ad suæ ditionis oppida abiit bello absistens, à Rege, alienato animo: quem nouo consilio Constantiæ filia nuptijs repudiatis ad Lusitanos animum adiecisse ferebatur. id sui euertendi initium esse non ignorabat. Itaq; Maria Regis Lusitani filia, in Constantiæ locum subrogata est. auctor consilij Aluarus Osorius, magno Emanuelis dolore, Regisq; Aragonij: qui & ipse Alfonso vocabatur, & Constantiæ auunculus erat. Iacobus enim Aragonius Rex Alfonsi pater proximo à Ioannis cæde die Barcinone decesserat. ad Sanctæ Crucis regium funus illatum. Therasia nurus ante quinque dies Cæsaraugustæ defuncta, & in Minorum æde sepulta, gemino totius prouinciæ luctu, duobus Principibus, quos summa caritate complectebatur, vno tempore orbatæ. Successit Iacobo Alfonso filius, Petri, Iacobi, Constantiæ ex Therasia vxore pater: quatuor alijs filijs in minori ætate amissis. Illud in Iacobo Rege eximiam laudem meretur, quòd regni principatus Aragoniæ, Catalauniæ, Valentiniæ indiuiduos fore perpetua lege sanxit. Litibus, quibus vt antea flagitijs prouinciæ laborabant, vsque eo infensus fuit, vt Semen Radam insignem ea ætate iureconsultum, cuius malitia multi euersi erant, præuaricatoris lege postulatam regni finibus expulerit. Carolus cognomento pulcher Rex Galliarum & Vasconum, ad Vincennas ex morbo decessit, ipsis Februarij Kalen. anno millesimo trecentesimo vigesimo octauo. Sacerdotiorum decumæ tota Gallia specie belli sacri aduersus Ludouicum Bauarum Ecclesiæ Romanæ assiduum infensumque hostem (qui superiori anno Petrum Corbarium Romæ pseudopontificem crearat Nicolai V. nomine imposito) à vero Pontifice Ioanne XXII. concessæ sunt, lucri partem pacto. sic fama tulit. Quod Philippo Longo datum quidem erat: hac tamen conceptione exceptioneque verborum, si è re pietateque fore prouinciæ Episcopis visum esset. conditio honestissima quàm aduersus impertunas Principum preces, vtinam alij Pontifices amplexi essent. Caroli vxor grauida, tertio à viri obitu mense filiam enixa est, cui Blancæ nomen fuit, Gallorum instituto regni expertem futuram. Caroli Valesij ante secundum annum defuncti filius Philippus, trium superiorum Regum patruelis, atq; Eduardus Rex Angliæ Elifabetha prognatus, eorundem trium Regum Galliarum sorore ad regni hæreditatem contendere cœperunt. Philippus lege Salica prælatus est omnium ordinum suffragio. Inde inter vtranq; gentem diuturna internecinaq; bella extiterunt: Reges Angli Gallici imperij nomen & insignia vsurparunt. meliori fato Vasconum, qui a Gallorum imperio exempti sunt. Eburouicum Comitum Philippo Ioanna nupserat Ludouici Hutini filia. ei Vascones Pompelone in regni conuentibus materno iure regnum decreuere: concedente nouo Galliarum Rege, annuenteq; iustissimis prouinciæ postulatis. & Philippus erat Eburouicum Comes regio Francorum sanguine propinquus, Ludouici Sancti prone-

pos

pos. Vascones interea, quasi soluti imperio, implacabili odio in Iudæorum fortunas vitamq; grassati sunt. Stellæ in oppido vis mali incubuit. ad decem Iudæorum millia trucidata, nisi fortasse aut numeri sunt, aut memoria vitata.

*Varia Regum nuptia. Caput. XX.*

**I**S D E M diebus in Castella bellum atrox in Mauros parabatur: veteribus copijs supplementum scribere: ab socijs auxilia accersere: modis omnibus festinare. Regis barbari imbecilla ætas, Mauros inter se dissidia excindendæ gentis occasionem dabant. Ozminij filius Abrahamus, cui à multo vino Ebrij cognomen fuit, nostris sese adiunxit. sequebatur delecta militum manus. Rex Alfonso Hispalim maturare constituit. inde in hostium fines inuectus grauissimas clades intulit. Oluera, Pruna, Aiamontes captæ. æstate ijs rebus perficiendis autumnosq; circumactis, miles præda grauis lætusque Hispalim in hiberna est reductus. Alfonso Gotifredus maris Præfectus noua & ipse victoria clarus, ad Regem venit. duas & viginti hostium triremes Granatenses Africanasque nauali pugna deuicit. ex eo numero tres captæ, quatuor submersæ, mille & ducenti Mauri pars cæsi, pars in seruitutem abacti. plena omnia gratulatione erant: festaque lætitia vrbs nobilissima personabat. De regijs nuptijs per legatos actum. Ioannes Emanuel Regis voluntatem in eo obstinatam intelligens, fide per feciales renunciata, cum Regibus Aragonio & Granatensi fœdere facta ex Chinchilla Almanaq; locorum munitione fretus, regijs finibus imminere, latissimè prædas agere, præcipuo agrestium damno. Osorio amicorum principi abs Rege Hispali datum, vt Trastamaræ, Lemosij, atq; Sarricæ Comes esset. nouum id exemplum fuit, nullis antea in Castellæ regno Comitibus. Rudi cæremonia honos delatus. Hispania litteraturæ expers moris omnis ignara. Tres offæ in vini poculo oblatæ. cum inter se Rex Comesq; tertio inuissent, vter prior sumeret, à Rege offa vna sumpta, à Comite altera. Ius caldarie in castris, in bello vexilli proprijs insignibus distincti datum. In eam sententiam consecris tabulis atque recitatis, consecutus astantium clamor, plaususq;, læta faustaq; nouo Comiti ominantium. Is instituenti Comites ritus fuit. Cordubæ regiarum feueritatis exemplum constitutum. Ioanni Pontio, quod Egabri arcem Calatraue militibus restituere ad Regis imperium recusasset malis reipublicæ temporibus occupatam, præterea homini seditioso caput amputatum idem supplicium alij ciues Cordubenses tulere inite cum eo societatis, aut rerum aliarum capitalium conuicti. Gasias Lassus Soricæ ad aras, dum in D. Francisci sacris operatur, obrucatus Regis dolore maximo est, à quo fuerat Hispali aduersus Ioannis Emanuelis conatus, paulò ante amandatus. inuidia illi nobilitatis exitio fuit: cuius euertendæ consilia agitare credebatur. Escalona modicum in Carpetanis, ipsoque Toletano agro oppidum tumultuari cœperat, & aduersus Regis imperium cum factiosis conspirare. noui motus ex Vltiori Castella nunciati. Taurus, Sentica, Vallisoletum concitatæ. auctor seditionis Fernandus Balboa Hospitalarius Prior, fretus opibus suis, & familiæ ijs locis cum primis nobilis copiosæque. Osorij Iuzephique Iudæi

Aaa ; arbi-

arbitrio cuncta agi inuertiq; querebantur. Regemque duobus hominibus mancipari, quasi iniecta carminibus vœcordia ægrè ferebant. soluta Rex Escalonæ obsidione, vnde maius periculum imminebat, festinauit. Vallisoleti non prius intra mœnia est admissus, quàm Osorio ex aula curiaque amandato. Regis imperium quamuis necessitate vsurpatum, tantum insolenti homini dolorem inuisit, vt à Rege planè deficeret: atque cum Ioanne Emanuele vires iungeret. id illi exitio fuit. Ramirus Gusmanius simulata à Rege fuga in amicitiam insinuat, incautum obruncauit. arces thesaurique ingentes, quo tempore rempublicam prædæ habuit, congesti, à Rege occupati. multorum criminum accusatus, nulloque defendente conuictus, lege perduellionis damnatur, sententia ad Tordehumos abs Rege ipso pronunciata. is exitus duorum ea tempestate magnorum virorum fuit. Iuzephum ignobilitas tutata est, gentisq; contemptus. quod exitio esse potuisset, saluti fuit. Regis nuptiæ ad Mirobrigam celebratæ, quæ Ciuitas Roderici hodie est. Alfonsi Aragonij placandi ab Emanueleq; diducendi inter duos Reges Castellæ & Lusitanæ consilia communicata. Ex priori coniugio cælibi Eleonora Regis Castellæ soror in coniugium oblata. accepit Aragonius conditionem: rebusq; constitutis Turiasone Regum duorum conuentu, Castellæ atq; Aragoniæ nuptiarum celebritas peracta, magna vtriusque gentis lætitia plausuque, auspicante salutis anno millesimo trecentesimo vigesimo nono: quo syncerior amicitia esset, multiplici affinitate obligata. Blanca Petri Principis filia, eius quem ad Granatam occubuisse dictum est, Petro Lusitani Regis filio maiori desponsa est, Reginæq; Castellæ tradita in Lusitaniam mittenda. Inter tres Reges fœdus aduersus Mauros sancitum: si gentis impiæ reliquias viribus sociatis delere possent. cautum præterea, ne perfugas inter se reciperent. in quo tranquillitatis publicæ spes continebatur. Ioannes Emanuel eo fœdere exclusus, ab Aragonioq; destitutus, nouis affinitatibus se munire satagens, ipse quidem secundis nuptijs Blancam duxit, Ferdinandi Cerdæ filiam: Ioanni autem Laræ, Maria Ioannis Coclitis proles connubio iuncta est, spe communibus armis Viscaïæ principatum puellæ dotalem recuperandi eripiendiq; Castellæ Regi. cum quo simulates Emanuel Laraque apertius simpliciusq; exercebant: callidius alij & implacabilius, Petrus Castrius, Ioannes Alburquerqueus Dionysij Lusitani Regis ex Ferdinando Sanctio nepos, Ioannes Harus Camerorum regulus, factionis princeps. hos magna prouinciæ pars sequebatur. Noui Vasconum Reges ipso anno Pompelonem appulsi, concessi regni hereditatem creueris his legibus. Ne intra duodecimum annum nouæ monetæ genus cuderetur. Erat enim pecuniæ deprauandæ inuectus ea ætate mos prauus incommodusq;. extatq; de ea re Ioannis Pontificis lex, quæ est de crimine falsi vnica per idem tempus promulgata. Ad aulæ obsequia externi ne admitterentur: idem de arcium præfecturis cautum. Regni vendendi, permutandi, regiue patrimonij alienandi facultas sublata. Si proles mascula nata esset, cum primum vigesimum ætatis annum expleisset, Vasconum Regem fore, reipublicæ moderatorem, datis Philippo patri centum aureorum millibus. Si nullam ex se prolem reliquissent, noui Regis instituendi liberam potestatem penes tres ordines futuram. Sic Vascones leges vt acciperent dederunt. quibus iureiurando sancitis in templo

plo eius vrbs maximo Rex & Regina coronati, inunctique sunt tertio Nonas Martij. lætis faustisque ominibus, plausuque omnis ordo, omnis ætas felix faustumque regnum comprecari. viæ flore, fronde, virenteque herba strata: aulæis, picturis, tabulis, parietes vestiti: nullum lætitiæ genus prætermisum, quasi noua rebus luce reddita, publicèque prouinciæ salute reddita, Regibus quasi postliminio in augustas eas sedes post annos quinque & quinquaginta restituti. Fuerunt hi Reges numerosa prole felices: Carolum, Philippum, Ludouicum magnis principatibus auctos: Ioannam, Mariam, Blancam, Agnetem, magnis Principibus consequenti tempore iunctas susceperunt. Flandri per idem tempus tumultuantes, Ludouicum Comitem suum in carcerem coniectum, liberatum postea intra Gandauum obsedere. Domo profugi patrocinium Rex Galliæ suscepit. missis in Flandriam legatis nihil effectum. ventum ad arma. huic bello tum alij Principes, tum Philippus Rex Vasconum affuere. Ad Casselum oppidum castra castris collata. mense Augusto ardentissimo Sole, neglectis custodijs Flandri in Gallorum castra atque munimenta irrumpentes, regium tentorium inuasere. priusquam arma sumere & equos conscendere possent, plurimi Francorum obruncati. Rex proximus periculo fuit. sed cum ex alia castrorum parte occursum esset, Flandri armorum pondere, æstuque Solis debilitati, oppressi, reiecti, in fugamque compulsi sunt. Sic vtriusque Regis virtute Ludouicus in paternum principatum restitutus est: nam cætera post victoriam procliuia fuere. Rex Vasco rebus patris in prouinciam redijt, cædibus, latrocinijs, scelerum licentia ex priori Regum absentia infestam. De regni statu æquitateque reuocanda actum. Adhibitis in consilium viris principibus, iurisque tum communis tum priuati peritissimis, nouæ leges sancitæ, vnde ius populo diceretur, quibus Noui fori nomen est. rebus compositis, reique publicæ tranquillitate fundata, noui Reges rediere in Galliam. Species erat Gallo Regi. propinquo & necessario opem ferendi aduersus Anglos, regni iura armis repetentes. re patriæ desiderium incitabat: & præ Galliæ copijs, cultu prædiuite vbertateque Vasconum regio contemptui erat. Henricus Solibertus homo Gallus, rebus Præfectus: magno multorum dolore obtreccationeque breuem lætitiâ fuisse (ô nulla longi temporis felicitas) suaque se spe delusos serò considerantium atque dolentium,

*Bellum Mauricum renascitur. Cap. XXI.*



40

ASTELLAM intestini motus vexabant: bellique Maurici instaurandi cura sollicitabat. pecuniæ in stipendium redigendæ præcipua difficultas opponebatur. Madriti in regni conuentibus oblata à prouincialibus eo maiori studio est, quod per eos dies Prieghum oppidum in vtriusque regni finibus à Mauris erat occupatum: ablatumque Calatrauæ militibus sine sanguine, Præfecti tantum perfidia. Intestini motus componendi erant. Ioannes Emanuel & socij conciliandi Regi. Aragonius ad belli societatem alliciendus. vtrunque præstitutum. Constantia Emanuelis filia reddita, eatenus ad repudij ignominiam Tau-

ri retenta seruataque. Iuzephus Iudæus ad rationes regionum vectigalium compulſus, cum fidem non ſatis probaſſet (& occaſio euertendi hominis quærebatur, neque deeſſe poterat) ærarij præfectura abiit: cautumq; ne deinceps externæ religionis homini demandaretur. Almoxarifi vox Arabica odij mitigandi cauſa, Præfecti theſaurarij appellatione mutata. in ea re vniuerſæ prouinciæ abs Rege gratificatum. Quingentos equites Rex Luſitanus in auxilium miſit. Aragonius & Emanuel alia parte in Maurorum fines irrupturos polliciti. & erat Emanuel Murciae limiti Præfectus, Petro Aiala vicario. omnibus contractis copijs in Granatenſes fines penetratum abs Rege Caſtellæ eſt. Theba validiſſimum oppidum obſeſſum ſalutis anno milleſimo trecentefimo trigefimo. 1330 Ozminius cum ſex equitum millibus abs Rege ſuo datis, Turoni ſe tenuit, duodecim à Theba paſſuum millibus. inde noſtris aſiduus infeſtusque imminabat, præſertim cum ad pabulum adaquatum ve progrediebantur, acie dimicare non auſus. Pruna oppido interim à noſtris capto, conuerſus ad artes equites tria millia ad vicinum flumen mittit: ipſe ex inſidijs noſtrorum caſtra, vbi pugna incaluiffet, aggredi alia parte conſtituens. Rex Mauri conſilio indicato validam quidem manum aduerſus Mauros præmiſit. armatus ipſe in caſtris ſubſtitit. ſic ars arte deluſa. fugati Mauri: eodemque impetu ipſorum caſtra, cum nullo præſidio tenerentur, capta direptaque. Thebæ incolæ ſpe deſenſionis abiecta, menſe Auguſto oppidum dedidere, vnam ſalutem pacti. Cagneturum Prieghumque noſtris continuo ceſſere, aliæ præterea arces: eò maiori Alſonſi laude, quòd neque Aragonius neque Ioannes Emanuel auxilia communicarant: hic nondum ſatis ſyncera fide: ille Sardinia motus à Genuenſibus concitatos excuſans. præterea Luſitani equites in patriam redierant. Nouæ eæ irarum cauſæ, præſertim aduerſus Emanuelem & ſocios: pacisque proximo tempore cum Mauris ſanciendæ, annuis duodecim aureorum millibus pactis: mutui comercij iure conceſſo, dataque facultate annonæ à Caſtella exportandæ. eò propenſius, quòd Rex Hiſpali, vbi fœdus factum eſt, Eleonoræ Guſmaniae amoribus indulgere cœperat: proriſus vt iuſtæ propemodum vxoris loco eſſet. Hæc mulier genere, forma, opibus, ingenio, præterea patre Petro Guſmanio, viroque Ioanne Velasco paulò ante defuncto ſatis fortunata fuerat: regio pellitatu maiori fama, quàm laude. prole fœcunda fuit, filioque tandem Rege felix. Amicitia inter vtranque gentem ſancita, Ozminius quidem Granatæ deceſſit, Abrahamo & Abucebeto filijs relictis. Rex Maurus eo præſidio deſtitutus, nouasque ſpes captare volens, in Africam nauigauit, nouas inde copias, noui atque grauiffimi belli molem attracturus in Hiſpaniam: vti proximus liber explicabit.

Libri Quintidecimi Finis.

40

HISTO.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XVI.

Granata Rex transmittit in Africam. Caput. I.



10 N parte tertia orbis terrarum Africa eſt, fines habens ab Occaſu quidem Oceanum Atlanticum, ab Ortu autem Aegyptum rubrumq; mare, vadofum importuoſumque: Mediterraneo mari ad Septentriones alluitur. ſæuis vtrinque Oceani fluctibus caſtigata, ex eaq; pyramidis latiſſimæ figura in promontorium deſinit, cui à Bona ſpe nomen recenti memoria eſt inditum. Pleræque gentes legibus, moribus, inſtitutis, ipſo animorum & corporum habitu discrepantes ea loca obtinent. interiora Aethiopes incolunt latiſſimè fuſi, fuſco omnes colore. ſuccedunt Libyes, dehinc Numidæ Atlantis montis ſummis iugis discreti. Secundum noſtri maris littora, qui proprio nomine Afri, Mauri ve nominantur, extenſi ſunt. ager ea parte bonus frugibus pecorique, arboribus plerumque nudus, raræ cælo pluuiæ, terræque fontes & flumina. Homines ſalubri corpore, laborum patientia durati, velocitate magna. in bello multitudine potiùs quàm vera virtute vincunt. in equite præcipua vis. In ea prouincia Albohacenus ex Merinorum familia nonus Marroci Rex latiſſimum imperium hac tempeſtate tenebat, omnibus circum Africae regulis perpetua bellorum felicitate domitis: Hiſpanici imperij ſpei imminens, Chriſtianoque adeò nomini formidabilis, claris maioribus, egregius ipſe, multis animi & corporis bonis. Cum Bortexſinio Tremefenio Rege bellum gerebat, paternas in eo inimicitias perſecutus. id vnum ad vniuerſam prouinciam ſubiugandam decrat: Hiſpaniaque inuadendæ conatum retardabat. vetera gentis trophæa ad audendum incitabant, Mauricique imperij in Hiſpaniam reſtituendi ſtudium accendebat. Ad hunc Mahomad Granatæ Rex nauigare conſtituit, infirmus ipſe viribus, armata tamen ſociare, atque cum Africa Hiſpaniam committere cupiens. Phuth Mauritanæ Tingitanæ urbem nobiliſſimam cum eſſet peruentum, ſplendidè à Rege barbaro acceptus atque habitus eſt, deterſa veteri ſimilitate: nam Ozminio antea fuerat eiusque familiae inſenſus. amore vtrinque & munificentia certatum. Die conſtituta Granatenſis ad barbarum Regem hac ſententia orationem habuit. Bellum in Hiſpania, Rex maxime, vix toleramus, imminutis regni viribus, veteri gentis gloria obſcurata: noſtra an temporum culpa haud facile dixerim. in extremum tamen Bæticae angulum compacti, omnibus oppreſſi malis, ægra ſpe vitam libertatemque ſuſtentamus. Turpe eſt dicere, ſed

A a a 5 dicam



dicam tamen. vtinam seruire aliqua conditione liceret, vllaque fides hosti esset, nobis violandis diuinum numen promereri persuaso, nullaque nobiscum foedera, quauis sanctitate vallata, firma fore cogitanti. Corruptuntur quorundam segetes, agrique incenduntur: oppida, viri, foeminae, pueri, pecora praedae sunt. nullum datur respirandi spatium. An non emori semel praestat, quam in tantis periculis acerbitateque versari? Vbi nunc virtus illa maiorum, qua incredibili celeritate Asia, Africa, Hispania laudibus victorijque nostris peragratae sunt: disiunctissimaeque nationes virtutis nostrae admiratione famaue coniunctae? Maiorum facta non aemulari turpe est: partam vero ab illis dignitatem gloriamque & imperium tueri non posse flagitiosum. In his aerumnis tua nos virtus perpetuaeque felicitas haecenus sustentauit: & nunc prouocauit, vt supplex in Africam relicto regno nauigarem. Fuerit mihi pretium eguisse externae amicitiae. Regium est in amore respondere à quibus fueris prouocatus: gentis patrocinium suscipere, imbecillum causam tueri, religionis patriae, vt es, vindicem dici gloriosum, diuisque immortalibus par. Subditis omnibus Africae populis, aut finienda vobis militia est, aut in alias gentes transferendum bellum. Magni saepe Principes, bello, quam post victoriam, clariores extiterunt. quod otium frangat, bella ex bellis ferendo, opes, gloria, imperiumque quaeritur. Finitimi Hispani sunt, angusto certe dirempti freto, inter se imperijs diuisi, intestinis motibus aestuantes, ne consensu quidem futuro aduersus externos hostes: tibi validissimae legiones, multis exercitae bellis, in aditu Hispaniae munitissimae arces bello opportunae. nobis viri, arma, pecunia supersunt. Praeda vniuersa vestra erit: quem locum reliqueris libens tenebo. victorij satis magnum fructum arbitrabor, de gente impia atque nefaria vindictam. Ad haec Rex barbarus, gratum eius aduentum extitisse respondit: ad belli societatem inuitari iucundum. quoad inter vtranque gentem amicitia extitisset, res prosperè cessisse: labefactatas dissidio. quod ad traiciendum inuitaret, sibi id curae futurum. quamprimum belli Africani reliquiae confectae essent, cum omnibus copijs transmissurum. Abomelicum filium cum valida equitum manu praemittendum videri. id amicitiae iunctae pignus futurum. Interea Granatenses Mauri Roduano & Abucebeto Ducibus in Contestanos inuecti, agris illata vastitate, Guardamarem (ad Staberi ostium id oppidum est in mare prospiciens, vnde nomen factum) captum direptumque incendere: capita mille ducenta in captiuitatem abacta. Mahomade in patriam reuerso, Ioannes Emanuel alijque factiosi ad foedus inueundum attracti sunt. sancta amicitia, ministro Petro Caluillo vltro citroque commeante. vsque adeo fatali dissidio cunctorum animi occupati erant, nulla religionis memoria, nulla gentis suae misericordia, in quam bellum grauissimum comparari non considerabant, modò Regi suo aegrè facerent, priuatasque vlciscerentur iniurias.

*Abomelicus venit in Hispaniam.  
Cap. II.*

ERAT



RAT adhuc in viuis Regina Lusitaniae Elisabetha, quamuis in extrema aetate pro communi salute publica, tranquillitate quencunque laborem subire prompta. Eius accitu Castellae Rex Pacem Augustam venit: nullo maiori ex mutuo colloquio fructu, quam quod auiam sanctissimam foemina salutata, omnibusque officijs culta est. Discedenti ex ea vrbe Regi ad Burguillos oppidum Alfonso Cerda, à quo tandiu, tantoque reipublicae discrimine, de regno certatum erat, improuisus occurrit cum aetate prudentior irritò toties conatu. in genua procumbens Regis dextram deoscularur: quod gentis more, honori obsequioque ducitur. gratissimum id Regi fuit, Alfonso salutare. in patriam tandem restituto, data oppida, vnde vitam sustentaret. Duxerat in Gallia Madefam, ex regio Gallorum sanguine nobilissimam. ex ea Ludouicus Ioannesque suscepti. Ludouicus natus maior patrem in Hispaniam secutus est. Ioannes à Rege Galliae propinquo Engolismorum comitatu donatus: deinde etiam equitum Magister effectus. inanis vmbra in Hispania quidem, & sine potestate appellatio, in Gallia autem supremae secundum regiam in bello auctoritatis nomen. Processit Rex in Carpetanos. peruentum Talaueram. D. Eulaliae oppidum medio itinere Toletum uersus, Ioannis Emanuelis ditione tenebatur. caedibus & latrocinijs viae infestae erant, in vicinos agros identidem erumpente ex eo oppido perditorum hominum manu. ij Regis iussu comprehensi, iudicioque conuicti poenas capite soluerunt. simile seueritatis exemplum Toleti constitutum. inde Madritum, Segobiam, Vallisoletum itum est. In eo municipio ex Eleonora pellice filius Regi natus, cui Petro nomen, Aquilaria Campeltris principatus fuit. A Erarij suppleudi cura monetae genus institutum, quam Coronatos dixere, non probae, neque sano consilio. aucta annona est, magno populi damno iraque. nam aere adulterato commercia sublata sunt. Burgos ex ea Cantabriae parte, cui Alauae nomen est, legati ad Regem venerunt, eius regionis principatum offerentes, liberae eatenus, suoque iure viuere solitae: Victoria & Treuigno exceptis, quae iam oppida regio Castellae imperio parebant. Ariagae in planicie, vbi veteri instituto conuentus gentis erant, Regi praesenti is principatus defertur: atque libertas per tot aetates inuiolata illius primùm fidei ditionique vltro permessa est. datum expetentibus, vt Calagurris legibus viuerent. antiqua gentis priuilegia conseruata, in omni actione omnique vitae parte conditio proxima libertati. noua vectigalia imperandi facultas ablata. extant de tota pactione Alfonso Regis litterae, Victoriae datae, quarto Nonas Aprilis salutis anno millesimo trescentesimo trigesimo secundo. In ea vrbe noua militia à Rege excogitata inuectaque Bandae nomine. Banda vulgari Hispanorum lingua Tania est: quam noui milites rubro colore quatuor latam digitos à dextro humero sub sinistro brachio corpori circunducebant, honoris insigne. ingenui tantum, & qui decem minimùm annis in castris aulaque versati essent, ad eum ordinem allecti: nobilium modò filijs maioribus exclusis. Rex ipse vniuersae societatis Magister institutus. eo honore iuuenes nobilissimi ad res maximas capeffendas perficiendasque inflammati. qui longo tempore in magno pretio habitus, consequentium Regum ignauia, rerumque humanarum inconstantia in desuetudinem abiit, vt ne vestigium

gium quidem extet. Compostellæ Rex, quo religionis caussa concessit, balteo militari donatus, Burgis inunctus, regium insigne desumpsit ipse, Reginaq; in vtraque vrbe Ioanne Limia Præfule Compostellano sacris de more operante. Regina inuncta non est. pudori id datum, & quoniam vterum ferebat. Affuere Præfules magno numero: viriq; principes non pauci abs Rege militiæ honore donati, recti corpus ferro omni ex parte: quod lege in posterum nouis militibus creandis sancitum, more gentis confirmatum deinde est. Publicam ex his rebus lætitiæ duæ res incommodæ exceperunt. de Blanca, quæ Petro Lusitanæ iuuentutis Principi pacta erat, dimittenda consilia agitata: substituendaq; in eius locum Constantia Emanuelis filia. vtrunque Castellæ Regi graue accidit. Blanca valetudinaria erat, neque gignendis liberis apta. Balboa Prior Hospitalarius, Reginae cui intimus erat, vt dolorem ex viri pellicatu vlcisceretur, eius consilij præcipuus auctor exiit. & erant Regi per idem tempus ex Regina quidem Ferdinandus in spem regni si vita suppeditasset, ex pellice autem Sanctius, cui Ledesmia oppidum datum est, vno tempore Vallisoleti nati. Præterea Abomelicus Regis Marrocij filius, vt cum Granatensi conuenerat, traiecto freto Algeziram venit, seque eius vrbis & Arundæ Regem dixit. sequebantur ex Africa equites septem millia, totius Hispaniæ imperium inuadendi cupiditate speque. Heraclea circumfessa, mense Februario, ineunte anno millesimo trecentesimo trigesimo tertio. vincis, turribus & machinis omnium generum impugnata. Rex factiosorum motibus componendis in Vltiori Castellæ districtus, Gotifredum Tenorium classis Præfectum mari, sacros militum Magistros, vt terra opem ferrent obsessis, præmisit. impar hostium viribus manus. annonæ penuria in vrbe erat Præfecti culpa, cui Vasco Peresio nomen fuit. nam militiam quæstui habens, neque se milite, neque com meatu satis instruxerat. Granatæ Rex alia parte in Cordubenses agros inuectus, latissimas populationes facit. Egabrum captum. arx diruta. incolæ in seruitutem abacti. Præfecti perfidia cladis accepta, Mauros vltro in oppidum & arcem vocantis. Heraclea omnibus fessa malis, speque defensionis abiecta mense Iunio hosti dedita, militum incolarumque incolumitate pacta. Vascus Præfectus ex flagitij conscientia Regis iram, populi inuidiam veritus in Africam nauigauit. in vniuersa Hispania magnus in præsentis luctus, maior in futurum metus fuit, ea olim parte vniuersæ Hispaniæ exitium vastitatem illatam à Mauris recordantium. Castellæ Rex factiosis in speciem pacatis, magnisque tota prouincia delectibus iusto exercitu comparato, adulta ætate Hispalim venit. Serum rebus perditis auxilium. ad Cæsarianum deditæ vrbis tristissimum nuncium accepit. spe tamen priusquam à Mauris muniretur, recuperari posse, eò maturare contendit. Affuit Iacobus Exerica cum Aragoniorum manu. pro vrbe vario euentu pugnatum. leuia prælia erant: nam vniuersis copijs dimicare, pars vtraque recusabat: Abomelicus neque focors victoria, neque insolens factus: Rex in proposito perstans Heracleæ recuperandæ. Rei frumentariæ inopia in regijs castris laborari cœptum grauisima. mari semel & iterum com meatus affatim aduectus breui à multitudine absuuebatur: prorsus vt multi deserentes castra in Abomelici manus incidere, vicinis locis tendentis, atque ad omnes occasio-

nes inuigilantis: tanta apud hostes captiuorum multitudine, vt singula capita aureo numo venisse feratur, graue Christiani nominis dedectus. Hostes Granatensis Regis aduentu, nostrorum imminuto numero, fractisque viribus, animis confirmati, omnibus copijs pugnare constituunt. ter Mauri in aciem producti. Castellæ Regi cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placere. prudentioribus Heraclea pro qua re venerant capta, cætera fore prona videbatur. Itaque in consilio detrectandi certaminis perstitum: perpetuoque vallo ad irruptiones prohibendas castra nostrorum inclusa: quod à mari ductum sinu quodam flexuque pro locorum conditione curuatum, rursus altero cornu ad aliud littus pertinebat. ex vtraque re hostes metum interpretati, victoriæ spei ardentius imminebant. Emaniel interim, Ioannes Lara & socij cum Aragonio Rege sancito fœdere regios fines omni iniuria deformabant. Accesserat Ioannes Harus Camerorum regulus, opibus & ditione præpotens. vnde auxilium esse debuit, inde exitium existere grauisimum Regi fuit. Itaque cum Mauris expetentibus induciæ quadriennes pactæ: vectigali retento, quod Granatenses pendere consueuerant, Heraclea relicta, non absque maiestatis fugillatione. sed Rex periculo prudens honestissima ea consilia iudicabat, quæ temporis essent & rebus accommodata maxime. vulgi sermonibus opinioneque seruire turpissimum.

*Quorundam Principum obitus. Cap. III.*



OE D E R E sancito Castellæ & Granatæ Reges inter se collocuti, mutæ benevolentia argumento singulari, eidem mensæ accubuerunt. donis & munificentia vtrinque certatum. victus Maurus, vnde illi exitium. Castellæ Rex Hispalim abiit, quanquam inter aduersa integra virtutis fama. Abomelicus Algeziram, Rex Granatæ Malacam festinabat, eius vrbis inuisendæ cupidus: cum Ozminij filij, qui rebus omnibus interfuerant, in eius necem conspirarunt, hominem detestati, qui Christianorum conuictu se, gentem, religionemque fœdarat. Fortè vestem gestabat à Castellæ Rege dono acceptam. id iracundiam accendit, maioremque occasionem calumniæ præbuit. Sequebatur Regem Maurus quidam Alhamarus nomine, ex priori Granatæ Regum sanguine, nobilis magis, quam clarus. hunc Ozminij filij aggrediuntur. hortantur, vt intercepti iniuria regni pœnas petat, violatam religionem vindicet. fraude composita incautus Rex ferro obruncatur Augusti die vigesimo quinto. Roduanus antea Granatensis Prætor, & tunc præcipua auctoritate aberat, neque sæuæ coniurationis participes fuit. Iuzephum is occisi fratrem cognomento Bulhagixum Granatæ regno præficiendum curauit, sui beneficij regnum facere satagens, quod superbum contumeliosumque erat: eo amplius, quod Ferrachus maior natu occisi frater prætermittebatur. sic res Mauricæ turbatae erant. Ad nouum Regem Aquilarij fratres Gonsalvus & Ferdinandus Montillæ & Aquilariæ reguli, in Bætica præpotentes, à Rege suo auersi, qua caussa incertum, sed alienato tamen animo sese receperunt. de finitimis prædæ actæ. in quo induciæ nuper pactæ violatæ

violatæ erant. Castellæ Rex diutius opinione voluntateque Hispali restitit, quorsum ij motus euaderent expectans. longius processisset malum, ni Abomelicus in Africam reuocatus esset à patre Tremesenio bello auxilium. eo discessum maturante, de instaurando cum nouo Granatæ Rege foedere actum. initio 1334 anni millesimi trecentesimi trigesimali quarti induciæ quadriennes rursus pactæ sunt, remisso Granatensibus annuo vectigali. tanta erat cupiditas factiosos vindicandi. Quo tempore gemina proles ex Eleonora Gusmania vnico partu Regi suscepta est, Henricus, Fridericusque. Prius se hyems circumegit, quàm mouere ex Bætica possit. in Carpetanos ineunte vere itum est: inde Segobiam, Vallisoletumq;. bello petiti coniurati proceres, irruptionibus, tumultibusq; idonei bello iusto impares. in Laræ ditionem impetu factò pleraque oppida abs Rege capta: Ventosa, Bultum, Ferraria, Viscaïæ tractus nondum satis domitus in fidem acceptus. In conuentu gentis de more sub annosa Guernicæ arbore habito, in Regis, qui aderat, verba iuratum. aliquot tantum arces locorum natura, magis quam re alia fretæ in Laræ fide perstiterunt. Ioannes Harus ad Agoncilium suæ ditionis oppidum Regis iussu obruncatur. ditio vniuersa perduellionis lege occupata. Cameri oppidum, occisi fratribus Aluaro & Alfonso relictum, ne nobilissimi principatus & familiæ nomen penitus interiret. Iscaris arcis Præfectus cum loci munitione confusus Regi portas clausisset, comprehensus capite pœnas soluit: grauique in posterum documento sancitum, nulla 20 sacramenti religione iniuriam Regibus illatam à subditis excusari. Iisdem diebus Regi Castellæ ex Regina quidem Burgis filius natus est mense Augusto extremo, cui Petro nomen fuit: (hunc extincto Ferdinando fratre, acerba Castellæ fata Regem fore destinabant) ex Eleonora autem nouo partu Ferdinandus alter natus est. In Aragonia duo regij fratres continuatis funeribus elati: Iacobus Montesiæ miles Tarracone, vbi se antea regni hæreditate abdicarat: Ioannes Tarraconensis Præful Pouï (id oppido nomen est) in Cæsaraugustæ agro. Successit Arnaldus Gascomes Ilerda Tarraconem translatus. Rex Aragonius integra quamuis ætate, perpetua valetudine, ex quo nouis se nuptijs implicarat fractus non militaribus solum, sed etiam ciuilibus muneribus abscesserat, rerum summa Petro filiorum maximo demandata. Eleonora Regis potens importunis precibus Ferdinando & Ioanni, quos filios ipsa genuerat, Dertusam, Orihuelam, Albarracinum, Saguntum, alia oppida & vrbes donari à patre impetrarat. in quo Petri Principis iniuria continebatur, regni non maximi opibus imminutis: religionis ignominia, qua se superioribus annis Darocæ obstrinxerat, lege in perpetuum lata, ne quidquam de regia ditione diminueretur. Regem parum valere animo, Reginae artibus blanditijsque circumueniri prouinciales accusabant. inde priuignum inter & nouercam implacabile odium, regnique motus graues. Regina vt se muniret fratrem Castellæ Regem ad mutuuum colloquium inuitabat. Id Regis Castellæ & sororis Reginae colloquium ad Atetam Calataiube in agro oppidum fuit. in eo oppido foedus sanctum, Regem sorori non defuturum: Iacobus Exerica & Petrus eius frater, qui Reginae partes sequebantur, in fide officioque confirmati. 40

Vasconum

Vasconum & Lusitania motus, Cap. IIII.



NONO proximo ineunte, qui eius seculi quintus & trigessimus 1335 fuit, Ioannes Emanuel Hari casu territus, Laræq; exemplo inuitatus, Regi conciliatus est. tantis rebus breui tempore patris, diuturnæ tranquillitatis spe, ex longo interuallo reuocata, ingens tota prouincia gratulatio fuit. ludi spectaculaq; per vrbes & oppida commissa. Vallisoleti ludricum militare institutum. Bandæ milites aduersus reliquam nobilitatem ex prouocatione pugnarunt. Rex quo maior libertas esset, 10 dissimulato habitu pugna interfuit. ictus maximi frequentesq;, sed innocui. nonnulli tantum ex equis in terram excussi. dubia pugnae palma, certamen diremptum. Res humanæ fluxæ & mutabiles, breui in aduersa mutantur. publica lætitia nouorum motuum nuncio obscurata. Rex Lusitanus in proposito Blanca dimittendæ, Constantiæ in eius locum subrogandæ perlisitebat, ferro nisi impetratum esset, vindicare certus. Aragonij filiorum natu maximo Maria Vasconum Regis filia pacta est, quamuis minor natu sorori Ioanne, in regni successione prælata, si proles mascula patri deesset. foederis conciliandi auctor Henricus pro Rege Vasconum præfuit. vtrunq; Castellæ Regi graue ingratumq; extitit: & aduersus eius potentiam ea foedera comparari videbantur. sanè Petrus 20 Aragonius nouercæ odium vlterius cupiens, cum Vasconibus armorum societatem constituit. Fiteri cœnobium, quod in Castellæ ditione erat, improuisi occupant. iure feicali res à Vasconibus repetitæ. ad Aragonium Regem iniurias expostulatum missi legati. excusat ille valetudinem: filijq; conatibus se imparem fore ait. ad arma necessariò ventum. Valida militum manus aduersus Vascones missa, ductore Martino Portocarrerio: cum Ioannes Lara id officium præstare, à Rege inuitatus excusasset. Ad Tudelam collata signa. atrox pugna fuit. victi tandem Vascones cæsiq; multi in Iberum præcipitarunt. eam cladem accepisse creditum est, quoniam defecti Duce non secus ac corpus capite, Vascones Aragonijq; pugnam inuasent. nam Henricus Præfectus Tudelæ se tenuit, periculum 30 veritus, an publicæ salutis respectu, quæ in eius capite versabatur. Michael Sapata Aragonius Fitero muniendo occupatus, quod in illud oppidum primum belli impetum fore existimabant, sub prælij finem è vicinis collibus se suosque ostentauit. nouum certamen fuit. Aragonij recetes aliquandiu sustentarunt. victi tamen versiq; in fugam sunt. Dux ipse captus. minor opinione cædes, hostibus continenti totius diei labore fessis: noctisq; beneficio inter se nõ cognoscebant, cum victi æquè ac victores ob linguæ communionem Castellam ingeminerent. eo astu multi seruati. Cantabri alia parte Duce Lupo Lascano, Pompelonis finibus euastatis, Vnsam arcem locis finitimam occuparunt. his cladibus Vasconum audacia repressa, temeritas castigata. Quarum vno tempore in Hispania 40 Galliaq; fama vulgata, Regem Castellæ Palentiæ eo tempore ex febre quartana laborantem, gentis commiseratione perculit, vt Portocarrerio mandaret ab armis vt discederet, iniuriaq; abstineret. satis pœnarum datum, siue inuita militia fuisset, siue voluntaria. sic copiarum ex ijs locis deductæ. Petri infantis vexillum relatum: quod præferri placuerat, ne viri nobilissimi eam militiam detrectarent, quasi

quasi Regis filio præfente. Gastonem autem Fuxensem Comitem ea fama ad opem ferendam rebus profligatis attraxit. vetusta inter vtranque gentem amicitiae iura, & regionum vicinitas inuitabat. Eius aduentu Lugrunium lautissimum ijs locis municipium inuaditur. ex vicinis oppidis multi, vt in repentino periculo arma corripunt: adiunctique Lugrunij ciuibus transmissio Ibero hosti occurrunt. pugnatur acriter. vicere Vascones. victi sese in oppidum retulere, mœnibus bellum defendere parati. pro ponte Gaona copiarum Dux Lugrunij ciuis memorabili audacia, tribus socijs adiunctis, aciem hostium sustentauit, ne suis immixti portas irrumperent. cecidit ipse in conflictu, tres alij seruati, salutem rebus attulere. Vascones expugnatione oppidi desperata retro abierunt. accidit vt Ioannes Remensis Archiepiscopus, religionis ergo Compostellam petens ea iter haberet, vir sanctus præcipuaque apud vtranque gentem auctoritate. eo agente atque arbitro concordia inita ab armis discessum. tantum in vno homine præsidium sæpe est. Eodem tempore à tribus Regibus Albohaceno, Philippo Gallo, Eduardo Anglo, legationes honestissimæ ad Regem Castellæ venerunt: pro eo quod in magna gloria apud vicinas nationes erat. ex Africa splendida munera allata. vt induciæ ratae essent postulatum. ab Anglo præterea filia Petro infanti sponsa destinabatur: quod vnum à Rege excusatum obteneram & fluxam infantis ætatem: de qua certi quidquam statui foret temerarium. Salutis anno millesimo trecentesimo trigesimo quinto hæc in Castella gerebantur. quo anno in proximum euoluto, Alfonso Aragoniæ Rex Barcinone obiit, Ianuarij vigesimo quarto die iustus, pius, moderatus, vnde illi Benigni cognomen factum: patris imperio felicior, quàm suo. diuturna valetudo obstitit: alioqui neque virtutem neque industriam defuisse, res in minori ætate prospere gestæ satis indicant. Iacobo ex priori coniugio minori filio Vrgeliæ principatus relictus est. Petrum regni hæredem Eleonora Regina verita, ne ipsam filiosq; ob memoriam prioris similitudinis violaret, magnis itineribus Albarracinum abiit: vrbs munitio, & Castellæ quæ finitima erat, viribus freta, bellum si inferretur defendi posse. Exericæ reguli Iacobus & Petrus rerum suarum cura, officium erga Reginam antiquius existimantes, abeuntis iter profecuti sunt. Ijs diebus noua è Lusitania belli tempestas exorta. Lara & Emanuel haud synceris animis ita Regi conciliati esse videbantur, vt facile appareret facultatem magis deesse, quàm voluntatem rebellandi: neque diutius in officio, quàm necesse esset perstituros. Lusitani coniugij dilata spes Emanuelem sollicitabat. Rege incio nolenteque illud perficere verebatur, ne dotalem principatum interciperet in Castellæ finibus amplissimum. Castrius, Alburquerqueusque à Regis fide abducti. Lusitanus vt arma Castellæ inferree sollicitatus. tantæ molitiones occultæ esse nõ poterant. denuò à Rege in Laræ ditionem impetus factus. oppida arcesq; captæ. ipse intra Lermam municipium circumsessus octauodecimo Kal. Iulij, vineis, turribus, & machinis omnium generum dies noctesq; impugnatur. nunc vi, nunc dolo, præmijs atque formidine oppidani tentantur, si Laram tradidissent, liberos donatosque in Regis amicitiam venturos. si morarentur spem, omnibus malis mulctatum iri. neq; vi neq; voluntate quidquam facturi, eximia erga Laræ fide, lociq; firmitate perstiterunt. fossa,

fossa, formaceisq; parietibus oppidum circumdatum est. vicinis agris illata vastitas. variæ manus diductæ vicina oppida circumsessum. obsidio ducebatur, obsesque annonæ difficultate, non satis prouisæ cœperant laborare. In Ioanne Emanuele parum præsidij erat, tamen virtutis ostentandæ opitulandique que studio ad Pennasielem suæ ditionis oppidum prope situm, occultus aduenit. parum abfuit, quo minus Regis aduentu opprimeretur. velox fuga saluti fuit. Alburquerqueus mutata voluntate sese ad Regem contulerat. Rex Lusitaniæ, vt Lermæ obsidio solueretur, per legatos postularat. inique Regem facere, qui eximia fide hominem, sibi amicum bello exagitandum sumpsisset. cum nihil esset impetratum, collectis suorum copijs in Castellæ fines inuehitur. Pax Augusta obsessa, magnaue diligentia impugnata. Alfonso Sosa Duce manus militaris prædatum missa, occursum prouincialium, qui se mutuis cohortationibus ad defendendam patriam concitarant, ad Villam nouam quæ cæsa, quæ in fugam versa est. reliquis Lusitanis documentum datum, importunos conatus haud impune fore. Rex cautior, maiorisque mali metu, si ventum ad manus esset, sese cum omnibus copijs in Lusitaniam retulit. sic mense Nouembri extremo, Lerma externa ope destituta, diuturnæque obsidionis malis oppressa, ditionem fecit. Ioannes Lara in gratiam receptus: & vnde exitum metuebat, inde præmium sceleris adeptus est. dotali etiam Viscaïæ principatu reddito. oppidum mœnium corona nudatum. rebellionis supplicium, sublata denuò tumultuandi facultas fuit. Hoc anno Marrocus Rex æmulo victo, occisoque, Tremesenij regno auctus est: vnde Mauris nouæ spes, nostris impendentis mali metus, maiorisque ex Africa belli cura.

*Inducia Lusitanis concessa. Cap. V.*

**M** V L T A Castellæ Rex blandimenta factiosis proceribus dabat: si aut in officio retineri, aut ad saniora consilia reuocari possent, turbido homines ingenio, callidi, fraudulentum. Vallisoleti vbi Christi Dei natalem diem peregit, principio anni millesimi trecentissimi trigesimali septimi Ioannes Lara aquiliferi regij, honore auctus honestatusque est. beneficijs maleficia vlcisci: benignitate cum offensa certare erat propositum. Ijs artibus & Ioannæ Principis opera (quæ Laræ mater fuit) Ioannes Emanuel delictorum illi gratia facta, Regi conciliatur, vafro ingenio homo prauoque, ancipiti fide: qui duos Reges Aragoniæ Castellæque fœderis amicitiaque simulatione distineret, vt vno alienato scilicet, apud alterum receptus esset. Et erant Aragonium inter & Eleonoram nouercam integræ similitudines. actum de concordia per legatos. speciosa verba ab Aragonio data sunt, nihil præterea. Castellæ Rex sororis inuitatu Aillonem oppidum ad vtriusque regni fines abiit. Regina priuigni iniurias & immanitatem conquesta, vt se, filios, & proceres, qui eius partes sequebantur, susciperet in clientelam, additis lacrymis postulabat. Rex ancipiti cura suspensus, sorori non opitulari inhumanum iudicabat: Lusitani Regis iniurias oppidò cupiebat vlcisci. Ergo in Aragonios fines inuadendi cura Diegho Haro de-

Bbb manda-

mandata, Soriæ, Molinæ, Conchæ, aliorumque oppidorum viribus & copijs ad Regis edictum adiunctis, Eleonora Regina per Burgos, Vallisoletumque Madridum abiit, ibi Regis aduentum sustentatura, belli tunc Lusitani studio incensi, magnisque delectibus numerosas copias Pacem Augustam euocantis, vnde belli initium erat futurum. Quo tempore ex Eleonora pellice, noua ei proles nata est, cui Tello nomen. Lusitanum offendebat maxime Reginam sororem contemptui esse: de eaq; repudianda actum fuisse, non ferenda contumelia videbatur. Pace Augusta in Lusitaniam magna vi irrumpitur. latæ populationes factæ. cuncta agi, ferriq;, nullique omnino iniuriæ parcere. Rex ad Oliuentiam febrī propter anni tempus tentatur. Pace Augusta propter cæli grauitatem, 10 mense Iunio Hispalim cura valetudinis abiit. Iisdem diebus à Gotifredo maris pro Rege Castellæ Præfecto, Lusitaniæ littora vastata: mox cum hostium classe cui Pecanus Genuensis præerat, non procul Olisipone pugnatum. atrox dimicatio fuit, ancepsq; belli mars. geminæ Gotifredi triremes initio captæ sunt. Id damnum, capta prætoria Lusitaniæ, deiectoq; regio vexillo compensatum. Ex ea re incussa formidine, hostes vndiq; victi fusi que sunt. tetrum spectaculum, patenti mari sequi, fugere, occidi, capi: omnia qua visus erat constrata telis, infecta sanguine. octo triremes capte, sex submersæ. Præfectus ipse Pecanus cum Carolo filio venit in potestatem. clara in paucis ea tempestate victoria: prorsus vt Gotifredus Hispalim cum classe veniens, triumphī specie, Rege obuiam pro- 20 gressu iniret. Honos virtuti habitus, ad maiora animos accendit. Affuere Remensis Præsul à Rege Galliæ legatus: Magister Hospitalarius Benedicti XI. Pontificis Romani, qui Ioanni ante tres annos successerat, orator de pace. maximo quamuis ab utroq; conatu adhibito, Regibus conciliandis, impetrari tamen non potuit, quin Castellæ Rex valetudine confirmata rursus in Lusitaniam populabundus irrumperet, ea parte vbi Turdetani veteres erant, nunc Algarbij, præcipuo damno provincialium doloreque, atque in suum Regem odio: qui magnis conatibus nihil aliud præstitisse videbatur, quàm vt Castellæ vires irritaret: si imbecillitatis conscientia, quorsum arma mota? si fiducia cur prouocatus certamen detrectaret: Calæcosq; disiunctissimis locis inua- 30 deret, Saluaterræ agris igne ferroq; vastatis? Ergo Castellæ Rex præcipiti autumno, nulla iusta hostium manu Hispalim sese retulit. sequebatur Egidius Carrilius Calatrauæ Archidiaconus, quod sacerdotium in templo Toletano est, vir spectata magnis rebus prudentia probitateq;. Is Semeno Luna defuncto in eius locum successus est Tolertanus Præsul, summa Regis contentione: nam collegij voluntates in Vascum Decanum propensæ erant. De Egidij virtutibus silere, quàm pauca dicere præstat. Concha patria fuit. parentes Gasias Albornocius, Therasia Luna, clari fama, atque nobilitate præstantes. Ingenium illustre iurisprudentiæ studijs dedit: non vt otio marceret, sed vt paratior ad rempublicam accederet. Aetate confirmata regijs consilijs adhibitus est: nunc 40 Toletana sacra regenda suscepit. Deinde Cardinalis creatus, eximiam operam nauauit Pontificibus Romanis, exactis tyrannis: qui ecclesiæ Romanæ ditionem armis in Italia occuparant. in omni ætate cunctis vitæ officijs æquabilis, recti tenax, opum contemptor, constans aduersus metus: bello

bello an pace melior fuerit in incerto est. omnes certè litterati æternum laudent, necesse est: qui collegio Bononiæ in Gallia Cisalpina instituto, sacrificos quatuor, collegas triginta annuis retribus litterarum causâ perpetuò alit, omnes natione Hispanos. vnde velut ex arce sapientiæ multi prodierunt, literis & eruditione præstantes: doctrinæque splendor in Hispaniam est reuocatus: exemplumque constitutum, quod extruendis id genus collegijs, alij imitarentur, pari studio facultateque. Ipso anno, septimo Kalend. Iulij (Fazellus priori anno Calendis Iulij dicit) Fridericus Siciliae Rex obiit, annis grauis, bello tandiu sustentato clarissimus. Catanæ ad D. Agathæ cippus eius cum 10 statua monstratur, & inscriptione hac.

Sicania populū mœrent. cœlestia gaudent

Numina. terra gemit. Rex Fridericus obit.

Petrus filius successit in regno. Guillelmo ætate proximo Athenæ & Neopatria legata. Ioanni alia. filia, quas quatuor reliquit, regni successione exclusæ, lege haud futura stabili, neque prioribus exemplis consentanea. Remensis Præsul in Hispania, & Magister Hospitalarius vltro citroq; commeando Reges de pace ineunda appellare non desistebant. regna discordia interire, valere concordia. nouum & grauissimum bellum ex Africa imminere. metum sepe externum dissidentes voluntates pacasse. victis & victoribus vnum in pace præsidium. His vocibus Castellæ Rex aduersus, flecti videbatur, Lusitanus pacis cupiditate vehementius accensus. constitutum vt Emeritam Castellæ Rex accederet, de conditionibus fœderis disceptaturus. In ea vrbe annuæ induciæ pactæ principio anni M. CCC. trigesimali octauo. pacis conciliandæ facultas non fuit. 1338

*Abomelicus occisus. Cap. VI.*

**E** Albohaceni Regis apparatu maiora vero, vt fit, in Hispania nunciabantur. Maurici nominis robur concitari: omnes Africae prouincias vires conferre: cum filijs, vxoribus, & re familiari migrare, quasi colonijs vniuersam Hispaniam occupaturi. neque arceri transitu, neque superari armis posse præ multitudine. In Valentina littora primum fore impetum fama vulgabat. Ex his rebus magna nostros sollicitudo formidoque inceserat, Aragonios maxima arma, equos, commeatum conferre: omnia circum strepere belli apparatu. de ineunda concordia cogitari cœptum. sociatis viribus victoriæ spem esse, in discordia certum exitum. Anglici legati sui Regis verbis pacem, fœdusque expetentes anticipati responso ab Aragonio suspenso: mutuam amicitiam fore & fuisse semper antiquissimam, si priora cum alijs gentibus fœdera seruare concedatur. de Mariæ & Regis nuptijs agebatur, eatenus propter imbecillam viroq; immaturam 40 ætatem Tudelæ retentæ. Iulij vigesimo quinto die Alauonæ, magna vtriusque gentis lætitia, celebratæ sunt. auspex antistesque Philippus, puellæ patruus Cabillonensis Episcopus. Ad Pontificem Romanum missa legatione postulatum, vt ad Hispaniam oculos conuerteret, ad aliquamque suæ prouidentia partem imminens nomini Christiano discrimen pertinere iudicaret. Decumæ

sacerdotum, quæ Aragonijs Regibus subsidium belli sacri erant concessæ, ad  
 iustum recentemque valorem expendi mandaret: alioqui veteri æstimatione  
 retenta, parum subsidij futurum. Hæc Aragonius. Castellæ Rex Burgis, quo  
 Emerita abierat, in gentis concilio leges sumptuarias sciuit, veteri frugalitate  
 in mores reuocanda: qui nimium in leuitatem incubuerant in victu, cultu-  
 que. Gotifredo Tenorio freti insidendi barbarosque Hispaniæ aditu prohiben-  
 di cura imposta. Eleonoræ sororis precibus Concham abiit. affuere Emanuel  
 & Lara, gratia penitus cum Rege reconciliata. eodem Petrus Afagra appulit  
 ab Aragonio legatus de pace, de fœdereque aduersus Mauros, tertia classis  
 parte Mauris arcendis oblata. Conditionem Rex accipere respondit: foreque 10  
 Aragonij amicitiam tunc gratam, si Eleonoræ sorori esset satisfactum. Daro-  
 cæ in Aragonijs conuentibus de tota controuersia disceptatur. delecti arbitri,  
 Petrus Aragonij patruus, Ioannes Emanuel ea causâ à Rege Castellæ legatus.  
 Conuenit vt Exericæ regulo venia daretur: Reginæ & filijs integra essent,  
 quæ ab Alfonso patre donata erant. Petrus Luna Cæsaraugustæ Præful con-  
 cordiæ aduersus aberat à Pontifice Romano ad dicendam causam vocatus.  
 id fœderi sanciendo commodum accidit. Quo Madriti comprobato, Eleono-  
 ra & filij in Aragoniam redeuntes, benigne accepti sunt, cultu propemo-  
 dum regio. seruire temporum priuati, tum magni Principes solent: al-  
 traque dissimulatione vti republica gubernanda. Remensis Præful, Magister 20  
 que Hospitalarius adiuncto Bracarenfi Episcopo, de pace è Lusitania legati,  
 repulsi in præsentia sunt, iniquaque petere iudicatum. ac illud maximè displi-  
 cebat, quòd Constantiam Emanuelis filiam Petro Lusitanæ iuuentutis Princi-  
 pi desponsam reposcerent. Incunte salutis anno millesimo trecentesimo tri-  
 gesimo nono facer D. Iacobi Magister Vascus Rodericus obiit. suffragio mi-  
 litari Vascus Lupus cooptatur, Rege indignante, qui eum honorem Fride-  
 rico filio destinabat. nouo Magistro multa crimina verò an ad Regis gratiam  
 obiecta sunt: prouisaque tempestate in Lusitaniam elapso probata. itaque ho-  
 nore detractò Alfonso Gusmanius Friderici pueri auunculus, rescissa priori  
 electione, Magister creatur: magno multorum dolore, atque obtreccatione, 30  
 ne in tanto quidem reipublicæ discrimine pelli republica ambitum confide-  
 rantium. quæ magna peruersitas est. Per idem tempus Rodericus Peresius Al-  
 cantaræ Magister loco motus. suffectus Gonsaluus Martinus, Nunnium alij,  
 vocant. vocum dissimilitudine quidam conturbati discernunt, quæ sepa-  
 randa non sunt: cum veteri Hispanorum lingua Nunnus & Martinus idem  
 sint. Ioannis Prati Calatraux Magistri auctoritate id est præstitum: cui Al-  
 cantaræ milites veteri instituto contributi erant. De bello Maurico ageba-  
 tur. Hispalim, ex vniuersa ditione copiæ militares contractæ. presto Ca-  
 stellæ Rex fuit, nuncio excitatus, Abomelicum ex Africa traiecisse cum quin-  
 que equitum millibus: & induciarum tempus exierat: Mauricique cona- 40  
 tus celeritate occupandi erant. In Granatæ fines fit impetus. Antequeræ  
 & Archidonæ agris populatis vix ab oppidis vis est prohibita. idem ad  
 Arundam factum. Præterea Maurorum manus vrbe egressa ad carpen-  
 dum nouissimum nostrorum agmen, profligata Laræ, Emanuelis, & D.  
 Iacobi

Iacobi Magistri, qui in postrema acie substiterant, virtute. qui ex fuga iugum  
 occupant barbari, nostris per ardua nitentibus, magna strage deiecti. multi  
 metu præcipitarunt, è locis præruptis. Hispalim itum. inde variæ manus ad  
 fines tutandos dimissæ. affuit Gilabertus duodecim triremibus ex Aragonia de-  
 uectis, iussus cum Castellæ classe se coniungere, atque ad fretum Gaditanum  
 excubare. Pecuniæ inopia erat. eius redigendæ necessitate, mense Septem-  
 bri ad regni conuentus Madritum Rex abiit, Vicario Calatraux Magistro,  
 ad quem bellici imperij summa rediret: inter duces alios & proceres par-  
 tita cura. Nebrissæ, quod oppidum ad Bætis æstuarium, agri fertilissima re-  
 gione situm est, frumenti copia in belli vsus erat collata. Mauri Regis dis-  
 cesso audentiores id oppidum expugnare parant. copiæ ex hibernis eductæ  
 quamuis iniquissimo anni tempore. Abomelicus positus ad Cæsarianum ca-  
 stris restitit. Mille quingenti equites Nebrissam missi. ij oppido repulsi agros  
 vastant. ad rei famam Portocarrerius Tariffa, Hispali Gusmanij Aluarus, &  
 Petrus, atque Pontius Legionensis viri nobilissimi accurrerunt. præterea ex  
 vicinis Mauricæ ditionis locis, in quæ armis irruperat Magister Alcanta-  
 ræ, exigua manus, minorque quàm pro hostium numero. diurno tamen  
 nocturnoque itinere ad Arcobrigam graues præda Mauros, lentoque agmi-  
 ne incedentes consecuti, ad vnum ferme trucidant, aut capiunt. præda om-  
 nis ablata. Læti successu, de Abomelico inuadendo deliberant. maius quàm  
 20 pro numero facinus. plerosque hostium multitudo conturbabat: neque am-  
 plius belli fortunam tentandam iudicabant. alij animo feroci negabant Mau-  
 ros pertimescendos. virtuti suorum, numinisque præsidio credendum dispu-  
 tare: neque esse fas in ea rei bene gerendæ occasione incertæ ac paulò post in-  
 terituræ morbo vitæ sibi que parcere. vicit ea sententia. Mauri ex rebus prospe-  
 ris orta negligentia motis castris ad Arcobrigam nulla cura, nullis vigilijs  
 tendebant. Hostium contemptus exitio sæpe fuit. nostri dubia luce signo da-  
 to, in hostes concurrunt. in fluminis transitu, aliquandiu repugnatum quingen-  
 30 torum Maurorum accursu. eo traiecto a nostris reliqua procliuia fuerunt. mo-  
 mento temporis cæsi fugatique hostes. Abomelicus ipse pedibus fugiens, vt in  
 repentina trepidatione, pro gregario milite obruncatur. Aliatar propinquus  
 in acie cecidit. Mauri ad decem millia perempti. (sic fama tulit) nostri castris  
 hostium impedimentisque potiti, gemina victoria læti, clariq; in hiberna redu-  
 cunt copias. Hoc anno à Tarraconensi Præsule concilium prouinciale habitum  
 est. Quo tempore D. Eulaliæ corpus in locum commodiorem translatum in ca-  
 vrbe, solenni supplicatione habita. Aragonius Rex Auenionem abiit in Pon-  
 ficis verba, pro Sardinia & Corsicæ imperio, quasi beneficiario iuraturus.

*Victi ad Tariffam Mauri. Cap. VII.*

40



BOMELICI casu ingens luctus Africam occupauit, patrem ma-  
 ximè. immatura morte præreptum præstare non potuisse qualem  
 promiserat Regem querebantur. eo ardentius ad vltionem inflam-  
 matis omnibus expeditio Hispanica festinatur. ingentes delectus

tota ditione habiti. certi homines per vniuersam Africam dimissi, qui simulata sanctitate spe diuini numinis promerendi, religionis patriæ vindicandæ facta, eas gentes ad capienda arma incitarent. Incredibilis concursus fuit. equites septuaginta millia, pedites quadringenta. cum quanta multitudine satis constabat neminem priorum Regum in Hispaniam venisse. classis comparata nauium ducentarum & quinquaginta, triremium septuaginta. Castellæ Regem eius belli defendendi cura sollicitum, nouus dolor excepit. Nunnus Alcantaræ Magister multis criminibus appetitus, verò an falsò non facilè dixerim, sed Madritum tamen in ius à Rege vocatus dissidentia causæ, an Eleonoræ Gusmanis fraudibus, potentiæque vt par esset veritus regium imperium contemnere visus est. scelus scelere cumulatum. Granatensi Regi sese adiunxit. Præterea classis Aragoniæ præfectus ad Algeziræ littus excensione facta in tumultuaria pugna sagittæ ictu confossus est. Socij cum classe quasi infaultam militiam auersati sese retulerunt in patriam. vtrunque regias rationes vehementer conturbauit. Ergo ad prima veris signa in Beticam abiit. Nunnij conatus celeritate occupati. intra Valentiam, quod oppidum in veteris Lusitanis parte est, circumfessus captusque, lege maiestatis damnatur. ignis supplicium fuit: vt poenæ magnitudo reliquis documento esset. Chamisus vir spectata virtute in Nunnij locum cooptatus. Cœperat Albohacenus copias in Hispaniam trajicere. equites tria millia præmissi, virtutis ostentandæ studio incitati Arcobrigæ, Cæsariani, Alsidonis que agros vastant. cum ingenti capta præda reuerterentur, nostri Cæsariano egressi securos incautosque opprimunt. ad duo millia ceciderunt. Interea quinque mensibus freto trajiciendo consumptis vniuersæ Maurorum copiæ ad Algeziram expositæ, Tenorij præfecti culpa: quem hostes transitu prohibere potuisse populus accusabat: inuido plerunque & ingrato animo aduersus clarissimum quenque virum. Non tulit contumeliam ferox animus. cum vniuersa classe hostium dimicare ausus, insignem cladem accepit. periit ipse. classis oppressa. quinque tantum triemes celeri fuga Tarissam euaserunt. Regis animus ancipiti cura suspensus erat. hinc metus vrgebat, ne exitium immineret Hispaniæ: inde gloriæ cupiditas incitabat. Hispali vbi bello comparando intentus erat, Episcopis & proceribus in regiam vocatis, de belli summa deliberare constituit. Ad sinistram corona, ad dextram gladio positus, è sublimi loco solioque residens, hac sententia orationem habet. Quanto in periculo res publicæ & priuatæ sint, viri amici atq; cognati perspicitis. quo in statu res nostræ sint, vos ignorare non arbitror. A prima ætate cum regno continentes labores, & molestiæ vexarunt. (sic cælo placitum) tametsi nostra peccata innocentium calamitate expiari graue est. Vix intestinis motibus pacatis, bellum externum excepit, eorum quæ pertulit Hispania grauissimum. A Erarium inane est. prouinciales nouis subinde vectigalibus fessi, ad mentionem noui tributi irritantur. Pacisci fortè cum hoste placet? sed infido hominum generi nihil sanctum est. Externa auxilia aduocentur? verum. sed finitimi Reges nostro periculo parum mouentur. Rebus asperis cæleste numen aderit: sed nostris sceleribus irritatum ne deserat, vereor. In tanta difficultate consilia explicare nostræ prudentiæ

dentis non est. collatis sententijs quid erit faciendum, pro vestra viri præstantes prudentia putate. Quo maior libertas sit, è conuentu discedam ipse: vos in sententijs dandis ne huic regiæ coronæ exitium, ne huic gladio dedecus afferatur, Hispanique nominis gloria ludibrio sit, considerate. Rege digresso magna inter proceres disceptatio fuit. prudentioribus aduersus hostium potentiam, Regem fore parem non videbatur: pacis que cum Mauro honesta aliqua conditione satius fore iudicabant. plerique ferocius bellum decernere, decoris & gloriæ auidi, in pace summam ignominiam fore, ad barbari arbitrium quod necesse erat constitutæ. Hæc vicit sententia. conuenit tamen vt Aragonios & Lusitanos missis legationibus ad sociandas vires sollicitarent. classis ad S. Luciferi portum refecta est: eiusque cura Calderoni Priori Hospitalario demandata. remissa ab Aragonio classis Petro Moncada præfecto. à Genuensibus quindecim triemes missæ Regis Castellæ sumptibus. Ioannes Leiuia ad Romanum Pontificem ea causâ legatus, delictorum veniam ijs concedi impetrauit, qui sacram militiam tribus mensibus tolerassent suis sumptibus. Eius euulgandæ cura Egidio Toletano Præfulei demandata. Lusitano conciliando abs Rege Castellæ datum, vt Constantia Emanuelis filia Petro Principi desponsa in Lusitaniam mitteretur. Nuptiæ Eboræ regio apparatu confectæ. dos dicta trecenta aureorum millia. Præterea Maria Castellæ Regina viri iussu ad patrem festinauit, vt vires conferret, belloque sacro ipse adesset impetratura. Re constituta, duodecim triemes, Pecano duce, (nam libertati erat redditus) è Lusitania dimissæ. ipse Castellæ Rex Lusitani promerendi, confirmandique studio in Lusitaniam abiit. Regum ad Iurameniam in Anæ ripa oppidum colloquio, detersæ simultates. metus ira potentior. Copiæ interea militares Hispalim ex omnibus partibus conueniebant: è maiori festinatione, quòd vno tempore Tarissam ab Albohaceno, Granatensique circumfessam esse nunciabatur. Septembris vigesimo tertio die obsidio inchoata est. ad augendam formidinem turres ædificari, excuti tormentis tela, vineis promotis mœnia dolabris vectibusque soluta lapidum compage dirui. Obsessi quamuis valido præsidio imposito, haud diu vim hostium sustentaturi videbantur. Rex, ne urbem dederent, verebatur. eo maiori cura belli subsidia comparare, maturique auxiliij spem obsessis facere. Hispalim è Lusitania cum rediisset, breui eodem Lusitanus appulit. sequebantur mille equites, virtute, quàm numero validior mantis. Rebus omnibus comparatis vrbe egrediuntur, obsidionem dissipandi, aut prælio dimicandi certo animo. ingentem confidentiam, cum vix quartam hostium partem suorum numero exæquarent. equites quatuordecim millia, pedites ad viginti quinque. modicis itineribus progrediebantur. Reges Mauri nostrorum consilio explorato, operibus quibus vrbs impugnabatur igne corruptis, vicinos cliuos castris occuparunt, leui munimento, in eo victoriam esse positam arbitrati, si ventum esset ad manus. Ad Rupem cerui (pago id nomen est) in conspectum hostium peruentum. de summa rerum in consilio Ducum disceptatur. mille equites, pedites quatuor millia nocte intempesta Tarissam missi, vrbi præsidium, & vt à latere hostes aggressi è cliuo deijcerent. reliqui curare corpora iussi: atque vt simul cum ortu Solis pugnam inuadant,

paratos esse. Plausus lætitiæque in castris esse, vota diuis nuncupari, sanctissimo inter se iureiurando sancire, per turmas & manipulos, nisi victores domum non redituros, in periculo auxilio inuicem fore. Lucis aduentu, Reges, & eorum exemplo cæteri, confessione & Eucharistia ritè procurati sunt. mox acies ad pugnam instructæ. In primo agmine Lara, Emanuel, & D. Iacobi Magister constituti: in postremo Gonsaluus Aquilarius: peditum incondita multitudo in subsidijs Petro Nunnio Duce. mediam aciem cum robore copiarum Reges obtinebant. aderat Egidius Toletanus Præsul, alijque Episcopi & proceres. vexillum crucis Iugus natione Gallus Romani Pontificis iussu gestabat. milites omnes rubra cruce distincti, vti aduersus impios pro religione pugnaturi. Lusitano inuadendi Granatenes cura imposita est. ad peculiarem manum adiuncti, Calatrauæ & Alcantaræ Magistri. Castellæ Rex Albohacenum inuadere parans, concione aduocata, hac milites oratione accendit. Profunda auaritia, infinita imperandi libido, odium Christiani nominis implacabile, nulla iusta belli causa hanc barbariem in Hispaniam attraxit: inconditam, mihi credite, & ex colluione multarum gentium conflata, nemo numero terreatur, sua se multitudine impediens: neque ordines seruare, neque imperia accipere idonei. Quanto sibi quisque minus pepercerit, tanto tutior erit. neque decet in pedibus potius præsidium, quàm in virtute, armisque ponere: nudum cæcumque tergus hosti ferendum præbere. Aut barbaris seruiendum, aut strenuè pro patria, pro vxoribus & liberis, pro sanctissima religione pugnandum: victoria spe certa, (nihil in nobis vanitatis est). Quod si aliter eueniret, vbi maiori fructu, maiori que gloria, vita breuis & paulò post interitura ponatur? Quid salutaris, quàm breui molestia cælestes sedes parari? quod crux illa sanctissima, cuius auspicijs pugnamus, & sanctissimi Pontifices pollicentur. Læti ergo, pleneque bona spe in hostes inuadite. Dato signo mota continuò agmina. præterfluebat inter vtraque castra Salsus amnis: vnde prælio nobilissimo victoriaeque nomen factum, haud longo spatio decurrens in mare. qui priores traiecissent ab ijs pugnae initium futurum erat. Missi à Rege barbaro equites ad duomillia, transitum prohibitori. ipse interea spe tumidus, de victoria certus, ad circumfusas legiones. Si nostram, inquit, ætatem, resque in Africa gestas tantum respicerem, nihil ad vitæ fructum, gloriamque nominis deesse videbatur. omnibus circum nationibus vestra milites virtute subditis. gentis amor, patriæ religionis studium, vobis impulsoribus in Hispaniam attraxit. Turpe erit quod in pace estis polliciti, in pugna non posse præstare, domi procaces, in bello ignaui. Si numero pares congregarentur vestrae virtuti crederem, tamen. si certa pestis adesset mori satius iudicarem, quàm vt tantum dedecus inureretur. nunc aduersus paucos, inermesque tyrones pugnabitis nullo vsu firmatos, nulla scientia militari. Atque illud potius verendum est, ne Africæ domitoribus cum tali hominum genere pugnasse turpe sit: illis gloriosum quocunque tandem euentu. Phuteses, Tremesenas, Algarbienses victorias cogitate. Eo animo, eaque fiducia quæ perpetuò victoribus esse debent, pugnate, erecti constantes periculorum, hostium, mortisque ipsius contemptores. His dictis ad flumen progressum. Lara & Emanuel diu sustinere, metu incertum, an re alia. doli cer-

te

tè, & coitionis suspicionem præbuerunt, quæ suspicio latè per acies manauit. Lasi fratres, Gonsaluus & Garfia exiguo ponte transmisi, primi omnium cum multo maiori hostium numero, pugnare cœperunt. Periculo proximos Aluarus Gusmanus suo aduentu seruauit. secuti cæteri, Lusitanus læua collium larus radens. Castellæ Rex aliquanto locorum flexu versus mare in hostes irruit. vtrinque clamor ingens mutuò se ad pugnam hortantium. pugnatur acriter omnibus partibus. Consistunt agmina: & collato pedè in eodem vestigio cædunt, cædunturque. eò Duces signa inferunt, vbi maximè suos laborare considerabant. Nostrorum pars notis tramitibus à cæteris diuisa castra inuadunt, capiunt, diripiuntque superato præsidio. re cognita cæteri Mauri perculsi, qui eatenus in pugna sustiterant, loco pulsi, deinde in fugam conuersi sunt. Magna cædes facta. Supra ducenta Maurorum millia in prælio fugaque ceciderunt. captiuorum ingens numerus fuit. è Christianis, quod vix fidem faciat, viginti desiderati non amplius. classarij milites parum contulerunt: cum se Aragonij ad vnum tenuissent nauibus. Vascones in nullo huius belli vsu fuisse, Philippo gentis Rege Gallicis bellis districto, reipublicæ moderatore Reginaldo Pontio homine Gallo. Egidius Toletanus Præsul à Regis Castellæ latere nunquam discessit: desertumque penè à suis, & in confertos hostes irruere parantem, voce manuque retinuit, ne tristis casus certam victoriam corrumpere. Salutis anno milleimo trecentesimo quadragesimo pugnatum est. de die scriptores variant. nobis certissimis monumentis exploratum est, tertio Kalen. Nouembris, die Lunæ, victoriam nobilissimam partam esse, vti in fastis Toletanis notatum est: vbi anniuersarijs sacris, festaque læticia, veteri instituto eius diei memoria celebratur.

1340

*Reliqua huius belli. Cap. VIII.*

**V**ICTI fusique barbari Algeziram abierunt: moxque eius vrbs munitione dissisi, ne nostrorum aduentu opprimerentur, Rex Granatenis Marbellam abiit, Albohacenus Heracleam, eademque nocte in Africam traiecit, Abderrahmanum filium veritus, quem pro se Vicarium reliquerat, ne ad cladis acceptæ nuncium, regnum inuaderet. Parentum, vxorum & filiorum non magna necessitudo apud Mauros est. vxorum quas plurimas pro opibus ducunt, & filiorum multitudine amor distrahitur, omnes in vili pretio sunt. Ergo Fatima Tunctani Regis filia Albohaceni Regis vxor præcipua, tres aliæ vxores, Abohamarus filius capti in pugna castrisque eo minorem dolorem barbaro Regi inuaserunt. duo alij Albohaceni filij in pugna sunt occisi. castra hostium plena omnis opulentia, regia, priuataque erant: multa vestis pretiosa, auri & argenti tantum, vt valor in Hispania monetæ imminueretur, mercium pretium cresceret. Victores Reges eadem nocte in castra redierunt, pars cædendis, insequendisque hostibus fessi, pars quibus minor animus fuit, maior auiditas, Mauricis spolijs onusti. die proximo Tariffam inuecti, refectis mœnibus, quæ multis partibus erant quassata, atque præsidio muniendam curarunt. Contra timorem Mauro-

Bbb 5 rum



rum: & contra quam opus fuerat, ab Algeziræ obsidione cessatum. commea-  
 tus inopia in paucos dies comparati, & propter anni tempus in hyemem in-  
 clinantis, re necessaria compulsi Reges Hispalim reuersi sunt. Triumpho perfi-  
 mili pompa, omni ætate, omni ordine obuij ciues, patriæ liberatores, impietatis  
 vindices, victores, Augustos faustis vocibus acclamantes in urbem excepere. re-  
 liqua Hispania decretæ, habitæque supplicationes. Diuis immortalibus actæ  
 gratiæ. dies festi ludis, spectaculis, tripudijs Hispanorum more agitati. Rex  
 Lusitanus ephippijs, gladijsque Mauricis ex omni præda acceptis, vt victoriæ  
 munimento essent, in patriam sese retulit: rei Christianæ adiutæ, inuictæque  
 virtutis laudem deferens. additi nonnulli captui nobilissimi. abeuntis iter Rex 10  
 gener ad Casalliam oppidum officij causa est profecutus. Auenionem equi  
 centum, gladij, parmæque è corio totidem è præda Maurica Benedicto Ponti-  
 fici missa sunt. quatuor præterea & viginti Maurica signa: equus vexillumque  
 Regis, quibus in prælio vsus erat, alia. Leina legatus aliquanto spatio à Cardi-  
 nalibus obuijs exceptus. Pontificis voce, cum sacris de more esset operatus, Al-  
 fonsi Regis laudes maximo Principum, hominumque concursu celebratæ sunt.  
 Freti Gaditani custodia, ne se hostes resecta classe denuò in Hispaniam infun-  
 derent, Egidio Genuensi demandata maris Præfecto, pro Rege Castellæ creato.  
 id nauatæ operæ præmium fuit: genti blandimentum ne triremes Genuenses  
 reuocarent quasi bello confecto: vt Aragonius, & Lusitanus fecerunt. tametsi 20  
 aliquanto post Castellæ Regis precibus vt auctæ numero classès reuerterentur,  
 datum est. neque enim quieturos Mauros iudicabant prudentes, quin instaura-  
 tis viribus bellum supremo conatu, primo quoque tempore repeterent.

*Alcauala initium. Cap. IX.*



M A G N O metu liberatos Regem Hispanosque victis ad Tarif-  
 sam barbaris, maior cupiditas incessit impiæ gentis reliquias ex-  
 tirpandi: sollicitudoque in belli vsus, quod fore diuturnum prou-  
 debatur, pecuniæ conquirendæ. Nam quæ ex præda erat redacta, 30  
 plurima quamuis in præmia militum, paucaq; stipendia consum-  
 pta erat: annuis tributis exhausta prouincia. Mercatoribus tantum immunitas  
 erat, impudensque census: reliqui ordines oppressi grauitate vectigalium. Elle-  
 renæ atque Madriti concedentibus prouincialibus, aliquantum pecuniæ colla-  
 tum est. Leue id subsidium tantis factis futurisq; sumptibus: sed ineunte tamen  
 salutis anno millesimo trecentesimo quadragesimo primo, Corduba, quo co-  
 piæ militares conuenire iussæ erant, in Granatenses fines irrumpitur. arte quam  
 viribus victoria gloriosior. Præmissæ naues aliquot commeatu onustæ, Mala-  
 cam inuadendi speciem præbuerunt. Mauricis copijs ea vrbe munienda occu-  
 patis Rex Alcalæ regiæ agros improuisus inuasit. Augusti vigesimo sexto die 40  
 oppidum deditum. oppidani salutem pacti dimissi incolumes. magno id ho-  
 stium dolore accidit, sua se opinione delusos considerantium. Eo oppido capto  
 Prieghum, Rutes, Benamexillum, aliaque oppida & arces eo tractu, pars vi, pars  
 deditio in potestatem venerunt. victoribus omnia pronacrant, Mauris aspe-  
 ra.

ra. copiæ in hiberna reductæ, præsidia tantum opportunis locis disposita, fi-  
 nibus tutandis. classi imperatum, vt fretum insiderent, Afrosque transitu arce-  
 rent. Regem obsidendæ Algeziræ cura sollicitabat, atque in eam rem pecuniæ  
 comparandæ quacunq; ratione. Datum consilium, vt à mercatoribus nouum  
 vectigal exigeretur. ea ratio facillima in præsentis visa est, in posterum grauia  
 incommoda attulit: vt est improuida mortalium mens: sæpeque in perniciem  
 vertuntur, quæ prudenter excogitata esse videbantur. Eo consilio Rex Burgos  
 principem ciuitatem contendit, limitis cura D. Iacobi Magistro commenda-  
 ta. Vallisoleti Christi Dei natali se tenuit principio anni millesimi trecentesi- 1342  
 10 mi quadragesimi secundi. Burgos Egidius Toletanus, Ioannes Lara, Gasias  
 Burgensis Præsul, proceres alij & Episcopi nominatim euocati. horum Regis  
 que summa contentione vigesima rerum venalium in vsus belli Maurici à Bur-  
 gensibus concessa: definito tempore, dum Algeziræ obsidio duceretur. Burgen-  
 sium exemplum, Legionenses, aliæque ferme tota ditioe ciuitates secutæ sunt.  
 Nihil tunc nimium videbatur: cunctis ardentibus studio belli Maurici prossi-  
 gandi. metu depulso, quam graue id vectigal fuerit, vsu intellectum: inde cer-  
 te Hispanicæ immunitatis opprimendæ initium factum est. lætitia, metus, cupi-  
 ditas, pessimi consultores in fraudem impulerunt. Regij ministri augendi fisci  
 rationibus, Principis gratiam aucupabantur. quæ ars nimium prospero mul-  
 20 torum successu creuit. ab his prouincialium simplicitas circumuenta, pruden-  
 tiores dissimulabant. Nam suadere Principi quod oportet periculosum, rara  
 fides, parata assentatio. Nouo vectigali Alcaualæ nomen fuit, re & voce à Mau-  
 ris hostibus mutuata. Auxit studium ciuitatum victoria de Mauricæ classis par-  
 te vno tempore nunciata. tres & octoginta triremes ad Septam in Africæ lit-  
 tore erant, bellum reperituræ. in Bullonio portu duodecim aliæ priusquam se  
 cum reliqua classe coniungerent, decem è nostris aduentu oppressæ sunt vere  
 ineunte. vniuersa deinde Maurorum classis, quæ ad Guadamecili fluminis  
 ostium appulerat, insigni prælio deuicta est. Mauricæ triremes quinque & vi-  
 ginti, quæ captæ, quæ submersæ. duo classis Præfecti Granatensis, Africanusque  
 30 interfecti. Aragoniæ triremes huic pugnæ non interfuerunt. ab Aragonia quo  
 se contulerant redeuntes ad Steponæ vel Astapæ littus, tredecim hostium trire-  
 mes commeatu onustas oppressere. quatuor captæ, duæ submersæ, reliquæ fuga  
 tenuerunt Africæ littora. nostrorum virtuti & felicitati terræ, mariaque faue-  
 re videbantur. fuissetque multo amplior clades illata, si vno tempore hostium  
 copiæ ad Guadamecilum terra marique fuissent impugnata. quo consilio Rex  
 Hispalim primum deinde Cæsarianum magnis itineribus erat progressus, cum  
 in ea vrbe commisi prælij nuncium accepit. necessitatem pugnæ, casus attule-  
 rat: cum tres è nostris naues in vadis hærentes remisso maris æstu hostes inua-  
 sissent: nostri defenderent, vtriusque classis concursu conatuque maximo.

40

*Algezira obfessa. Cap. X.*



A N T I S vno tempore victorijs terra marique partis, reliqui  
 belli ex sententia conficiendi spes erat. nostra classis ad Satare-  
 sium

sium portum, prope Tariffam se tenebat. eo Rex accessit Algeziræ situm, cuius obsidendæ cupiditate flagrabat, locorumq; naturam mari lustraturus. Vrbs nobilissima visa est, fertilis ager, amœni colles circum ambientes, multæ frumentariæ molæ, villis, ædificijsq; regio vniuersa qua visus erat, collucebat. Regis animus eò amplius ad rem perficiendam accensus, quod ex captiuus cognitum erat rei frumentariæ non magnam in vrbe facultatem esse: & firmissimo Maurici imperio propugnaculo sublato, reliqua prona fore sperabat. Verùm exiguæ copiæ, parum comœatus erat. id regio conatus retardabat. Locis finitimis raptim delectus habitati sunt. viri principes nominatim euocati. affuere Egidius Toletanus Præsul, Bartholomæus Gaditanus, Alcantaræ, & Calatra-  
 10  
 uæ Magistri, militum manus non exigua: quam veteri instituto Bæticiæ ciuitates suis sumptibus miserant, eius belli conficiendi studio ampliorem. festinanti mora omnis longa est. Comœatus expediendi, reliquaque comparandi causa Rex Hispalim abiit. equites duo millia quingenti. pedites ad quinque millia conuenerant. cum ijs copijs Algezira obsessa est tertio Nonas Augusti. maris cura Castellæ & Aragoniæ classibus commendata. nam Lusitani ex quo ad Guadamecilum pugnatum erat, nulla arte retineri potuerunt, quin in patriam abirent. Obsessi nihil voluntate facturi videbantur, vrbis munitione, & numero confisi. octingenti enim equites, sagittarij ad duodecim millia propugnabant, non arcere vim modo sed etiam æquo congregi campo idonea manus. erumpentibus Mauris leuia prælia vario euentu commissa. Carthago arx vicinis locis Mauris erepta. à captiuo, cum pugionem militis arripuisset, ne Rex violaretur periculum fuit, suorum concursu seruatus. diurnam fore obsidionem prouidebatur. Cæsa, comportataq; materia opera ædificari cœpta, plus formidinis, quam vtilitatis allatura. Classis Aragonia interea mense Septembri reuocata est, specie Balearici belli quod Rex Aragonius comparabat, magno Regis Castellæ dolore. eius tamen precibus decem triremes Matthæo Mercero Præfecto, auxilio ex Aragonia missæ: quibus deinde totidem accesserunt, Iacobo Scriba Duce. Ciuis vterque Valentinus erat. D. Iacobi Magister diurna valetudine extinctus, belli, pacisque artibus, regiaque gratia ea tempestate clarissimus. is honos Friderico Regis filio, in ipsis castris delatus, rebus gerendis ætate nondum matura. Octobri mense tanta cælo missa vis pluuiarum, vt omnia corrumpentur: magnæ difficultates in castris essent, pecuniæ maxima: quam exhausta penitus prouincia, Alfonso ab externis Principibus mutuam petere compulsus est, Benedicto Pontifice, Rege Lusitano. Ad Gallum Egidius Toletanus ea causa legatus, quinquaginta aureorum millia impetrauit. e qua summa, viginti continuo repræsentata, alia certis pensionibus à mensarijs Genuensibus numerari mandatum. parum subsidij tantis molitionibus, sed regia constantia omnia victa. In vrbe magnis præmijs propositis de Regis capite, quo superstite quietem nusquam fore prouidebant, obsessi licitabantur. gratissimam superis victimam fore prædicabant: inimicum Maurico nomini Regem mactari. neque deerant qui eo facinore clari, aut nobiles euadere cuperent, nulla salutis propriæ cura, quæ sæpè magnis conatibus aduersatur. à pluribus in Regis necem coniuratum, vti ex Mauro, quem altero minore oculo  
 20  
 30  
 40  
 ceperant,

ceperant, intellectum est, ea mente in regia castra venisse. idem paucis post diebus duo alij Mauri, de ijs quæstione tormentis habita, professi sunt. Sed cæleste numen quos tuetur, hos ab insidijs & periculo eripit. Reges Mauri obsessis cupiebant opitulari. Marrocius se ad Septam tenebat Abderrahmani filij voluntate diffusus, cui noua moliri per idem tempus capitale fuit. Granatensis suis viribus totius certaminis sortem subire formidans, ne nihil videretur agere, manum militarem ad vastandum Astigitanos agros præmisit. ipse Palmam oppidum ad confluentes situm vbi Singulis, idest Xenil, Bati confunditur, diripuit, incenditque, præsidio occupare non ausus, neque diutius ijs in locis morari, quoniam finitimas vrbes arma expedire nunciatum erat. Manus altera Ferdinandi Aquilarij accursu oppressa, prædaque omnis quam copiosam agebant ablata. annus iam millesimus trecentessimus quadragesimus tertius agebatur  
 10  
 1343  
 nullo magno operæpretio ad Algeziram facta: opera tantum ædificata Horosco præfecto. agger institutus. lignæ arces circum urbem extructæ. vineæ atque arietes ad mœnia agebantur. sed tanti erant antiquitus rerum omnium apparatus, tantaque vis tormentorum in vrbe, vt nostrorum diligentiam eluderent, operaque missis lapidibus corrumpent. machinis admouendis locus importunus. milites neque consistere poterant propter locorum iniquitatem, neque inter opera sine periculo versari. Duo sunt in freto Gaditano sinus impares magnitudine, pares natura. minori Tariffa adiacet, maiori Algezira modico disita interuallo, cliuo imposita, ascensu arduo, faxisque impedito: in duas dissecta spatio interiecto partes, veterem nouamque præcipua mœnium firmitate: gemina extrinsecus fossa geminoque pomœrio, angusta regionibus. cæterum ea tempestate Africi in Hispania imperij sedes, eoque pulcherrima in paucis & nobilissima. Ad obsessos ne quidquam comœatus inferretur, mari terraque diligenter cautum: nisi qui lembi noctis tenebris tecti nostram classem elussissent. exiguum id famis leuamen erat.

*Algezira capta. Cap. XI.*

30  
**M**VLTIS diebus & laboribus haud magno operæpretio consumptis, nostri ancipiti cura suspensi absisterent ne incepto, quoniam frustra erat, an belli exitum expectarent, quo eatenus prospero vsi erant, dies noctesque cogitabant. Rex maximè pecunia consumpta, quam à Rege Galliæ, & Pontifice Romano mutuam acceperat (nam Lusitanus nihil contulit) annonæ inopia, imminuto numero, ne dedecus acciperetur, verebatur. cautiores de incundo cum hoste scedere consilium dabant. Pauone internuncio vltro citroque comœante, de pace primum, deinde de inducijs actum est. irriti ij conatus fuerunt: cum Rex Castellæ negaret, concordia conditionem vllam Granatensi fore nisi Africana amicitia renunciata: qua distracta, quid præsidij reliquum barbaro fuisset, aliena potius ope quam proprijs viribus stanti? Itaque Granatensis ea spe depulsus, ad Guadiarum viginti ab Algezira millibus passuum Kalend. Maij castra promouit: magis formidinis ostentandæ causa, quam quod pugna decernere delibatum

beratum haberet. Classis Maurica ad Septam erat numerosa, vniuersis Africa viribus contractis, ad trajiciendum primoquoque tempore parata. recentes ij veniebant: nostri diuturnis laboribus & difficultatibus fracti. Rem Christianam periculo proximam Diui tutelares Hispaniæ sustentarunt, perpetuaque Regis aduersus ingruentia mala, animi constantia, atque felicitas. nam vno tempore ex Anglia, Gallia, & Vasconibus numero & virtute valida manus venit. Eduardi Angli Regis permissu Comites Arbidi & Soluzberi: Fuxensis Comes cum fratre Bernardo ad opem ferendam ex locis disiunctissimis excitati sunt: spe veniæ quam Romanus Pontifex Clemens sextus Lemouicensis priori anno in Benedicti decessoris locum subrogatus, omnibus, qui pia arma caperent pollicebatur. Philippus ipse Vasconum Rex sub Iulij mensis finem, comœntu nauibus præmissis, copiisque sequi iussis magnis itineribus festinauit, ne prælio deesset, quod propediem fore fama ferebatur. Horum Principum aduentus Regi Castellæ, vt oportuit, gratissimus fuit: nostris cum spe certa victoriæ pugnandi animus accessit. Venerant ante Emanuel, Laraque, nouæque subinde militares manus tota prouincia submittebantur. vniuersi certaminis aleam Mauri subire detrectabant: Regique Albohaceno de ea re conuitio expoſtulant, responsum. Superiori prælio satis magnum documentum datum, quantum virtutis, & constantiæ in hostibus esset. numero nuper auctos fore validiores. Ex distantibus locis consilia afferri tempori & rebus non satis accommodata. Traijceret modò, non repugnatos eius voluntati. Seruasse exercitum sæuo reipublicæ tempore, quam prælio dimicasse, ducere maiorem gloriam. Interea inducias repetitis legationibus petere non desistebant. Expetentibus legatis, vt castra inuiserent datum. illi ordinem mirati, milites in partes tributos, artificium multitudinem, fora rerum venalium ciuitatis ad instar, præ nostrorum disciplina, earum rerum rudes se esse confessi sunt. neq; tamen induciarum spe vrbs oppugnatio intermittebatur. Excussa tormentis tela lapidesq; à nostris, barbari ex vrbe contrà ferreos globos cum igne & fragore, puluereque tormentario ei aculabantur, haud leui sæpe nostrorum damno. Huius tormenti mentionem, nunc primùm in historia factam inuenio. Mense Augusto Cerueræ in agro Vrgelitano, infans gemino capite, quatuor cruribus natus erat, prodigium vnde perniciem rebus portèdi superstitioso homines ingenio sibi persuaferant, infantis cæde auerruncari placuit. viuus sepultus. in parentes, quoniam ijs volentibus factum erat, patrieidij lege est actum. Ipso anno Robertus Rex Neapoli supremum diem obiit, litterarum studijs & amore, quam rebus bellicis clarior. eius enim illa vox fuit. Dulciores sibi littèras regno esse. Ad Algeziram redeamus, vbi externi milites, quorum animus impetu valet, mora consenescit, è castris autumnò discesserunt. Angli proceres à suo Rege euocati (sic videri voluerunt) Fuxensis Comes stipendijs tenuitatem caussatus (sic fama tulit) nos cæli Bætici per æstatem inclementiam ægrè tulisse, morbis, & laboribus fractos, patriam appetiuisse suspicamur. nostram coniecturam euentus comprobauit: nam Fuxensis Comes Hispali in reditu obiit. Philippus Vasco Regis Castellæ voluntate è castris digressus Cæsariani: vterque mense Septembri. vtriusque corpus in patriam relatum. Ea re Mauri incitati

incitati mutato consilio, prælio decernere statuunt. Sexaginta triremes Mauricæ Octobri mense ad Steponam appulsæ, mox Heracleam tenuere. è terrestres copiæ posuerunt castra. ad Palmonem amnem interfluentem, vtrasque copias cum semel, iterum & tertio ex interuallis accessissent, in transitu prælio pugnatum est. non animo, non armis, non bellica disciplina, non corporis robore par Hispano Maurus fuit. breui victi, fusique hostes. in vrbe suprema annonæ penuria erat. triremes vna & altera comœntu onustæ à nostra classe interceptæ. quinque tantum Myoparones ineunte anno millesimo trecentesimo quadragesimo quarto in vrbem penetrarunt: reuersique in Africam diutius sustentare non posse renunciarunt: aut pereundum omnibus, aut vrbem dedendam. ergo continuò de ineundo foedere actum. Martij mensis vigesimo sexto die deditio his conditionibus facta. Vt Granatensis qua ante belli tempus lege Castellæ vectigalis esset. Obsessis incolumitas, & cum rebus suis quo velent, discedendi data facultas. Induciæ decennales cum Mauris Regibus pactæ. Foedere sancito Mauri in Africam frequentes concesserunt. Castellæ Rex in vrbem solenni supplicatione ingressus, sexto Kalend. Aprilis, proxima luce templo maximo Mahumetanæ superstitionis fordibus expiato. D. Mariæ Palmæ nomen indidit: quod Dominicus Palmarum dies esset. In eo templo ingenti omnium lætitia & gratulatione, sacra ex ritu Christiano peracta sunt. agri militibus dati, è domicilium transferre, propter locorum amœnitatem certatim cupientibus. Rebus omnibus constitutis Hispali Rex abiit. In ea vrbe ab Eduardo Rege Anglo per legatos de nuptijs, Petrum inter Alfonso filium iustum, & Ioannam Angli filiam appellatus, in præſenti quidem annuit: deinde tamen pactæ nuptiæ, non coaluerunt: vt sunt fluxe Principum voluntates, & ex commodo sæpè mutantur, nulla fidei cura. Duæ Albohaceni filia superior ad Tariffam prælio captæ, ad patrem remissæ. id promerendo barbaro Regi datum. neque vinci is munificentia passus est. legatos continuò amplaque munera ex Africa ad Regem misit. Victoriæ fama per Hispaniam, atque adeo Europam vniuersam pios omnes gaudio compleuit. confectum Mauricum Belolum. duos Reges superatos. vires Africae concussas. ergo ij omnes dies festos agere. omnis ætas, sexus, ordo adire templa, vota soluere: nullum lætitiæ, religiosæque gratulationis genus prætermittere, quod ad ostentandam conceptam animis lætitiæ pertinere iudicarent.

*Bellum Balearicum. Cap. XII.*



VO hæc tempore in Bætica gerebantur, Aragonia arma mota sunt: Rexque Balearis paterno imperio est eiectus, in quo præsidium esse debuit, summa Aragonij Regis iniquitate, atque perfidia. Dira ambitio dominandi transuersum egit, ne propinqui Regis calamitate moueretur: aut quid homines iudicaturi essent, consideraret. Mompellerium nobilis & lauta ciuitas in Gallia Narbonensi, Magalonæ Pontificibus olim subdita fuit. ijs siue concedentibus, siue dissimulantibus peculiare eius vrbs Principes extiterunt Pontificum beneficiarj.

eo principatū ad Aragonios primū, deinde Baleares Reges deuoluto, vti superius est demonstratum, Magalonæ Pontificum auctoritas contemni sensim abrogarique cœpit. vis Regum & libido, non ius aut æquitas valent. illi cum pristinæ auctoritatis locum recuperare non possent: quod proximum erat, vindictæ studio Gallis Regibus, vr̄bis eius imperium pretio vendiderunt ante quinquaginta amplius annos. Eo Galli Reges iure innixi, Reges Baleares sollicitare non desisteabant, vt quasi beneficiarij fidem sacramento firmarent: ciuibus Lutetiam prouocandi libera facultas esset. Negare illi, detrectareque imperium non exoletis vetustate annalium tabulis & exemplis imperia constare, sed recentissimæ consuetudinis vsu. Quod datum non erat Magalonæ Episcopis, neque Galliæ Regibus concedendum, quippe illorum Vicarijs. vis admota. contributa Mompellerio oppida, Gallicis præsidijs occupata. Rex Balearis arma expedit. Aragonij imperij beneficium Aragonijs armis defendi postulat, speratque. Rex Aragonius profunda calliditate, immensaque ambitione Gallo gratificari magis velle visus est, Regem propinquum per se imbecillum externo præsidio destitutum, præda fore prouidens cupiensque: tamen de ferenda ope appellatus, speciosa verba dabat, nihil præterea. mutuo colloquio habito ita se facturum, quæ postulabantur, respondit: si iure agere Gallus recusasset. in eam rem missi vltro, citroque legati, distinendi animo, nulla opitulandi voluntate. Quæ vt honestatis specie velaret, graui crimina misero Regi imponenda curauit. Regis cum Aragonij imperium detrectare. Neque vocatum ad comitia venire. Insolenti forma & pondere monerem, quod nefas erat, Perpiniā percussam. In Aragonij Regis necem Barcinone, quo per fidem colloquij venerat, conspirasse. index Regina ipsa Constantia Balearis vxor de fratre sollicita. Demum cum Gallo, Italis Principibus, ipso Marrocio Rege fecisse foedus aduersus Aragonium. Hæc accusationis capita fuerunt, siue vera, siue conficta: vt fama tulit, cui calamitosi Regis exitium fidem conciliauit, iniuria fuisse oppressum. Hæc fatalis disidij initia: quæ Romanus Pontifex, Sanctia Regina Neapolitana, vtriusque Regis propinqua sopire conati nihil profecerunt. Et erant vt in exiguis principatibus fit, Baleares cæterique minuto Regi, subditi populi, nouis subinde vectigalibus oppressi. quorum cum modum non sperarent, imperium mutari haud ægrè laturi erant. Ventum ad arma. Petrus Moncada maris Præfectus ab Algeziræ obsidione reuocatur, vti paulò ante dictum est. Classè valida comparata, in qua centum & sedecim maiora, minoraque nauigia erant. ad Rubricati promontorium Aragonius soluens maiorem Balearem tenuit. insulani trecenti equites, pedites ad quindecim millia congregantur, collectitius exercitus, parumque roboris habiturus. Victus continuo Balearis Pontiam vr̄bem se recipit: deinde rebus desperatis in continentem abiit. & erant insulæ voluntates in Aragonium propensæ, omniaque victori procliuia. Insulis in fidem acceptis, atque Arnaldo Erilo rebus præfecto, Aragonius cum classè Barcinonem sese retulit. Ruscinonenses & Ceretani in extrema Hispaniæ ora bello petiti vastitas illata agris. aliquot oppida capta. Cardinalis interuentu, quem Pontifex incundæ concordie cura ad eos Principes legarat, ab armis tantisper cessatum.

cessatum: & hyems appetebat, machinæque oppidis impugnandis idoneæ allatæ non erant. Transacta hyeme, menseque Aprili, ipso huius seculi anno quadragesimo quarto, bellum maiori conatu instauratum est. agri incensi. corruptæ segetes. oppida & vr̄bes, quæ vi, quæ voluntate expugnata. Balearis intimi, vt Aragonij fidem, quàm vim experiri mallet suadere. negare alij, procacibus verbis probare fidem cupientes, moriturosque se antea denunciare, quàm in hostis potestatem venirent, ante bellum feroces, in periculo ignaui. Regis animus in varias cogitationes distrahi. pudebat libertatis studium maius apud quenquam esse, quàm apud se. virium imbecillitate terrebar, vno Perpiniā ferme relicto. anceps animus ad tutiora tandem, quàm honestiora conuersus, Petro Exerica sermonum ministro in potestate se Aragonij futurum dixit: salutem libertatemque pactus modò. regni recuperandi à clementia victoris spe an iniecta an præsumpta temerè, mense Iulio accepta fide in Aragonia castra, quæ ad Elenam vr̄bem erant, Perpiniā venit, proceribus tum suis, tum Aragonijs comitatibus. Ad Regem deductus in genua procumbens dextram deosculatur. mox alleuatus: Erraui, inquit, Rex inuicte, erraui. error tamen perfidiæ culpa vacat. Quod imprudentia peccatum est, clementia virtus Regum, hoc est, tua propria condonare debet Regi supplici, propinquo, necessario: præterea quatenus rationes nostræ tulerunt, vestræ maiestatis in paucis studiose, nouisque & maioribus officijs in posterum superiores offensas compensaturo. Peccato, in vno non semel peccatum fateor: sed tunc præcipua clementiæ laus cum iræ causæ iustissimæ. Alioqui tuus sum: de me ditioneq; mea, vt libet statue, benignè (vt spero) memor modò rerum humanarum inconstantia. Ad hæc Aragonius fallaci eblanditur vultu. peccatum excusat. pœnitentia veniam promereri ait. Verbis contraria fuerunt facta. aliquanto post Barcinone procerum consilio aduocato, Baleari regium nomen honoremq; detrahit. annum vectigal constituit, vnde vitam sustentaret. Tum ille, quàm grauis casus ex regno esset reputans: deceptumque se sua opinione, blandisque Exericæ verbis tandem intelligens magnis præsidijs nudatus, de integro resumit bellum. In Galliam profugus Clementem Pontificem primū adiit: & quoniam in eo parum præsidij fore prouidebat, ad Gallum Regem, vnde tempestatis initium extiterat, supplex confugit: & in belli sumptus Mompellerij principatum, de quo contentio erat, pretio centum millium aureorum vendit. Gallus & Pontifex egeni & profugi patrociniū suscipiunt: segnius tamen cunctantiusque, quippe in alieno periculo. Ipse bello reperito, Baleares, Ceretanos, Ruscinonensesque inuadens magnis conatibus, nihil aliud quàm vitæ exitium peperit, quinque post annis in Baleari maiori acie ab Aragonijs victus cæsusque. Is fuit calamitatis exitus. honos supremus extincto est habitus. Corpus Aragonij Regis iussu Valentia translatio funere tumulatum. Filij tum ipsius, tum Ferdinandi fratris, paulò ante belli tempus defuncti, alieni criminis, si tamen crimen fuit, pœnas luerunt: capti, profugi, egeni, sine lare familiari vagantes. quod iniquissimum plerisque visum est, præsertim iure regnandi innocentes filios propter vlla parentum peccata spoliari. Ipso anno, quo Algezira capta est, & Rex Balearis regno decidit, Olisipone ad oram Oceani, terra horrendo fra-

gore mouit. magna mortalium trepidatione ædificia concussa: templi maximi  
 fornix collapsa. maioris id mali omen initiumque extitit. Constantia Emanue-  
 1 3 4 5 lis filia, Petri Lusitani vxor, morbo extincta est, proximo anno millesimo tre-  
 centesimo quadragesimo quinto. eo minori suo virique dolore, quod Agnetis  
 Castriæ, quæ in obsequijs Constantiæ erat, eximia formæ venustate, amoribus  
 indulgebat: atque ita vt eam iustæ propemodum vxoris loco cultuque habe-  
 ret. quod nefas impiumque erat, Ludouico Petri filio, qui in primis annis de-  
 functus est, ab ea ex sacro fonte suscepto. Ferdinandus præterea Mariaque Pe-  
 tro ex Constantia nati erant.

*Intestini Aragonia motus. Caput. XIII.*



EX Castellæ peracto ex sententia bello Maurico, maxima cura-  
 rum parte leuatus ad vindicandas iniurias magistratum proce-  
 rumq;, quas sæuo reipublicæ tempore multas & graues existere ne-  
 cesse fuit, animum conuertit. Ea verò in primis cura sollicitabat,  
 Castellæ & Legionis exemplo, Beticos & Carpetanos inducere, vti vectigal ex  
 rebus venalibus exigere darent. alioqui res tranquillæ erant, opima pace vniuer-  
 sa prouincia florebat. Nouorum in Aragonia motuum causæ extiterunt. pra-  
 uo & inquieto Rex Aragonius ingenio, bella ex bellis ferendo imperium am-  
 20 plicare satagebat, maiorum importunis donationibus regni vires debilitatas,  
 maiestatem imminutam accusans: successuq; ferox pulso Baleari Rege, in Iaco-  
 bum fratrem germanum iram vertit in Balearum, subeunte post calamitatem  
 misericordia propensum. præterea suspecti inuisiq; dominatibus sunt, qui pro-  
 ximè substituuntur. Iacobus veteri gentis instituto (sic nonnulli disputabant)  
 regni successor fore prædicabatur, Constantia, Ioanna, Maria, quas Rex ex vxo-  
 re genuerat, paterna hæreditate exclusis. eòque Vicarius regni creatus, proce-  
 rum & populi studia sibi adiunxerat, bonis artibus fraude nulla. Rex ad se vo-  
 catum regni procuratore abire iubet. raptim & perturbatè aguntur omnia:  
 1 3 4 6 eò amplius, quod salutis anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto Ara-  
 goniæ Regina sanctissimis moribus foemina, eòque viro dissimilis, quinto à  
 partu die, quo filium breuis æui, nempe vno die victurum enixa erat, extin-  
 cta est. breue gaudium dolori permixtum tota prouincia fuit. defunctæ cor-  
 pus Valentia in Vincentij æde tumulatum. ipsa Populeti ad vetera Regum  
 sepulcra mandarat. Proles masculæ suscipiendæ cura, intestinis motibus pa-  
 candis, de regijs nuptijs continuo actum est. missi in Lusitaniam legati Eleo-  
 noram à Rege patre in coniugium expetitur. eandem nuptias Ferdinandus  
 frater ambiebat, Castellæ Regis auunculi fauore & flore iuuentutis nixus.  
 Vicit in contentione, vt necesse erat, Aragonius: annitente in primis Ioan-  
 ne Emanuele, qui Eleonoræ Gusmaniæ, eòque Regi Castellæ infensus, se  
 40 totum voluntate ad Aragonium contulerat: Ioannamque eius patrualem  
 Raymundi Berengarij filiam filio suo Ferdinando connubio iungendam  
 nuper curarat, atque perfecerat: tres regias arcta propinquitate comple-  
 xus, eòque cæteris per Hispaniam proceribus validior. Proceres Aragonij  
 & Valen-

& Valentini cum plebibus tumultuari cœperunt, conspiratione facta, libera-  
 tem iuraque prouinciæ armis etiam, si opus foret tutaturi. offensionis præci-  
 pua causa obtendebatur, quod Iacobo Vrgelitano abdicare compulsus, Con-  
 stantiæ Aragonij Regis filia nomine, quasi hæredis futuræ leges edictaque  
 sancirentur. Semen Vrrea, Petrus Coronelius, Blasus Alauona, Lupus Lu-  
 na Segorbij principatu, & Violantis, quæ Regis amita erat, nuptijs præ cæte-  
 ris eximius, libertatis conseruatores designati. Iacobo Vrgelitano, vt necesse  
 erat, primæ partes datæ sunt. Ferdinandus Ioannesque eius fratres è Castella  
 vbi Aragonij voluntate diffisi se cum matre tenebant, litteris nuncijsque euo-  
 10 cantur. rem suscipientibus, quingenti equites ab auunculo Castellæ Rege præ-  
 sidij causa adiuncti sunt. Aragonius non ignarus ciuilibus bellis irritatæ mul-  
 titudinis quantæ sint vires, valere impetu, mora consensescere, regni conuentus  
 Cæsaraugustæ habendos curat. in ijs conuentibus gentis pacandæ studio ma-  
 gis quàm syncera voluntate, rescisso priori decreto, Iacobo fratri regni procu-  
 ratio restituta à Rege est, regniq; hæres renunciatur. Ex ijs rebus reddita rei-  
 publicæ pax, lux rebus ipsius Iacobi obitu, qui mox accidit, conturbata est. Ara-  
 gonijs nouas nuptias maturandi studio Barcinonem abiit, quod sponsam classe  
 vehendam ab extrema Lusitania curarat. eodem Vrgelitanus appulsus de-  
 functus morbo est sine anni millesimi trecentissimi quadragesimi septimi. fa-  
 20 ma tenuit noxio infectum medicamine. affectati regni suspicio malo fuit.  
 nullo sanè præcipuo apparatu nuptiæ celebratæ, vniuersa prouincia præ-  
 senti luctu & impendentis tempestatis metu occupata. Iacobi corpus in ea  
 vrbe ad D. Francisci sepultum est. Ferdinandus & Ioannes fratres, qui so-  
 luto Cæsaraugustano conuentu sese in Castellam retulerant, consilio cum ma-  
 tre & auunculo Rege Madriti communicato, duces se coniuratis populis præ-  
 buerunt. Octingenti equites è Castella abs Rege dati. Ferdinandus Valen-  
 tiam tenuit. Ioannes Cæsaraugustam. Regina mater Conchæ & Requenæ,  
 vbi frequens morabatur, de belli euentu filiorumque salute sollicita substi-  
 tit. missi inter Reges legati: è Castella Portocarrerius amicitia inter fra-  
 30 tres conciliandæ studio: ab Aragonio Thaustes iniurias expostularum, &  
 ne rebellium partes tueretur expetitur. vt sexcenti Castellæ equites Ara-  
 gonijs stipendijs, ductore Aluaro Albornocio conducerentur impetratum.  
 Aragonius non absque fugillatione maiestatis penè supplex, & quasi in re-  
 bellium potestate futurus Valentia præsto fuit. Parum absuit quin violare-  
 tur. regij & populares voluntatibus inter sese diffisi, obseruare inuicem sermo-  
 nes, vultum oris inter se habitumque notare, conuictijs contumeliasque initium  
 pugnae occasionemq; captare. inde seditione facta ventum ad arma. In regiam  
 ipsam irrumpitur. magna aulicorum trepidatio fuit. Rex equum conscen-  
 dere, & in populum se dare compulsus, commotam multitudinem pacat.  
 40 Ferdinando datum, vt Rege superstite vicarius, defuncto successor, filiabus  
 exclusis esset. foedus metu expressum, haud diuturnum esse poterat. Re-  
 ge digresso Lupus Luna, qui se iam ad Regem traduxerat, ab armis non  
 desistebat, infensus importunusque coniuratis hostis, Regem dissimulante pri-  
 mum, deinde annuente. Ad Darocam vicinaque loca castra erant. Ferdi-

nandus vt Lunæ conatus comprimeret, cum copijs Cæsaraugusta profectus, equitum peditumque quindecim millibus ad Epilam, prope Salonem fluuium, qui vulgò Xalon est, castra promouit. oppido potiri non potuit, propter loci firmitatem. ager incensus. segetes maturæ corruptæ. regionum concursu collatis signis dimicatum. coniurati milites seditioni magis quàm iusto prælio idonei, victi profligatique sunt. Semen Vvrea, alijque viri principes ceciderunt. Ferdinandus ipse Dux accepto in facie vulnere in hostium potestatem venit, ab Alvaro Albornocio, cui custodiendus datus erat, fraternæ seueritati substractus, dimissusque in Castellam, Lupo Luna siue inscio, siue dissimulante alternantibus, vt in ciuili bello, voluntatibus. Regi satisfecisse declarat, 10  
Comitis Lunæ honor nouo in Aragonia exemplo Lupo collatus, merces operæ strenuæ. Secundum eam victoriam peruia omnia Aragonio Regi fuerunt: Cæsaraugustæque pace reuocata conspirationis & res & nomen sublatum. regni hæreditas Ferdinando sancita. Iustitiæ Aragonum auctoritas amplificata. ne à Regibus libertas pessundaretur eo magistratu veteri gentis more cautum erat. Hæc salutis anno millesimo trecentesimo quadragesimo octauo in Aragonia gerebantur. Qui annus peste grauisissimus fuit. vis mali Orientis prouincias initio afflixit: deinde in cæteras regiones grassata, Italiam, Siciliam, Sardiniam, Balearesque, Hispaniæ tandem prouincias vrbesque omnes vexauit. prorsus vt Octobri mense Cæsaraugustæ in rationem Libitinæ trecenta funera 20  
quotidie venirent. aeris vitium, curatio ipsa & contactus ægrorum vulgabat morbos. infecti tabo, aut neglecti moriebantur, aut absidentes curantesque eadem vis morbi inuadebat. ita assuetudo mali animos efferarat, vt exhaustis lacrymis insepulta, strataque corpora iacerent: miserandaque rerum facies per vrbes & oppida tota Hispania erat. Eleonora Aragoniæ Regina Exerica, quo Rex se contulerat contagionis metu, extincta per idem tempus est, nulla ex se prole relicta. Corpus in eodem oppido subitario funere sepultum. tertijsque nuptijs locus Aragonio relictus, prole felicioribus. In coniuratos Valentinus nondum quiescentes in omnes armis, in singulos victoria parta grauisissimis supplicijs sæuitum: vt pœnæ magnitudo cæteros perterreret, documentoque 30  
esset, Regum iracundiam haud temerè irritandam esse.

*Calatrana dissidium compositum. Cap. XI III.*



**A**LATRAVAE milites Castellæ atque Aragoniæ inter se dissidebant, studijs voluntatibusque pro vno duo ordinis Magistri, Calatrauæ alter, alter Alcanitij. Gasias Lupus eius ordinis Magister, ante viginti amplius annos multorum criminum legeque maiestatis postulatus, minore Rege rempublicam prædæ, ordinem ludibrio habuisse, vnde graua incommoda extiterant, vniuersi ordinis perturbatio, 40  
ab Alfonso Castellæ Rege in ius vocatus iudicij metu in Aragoniam abiit, siue ex mala cōscientia digna metuens, siue hostium potentiæ & fraudibus, vt par esset veritus. nam militum potentissimi & nobilissimi ad accusandum accesserāt. ea prima diuturni dissidij causa fuit. cum enim Aragonij Regis fauore Alcanitij,

tij, quod oppidum ei ordini contributum est, Magistri nomen auctoritate inquireretur, agente Castellæ Rege absens damnatur, graduque deijcitur. in eius locum Ioannes Nunnus Calatrauæ sufficitur: quem fama ferebat furto genitum ex Blanca Regis Lusitaniæ amita, virginum collegio Olgis prope Burgos præfecta. Cistercienses Abbates, quibus in eum ordinem inquirendi veteri instituto potestas erat, noui Magistri electionem ratam habuere. Neque se tamen propterea Aragonij milites deserunt, neque noui Magistri auctoritati cedunt: quin Lupo Magistro defuncto Alfonso Peresum in eius locum substituant. accessit Morimontensis Abbatis consensus, cuius ex partes erant, siue 10  
voluntarius, siue expressus. Tentata sæpe ineundæ inter milites concordia via: nam discordiam fore exitialem vtraque pars prouidebat. missis ea causa inter Reges legatis, nihil ad hoc tempus profectum, cum Peresio defuncto Ioannes Ferdinandus Alcanitij in eius locum electus est. priusquam ea electio rata firmaque esset, Regibus agentibus Castellæ Aragoniæque, vterque Magister Cæsaraugustam, quo tempore Aragonij conuentus habebantur, alijque ex vtraque natione milites conuenerunt. causa dicta Rege ipso Aragoniæ disceptante, secundum iura & merita Castellæ pronunciat: legeque in posterum sancitur, eum ordinis Magistrum ritè institutum haberi, quem eius ordinis milites Calatrauæ iussissent. Ioanni Ferdinando Alcanitij cura commendata, cum honoris prærogatiua cæteris Aragoniæ militibus prælato. ea 20  
ablata supremæ potestatis compensatio fuit. cautumque ne in eum cæterosque Aragonios milites, dum ipsi viuerent, quidquam statuendi ordinis Magistro potestas esset, nisi Populeti & Viruelæ Abbatum consilio. inuidia ne malo esset prouidebatur. Sic concordia sancita inter Calatrauæ milites, sublataque dissidia sunt Augusti mensis vigesimo quinto die, vt sunt varia hominum iudicia, Castellæ Regis gratiæ datum, non ad iuris rigorem expensum nonnullis vituperantibus. Ipso tempore Ludouicus Claromontis Comes Alfonsi Cerdæ cognomento Exhæredis, ex Ludouico filio nepos classem ad Catalauniæ littora adornabat, Regis Aragonij permissu opeque, Pontificis Romani concessu, qui ei ante biennium Fortunatas insulas attribuerat ea lege, vt barbaris gentibus Christianæ religionis lumen inferendum curaret. De earum insularum situ, natura, numero, & quo tempore subditionem Regum Castellæ concesserint, pauca vt exponamus res videtur postulare. Egressis Gaditani freti fauces ad læuam in mari Atlantico iacent numero septem, ab Occasu ad Ortum ordine porrectæ, à media cæli linea septimo & vigesimo gradu distantes. Quæ maxima est, Canaria vocatur. inde cæteris eadem appellatio facta. Solum frugibus & pecori bonum: aduectorum cuniculorum multitudo tanta, vt exitio vineis & segetibus sit, aduexisseque pœniteat. In ea cui Ferrariæ nomen est, nulla terra aqua præter 40  
eam, quæ ex arboris folijs liquitur. miram naturæ ac reconditam varietatem. Ludouicum sanè, cui ab eo conatu Fortunæ cognomen est factum, quamuis classe comparata, imperioque attributo in eas insulas nunquam raieuisse constat. bella Gallica cladesque Philippo Regi Galliæ ad Cresiam inflicta impedimento fuere. Post quinquaginta circiter annos Cantabri &

bri & Bætica collatis sumptibus ad eam expeditionem excitati, in eas insulas classe appulerunt, prædæ auidiores quam imperij, ferro flammaque minitantes insularis. Ex Lanceroto prædæ vis magna in Hispaniam aduecta Regibus eas insulas subiugandi cupiditatem iniecit. impliciti tamen rebus alijs eo conatu destiterunt. Ioannes Bentacurtus homo Gallus Henrici eo nomine tertij Castellæ Regis permissu, eaque lege, vt in eorum Regum clientela fideque esset, repetita nauigatione quinque minores insulas imperio subdidit. duas reliquas expugnare non potuit, insularum numero & virtute defensas. Episcopus genti datus Mendus nomine. hunc inter & Menautum Bentacurti hæredem cum non satis conueniret, & res ad arma spectaret, indignè ferente Episcopo miseros insulanos prædæ haberi, nulla æquitatis cura, nulla religionis reuerentia: Petrus Barba à Rege Castellæ eò dimissus, earum insularum imperium sibi asseruit, deindeque Perasæ homini copioso pretio vendidit. Perasæ gener Ferrerius in regium etiam nomen inuasit. Canariam tamen & Tenarifem subiugare non valens, quatuor insulas Ferdinando Regi Catholico tradidit, accepta pecunia, vnus Gomeræ principatu, Comitisque appellatione contentus. Ab eo Rege, vt fuit inter Hispaniæ Reges felicissimus, omnes eæ insulæ repetitis nauigationibus in ius regium ditionemque redactæ. ad intermissa redeamus. Anno sanè millesimo trecentesimo quadragesimo nono Eleonora Ludouici Regis Siculi (qui in minori ætate Petro successerat, Friderici nepos) soror natu maxima, matre concedente, Valentiam nauibus aduecta in ea vrbe, effusa totius gentis lætitia, Regi Aragonio connubio iuncta est.

*Alfonsi Regis Castellæ obitus. Cap. XV.*



**I**N Africa per idem tempus grauissimi motus concitati erant. Abohanenus patris Albohaceni imperio repudiato Phuthense regnum in Africa, in Hispania Heracleam, Arundam, & quidquid Afris reliquum eo tractu erat, armis præsidijque occupauit, perfido pro more gentis ingenio, paternaque iura contemptui habens præ cupiditate imperandi, neque fraternæ cladis exemplo cautiore. Patris ignauia cum magno dedecore nominis Maurici, priores calamitates acceptas esse accusabat: si se duce considerent, iniurias vlturum. Ad eas voces vulgus nouarum rerum auidum, vitio humanæ naturæ, futura præsentibus commodiora fore sperabat: quæ leuitas maximè Afrorum genti est innata. Res inter Mauros turbatas, suam occasionem nostri facere cupiebant. sacramenti religio opponebatur, qua decem annorum induciæ firmatæ erant. sed Principis mutatione, quasi diminutione capitis exoluta esse, prudentioribus videbatur. belli instaurandi studium instigabat, expugnandique Heracleam, cuius munitio nostrorum conatibus quasi frænos iniiciebat. Pecuniæ conquisitio sollicitum Regem habebat: non desperabat tamen prouinciales quinquennij iam pace recreatos, pro se quemque suppeditaturos. inimicæ gentis extirpandæ studium inflammabat: vnde sæpe in fraudem multitudo impelli consuevit.

regni

regni conuentus Complutum in Carpetanis indicti. multæ ciuitates vniuersa ditione præter morem euocatæ, Bæticæ & Carpetaniæ hætenus à belli oneribus magna parte immunes: quod Mauricis incursionibus obnoxie iniurijs propulsandis magnos sustinere sumptus necesse habebant. nunc specie honoris obiecta in fraudem impulsæ sunt. Nam summa contentione agebatur, vt Castellæ & Legionis exemplo, quasi partito inter omnes onere, vectigal penderent ex rebus venalibus. In his Toletani ciues ad conuentum venientes, proximum honoris & auctoritatis locum deberi sibi disputabant. restitere magno animo Burgenses possessione meliores, ancipiti causâ. Ab illis ciuitatis amplitudo, vetustas, nobilitas, templi celeberrimi sanctitas, Præsulis, qui cæteris per Hispaniam Episcopis iura daret maiestas, præclara maiorum facta ad victoriæ argumentum vertebantur: Gotthorum tempore regiam urbem fuisse: recenti memoria imperij titulo auctam. iniquum videri, quam diui hominesque prætulissent, ipsaque natura loci in vmbitico Hispaniæ, locisque maximè editis, vnde diuortia aquarum sint, positam: eam de dignitate cuiquam vrbi concedere: atque ea maximè causâ ad conuentum euocatam videri, vt ludibrio omnibus esset. Quod Burgenses postularent, eodem se iure reliquas ciuitates tueri posse: postremumque ipsi locum, idque precariò relinquere. Causam communem omnium esse: Toletique ignominia vniuersæ Hispaniæ dedecus contineri. Ad hæc Burgenses Castellæ se prærogatiua tueri, vbi principem ipsi locum occuparent. antiquissimæ possessionis iura proferre. contra quæ exoleta vetustate exempla nihil valerent. Si de honore certandum sit, vnde instaurandæ religionis principium, vnde Mauricæ gentis profligandæ spes factæ? Eo merito Regum priorum domicilium fuisse æquum non esse in pace eripi, quem armis, multoque suorum sanguine, honoris gradum tenuissent: teque Rege à maioribus tuis data priuilegia, nulla idonea causâ abrogari. Proceres in ea contentione diducti in partes: vt quisque propinquitate aut alia necessitudine alterutram ciuitatem attingebat. ac nominatim Ioannes Emanuel Toletanis aderat, Burgensibus Lara. neutri alteris concedebant. Disceptata causâ conuenit tandem, vti Burgensibus honoris locus, & primi suffragij ius relinqueretur: Toletani sede discreta à cæteris exaduersum Regis posita priores nominarentur, Rege ad hunc modum pronunciante: Quod ego iussero, Toletum faciet: idque eius nomine dico. Burgenses loquantur. ea arte, eoque temperamento, controuersia in præfenti sedata: quod ad nostram ætatem perpetuo more conseruatum est. Sic sæpe popularis offensionis non maiora remedia, quam causæ sunt. Octodecim vrbes & municipia regijs Castellæ conuentibus interesse solent: Burgi, Soria, Segobia, Abula, Vallisoletum, Castellæ omnes. ex Legionensi diuione, Legio, Salmantica, Zamora, Taurus. è Carpetanis Toletum, Concha, Caraca, Madritum. ex Bætica & Contestanis Hispalis, Granata, Corduba, Murcia, Giennium. In his Burgis, Legioni, Granatæ, Hispali, Cordubæ, Murcia, Toletum, quoniam regnorum capita sunt, sedendo, dicendoque sententias, certi loci præscripto ordine definiti sunt: cæteris vt in conuentum veniunt promiscue. tametsi in Complutensibus conuentibus multo plures ciuitates interfuisse memo-

rantur, Rege eo honoris blandimento inter plures communicato, vniuersæ  
 prouinciæ voluntates promereri studebant. Actum de vectigali. negatum ini-  
 tio. nam quæ in posterum imminerent incommoda, prudentiores auguraban-  
 tur. victa tandem eorum qui restiterant constantia, Toletanis præsertim af-  
 sentientibus: qui nouum quamuis initio vectigal pendere reculantes, ærarij  
 tandem inducti inopia, bellicque instaurandi cupidi, cum reliquis consensere.  
 Communi sententia, incredibili alacritate bellum in Mauros decernitur. ma-  
 gni delectus tota prouincia haberi: arma, tela, equos, comæatum, pecuniam  
 comparare. iusto conflato exercitu in Bætiam itur. Heraclea obsessa: magnis  
 munitionibus operibusq; septa, & ad omnes casus parata. noua laborum facies: 10  
 ardua vrbs mœnia, excelsæ turres, validum præsidium opponebatur. multi  
 Afri ad famam nostræ expeditionis congregati. Ferro flammaque amœnissi-  
 ma circum urbem ædificia consumpta: si damno rerum suarum obsessi ad mu-  
 tandam fidem traherentur. opera admota, mœnia concussa. obsessi lapidibus,  
 telis, facibus, propugnare. Maurorum animi sensim languere, spe defensionis  
 abiecta, propter vigentes Africæ motus: oppidani præsertim, ne capto per-  
 vim oppido nulla vltra venia esset: nam milites minori venturi cura perita-  
 bant. trahebatur tempus. Missi antea à Castellæ Rege legati, pacem & auxilia  
 ab Aragonio Rege expetitur, redierunt in castra, adiuncto Bernardo Cabre- 20  
 ra: quem ea ætate grauem sapientemque virum fuisse constat, eoque Arago-  
 nium eius consilijs potissimum rempublicam gubernasse, non sine multorum,  
 vt necesse erat inuidia, à secessu in quem se contulerat otij cupiditate, ad pu-  
 blicas curas extractum. Fœdus inter Reges ad quartum Kalend. Septembris  
 his legibus sancitum est. Eleonoræ Reginæ & filijs integra essent, quæ pater  
 testamento donarat. Nullum in Rege Castellæ auxilium ijs fore ad motus in  
 Aragonia concitandos. Decem triremibus, quadringenti sagittarij ex Arago-  
 nia missi. Dux Raymundus Villanus. Ioanna Regina Vasconum, quæ à mor-  
 te viri quinque amplius annos regnum tenuerat in Gallia, vbi se tenebat, ad  
 confluentes Oysis & Sequanæ morbo oppressa decessit pridie Nonas Octo-  
 bris. Corpus ad D. Dionysij coniuncto cum patre Hutino, sepulcro composi- 30  
 tum. sanctissimis moribus fœmina, proleque numerosa felix, Carolum eo no-  
 mine secundum, annos septendecim natum, successorem reliquit. præterea mi-  
 nores filios Philippum, & Ludouicum cui Dyrrachij principatus dotalis po-  
 stea fuit. filia Ioanna, Maria, Blanca, Agnes, magnis Principibus iunctæ fue-  
 runt. Maior Rhotomagensi regulo. Aragonio altera. tertia Philippo Valesio  
 Gallia Regi postremis nuptijs. omnium minima Fuxensi Comiti coniux da-  
 ta est. Ioannes Confluentius homo Gallus eximia nobilitate Vasconum rei-  
 publicæ pro absente Rege Præfectus erat. Interea ad Heracleam nostri in spem  
 venerant oppidi potiundi. mœnia munitionesque retardabant. Granatenses  
 Mauri incurfabant, insidias tendebant, carpebant dispalatos. eruptiones ex 40  
 oppido factæ. leuia sæpe prælia commissa. fame tamen obsessos opprimi, ne-  
 que diu sustentare posse perspectum erat. Pestis lues repente in castris vulgata,  
 opem Mauris attulit: nostrorum rationes conturbauit. multos indies morbi  
 contagio absumebat. prior alacritas metu, luctu & mœrore mutata. magnam  
 rerum

rerum humanarum inconstantiam. Ioannes Lara, Ferdinandus Emanuel pa-  
 tre defuncto Villenæ regulus, auctores discedendi erant. auersantibus superis,  
 alieno anni tempore, conatus fore exitiales. postremò necessitati cedendum.  
 Furori proximum fore contra spem in exitium ruere. Ad has Rex voces com-  
 moueri quidem videbatur: cæterum oppidi capiendi, quod se Rege amissum  
 erat, cupiditas retardabat: & præteriti temporis felicitas, qua sæpe prosperè  
 ausus erat, addebat animos. Strenuos etiam contra fortunam niti dictitabat:  
 ignauos ad desperationem formidine festinare. Si vitæ exitus appropinqua-  
 ret, vbi honestius quàm in castris moriendum homini à prima ætate enutrito  
 10 in armis, Regiq; in ipso conatu Christiani nominis amplificandi? Ea siue con-  
 stantia siue obtinatio exitialis fuit. glandula enata decessit, Martij vigesimo  
 sexto die, salutis anno millesimo trecentesimo quinquagesimo. qui annus Cle-  
 mentis Pontificis constitutione secularis fuit: insignis etiam obitu Philippi  
 Regis Gallia, cui Ioannes filius successit, excelso generosoque Rex animo,  
 minimè omnium simulator, sua & regni Gallici calamitate nobilis. Hunc er-  
 go vitæ finem Alfonso Castellæ Rex eo nomine vndecimus, octauo & trige-  
 simo ætatis anno habuit: si vita longior contigisset, Maurorum reliquias ex-  
 cisurus in Hispania, magnisque Principibus comparandus rerum gestarum  
 magnitudine, scientia militari, civili prudentia. vna domestica incontinen-  
 20 tia ad reliquarum virtutum iniuriam non leuem accessit. Vindicis nomen,  
 iustitiæ amor ad populum conciliauit, aliquando fortasse nimius. Extincti  
 Regis corpus obsidione soluta, Hispalim relatum, & in Regum sacello condi-  
 tum. inde Cordubæ, vti moriens testamento cauerat, Henrico eius filio Rege.  
 obsessi barbari, virtutem etiam in hoste admirati, Regemque perijisse dictitan-  
 tes, cui similis in terris nullus superesset, & satis magnum fructum arbitrati,  
 metu esse liberatos, nostros discedentes persecuti non sunt.

*Eleonora Gusmania occisa. Cap. XVI.*

30 **V**RBIDAE tempestates in Castella exceperere, varij casus;  
 atrocia prælia, fraudes, prodiones, exilia, cædes. multi viri  
 principes ferro interempti. multa bella ciuilia extiterunt: sacri  
 externique nulla cura. noui Regis an procerum culpa in ambi-  
 guo: Principis fama tenuit: vnde illi Crudelis cognomen vulgò  
 factum. Proceres intemperantes, in omne fas nefasque audios, magnam malo-  
 rum partem conciliaffe, Regique vindicandi iniurias necessitatem imposuisse,  
 idonei auctores testantur. nimirum Principum lenitas non in ipsorum modò.  
 sed etiam in subditorum moribus sita est: obsequio mitigantur imperia. virtus  
 modo infelix in vitio ponitur. & clementia etiam aduersus fontes Regibus sæ-  
 40 pe conuenit. temporibus seruire, dissimulareque necessarium: ne quantæ irri-  
 tatæ multitudinis vires sint, suo malo experiantur: vti Petro Regi accidit. Et  
 quid iuuat sanare repente velle, quæ longum tempus corrupit? flectere, quæ  
 vetustate induruerunt, nulla proficiendi spe, certo exitij periculo? Præterita  
 dices, reprehendi magis, quàm corrigi possunt: esto. sed frustra tamen opera  
 Ccc 5 sume-



sumeretur, nisi posteris vitæ instituendæ præcepta præteritorum malorum reprehensiones essent. Cæterum antea quàm tantarum rerum explicationem ingredior, qualis status reipublicæ esset, quæ mens, quis habitus animorum, quid in prouincia validum, quid ægrum explicandum est. Petrus defuncti Regis filius ex iusta vxore, in castris continuo ab obitu patris Rex, vti erat necesse, proclamatur annos quindecim natus, menses septem. Hispali ipse cum matre restiterat. impar curis grauioribus ætas, ingenium quantæcunque fortunæ capax. decor candidi oris cum quadam maiestate, flaua cæsaries, corpus procerum, magnarum virtutum semina inerant audaciæ, consilij: neque labore corpus, neque animus vlla difficultate vinci poterat. aucupio potissimum deditus erat, iusti tenax. Inter has virtutes non minora vitia conspiciantur, inchoata tunc, cum ætate robur acceptura. contemptus hominum, dicta contumeliosa, superbæ aures, aditus non alienis, sed domesticis etiam difficilis. Hæc in teneris annis. auaritia, libidinis licentia, sæuitia morum consequenti tempore accesserunt. Præua institutione aucta naturæ vitia indicio est Alfonsi Alburquerquij, cui pueri mores conformandi cura erat à patre data, eo Rege præcipua gratia, & rebus omnibus auctoritas: non sine inuidia atque obrectatione procerum aliorum: suspitione malo publico priuatas opes augere indulgendo voluisse, qua nulla grauior pestis. Erant nouo Regi ex Eleonora Gusmania hi fratres: Henricus Trastamaræ Comes, Fredericus D. Iacobi Magister, Ferdinandus Ledesmiæ, Tellus Aquilariæ reguli. præterea Sanctius, Ioannes, Petrus, Ioanna Ferdinandi Castrij futura vxor. Petrus alter & Sanctius in minori ætate erant extincti. hi omnes superiorum offensarum memoria, noui Regis voluntati diffidebant, præsertim Maria Regina filij potente, facesque subdente animo. Eleonora Gusmania ex tanta potentia, tantaque auctoritate deiecta, (præua felicitas nunquam diuturna est) ex mala conscientia, Reginæque viduæ indignatione sibi metuens è castris, vnde Regis extincti funus prosequeretur, Alsidoniam firmissimum suæ ditionis municipium delata, diu deliberauit: an eius oppidi munitione salutem tueretur, an noui Regis se suaque fidei permetteret. consilio cum amicis & cognatis communicato, patris defuncti fratrumque respectum plus apud nouum Regem, quàm matris querelas valiturum iudicans, conatu destitit. & alioqui ab Alburquerquio vis, ni pareret necessitati parabatur. Itaque ipsa quidem Hispalim abiit: filij Henricus Fredericusque, Pontij fratres, Petrus Marchenæ regulus, & Ferdinandus Magister Alcantaræ viri nobilissimi, Alfonsus Gusmanus, alijque propinqui & necessarii pars Algeziram, pars in alias firmissimas arces sese contulerunt, consilio ne cuncti inimicorum insidijs essent opportuni, iniuriasque armis vindicaturi. Audax Regis animus, muliebris ira timori non celsit. vix regio funere procurato, Eleonora Gusmania capta Hispali, atque in custodiam tradita est. sic res Hispanas ira numinum in exitium agebat. quæ semel quos premere cepit, in præcepta dat. Henricus filius Algezira pulsus cum se fide accepta ad Regem contulisset, re cum matre communicata, festinatis nuptijs Ioannam Ferdinandi Emanuelis Villenæ reguli sororem pactam antea, toro sibi iunxit. Noua præsidia

dia aduersus Regis potentiam, Reginæque sæuitiam quærebantur. Accidit vt Augusto mense Hispali Rex ex morbo decumberet grauisimo, salute à medicis desperata. aderat regni vix inchoati finis, & spes nouæ necessebantur. vulgus proceresque pro more multos successores destinabant. pars Ferdinandum Dertusæ Marchionem, pars Ioannem Laram. Ferdinandum Emanuel alij, regio omnes Castellæ sanguine prognatos, præ cæteris nobilissimos. De Henrico Trastamaræ Comite & fratribus nondum mentio vlla. sermonum materiam, quam aduersa Regis valetudo præbuerat, eadem recreata breui, ac planè restituta abstulit. nihilque importuno morbo actum videbatur, quàm vt procerum & populi voluntates Regi exploratæ essent: vnde nouæ offensiones, implacabiles simultates: vt ferè inuisi Principibus sunt, quicunque ad successionis spem proximè destinantur. Itaque Ioannes Lara ea re offensus, nimis Alburquerquij potentia inuidens, reipublicam pro arbitrio gubernantis, Hispali se subduxit, atque in Vltiorem Castellam abiit, prouinciæ studia, quoniam amplam ijs in locis ditionem obtinebat, excitaturus. Impendentes motus mors breui subsecuta compressit, vigesimo octauo Nouembris die. Burgis, vbi decessit, in D. Pauli Prædicatorum æde tumulatus est, filio bienni, cui Nunnio nomen fuit. Coniuncto ferme funere Ferdinandus Emanuel, Blanca filia superstiti sublatus & ipse est. Alburquerquo vtriusque Principis obitus gratissimus extitit, aliena calamitate augere potentiam, sublatisque æmulis alieno nomine regnare satagenti, nulla reipublicæ cura. Ergo Rex defunctorum principatus inuadere occupareque certus Hispali discedit. Iter incruentum non fuit, sæuique animi vestigia non vno loco extiterunt. Ad Ellerenam municipium, Fridericum fratrem aduenientem recipere visus est fallaci, vti euentus probauit, vultu verbisque. Eleonoram Gusmaniam eius matrem Talaueræ in Carpetanis, vbi in custodia erat, interficiendam eodem tempore mandauit. cædis minister Alfonsus Olmedus, magna noui principatus inuidia, cuius tale specimen initio cernebatur. Scelere in vno multa & grauisima peccata commissa. Quid præterita gratia? Rex amicus quid profuit? numerosaque proles? Omnia peruertit atrox noui Regis ingenium: tametsi propter teneram ætatem diri facinoris inuidia penes viduam Reginam stetit: doloremque diuturnum ex viri pellicatu æmulæ cæde vlcisci velle visa est. Ab eo sanè tempore ei municipio, quoniam in Reginæ ditione erat, Talaueræ Reginæ appellatio facta est. Burgis Garcias Lassus adempta defensione, socijsque in vincula raptis, intra ipsum Regis palatium, eiusque iussu comprehensus interfectusque est. grauisimum crimen erat, syncerum erga Ioannem Laram studium. Castellæ Antelatus in eius locum Garcias Manricus creatur. De Nunnio infante Viscaie Principe in Regis potestatem redigendo consilia agitata. Mentia foemina primaria, cuius fidei puer erat concreditus, regis iræ auaritiæque subtrahit in Viscaiam aufugiens, Cantabrorumque fide sperans regios imperus posse retardari. Regis iracundia tanta, vt fugientis vestigijs insisteret, & cum consequi non posset, ditionem omnem armis occupare destinaret. quod puero intra dies paucos defuncto factum est: Ioanna & Isabella eius sororibus in

Regis potestatem redactis, Viscaia, Lerma, Lara, aliaque oppida & arces, 1351  
ad Regis ditionem imperiumque subiuncta. Hæc salutis anno millesimo  
trecentesimo quinquagesimo primo gerebantur. Quo tempore in Arago-  
nia festa lætitia, atque gratulatione omnia plena erant, Ioannis Aragonij  
filij ortu, sublatis de regni successione controuersijs omnibus, quibus diu  
respublica fuerat exagitata. Infanti Bernardus Cabrera educator institutor  
que, perspecta prudentia probitateque vir, Gerundæ principatus Ducis no-  
mine à patre continuo est datus. quod in morem ab hoc initio susceptum est,  
vt Aragoniæ Regis filio maiori eius vrbs imperium esset: Regum Galliæ  
æmulatione, quibus Humbertus Delphinus Viennensem prouinciam pretio 10  
ante paucos annos vendiderat: ea lege, vt eorum Regum filij maiores natu  
Viennensem prouinciam, Delphini titulum obtinerent, insigniaque eius prin-  
cipatus gestarent. ipse principalem vitam monastica atque beatiore mutare  
certus, Prædicatorum vestem induerat, raro in Principibus pietatis colendæ  
studio. De Carolo Rege Vasconum, qui superiore anno regium insigne Pom-  
pelone desumpserat, conciliando in partesque trahendo, Regibus Aragoniæ  
atque Castellæ vno tempore cura erat. qui prior eius gratiam occupasset, non  
leue momentum ei accessurum videbatur. nam belli tempestates impende-  
re prudentes considerabant: & Ferdinandus Dertusæ Marchio ad inuaden-  
dos Aragoniæ fines auxilia vndique comparabat. Utrosque amicitia specie 20  
distinere Vasconi visum est: Burgosque Regis Castellæ conueniendi causa,  
eiusque inuitatu cum fratre Philippo venit. Inter adolescentes Principes co-  
mitatis elegantia atque munificentia certamen fuit. ætas vna, ingenij simi-  
litudo animos deuinxit. nam & Carolo Regi à quibusdam Mali, ab alijs  
Crudelis cognomen fuit: quod initio regni motum popularem in prouin-  
cia concitatum seuerioribus æquo supplicijs vindicasset. his initijs media  
exitusque consentanei fuissent. Lingua libertate, cui æquè ac corporibus im-  
perari non potest, Principum peccata vindicantur. Diebus aliquot Burgis  
consumptis in ludis, spectaculis, conuiujsque, vt Regum ferebat ætas,  
Rex quidem Castellæ Vallisoletum abiit, regni conuentus in eo municipio 30  
habiturus. Carolus autem Pompelonem sese retulit. vnde rebus consti-  
tutis, Galliæ repetendæ studio, vbi natus erat, Momblancum Aragoniæ op-  
pidum primum petijt, Aragoniæ Regi mutuum colloquium expetenti gra-  
tificaturus. De geminis nuptijs actum, Caroli ipsius cum Regis Siculi so-  
rore: Blanca Caroli sororis viduæ, cum Castellæ Rege. vtrunque excusa-  
tum: cum Galliæ moribus susceptum diceret, ne Reginæ quauis ætate vi-  
duæ secundo nubere: suam ipsius ætatem coniugio immaturam videri. hæc  
palam, ex arcano tamen spes erat Galliæ Regis filiam Ioannam nomine, si-  
bi connubio iungendi: quod Vasconum rationibus fore commodius videba-  
tur propter amplitudinem ditionis regis non imparem, quam is paterno iure 40  
re obtinebat in Gallia.

*Castella Regis nuptia.  
Caput. XVII.*

VALLI-



ALLISOLETI, vbi regni conuentus erant, tum alia mino-  
res res constituta: tum de duabus potissimum grauior disceptatio  
fuit. In Castella vteriori oppida quædam erant, quibus ducta ab  
antiquo consuetudine, dominos pro re proque voluntate mutare  
liberum erat. quædam ex vniuersa gente promiscuè, eum Princi-  
pem iubebant, quem suis rationibus opportunum maximè iudicarent. alia ex  
vna tantum familia. vtraque ab ea re Behetriæ vulgò dicebantur. in ijs quo-  
niam multa erant perturbata, & scelerum licentia vigeat maximè, summa  
Alburquerqueij contentione actum est, vt datis à Rege certis Principibus, mu-  
tandi amplius facultas non esset. in quo non magis publicæ utilitatis respectus, 10  
quàm priuati commodi esse videbatur. nam vt erat Regis gratia inter proce-  
res potentissimus, magnam eorum oppidorum partem spe erat complexus. In-  
tercessit Ioannes Sandoualij, alijque viri primarij: quibus ijs in locis, aut pa-  
triæ ius, aut alia necessitudines erant, priuato & ij compendio ducti ex aliena  
calamitate, libertatemque à maioribus acceptam eripi populis nefas fore dicti-  
tantes. itaque is conatus frustra fuit. Mox de Regis coniugio actum. Vasco Pa-  
lentino Præsule, qui regio scrinio erat præfectus, ipsoque Alburquerqueio an-  
nientibus, Reginæ matri persuasum est, vti ex Gallia coniux Regi iuueni pe-  
teretur. ætati lubricæ non aliunde maius periculum imminere, quam à circun-  
fusis vndique voluptatibus. simul in spem regni prolis suscipiendæ cura erat. 20  
Ioannes Roelius Burgenfis Episcopus, Aluarus Albornocius ciuis Conchen-  
sis ea causa in Galliam legati sunt, Ioannis Ducis Borbonij regio Gallorum  
sanguine nobilissimi potentissimique filiam, è sex quas habebat, eam expetitu-  
ri, quam regio toro idoneam fore maximè iudicarent. Blanca, concedente pa-  
tre, delecta: eique continuo sponsalia data præstantibus animi & corporibus  
dotibus felix, quas secum ipsa quasi certans natura cælumque benignè contu-  
lerat: infelix coniugio, vnde bonorum cumulus expectabatur. Sic spes humanas  
altior, siue fortuna, siue vis occulta deludit, ludibrioque sumus nos nostraque.  
Henricus Trastamaræ Comes ex Asturibus, quò matre cæsa, Lasso interfecto  
abierat, Regis voluntati diffusus, viribus impar in Lusitaniam se recepit. Pro-  
fugi miseratione, Petri Regis periculo ex populi odio inuidiaque Lusitanus mo-  
uebatur, eiusque res ad suam curam pertinere iudicabat: quippe nepotis ex fi-  
lia. Eo expetente per causam mutui colloquij Mirobrigam Petrus accessit. eod-  
dem Lusitanus appulsus Henricum restitui concessa impunitate impetrauit. 30  
In tanta tamen colluione voluntatum, tantisque offensis res tranquillæ esse  
non poterant. In Bætica, in Asturibus, in Carthaginensi tractu intestini motus  
concitati principio anni millesimi trecentissimi quinquagesimi secundi. Alfon-  
sus Coronelius vir magnarum opum, magnæque inter Bætice regulos aucto-  
ritatis, Regis munere quamuis Aquilariam obtineret, de quo oppido illi cum  
Bernardo Cabrera diuturna contentio fuerat, Regi diffusus, quòd eo Hispali de-  
cumbente, vt est paulò ante monstratum, Ioanni Laræ regnum destinaret: ex  
eoque in offensam incurrerat: oppida & arces munire, præsidia comparare, in  
Aquilariæ munitione magnam spem habere: proceres ad arma socianda soli-  
citare, externa auxilia conquirere. Ea causa Ioannes Cerda Ludouici filius.

Coronclij

Coroneli ipsius gener ad Mauros legatur. in Granatensi parum præsidij erat, quod à Castellæ Rege pactis inducijs occupatus, nihil mouere præiudicatum haberet: neque maius in Africa præsidium fuit, vbi Abohaneno adiunctus insigni prælio interfuisse memoratur, quo Albohaceni patris opes concussæ sunt. inde in Lusitaniam redijt, exul profugusque, spemque patriæ aliena misericordia sustentans. Eius vxor Maria Coronelia, cum mariti absentiam non ferret, ne prauis cupiditatibus cederet vitam posuit, ardentem fortè libidinem igne extinguens adacto per muliebria titione. dignam meliori seculo fœminam, insigne studium castitatis. Interea Castellæ Rex ad Bæticiæ motus accurrens plerisque oppidis Coronelio ablatis, Aquilariam inuadere parabat: cum vno tempore nunciatur Henricum in Altureibus Gegionis munitione confisum concitare tumultus, parare arma: Tellium fratrem Montacuto ad Aragoniæ fines latissimè prædas agere. Rex quoniam ea parte maius periculum instare videbatur, Bætica relicta in Astures primùm abiit. aduenienti, qui in Gegionis præsidio erant, deditionem continuò fecerunt, veniam Henrico, qui in vicinos montes se contulerat, sibi que incolumitatem pacti. Eo in itinere Regis animus Mariæ Padillæ, quæ in Alburquerquij familia educabatur, eximia pulchritudine captus, cum ea ad S. Facundi oppidum stupri consuetudinem habere cœpit, sponsæ immemor, nouisque amoribus amens. vnde reipublicæ Regique ipsi supremum exitium parabatur. Ioannes Hinestrosa puellæ auunculus internuncius, prauæque consuetudinis conciliator. Teneram Principis ætatem, prauis homines obiecta specie omni libidinum, conciliandisque voluptatibus, quod genus obsequij pessimum est, expugnare conabantur: nulla neque honestatis cura, neque metu turpitudinis, grauissimo reipublicæ damno odioque communi Regis gratiam aucupantes. Domi lasciuiam erat, foris sæuitia: cui cæteræ Principis cupiditates cedebant. Montacutum conuerso in eam partem belli impetu, aliaque vicina oppida abs Rege capta. Tellius in Aragoniam aufugerat. Regionum propinquitate Reges Castellæ & Aragoniæ inuitati, de concordia agere, instituunt. ventum in colloquium non est. missi vltro citroque legati. Alburquerquio tandem cum Bernardo Cabrera in Turiasonensi agro conueniente, eorum arbitratu fœdus sancitum. Eisdem amicos inimicosque futuros. Tellio, Ferdinandoque Aragonio inuicem venia à Regibus data. Rebus constitutis Bætica repetita. Aquilaria corona cincta. quatuor menses obsessi præstanti fide sustentarunt. mense Februario salutis anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, oppidum vi expugnatum est. Sacris Coronelius operabatur, cum hostes intra munitiones irrupisse nunciatum est. neque destitit tamen priusquam diuina hostia sacrificatum esset, mortem adesse certus nulla spe veniæ. captus intra turrum, in quam se præsidij causa incluserat, maiestatis lege pœnas soluit. idem fecerunt quinque alij focij primarij. oppidum mœnium corona nudatum. multitudo conseruata. Cordubæ, quò se Rex Aquilaria capta contulit, Beatrix ex Padillia nata est. inde in Carpetanos itum. Torrigijs, quod municipium Toletum abest viginti passuum millibus, dum eius victoriæ, natæque filia lætitia ludicro militari celebratur,

Regi

Regi in manu vulnus inflictum: vnde vitæ discrimen adiit, vix vllis medicamentis retento sanguine. eodem Alburquerquius venit obita legatione ad Lusitaniæ Regem, eiusque consilio Ioanne Cerda adiuncto. Blandis is verbis à Rege in gratiam receptus, vt ablata focero oppida restitueret impetrari non potuit. non ratio & æquitas, sed vis & libido dominari cœperat. magnam eorum oppidorum partem filia donasse excusabat Rex, nuper natæ coniugio dotem, vitæ subsidium. Blanca Borbonia per idem tempus Narbonensi Vicecomite prosequente, atque Friderico D. Iacobi Magistro, qui honoris gratia obuiam processerat, Vallisoletum tandem appulsa erat. Nuptias maturandas Alburquerquius disputabat, pro auctoritate imperare videbatur, conuictio nonnunquam: Padillæ propinqui, ne principem gratiæ locum occuparent, haud temerè verebatur, dolebatque. Rex parendi sibi necessitatem imponi non ferebat Padillæ amoribus æger, & cum annis se ipso ferocior. & Alburquerquius minori in gratia esse cœperat: vt sepe facinorum ministri consultoresque quasi exprobrantes aspiciamus. inde illi casus initium, eo minori populi miseratione, quò omnium, quæ perperam gesta erant, auctor esse credebatur. Nuptiæ tertio Nonas Iunij modico apparatu celebratæ, infaustum fore coniugium plerisque ominantibus. auspices nuptiarum Alburquerquius ipse, & Eleonora Regina. Interfuere celebritati Henricus & Tellius, Ferdinandus, & Ioannes Aragonij, Ioannes Nunnius Calatrauæ Magister, Ioannes Cerda, Principes alij. Per idem tempus Caroli Regis Vasconum, Ioannæque Galli Regis filia nata maximæ, nuptiæ in Gallia celebratæ sunt, multo quàm nostræ feliciores futuræ, mutuo inter coniuges amore, numerosaq; prole. Carolus, Philippus, Petrus ex his nuptijs procreati: tamen si Philippus in prima ætate extinctus est. præterea Maria, Blanca, Ioanna. Blanca quidem terdecimo ætatis anno decessit: eius sorores magnis Principibus iunctæ sunt. Leo ex impari matre Carolo Regi natus erat, vnde Cortesij Marchiones Vasconum nobilissimi, genus deducunt. quemadmodum ad Petrum Caroli Regis iustum filium Marchiones Falcis, generis materni originem referunt.

30 *Castella Rex Blancam deserit. Cap. XVIII.*



IX Castellæ Rex nuptiarum celebritate peracta, nouam nuptam fastidiuit, in Padillæ amorem effusus: si regis stirpi compararetur, ignobilis, neq; maiori formæ pulchritudine. tanti plerumque est præposteræ animi libidini mancipari. Biduo transacto Montalbani arcem ad Tagi fluminis ripam, vbi amicam antea, nunc pellicem reliquerat, continuato itinere festinare parabat: cum Regina mater, Eleonora amita Regis consilio indicato, eum remotis arbitris per omnia numina, & quidquid in terris sanctum est, ne se, regnum, fortunas, nominis existimationem præcipiti temeritate perditum eat, profusis lacrymis obrestantur. Quid orbi sermonem, Gallis arma iniuriam non laturis, ciuibus dissidorum materiam daret? Ignorare videlicet integra probitatis fama humana imperia constare. quos delitui à numine, quibus infensum cælum esse, semel fuerit

rit persuasum, in eos homines malaque omnia quasi facto agmine impetum dare. Lectissimæ coniugis luctu moueretur: eiusque amore foedam libidinem commutaret: neque flagitio in exitium rueret. Ad has ille voces nihil moueri. negat tantum sibi id esse propositum. mox clam adductis iumentis fugienti similis discedit. Henricus & Tellus abeuntis iter prosequuntur. idem Aragonij fratres faciunt. tempori seruire, atque Principis voluntati assentari, quod pessimum obsequij genus est, plerisque proceribus certum erat. Vnus Carrilius Toletanus Præsul, prisci moris vir monere salubria non desistebar: verbis, litterisque castigare. ex eo grauis Regis auribus esse cœperat. odij causæ acriores, quia iniquæ. Itaque ante hæc tempora venia discedendi impetrata, negotia domestica caussatus, Concham abierat: deinde sese in Galliam contulerat, satius iudicans in exilio viuere, quam precariam animam apud infensum Regem trahere. Auenionem appulsus Pontificibus Romanis assiduus gratusque, imprimis à Clemente VI. in Cardinalium numerum cooptatus ante tres annos fuerat. ab Innocentio, qui superiori anno Clementi successerat, ad consilia de rebus omnibus adhibebatur. In eius locum Blasius (alij Gonsaluum vocant) Præsul Toletanus constitutus est Rege annitente, legibus an vitio creatus, non satis constabat. Tamen Carrilius spontè abdicasse, quidam nullo idoneo auctore disputant: discessusque causam non iram Regis extitisse, sed honorem purpuræ delatum: cui absens satisfacere non posset. Si credi par est, tanti cum honorem fuisse, ut amplissimæ ecclesiæ primoque inter Hispaniæ Præsules loco præferendum iudicaret. Montalbano Toletum abs Rege itum est. Vallisoleti eius reuocandi consilia communicata, Rege non ignaro, eoque maiori in Alburquerque ira eius consilij auctorem. prorsus ut Regis placandi studio Egidium ille filium fidei obsidem daret. Summa tamen procerum contentione impetratum, ut Rex ad nouam nuptam Vallisoletum rediret. non amplius biduo apud eam substitit: tanta impudici amoris impatientia væsanique, ut iniectam carminibus amentiam fama vulgauerit, zona Iudæi cuiusdam arte medicata draconis specie regijs oculis obiecta. Quibusdam suspicio fuit, temeraria sanè & impudens, Regem non sine causa à Blanca vxore repente alienatum: vitiumque illi à Friderico fratre illatum: natumque ex eo commercio Henricum, quem Columba Iudæa Hispani nutrice educatum, Henricorum familia nobilissima auctorem generis nominat, regio inferti, à regioque deducti. Neutrum nobis verisimile visum est: ac credam potius vbi tetri amoris flamma pectori infederit, non alia philtora amatoria quærenda, neque alias offensionis causas præposterè excogitandas: ut iuuenis animus in furorem agi, & de potestate mentis exiisse videretur. Vallisoletum Olmedum Rex abiit, locis finitimis situm oppidum. eodem Maria Padillia eius accitu Toletum venit, coniugis Regiæ nulla amplius neque memoria, neque miseratione. Alburquerque munitis suæ ditionis oppidis se primum tenuit: deinde vim veritus in Lusitaniam se contulit, haud tutò committi fidem ei arbitratus, cui coniugij sanctitas, & sacramenti religio vilis extitisset. Fridericus tamen D. Iacobi Magister, redintegrata cum Rege gratia, à quo matre cæsa auerso animo esse cœperat, ad eum Cuellarem venit.

venit. Tellio fratri Ioanna Laræ filia, natu maxima Segobiæ, vbi solennitas nuptiarum fuit, connubio iuncta est, dotali Viscariæ principatu. Mariæ Padillæ propinqui eo blandimento regios fratres iam antea Alburquerque iratos, sibi conciliare studebant. Blanca Regina Medina Campesetri, vbi cum Regina socru honestis solatijs vitam tolerabat, prius propemodum vidua quam coniux Areualum ducta est, sublato etiam sermonis cum socru, alijsque Principibus commercio. Petrus Gudiel Segobienis Episcopus, Tellus Palomechius ciuis Toletanus custodes adhibiti, minimè fugituræ. aulæ subinde ministeria mutata. Diegho Padillæ Mariæ fratri, regij cubiculi cura data.

10 Aluarus Albornocius pincerna, Petrus Gonsalvus Mendoza dapibus præfectus, Mendoziorum familiæ conditor, taque tempestate in Cantabriæ parte, cui Alauæ nomen est, oppidum obtinens, vnde genti nomen. (huic Dieghus Mendoza filius fuit maris Præfectus annis consequentibus) Hæc Segobiæ gesta sunt Alburquerque odio, quoniam multi in aula eius beneficio obstricti erant. idem Hispani factum: quo Rex præcipiti autumnò sese contulit. multi Bæticæ reguli datis ab Alburquerque honoribus spoliati. sic sunt rerum humanarum vices. nihil instabilius, inconstantiusque Regum gratia, præsertim malis artibus parata. omnino se Rex & rem publicam Mariæ propinquis gubernandum tradiderat. eorum arbitrato, belli & pacis consilia gerebantur. proceres ipsique Regis fratres tempori seruire, atque ad fortunæ motum se mouere: ad Mariæ gratiam donis, officijs, assentatione, aditum certatim captare. foeda rerum tota prouincia colluuiò. Hyeme cõtinuis imbris inflati amnes: Hispanis portæ, ne restagnatis latè fluminis impetus vrbana ædificia labefactaret, pice itupaque ferruminatæ stipatæque. Proximi anni principio millesimi trecentissimi quinquagesimi quarti, Ioannes Nunnus Calatrauæ Magister cum prius se exitij metu in Aragoniam contulisset, blandis deinde regijs litteris inductus Almagrum redijt, amplum suæ ditionis municipium. intra id oppidum à Ioanne Cerda captus est, quem Rex nouis honoribus auxerat. amicitia cum Alburquerque grauissimum Nunnij crimen erat: Regisque reuocandi quo primum tempore Blancam deseruit, consilij particeps fuerat. Dieghus Padillia continuo in eius locum subrogatur, raptim perturbatæque nullo comitiorum ordine. regia voluntas pro lege fuit. Nunnus Maquedæ in custodia inopinatò obtruncatur, Regis dolore iraque, an vera, an simulata: ut atrocis facinoris infamiam inuidiamque à se amoueret, deriuaretque in alios. Sed nullis quæstionibus habitis, nemine vindicato, suscepta semel opinio ad populum confirmata, Regis voluntate cædem factam. In Alburquerque oppida, quæ multa & valida ipsius nomine tenebantur, præsidijs militaribus firmata, impetus factus. Metellinum in Lusitania veteri, munitione diffusum, ipso Alburquerque concedente deditionem fecit. alia parte Alburquerque oppidum tentatum

40 expugnari non potuit, loci præsidijque firmitate defensum. Cum duceretur obsidio, regij fratres Henricus, Fridericusque ad Pacem Augustam relictis sunt irruptionibus prohibendis, quæ ex oppido Alburquerque fiebant. Eo consilio nouis rebus materia parata est. Castris Cæcilianis quo Rex discessit legati ad Lusitanum missi, viri primarij Eboræ tunc nuptias celebrantem,

magna gentis lætitia, apparatuque Mariæ neptis, & Ferdinandi Aragonij. Facta ij dicendi potestate Alburquerque Regi suo dedi postularunt, regionum vectigalium, quæ diu penes ipsum fuisse constabat, rationem redditurum. lege peculatus postulato, receptum in Lusitania esse non debere. Ad hæc Alburquerque: Qui reipublicæ malè gestæ crimen imponeret eum ad singulare certamen prouocare. ferox animus continuis incommodis irritatus, contumeliam non ferebat. Quod de fisci rationibus petebatur, non recusare, exigerentur modò in Lusitania. honesta petere visus est. re infecta dimissi legati. Locorum propinquitate inuitati regij fratres, quibus rempublicam sursum deorsum agi, prædæque haberi graue erat, Alburquerque de ineundo fœdere priores appellare constituunt. Missus in eam rem legatus. Inter Pacem Augustam & Helbes medio interuallo, colloquium est habitum. de opprimendis regijs conatibus, temeritateque consultatur. alij proceres adiuncti. vires tamen impares erant. Petrus Lusitani Regis filius ad societatem inuitatur, spe iniecta Castellæ regni tum belli, tum propinquitatis iure, quippe Sanctij Regis nepoti ex filia Beatrice. verum cum id consilium Regi Lusitano non probarent, conatu destiterunt. Hæc ad fines Lusitaniæ noua tela texebatur. Castellæ Rex, qua instituerat socordia, nouo flagitio priora scelera cumulauit: prorsus vt si aliorum turpitudine excusari posset, hoc crimine penitus obruatur. Ioanna Castria, Diegho Haro marito defuncto vidua, cui forma comparari nulla poterat, insigni pudicitia laude, viduitatis incommoda sustentabat. in eam Rex prauis cupiditatibus imperare nescius, oculos iniecerat. pudicitiam expugnare non sperabat. coniugij species prætenfa. fingit se cælibem esse: Blancae nuptias ex animo auersatum, cuius rei testes, indiciaque, proferebantur, neque enim deesse poterant. Episcopi Sanctius Abulensis, Ioannes Salmanticensis de re ea appellati, secundum Regis libertatem pronunciarunt, furenti Principi repugnare non ausi, vicenteque honestatis iura metu periculi. O homines ad seruitutem natos. sic erat, acerba gentis fata exagitabant. sententia pronunciata, Cuellare, quo Rex venerat, nuptiæ festinatæ sunt. copia fastidium vt antea faciente, paucis apud nouam nuptam diebus moratur. sunt qui vna tantum nocte dicant. tametsi species prætendebatur initæ inter proceres coniurationis: quorum conatibus ne tempore confirmarentur, occurrèdum videbatur. Ioanna Castria regiam auctoritatem Donnijs nomine tenus tuebatur, acceptè ignominia velamen honestum scilicet, atq; præclarum. Ioannes filius ex ijs nuptijs procreatus est, matri solamen, fortunæ ludibrium futurus. In ipso belli ciuilibus apparatu ad Castrum Sericium in vltiori Castellæ Ioanni Aragonio Isabella altera Laræ filia iuncta est, Viscariæ principatu dotali, Telloque qui maiorem sororem in coniugio habebat, quoniam conspirationis socius erat, eo principatu spoliato. tametsi iniquum erat viri culpam vxoris poena luit: sed Petro Rege neq; ius neque æquitas valebat, raptim & peruersè cuncta administrabantur. In eo oppido Maria Padillia filiam alteram peperit, cui Constantiæ nomen fuit, Alencastrio Angliæ Duci quondam nuptiæ. Ad proceres coniuratos, noui se proceres adiungebant. Ferdinandus Castrius Ioannæ sororis ignominia percussus, vindicareq; armis certus, eorum par-

tes

tes secutus est. idem fecere Toletani ciues Regis vefaniam detestati, Blancae Reginae commiseratione. Cordubenses, Giennenses, Conchenses, Talauera, Toleti auctoritatem secuti. accessere paulò post Aragonij fratres. fauebant Reginae Eleonora Mariaque, Regem malo non aliter sanari posse sperantes. sic belli ciuilibus, atque internecini fundamenta ponebantur, viamque ad regnum Henrico fata monstrabant.

*Bellum Sardinicum. Cap. XIX.*

**V**VAT cogitationem tantisper à Castellæ malis auocare, nouaque narratione reficere animum. tametsi alienum ab instituto non est, quæ alijs per Hispaniam prouincijs contigerunt, locis competentibus explicare. Granatæ Rex Iuzephus Bulhagix cum regnasset annis vno & viginti, suorum perfidia ferroque hoc anno peremptus est. coniurationis auctor Mahomad à senectute cognomento Lagus Iuzephi patruus, Farracheni reguli Malacitani filius regnum occupauit, multis calamitatibus per totam vitam obnoxius, vt nunquam est suda potentia piaculo, parricidioque parata. Res Maurica regulis eo tractu in factiones scissis, imperijque mutatione sæpè alternantibus, ad interitum festinabat. Ofea vetus Ilergetum vrbs publicæ scholæ iure ab Aragonio Rege donata. annua vectigalia, artium ingenuarum professoribus de publico constituta. Quo tempore bellico apparatu vniuersa Aragonia incitata erat. moti ad arma proceres cum Rege in Sardaniam traiecturi. Fuerat ea insula Bonifacij. VIII. concessu Pisanis iniustis rerum dominis detracta Aragonijs armis. cum ijs anceps, diuturnumque bellum fuit. pulsi tandem Pisani sunt. partum tamen insulæ imperium tueri, ardua res Aragonijs erat, in Mediterraneo mari sitæ, procul à littoribus Hispaniæ, hinc Africa obiecta, inde Liguria, interiecta tantum Corsica insula à Sardinia angusto freto dirempta. Insulanis studium erat rerum nouarum, ingrata quæ tuta, in temeritate spes. Oriæ Genuensium familia nobilissima freti incolarum studio, ditioque oppida in ea insula obtinentes, in pellèdi Aragonios certamen ingressi sunt. opem vti necesse erat, Genuenses tulerunt. Saffarim & Calarim firmissimas vrbes ad extrema insulæ promontoria sitas, sui quondam iuris ab Aragonijs inaudita causâ occupatas causabantur. ventum ad arma. Aigucrium vrbs medio interuallo capta. Saffaris obsessâ. expugnari non potuit, eximia ciuium erga Aragonios fide. sed dum obsidio vrgetur tamen, missa ab Aragonio Rege classi, rebus asperis opem latura, aliquandiu alternante fortuna bellum sustentatum. Veneti perpetui Genuensium potentia æmuli hostesque, missa legatione Aragonium ad armorum societatem inuitant. si vires conserantur exultantem hostium insolentiam reprimi posse.

40 Sancito fœdere classes Aragonia & Veneta in ipso Bosphoro Thracio ad Peram Genuensium ea tempestate vrberem, ante annum tertium cum hostium classe supremo conatu dimicabant, quamuis inflato mare, fluctibusque intumescens, tanta erat cupiditas pugnandi. victi Genuenses. tres & viginti triremes captæ. non paucè vi tempestatibus ad littus eiectæ. Cecidit etiam

D d d 2 Pon-

Pontius Aragoniæ classis præfectus duodecim triremibus amissis. neque clara ea victoriæ in præsens fuit, neque in posterum vsui. eaque opinio extitit, vt vtrique se victores ferrent. Clemens & Innocentius Pontifices, Christianæ reipublicæ calamitas ex ijs disidijs quanta instaret, prouidentes, pace aut inducijs factis conati sunt Venetos, Aragonios, atque Genuenses pacare. repetitæ ea causa legationes. frustra is conatus fuit: rebus aded exulceratis, vt nisi alterius gentis clade sanari non posse crederent. & nouum Genuensibus præsidium accesserat. Marianus Arboreæ regulus, ditio, opibus, clientelis, in Sardinia ab antiquo præpotens, prædæ spe sese Matthæo Oriæ Genuensium factionis principi adiunxerat, magnam insularum partem secum 10 trahens. oppida, vrbes, arces, tota insula momento temporis occupata. Saffaris, Calarisque in Aragonia fide perstiterunt. venerat in periculum summæ rerum. quî enim tantis viribus obsisti posset, foris Genuensi classi, in insula diuersis inconstantibusque voluntatibus? Re in Aragonia nunciata, valida numerosaque classis centum nauium comparatur. in ijs quinque & quadraginta triremes erant. magnis delectibus milie cataphracti, quingenti leuis armaturæ equites, pedites ad decem millia conscripti, validæ copiæ, magnisque rebus conficiendis pares. aderant socij nauales. à Germania, Anglia Vasconibus delectæ bello manus venerunt. proceres tota prouincia ad nobilem expeditionem excitati. Rerum summa penes Bernardum Cabreram fuit. Petrus Exerica, Rogerius Lauria, Lupus Luna, Otus Moncada conuenerunt. Petro Regis patuo 20 Vicario relicto è Rhodopensi portu, quo classis conuenerat, dimidiato Iunio mense soluerunt. modicis tempestatibus octidui nauigatione in Sardinia conspectum ventum est. copiæ in terram expositæ, tribus ab Alguerio millibus passuum: mox ad eam urbem mota castra, classisque ductore Cabrera. Rex ingenio acer anteire agmina, locum capere, periculo adesse, aliosq; suo exemplo ad præclare audendum incitare. prorsus si ambitio, nimiaque imperij auiditas abfuisset, antiquis Ducibus exæquandus. Quadraginta triremes Genuenses celeritate magis quam virtute præstantes, sese mari ostentarunt. terra Arboreæ regulus, cum duobus millibus equitum, peditem quindecim millibus, vicina loca 30 infedit. neutri pugna decernere ausi sunt. quippe temerè collecta multitudo, nulla militiæ disciplina neq; ordinem sequi, neq; imperia accipere idonei, quibus neq; in victoria decus, neq; ex fuga ignominia futura erat. Mena operibus machinisq; dies noctesq; impugnabantur. iniquissimo anni tempore, locis natura insalubribus, morbi in Aragonio exercitu grassari ceperunt. Rex ipse eger decubuit. necessariò cum hoste de federe actum. fœdis Aragonio nomini conditionibus sancita pax. Mariano, Matthæoq; venia concessa. ditio, quam obtinuerant relicta. præterea Mariano ad Galluram multa oppida abs Rege data. sic hostes contra timorem animi premia scelerum adepti, ferocios euaserunt. Regi datum est vt Alguerio vrbe dedita, incolæ quo vellent migrarent. 40 Catalauni veterani milites diuisis agris in eorum locum substituti. Regiæ precibus, quæ virum erat comitata, Oti Moncadæ, Philippi Castrij, aliorumque procerum obitu, moræ impatientia fœdus Nouembri mense festinatum. Septem deinde mensibus Rex in Sardinia consumptis, (quo tempore insula

lustrata,

lustrata, confirmataque in fide, de fontibus pœnæ sumptæ) Marianus, Matthæusque tumultuari incipientes rursus ad officium reuocauit: atque rebus omnibus compositis, reipublicæque præfecto Olfo Prochita incolumi tandem classe Betullonem redijt, maiori conatu quam operæ pretio facto. sed necessitati parere, quo nullum est acrius telum, temporique seruire magnis Regibus vsitatum, consentaneumque est.

*Castella motus. Cap. XX.*

10 **A**LBVRQVERQVII oppidis abs Rege Castellæ tentatis captisque magna ex parte, cum in Fridericum fratrem se Seguræ arce munitissima tenentem ducere pararet, Toledo Hiestrosam in Vltiorem Castellam amandauit, vt Blancam Reginam, belli causam captiuæ instar in ea vrbe custodiæ mandaret. graue id decretum fuit, innocentis puellæ calamitatem non vno loco consistere. templum Toletanum ingressa, quasi exoluendi voti specie pedem inde efferre recusauit, loci sanctitate salutem tueri cupiens. si quid tamen audaci iuueni & temerario sanctum esset. Ille eo nuncio concitatus Ocaniam sese reulit, quo in municipio Ioannem Padilliam Villageræ regulum, in Friderici fratris locum D. Iacobi Magistrum substituendum curauit, & quidem coniugem contra superioris temporis exempla. nouum exemplum, legibus, moribusque validius fuit. 20 ab eoque initio susceptum, vt coniuges ijdem & Magistri essent. Mariæ in gratiam, quæ noui Magistri soror erat, maiorum instituta violata. Procerum vires confirmabantur. Ioannesque Cerda Hispali veniens sese illis adiunxit, optimus quisque sequebatur, omnesque viri strenui nauare coniuratis operam & studium volebant. Regem super insitam sæuitiam auersæ procerum voluntates, Toletanaque rebellio sollicitabat. vim adhibere imminutæ copiæ prohibebant. necessariò in Vltiorem Castellam abiit, subsidia belli comparaturus. ventum Tordesillam, vbi Regina mater morabatur. Fridericus Magister interea à Toletanis euocatus, vrbi præsidium cum septingentis equitibus venerat: alij proceres coniurati ex diuersis locis in vnum coeuntes circum Tordesillam, quasi circumfesso Rege tendunt, armis acturi nisi iustissimis postulatis annuisset. Ea erant. Ab stupri fœditate recederet: Blancam regio toro restitueret. Padilliam pellicem regni sinibus arceret. Eius propinquos à republica amouendos curaret, atque perficeret. Ea si præstita essent, vti necesse erat, paratos sese omnia, quæ imperarentur, facere. Cum his mandatis Eleonora Aragoniæ Regina missa quo minus violaretur, ius gentium valuit. sexus, propinquitas, auctoritas, tutata sunt. re infecta, dimissa. Proceres spe deiecti voluntate quidquam impetrari posse. matre Regina filioque elapsis, retro conuerso agmine Vallisoletum tentant. inde depulsi, Medinam Campestem occupant sine sanguine. Eò Fridericus Magister sese contulit. eò etiam Alburquerque decessit noxio medicamine venis concepto, quod Paulus medicus Romanus magnis pollicitis corruptus ægro diluerat. Sic periit vir ea tempestate nobilissimus. Origo illi è Lusitania. am-

D d d 3 pla

pla in Castella ditio. pater Alfonso Alburquerqueus, auus Rex Dionysius, maternum genus impar, non ignobile tamen. Regis alumni gratia primùm, deinde odio, tantundem exitu bonæ famæ, quantum priori tempore malæ ad populum meruit. Corpus, ut ipse testamento mandarât, odoribus refertum non ante sepulturæ mandare iurati proceres decreuerunt, quàm rebus ex sententia patris. Missi denuò à proceribus legati viri primarij: si forsan Regis animus tempore pacatoris, ut nunciatum erat, ad meliora consilia traduceretur re integra. Colloquio dies, locus, tempusque designatum. venere ex vtraque parte quinquaginta equites paribus armis in pagum non procul Tauro oppido, insidijs minimè idoneum. Ibi cum inter se officiosè salutassent, & proceres coniurati more gentis, Regis dextram deosculati essent, Gutierrez Toletus pauca ex sententia Regis præfatus: Graue, ait, accidisse tantos viros, ea nobilitate, eo splendore, alienato animo esse. eripere Principi velle, quod esset beatissimum, decernendi libertatem: eosque caros acceptosque habere, quos fidos maximè iudicaret. Cæterum errori per imprudentiam commisso veniam se dare paratum, modò copias militares dimitterent. Quod de Blanca postularent, nisi forte ea obtenderetur species maiora conantibus, facturum sese quæ vellent. Ad hæc procerum consilio habito, eorum verbis Fernandus Aiala potestate dicendi facta sic incipit. Quod contra exempla maiorum, magnanime Princeps, armati venimus, veniam dari postulamus. Inimicorum insidiæ, à quibus nulla innocentia tuta est, compulerunt, tuoque permissu factum est. alioqui tui sumus: de subditis & supplicibus, ut libet, statue. Habet hoc regia fortuna, ut nihil occultum esse patiat: omnia populo proponit, atque explicat turpia honestaque. Blanca Regina, cui diadema imposuimus, cui coniugij sanctitate nobis præsentibus deuinctus es, exitium ab æmula comparari ægrè ferimus: Principisque auribus insidias à prauis hominibus tendi graue ducimus, nulli magis quàm tibi gratificaturi: vbi sedata animi ægritudine, fraudeque perspecta (quod propediem fore cupimus, speramusque) maior ætas accesserit. Quanto difficilius est alios præstare, quàm se, tanto laudabilius in eam curam incumbere, ut optimus quisque ad tuum contubernium recipiatur. Multis alioqui claris Principibus dedecori fuit, domestica infamia. Tua coniuge quid sanctius, quid nobilius? quàm modico cultu, quanta morum suauitate? forma quæ alia comparanda? Eam grauissimo luctu leuari, & in debitum dignitatis locum restitui, si homines silerent, si aliena esset, tu ipse armis, copiisque omnibus conari atque efficere deberes. Illud caue, ne præposteris blanditijs illectus per errorem committas, unde tibi, nobis, vniuersoque nomini Hispanico luctum insanabilem, ignominiam sempiternam inuras. De re tanta breui statui non poterat. conuenit, ut quaterni ex vtraque parte delecti de pacis conditionibus disceptarent. sic à colloquio discessum. moxque varijs Regis tergiuersationibus intellectum est, nihil eum pro sano facturum. præsertim cum eodem tempore Tauro digressus ad amicam iuisse constaret. qua occasione Regina mater pridem à coniuratis voto stans, eos Taurum euocauit: eisque oppidum tradidit. Eo nuncio percussus Rex, totiusque regni defectionem veritus, Hinestrosa & Samuele

& Samuele Iudæo (is ærarij præfectus erat carus in primis) comitantibus Taurum repetijt: matricum complexum ferens in eius se potestate futurum dixit. comites continuò detracti, datique in custodiam. præcipua aulæ ministeria mutata. Fridericus Magister regio cubiculo præfectus, scrinio Ferdinandus Aragonius, Ioanni Cerda vexilliferi honor est datus, Ferdinando Castrio, qui Ioannam Eleonoræ Gusmaniae filiam vxorem habebat, regis procuratio concedita. in quo honoris specie prouidebatur, ut Rex captiuus instar teneretur, sublata etiam ipsum adeundi promiscua libertate Alburquerqueij cineres, quasi victoria parta in monasterio Cisterciensi, cui ab Spina in Vaccæis nomen, sepulturæ sunt dati. Magnum reipublicæ nominisq; Hispanico vulnus inflictum, Principem gentis, parentem & columen obsideri, capi, includi: nisi facti atrocitatem salus publica, Principis inuidia, infamiaque excusarent. Venationis tantum libertas relicta erat. qua ille occasione, & nonnullis proceribus eius calamitate, magnisque in posterum pollicitis, equioribus factis Segobiam sese proripuit, prosequente Samuele, qui datis prædibus, è custodia liberatus fuerat. secutus est etiam Tellius frater, cui eo die Regis custodiendi cura concedita erat, haud diuturna gratia futura. Inde maiorum motuum initia. Aragonij fratres Roam Eleonoræ matri datum captiuitatis tempore abs Rege oppidum discesserunt. Ioannes Cerda sese ad Regem contulit, Fridericus Talaueram, vbi copias militares reliquerat. Ferdinandus Castrius in Calæciam, Tellius in Cantabriam abiere. Henricus & Regina mater Tauri substituerunt, oppido præsidium. Hæc sine anni gerebantur. quo in proximum euoluto millesimum trecentiesimum quinquagesimum quintum, regni cõuentus Burgis habiti sunt. interfuerunt Aragonij fratres. De procerum insolentia conquestus in conuentu Rex, vindicare iniurias paranti uti opem ferrent, petijt. In Principe vniuersam nationem violatam, grauique ignominia affectam esse. Publica inuidia, communibus armis perfidiam vindicandam. æs militare ciuitatibus imperatum. Iisdem diebus Carolus Cerda Alfonsi Exheredis filius, an nepos, à Rege Vasconum interfectus est. atrox facinus Regi Gallo visum, fortem & strenuum virum, quo multum & familiariter à prima ætate vsus erat, præterea Magistrum equitum insidijs oppressum. Engolismorum comitatus abs Rege donatus malo fuit, quem Rex Vasconum tanquam sui iuris repetebat. Campaniam præterea Briamq; paterno iure à Rege Gallo extorquere conabatur. spe obtinendi depulsus, qui maximè iniuriæ opportunus erat, in Magistrum equitum iram effudit. ad Aquilam Nortmãniæ vicum nocturna vi submissis percussoribus, in lecto inopinantem oppressit sexto Idus Ianuarij. Frostartes ex annorum numero biennium detrahit: de die conuenit. Cæde vulgata Rex Gallus publico quadriduam abstinuit, sublata etiam se adeundi potestate. quæstiones habitæ, diesq; Vasconi dicta. accepto obside Ludouico Regis filio, contra omnia vetustatis exempla Lutetiam causam dicturus venit. Insidias capiti suo comparatas non satis probabat. duci à lictoribus iniecta in eum manu iussus est. vxoris fororisq; viduæ preces euicere, uti venia donaretur, feroci iuueni neq; diu in fide perstituro. nam pecuniam à ciuibus exigenti Gallo aduersus Anglos, apud populum intercessit. quæ iniuria, ut par erat, altissimè in pectus offensi Regis descendit.

iram idoneo tempore effusuri. Cum Agnete Castris, vti antea memoratum est, Petro Lusitanæ iuuentutis Principi stupri vetus consuetudo erat. eandem superiori anno uxorem contra leges duxerat, sigillata in eo regia maiestate. ignominie depellendæ, filijque sanandi causa Regis patris iussu Conimbricæ interfecta est. tametsi iniquum erat filij libidines amicæ interitu sui: præsertim Alfonso, quem in primis annis mors rapuit, Ioanne, Dionysio, Beatriceque ex Agnete nepotibus. Ludouicus Siciliæ Rex mense Iulio Catanæ decessit. Fridericus frater moribus, ætate, ingenioque simplex successit. vtriusque regnum externis bellis intestinisque motibus iactatum fuit: Regique Aragoniæ ad eius insulæ imperium via rursus struebatur. Ad intermissa redeamus.

10

*Multa cades in Castella facta. Cap. XXI.*



**B**VRGENSI conuentu dimisso in Medinam Campestrum primus abs Rege Castellæ impetus factus est. Villega, Rogiusque cum primis nobiles occubuerunt. capti alij. Hinestrofa Tauro dimissus, fide data nisi Rege placato in custodiam rediturum, id liber non præstitit. Henricus & Fridericus iunctis ad Talaueram viribus Toletum accurrerunt, regios conatus occupaturi. Ad D. Martini pontem traiecto flumine aditu prohibiti, à parte ciuium circumductis montibus, quibus ea vrbs circulo ferme ambitur, ponte altero admissi sunt, cui Alcantaræ nomen est. Iudæorum cædes factæ: direptaque bona eorum, qui ad forum rerum venalium domicilia habebant, mercesque & scruta vendebant. mille amplius cecidere, non sine coniuratorum inuidia. Rex periculo nunciato, eodem festinauit, priusquam se hostes vrbe munitissima firmarent. admissus fratribus fugæ necessitatem attulit. celeritas saluti fuit. ira in ciues versa. è nobilitate nonnulli cæsi sunt, è plebe duo & viginti. In eo numero aurificis filius octodecim annos natus pro patre octogenario, supplicio se se vltro obtulit: Regeque pro venia, quam eximia pietas omnium iudicio merebatur, permutationem concedente, subijt. fœdum populo spectaculum, misericordiæ permixtam crudelitatem. nomina memoriæ subtrahita. de facto satis constat. Petro Barroso Episcopo Seguntino, insigni ea ætate viro, ob eximiam iuris cognitionem, quoniam ciuium suorum studijs, Blancæque Regiæ fauere visus est, manus iniectæ. Regina ipsa Seguntiam custodienda amandatur. Toleti rebus compositis reliquæ ciuitates subigendæ erant. Conchenses maiori inter se concordia venienti Regi portas clausere. vim adhiberi loci firmitas prohibuit. Sanctius Regis frater, qui in ea vrbe educabatur, quamuis eo periculo liberatus, in Aragoniam aliquanto post ab Alvaro Albornocio, cuius fidei creditus erat, subductus est. Taurus obfessa, vbi Regina mater, Henricus, Fridericus, & Stephanus Carpentarius, qui se Calatrauæ Magistrum ferebat, roburque coniuratorum erat: eodque diuturna obsidio fuit. Quo tempore ad Tordefillam (Turrim Syllæ alij vocant) Maria Padillia filiam enixa est, Isabellæ nomine. Ioannes Padillia illius frater D. Iacobi Magister ad Vrcesiam in tumultuaria pugna occubuit. honor importunè delatus exitialis fuit. *Mesia Carrilliusque ex*

40

CO

eo ordine Friderici partibus fauentes, cædis auctores extiterunt. præfici in eius locum alium Rex vetuit, cum ætate prudentior, Fridericoque fratri ad gratiam aditum parans. Bononiæ Cardinalis iisdem diebus ab Innocentio Pontifice legatus de pace, nihil impetrauit, rebus ad eum exulceratis. Petro tantum Barroso libertas data est. Henricus in Calæciam Tauro euadens sese periculo eripuerat, cauto iuuenis ingenio: cuius rei bellis omnibus documenta dedit. Fridericus accepta incolumitatis fide ad Regem egressus est. Vrbe ipsa tandem incolæ cuiusdam prodicione, quinto Ianuarij die, salutis anno millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto capta Carpentarius, Castaneda alijque viri primarij in ipsis Regiæ matris oculis ad tetrum etiam spectaculum exanimatæ decidensque obruncati. ea sibi reddita filij caput maledictis contenta voce defigere: paucisque interiectis diebus, comætu impetrato in Lusitaniam concessit, haud honestius quàm antea pudicitiam habitura. Martini Tellij Lusitani amoribus cum licentius indulgeret, fratris Lusitani Regis iussu, veneno est perempta. quidam à patre interfectam affirmant: quem certis monumentis constat, ad annum huius seculi sexagesimum primum vixisse. plerique anno millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo extinctum aiunt. Ludicrum militare Tordefillæ commissum, lætitiæ ob res res gestas argumento. Dies, & locus ludum magis & lasciuiam quam formidinem ostentabant. duo tamen Friderici satellites proxima luce perempti: ipse similis supplicij metu perfusus conseruatur. Terra multis locis hoc anno mouit: vrbium maritimarum præcipuo damno. è templo Hispalensi summo ferreæ pilæ decussæ. Olisipone sacellum maximum Alfonsi Regis recens structura, prostratum. clades imminere Hispaniæ plerique portendebant. irrita prodigia: Castellæ Regis imperium & scelera multis post annis continuata. populus in preces & vota conuersus numine placando vacabat. Tauro capto, Henricus viribus, Regique diffidens occultis tramitibus in Cantabriam euasit: vbi Tellius frater gentis armis, & locorum asperitate partium reliquias tuebatur, regijs vna & altera pugna victis. inde naui Rupellam Sanctonum vrbem nauigauit, quorsum quæ commota erant euaderent, expectaturus. Quo tempore Vasconum Rex Rhotomagi à Carolo Delphino Nortmanniæ Duce conuiuio exceptus, Regis Galli repentino superuentu captus, atque è vinculis causam dicere compulsus est. maiestatis lege postulatus, quod Anglis faueret Princeps Galliæ multis nominibus beneficiarius. sic Hispanorum, qui in Gallia erant studia diducta. Henricus Gallica stipendia fecit. Philippus Vasconis frater in Nortmanniam excito Anglo sese adiunxit. idem fecit Fuxensis Comes leuiri Regis iniuria permotus. vnoque tempore in expectationem rerum nouarum Gallia, Hispaniaque erectæ erant.

1356

40

*Libri Sextidecimi Finis.*

Ddd 5 HISTO.



# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XVII.

*Belli Aragonij initia. Caput. I.*



ELLM inter duas cognatas vicinasque regias Castellæ, atque Aragoniæ lib. septimusdecimus continebit, atrox, implacabile, multis viris principibus ipsique adeo ad extremum auctori exitiale futurum. nouorum Regum sobolem: lucemque terris & tranquillitatem redditam. Horret animus malorum, quæ passi sumus, commemoratione: tantumque sanguinis sine causa perditum fatigat: stylumque restringit. Detur hæc venia narrationi, vt sine tædio cognoscatur: detur temerè pereuntibus ruentibusque in arma. ira illa numinum fuit, furorque terris immissus. Singulæ belli causæ exiguæ. omnes quasi ex modicis riuis irarum flumen effecerunt. Rex vterque ardenti ingenio, omnis insolentiæ impatiens, morum seueritate haud dissimili, Castellæ ferocior cum ætate. Aragonijs fratribus in Castilla receptum esse auxiliumque rebus turbandis, Illicis nuper & Orihuelæ arces Castellæ præsidijs occupatas, Ferdinando Aragonio cõcedente, vt datæ fidei pignora essent, re vt fratri Regi incommodaret, Aragonio graue erat. Contra Castellæ Rex rem frumentariam fame ingrauescente in Bætica impeditam, ad ipsum Bætis ostium oppressa classe ab Aragonijs trirēmibus esse, magna prouinciæ clade: Castellæ perfugis tutum in Aragonia perfugium esse: milites Aragonios ordinum D. Iacobi, atque Calatrauæ suis Magiltris non obtemperare grauisimum iudicabat, iniuriamque armis vindicandam. Ad has belli causas noua accessit. Castellæ Rex rebus in vltiori prouincia compositis in Bætiam festinarat adulto vere, Hispali atque vicinis vrbibus factionis reliquias compressurus. animum curis distentum, vt tantisper leuaret, conscensa triremi ad Bætis ostium Hispali abiit: vbi tunnorum piscatus, prouentusque ex eo maximus esse consuevit. forte decem triremes Regi Gallo opem laturæ aduersus Anglos assiduos, infensosque Galliæ hostes ex Aragonia missæ, freti Gaditani faucibus egressæ Oceani littora legebant. duæ onerariæ naues ad S. Luciferi portum in ancoris erant. in eas ductor Aragoniæ classis Franciscus Perellus spe prædæ impetum facit. captæ in ipsis Regis oculis. grauis ignominia, aulicis præsertim visa, ex bello viuere, crescereque assuetis, rebus tranquillis minori gratia potentiaque. Missus Guterrius Toletus iniuriam contumeliamque expostulatum. proposito metu ferox Aragonij ducis animus, nihil mouetur: Genuensium eas esse merces excusans bellique iu-

10

30

40

15

re occupatas: quod rursus maiorique conatu cum ea gente in Sardinia renatum erat insigni Matthæi Oriæ perfidia. Egidius Velasquius ad ipsum Aragoniæ Regem continuo legatus, cum superiores iniurias commemoraturus, tum iure feicali res ablatas repetiturus, ducemque temerarium dedi ad supplicium illatæ ignominia iustum piaculum. Erat Aragonius Barcinone classe comparanda, instruendaque intentus aduersus Sardinia motus. eoque importuna legatio visa est. respondet, ad ea quæ postulantur demisse: Se Castellæ Regi satisfacturum, perfugis regni finibus prohibitis, Ducisque temeritate cum primum in prouinciam redisset castigata. Quod de militibus D. Iacobi & Calatrauæ  
 10 quereretur, id sui iudicij non esse. sacra iura à Romanis Pontificibus petenda, se neque auctore, neque repugnante. Velasquius eo responso nihilo mitior, bellum denunciat, hostilia passuros cum fecerint. Aragonius contra idoneam sibi inter foederatos amicosque Reges belli causam non videri, numine tamen omnis insolentiæ vindice se, vt non prouocare, ita temerè illatum bellum non timere recusare ve. ab hoc initio ventum ad arma. Catalauni mercatores, quorum magnus numerus erat, Hispali capti. bona publicata. magni delectus in vtraque prouincia habiti. externa auxilia conquisita. Ludouicus Vasconum Regis frater, qui se eo capto in Hispaniam contulerat, rebus præsidium, ab vtroque Rege ad societatem armorum inuitatur. cautior ille vtrunque spe  
 20 pacis distinere maluit, fortunam in consilio habiturus, ex arcano Aragonio æquior, cum quo maior necessitudo erat. In Valentia fines impetus, tribus vno tempore partibus factus est. Ferdinandus Aragonius prioris conspirationis memoria, prouinciales sollicitare, in eoque maiorem spem habere quam in armis, nihil audituros, pœnisque quas dederant superiori tempore cautiores. trahebatur bellum præcipuo agrorum, pagorumque damno, mense Augusto extremo. Ipso anno, quo in Gallia Pictauiense prælium commissum est Gallica clade nobile, genti funestum. à multo minori Anglorum numero, victi Galli, cæsi que sunt. vires eius gentis fractæ, Rex captus, filiusque Philippus natu minimus. cecidere viri nobilissimi: Petrus Borbonij Dux Blanca Reginae  
 30 pater, Galterus Magister equitum, Robertus Dyrrachij, eius propinquus Cardinalis Petragorij, qui forte de pace ab Innocentio Pontifice Legatus, prælio interfuit. Ad tertiumdecimum Kalend. Octobris pugnatum est. Huiusque pugnae euentu duo sunt consecuta ad nostram memoriam præcipua, Rex Vasconum, furto à suis hominibus è custodia subductus est, intraque Lutetiam admissus, seditiosis dux aduersus Delphini conatus: qui patre liberando intentus subsidia colligebat, redigendæ pecuniæ præcipua cura, magna prouincialium offensione. Vasco concionem Lutetiæ habet: indignitatem, iniuriam, ignominiamque conqueritur. se iure potiore ijs, qui de regno armis decertarent, Ludouici Hutini ex filia natum: cum Anglus Rex Isabella eiusdem Hutini sororis filius esset. neque obscure nouam telam contentionum Vasco ordiebatur, si pares vires suppetere animo & voluntati. bona restituta. ad hæreditaria oppida, principatumque Mafisco & Bigorra adiectæ. Briam, Campaniam, Burgundiamque, quas maiorum iure repetebat, quamuis  
 40 rebus turbatis obtinere non potuit. Henricus Trastamaræ Comes ex eo prælio incolu-

incolumis magnis pollicitis inuitatus sese ad Aragonium contulit: qui primus illi aditus ad regnum fuit, felicitatisque initium. Foederis initi summa: vt Castellæ amicitia fideque renunciata perpetuò se Aragonio subditum, amicumque fore iuraret. Vrbes & oppida acciperet, quæcunque Ferdinandi Aragonij extitissent, vna Albarracino excepta. Sexcentis equitibus, totidemque peditibus abs Rege stipendia darentur, sub Henrici signis eiusque imperio militaturis.

1357 Anno salutis millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, ineunte de finibus inter se Castella & Aragonia laceſcebant. variabant secundæ aduersæque res. Illicis iuris Aragonij facta est. Embites, Bordaluæque à Castellæ Rege armis, præſidijsque occupatæ. præcipui Aragonij duces Traſtamaræ Comes, Lupus Luna, Petrus Exerica. pro Castellæ Rege Fridericus D. Iacobi Magister, duo Aragonij fratres, & Ioannes Cerda. illi maiori fide, hi dubia atque ex fortuna ſuſpenſa, ſui Regis ſcelera morumque aſperitatem exoſi, Aragonijs artibus circumuenti: quibus ſanè hoc tempore magis quàm viribus extiſſe comperio. Ioannes Cerda, Aluarus Guſmanius primi ad mutandam fidem impulſi. cæſi ſoceri ditionisque interceptæ, dolor ſtimulabat: nam duas Coronelij filias, Mariam, Alſonſamque connubio iunctas habuerant. Tameſi metus obtendebatur. Regem immenſa libidine in Alſonſam coniectis oculis eam viro eripere deſtinatſe. & fortaſſe gemina defectionis cauſa erat. Ij Serone, quam arcem ad Aragoniæ fines præſidio obtinebant, in Bæticiam ſe proripiunt, ſtudia prouinciæ, vbi magnæ neceſſitudines erant amplexu ditio, concitaturi. magnam confidentiam, audaciamque temeritati proximam, in medijs regni viſceribus ciuilia arma mouiſſe. Siſamonem arcem, quæ ad fines Castellæ in Aragonia ſita eſt, cum copiarum robore, ea tempeſtate Rex inſidebat. inde diſcedentium veſtigia inſecutus aliquanto ſpatio conſequi non potuit, per diſpoſitos equos fugientium inſtar feſtinantes. Repetitum bellum maiori quam antea impetu. tum alia ignobiliora oppida in poteſtatem venerunt: tum Turiaſo vrbs primaria Vaſconibus finitima eodem impetu expugnata Martij die nono. ciues in repentino metu, ſuperiore vrbis parte, quæ firmiſſima erat amiſſa, deſenſione deſperata pacti incolumitatem Tudelam dimiſſi ſunt. Michaelis Guræ Præſecti, culpa vrbs ea amiſſa fertur: cui ſi animus fuiſſet, diutius ſuſtentare poterat. Itaque Regi ſuo diſſiſus poſſe ſatisfacere, domicilium in Vaſcones tranſtulit. vrbs Castellæ militibus data, agrique attributi. Aragonius ea vrbe amiſſa, vix ſe Cæſaraugulæ mœnibus tutum putare. noua ſubinde & externa auxilia conquirere maiori diligentia, quod per idem tempus Ioannes Cerda in Bætica ab Hiſpalenſi conuentu ducibus Ioanne Pontio Marchenæ regulo, Egidio Bucanigra maris Præſecto oppreſſus interfectusque erat. Venere ex Gallia Fuxenſis quidem Comes in Aragonia caſtra cum valida manu: Fuxenſis autem æmuli Albreti reguli ſeſe Castellæ viribus adiunxerunt. Venit ab Innocentio Põtificæ Guillelmus Cardinalis, pacem inter eas gentes reuocaturus. magna eius contentione vltro citroque commeando, conuenit tandem: vt induciæ annuæ & trimēſtres eſſent: dum de pacis conditionibus delecti proceres diſceptarent, pro Aragonio Cabrera, pro Caſtella Hinęſtrofa. interim oppida vtrinque capta penes Legatum, quaſi ſequeſtrum eſſent. Qui prior initum foedus violatſet,

ana-

anathematis ei ignominia, religioque obiecta. menſis Maij octauodecimo die induciæ pactæ. Quo menſe Alſonius Luſitanus Rex Oliſipone deceſſit, annos natus ſeptuaginta ſeptem, menſes ſex. regnauit annos duos & triginta, menſes quatuor. Corpus in ea vrbe ad aram templi maximi, vbi Beatrix coniux ſepulta erat, ſepultum eſt. Succēſſit Petrus noua prole ſuperiori menſe auctus ex Theraſia Calæca, quam Agnete Caſtria à patre interfecta, amicam habebat, formæ excellenti venuſtate, nulla præterea aut animi aut corporis dote. Proli Ioanni nomen fuit: cui cælum patrium auitumque regnum deſtinabat. vti competentem loco eſt explicandum. Ab Aragonijs arces continuò Cardinali Legato traditæ, eò promptius, quod pauciores ceperant. Castellæ Rex cæteris ſtare volebat: vt Turiaſone nouos incolas deduceret adduci non potuit. & Hiſpalim interea diſceſſerat, vt Bæticiæ motus componeret, claſſemque compararet, Aragoniæ littora inuaſurus, cum primùm induciarum tempus exiſſet. nam de pace nec ſperabat, neque cupiebat. In ea vrbe Alſonſæ Coroneliæ amoribus ita indulſit, vt præ illa Padillia contemptui eſſet. breuis gratia. ſic prauum animum nullæ difficultates à turpitudine, libidineque auocabant. Eius fruſtrationibus exceptionibusque Legatus Pontificis fatigatus, Regem quidem è priorum numero exemit: Castellæ vniuerſæ ſacrorum iuſtitium indixit, præpropera feſtinatione, vt viſum eſt: qua cauſa eum Pontifex ex Hiſpania auocauit. & id Aragonijs fraudibus agebatur, vt Castellæ Regi, quali impio & ſcelerato, nouam inuidiam conſtarent: gentis ſtudia auerterent: in quo maius præſidium, quàm in vera virtute collocabant. Acceſſit nouum incommodum. Ioanna Henrici coniux in Aragoniam deduſta erat Petri Carrillij fraude deluſo Rege, nulla amplius ſpe pacis. Fridericum, Telliumque fratres ad defectionem propenſos, nihil aliud morabatur, quàm quòd tantorum principatum æquam ab Aragonio compensationem fore non ſperabant. ea cunctatio multis vno tempore exitialis fuit. Ferdinandus Aragonius Iumilliam, quam in Aragoniæ finibus, armis ceperat, præſidio obtinens, re cum Cabrera communicata in partes traductus eſt, Aragonij regni procuracione conceſſa, ditioneque reſtituta. nihil in tanto discrimine tum quidem immodicum videbatur. Henrici tamen & Ferdinandi defeſtio Aragonijs ſalutaris, eorum fratribus exitium attulit. Quo tempore res in Sardinia meliori loco eſſe ceperant, Matthei Orię opportuno obitu, poſteris cum Aragonio conciliatis. Marianus Arboreę regulus nondum planè quieſcebat: ſed tanto præſidio amiſſo, parum proficiebat tamen. Sicilię pars multo maxima Ludouici Neapolitani Regis armis, præſidijsque occupata erat: Panormū Meſſanaque principes ciuitates. Fridericus (huic Simplicii cognomen fuit & ante duos annos Ludouico fratri ſucceſſerat) ingenio, etate, viribus imbecillus, regium nomen Catañę vnus munitione tuebatur, egra ſpe, Gallica factione reſurgente, vicinis Neapolitanis Regibus, inſidis prouincialibus. prorsus vt Siciliam, Athenas, Neopatriam Eleonoræ ſorori Aragoniæ Reginæ donaret. publicæ de ea re tabulæ ad Aragonium miſſæ: vt cum ad vires conferendum inuitarent, graui bello multis que ex eo difficultatibus in patria occupatum. Artalis Alauone Miſtretę Comitum virtute, fideque, res Aragonia ſtetit in Sicilia propemodum deplorata. multis locis cæſi hoſtes, ſontibus irrogata ſupplicia, aliorum perfidia beneficijs victa.

Principum



**A**STELLAE atque Aragoniæ Reges vindictæ ardor age-  
 bat præcipites, nulla honestatis cura, neque quid homines locuturi  
 essent, considerantes: prorsus vt Maurica auxilia euocare non ve-  
 rerentur. veneratque è Granata valida manus Castellæ rebus opi-  
 tulatura, cum quibus fœdus antea iustum stabat. Rex Marrocius ex  
 Africa ab Aragonio euocatus: quem hostis conatibus objiceret, viresque ex-  
 quaret. graue dedecus, religioni ignominiosum: de quo Pontifex Innocentius  
 grauissimis litteris exoptulauit. tantam esse lædendi cupiditatem, vt certam  
 pestem, vnde olim minori caussa exitium exitisset, allicere atque attrahere in  
 Hispaniam non formidarent. rectè atque opportunè, nisi salutaribus paternisq;  
 monitis, aures Principum essent obturatæ. Proceres qui Castellæ partes seque-  
 bantur ad transitionem sollicitati. Ferdinandus in primis Aragonius, quem in  
 discrimine fratri potius quàm amitino fauere natura compellebat. Iumilliæ,  
 quod oppidum armis ceperat, de ea re arcanò sermones habiti, tandemque Ber-  
 nardi Cabreræ opera ad Aragonias partes traductus est. tantæ molitiones oc-  
 cultæ esse non poterant. Itaque principio anni eius seculi quinquagesimi octa-  
 ui Friderici Magistri armis Iumillia occupata, detractaque Aragonijs est. re-  
 patrata Hispali in palatio, à Regis satellitibus, eiusque in oculis obruncatur. ea  
 nauatæ operæ merces fuit. tametsi consilia eum ad Aragonios deficiendi com-  
 municasse satis constat: eaq; Regi detecta exitium accelerasse suspicor. Ex ea vr-  
 be continuo in Cantabriam festinatum. quoniam fraterno sanguine manus se-  
 mel cruentauerat, in ea prouincia, simile seueritatis exemplum editurus. præoc-  
 cupauit Tellius fuga eius conatum, in Galliamque nauigauit. inde sese in Ara-  
 goniam retulit, fraternam necem, suamque iniuriam armis vindicaturus. Pro  
 eo victima alia mactata. Ioannes Aragonius Tellio fugato, Viscaia principa-  
 tum debitum, pactumque, & nuper Hispali promissum importunus effragitator  
 postulabat. ea caussa, siue quoniam cum cæteris Principibus conspirasse com-  
 pertum erat, ad Bilbaum municipium occisus est à satellitibus: auctor etiam  
 quidam ipsius Regis manu cecidisse ait. seuitiam detestandam. corpus è fe-  
 nestra in subiectam plateam precipitatum est, addita abs Rege verborum con-  
 tumelia. En, inquit, vestrum dominum, vestraq; regionis ambientem principa-  
 tum. inde Burgos relatum, funeris honore iureque sepulturæ caruit, in præter-  
 fluentem amnem proiectum. id scilicet, seuitiæ genus supererat, vt exanimis  
 corporibus insultaret. Eodem impetu Eleonora Regina, Isabellaque Ioannis  
 interfecti vxor, Roa vbi sese tenebant, Castrum Sericium in custodiam missæ.  
 fœda carnificina per prouinciam exercebatur. sex nobilium capita varijs locis  
 cæsa Burgos allata sunt, gratum Regis oculis spectaculum, optimo cuique fœ-  
 dum. plures alij Vallisoleti ad necem destinati, Henrici & Ferdinandi impro-  
 uisa irruptione in Castellæ fines seruati sunt. Henricus Soriæ Almasanique  
 agros vastare nunciabatur. Ferdinandus in Murcia fines penetrasse ferro. fra-  
 ternæ cædis dolor vtrunque stimulabat, impellebatque in arma. Castellæ Rex  
 periculo motus Vxamam abiit. inde Iulio mense missus ad Aragonium fecia-  
 lis

lis iniurias exoptulaturus. Contrà is, hostis insolentia excusat, arma necessario  
 capta: & quoniam culpam, vnde cunq; extaret, innoxio multitudinis sanguine  
 expiari iniquum esset, vt vigeni, quinquageni, centeni vè dimicarent, & se-  
 cundùm eius certaminis euentum finis controuersiæ esset, verbis minacibus  
 prouocauit. quod aduersarius contemnere visus est, animo ingens, viribus ma-  
 ior. Igitur Guterrium Toletum, quem Priorem Hospitalarium nuper crearat,  
 Murciam vti præsidio rebus esset, dimittit. præterea alium aliò: quem oppor-  
 tunum maximè fore cogitabat. ipse Hispalim festinauit, vbi classis triremium  
 duodecim instructa erat. venire è Liguria sex aliæ. cum ea classe Valentina lit-  
 10 tora, oppida, & vrbes tentare constituit. Guardamare oppidum, quod in Ferdi-  
 nandi ditione erat, primo appulsu, impetuque captum est. arx defensa, quoniam  
 ipso tempore, vi improuisæ tempestatis triremes ad littus eiectæ, fractæque  
 erant, duobus tantùm incolumibus. Graui & inopinato incommodo, superbus  
 animus nec flectitur, nec frangitur. oppidum crematum. pedestri itinere Mur-  
 cia petita est. Petrus Iuanus regia gratia in paucis præstans Hispalim missus est,  
 noua classe comparanda. Rex collectis vndiq; copijs Almasanum abiit. eo tra-  
 ctu in Castellæ & Aragoniæ finibus, oppida & arces hostibus detractæ: ac in  
 Tellij profugi ditionem seuitum maximè. Autumno præcipiti Hispalim Rex  
 redijt, quoniam terra parum profectum erat, mari hostem rursus impugnatu-  
 20 rus. in id numerosa classis comparata. Lusitanus auunculus decem triremes  
 auxilio misit, tres Granatensis Rex. Fuit is annus Eleonore Petri Aragonij Re-  
 gis, atque Ioannis, Henrici filiorum natalibus faustus, quibus coniugibus Cas-  
 tellæ regnum superi destinabant. Eleonora mensis Februarij vigesimo die, Au-  
 gusti Ioannes vigesimo nati sunt. Præterea in Valentinis conuentibus, vetus  
 annorum per Eras Cæsaris ratio antiquata est: nouaque lege inducta, annorum  
 à Christi ortu salutari computatio. Medina Celina olim ampla ciuitas, in Cel-  
 tiberiæ Carpetaniæ, & Areuacum consinibus, nunc modicum municipium,  
 sed natura loci validoque ea tempestate præsidio munitum, ab Aragonio pro-  
 ximi anni principio millesimi trecentissimi quinquagesimi noni tentatum est.  
 30 conatus frustra fuit. inde se Cæsaraugustam retulit. Castellæ Rex ad periculum  
 accurrebat. quo tempore nunciatum est, Guidonem Bononiæ Cardinalem ab  
 Innocentio Pontifice Legatum Almasanum appulisse. In eo oppido, facta di-  
 cendi potestate, in Castellæ Regum laudes effusus, quos Hispaniæ columen, re-  
 bus perditis præsidium extitisse: nunc dolere Pontificem aiebat, inter ciuilia  
 arma sacri belli cogitationem omitti. Quantum, si contingeret, oppressis co-  
 gnatis, & necessarijs profici? quæ laus? quæ gloria? ignominiam potius, inui-  
 diam, luctum, victori iuxta, ac victo. Verterent in impios arma. de summa re-  
 rum illic decertarent. Vltro honestissimas opes, decus, triumphosque obuentu-  
 40 ros. Verbis hæc sanctissimi Pontificis renunciare. venturum ipsum, tantopere ea  
 cura sollicitari, nisi ætatis incommoda, aliæque curæ auocassent. Ad hæc Cas-  
 tellæ Rex Aragonijs se fraudibus circumuentum ait: imagine pacis, amicitia  
 sæpe specie deceptum. Vnam tantum concordia conditionem superesse si per-  
 fugis regno prohibitis, Orihuelam, Illicim (Alicantem vulgo dicimus) aliaque  
 vicina oppida Ferdinando auo suo minore ab Aragonijs iniuria occupata  
 redderen.

redderentur. præterea in belli sumptus, quingenta florenorum millia. id Pontificis voluntati, Legati ipsius precibus, nobilitatique dare. adiit Cardinalis Aragonium nonnulla pacis constituendæ spe, quoniam de conditionibus agi cœptum erat. Verum ille aduersarij culpa, bellum susceptum excusabat, priorem intulisse arma. De patria, auitaque ditione quidquam diminui intolerandum videri. Controuersia modò arbitrium Innocentio Pontifici permissurum, quamuis lite olim datis iudicibus diiudicata. Tempus altercationibus trahebatur nullo fructu. retrum spectaculum vtrinq; gentem in mutuam exitium ruere sublata opitulandi potestate. ne induciæ quidem, vt fierent impetratum. sumptus obtendebantur classe valida comparanda a Rege Castellæ facti.

10

*Aragonia littora tentata. Cap. III.*



**M**ISSA concordia cogitatione, arma resumpta, repetitæ cædes. Almafani Ferdinandus Aragonius, Henricus & Tellius fratres, die dicta quamuis absentes perduellionis lege damnati. sublata reconciliationis spes: eò amplius quod Eleonora Regina in custodia mori compulsæ est. execrabile facinus, quamuis aduersus fontem, & extrema supplicia meritam. iam liberorum culpam materno sanguine expiari, nullo neque sexus, neque dignitatis, neque propinquitatis respectu quanta immanitas? Ioanna, & Isabella calamitatis sociæ, Ioanna Hispalim missa est, vbi aliquanto post & ipsa neci datur: Isabella Blanca Regina adiuncta, quam Seguntia arce Cæsarianum transferri eodem tempore mandauit, dilata vtriusque in aliud tempus nece: vsque adeo obstinato Regis animo, vt nullo mitiori affectu perumperetur. Obcæcabat diuina vindicta ne vim ingruentem declinaret. tametsi precibus & votis superos alieni iam imperij, fatigare non desistebat, conscensurus classem, quam Hispali paratam habebat, triremium vnus & quadraginta: quibus naues aliæ octoginta numero adiunctæ erant, validam, magnisque rebus perficiendis idoneam. sed rem Aragoniam in magno discrimine diu tutelares, prouincialium concordia tutata est. Præmissæ septem triremes ad Baleares insulas, onerariam Venetam noctæ ceperunt, nullo meliore iure quàm quòd in armis erat. à Rege auido, ne vlla excusatio esse posset, merces magni pretij, quibus onusta erat, occupatæ. à reliqua classe Guardamare oppidum cum arce expugnatum est. Illicim incolæ deseruerunt, viribus & munitione diffisi. sequebantur Regem Egidius Bucanigra maris Præfectus, Magister Calatraue, Magistri Alcantaræ Gonsalui Martini filius, alijque tota prouincia delecti proceres. è quibus Guterrius Toletus Prior Hospitalarius, cum idonea militum manu ijs in locis præsidio relictus est. reliqua classis Dertusam tenuit. Ibi à Legato Cardinali rursus nostri de pace appellantur nihilo maiori fructu. Inde Barcinonem appulsum mensis Maij nonodecimo die. duodecim triremes Aragoniæ in eius vrbs conspectu semel, & iterum impugnata, capi non potuerunt. littoris vicinitas, vnde ciues magna alacritate propugnabant, saluti fuit. Hostes eo conatu depulsi in vicinas insulas, quæ Aragonio imperio parebant, classe delati Ebusum tentant. oppidum insulæ cognominatæ

40

mine, quamuis machinis & operibus impugnatum, loci natura defensum stetit. Aragonius interea collecta è vicinis littoribus classe triremium quadraginta, certus cum hostium classe pugnare, in Balearem maiorem traiecit. in ea insula suorum precibus fatigatus, ne rei summam in vnus pugnae discrimen vocaret, ipse restitit. Bernardus Cabrera maris Præfectus, Cardonæ Vicecomes, alijq; viri principes dimissi aduersus hostium classem, ad rei famam Ebusi obsidione soluta, pugnandi voluntate ad Calpem prouectam. Aragonia classis in ostium se intulit eius amnis, qui ad Dianium influit in mare (Sucronem putabam, locis haud procul remotum). vtriq; pugnandi cupiditatem ostentabant. pari vtrinq; metu cessatum. sic maximus apparatus inanis fuit. Aragonius Barcinonem sese retulit Augusti die vigesimo nono. Castellæ Rex classe Hispalim dimissa, ipse Carthagine pedestri itinere Tordesillam festinauit, vbi per eos dies ex pellice Maria Padillia filius natus, cui Alfonso nomen, incredibili patrem letitia cõpleuit, vana tamen, cum breui æuo gaudium mœrore mutarit. Gasias Toletus in Friderici locum D. Iacobi Magister institutus, infanti educator, institutorq; designatur. Ad Cauni montis radices Campi Arauianae panduntur, septem olim nobilissimorum fratrum, quos Laræ Infantes dicimus, clade nobiles, Castellæq; infasti. in eum locum Henricus, Telliusq; fratres cum Aragonijs copijs progressi, præfidiarios Castellæ milites obuiam factos ceciderunt. magna strages fuit. trecenti ex hostium numero desiderati. multi viri nobilissimi, pars cæsi, pars capti. Dux ipse Hincstrofa in pugna cecidit. Ferdinandus Caltrius celeri fuga euasit. clades hæc mensè Septembri illata, magnum Castellæ Regi mœrorem animo iniecit: prorsus vt doloris vlciscendi studio furens, duos fratres suos Ioannem decem & octo, Petrum quatuordecim natos annos, Carmonæ vbi vincti erant, interficiendos curarit, nulla innocentis ætatis misericordia. id vnum restabat. magna apud populum inuidia Regi ex eo facto conflata est: nulla vtilitate publica, nulla priuata iniuria, tot Principes vnus hominis, feræ verius immanis sæuitia consumptos: omnesq; in vno facto humanitatis, pietatis, religionisq; leges violatas. Multi viri nobiles ad Aragonios, animos adiecerunt, ex alieno exitio cogitantes nullius salutem in Castella tutam esse. Ea maioris seuitiæ occasio extitit. Duodecim triremes Venetæ, quas vt interciperent Regis Castellæ iussu, viginti Castellæ triremes freti Gaditani fauces obsidebant, beneficio tēpestatis repente exortæ, periculum euaserunt. noua ex ea re belli materia quæri aduersus Venetos videbatur, nulla iustiori causa, quàm quòd oneraria paulò ante capta, irritatam eam gentem noua iniuria irritare, scelusq; occupare erat propositum. Legati Cardinalis opera, summaq; contentione de incunda concordia denudò actum est principio anni M. CCC. sexagesimi. oratores vtrinq; Tudelam dimissi, cum ampla paciscendi facultate. res prope spem erat, multa Castellæ nobilitate in Arauianae pugna amissa, plerisque alijs ad Aragonios elapsis. In his Dieghus Sarmentus Castellæ Antelatus, pariq; nobilitate & opibus Petrus Velasus recens profugerant. nihil tamen neque Tudelæ neque Sadunæ, quò paulò post oratores de pace conuenerunt, perfectum est. Aragonij successu elati erant. Castellæ Rex quamuis rebus aduersis, nihil de priori ferocia remittebat: tametsi tantis nudatus præfidijs vagus incertusque agebatur. inter belli pacisque

40

E c c consilia

consilia suspēso animo nulli fidere: Præfectos indies mutare: virtuti an fidei suorum minus crederet dubitare. miserabilis conditio, sed tanti nequitia erat.

*Blanca Regina occisa. Cap. IIII.*



**T**A de foedere agebatur, ut interim à neutra parte belli cogitatio intermitteretur. exercitui supplementum scribere, externa auxilia accersere, pecuniam conquirere: denique modis omnibus festinare: præsertim Aragonij, nam Castellæ Rex proceribus vindicandis intentus erat. Eo studio Hispali Legionem abiit. Petrus Gusmanius Legionensis Antelatus in Lusitaniam euasit. Petrus Osorius inter prandendum à Calatrauæ Magistro conuiuio exceptus, eo incio submissis à Rege satellitibus Legionem obruncatur. simili supplicio Maldonatus Archidiaconus Burgis, quo Rex festinauit, affectus est nihil terrente personæ quam gerebat sanctitate. litteras ab Henrico accepisse exitiale fuit. Aragoniorum irruptio alijs saluti fuit: qui Ducibus Henrico, Tellio, & Aufæ (Osonam vulgò dicimus) Comite in Ri uogia quidem Harum Anagarumque ceperant. Anagari Iudæorum cædes facta Regis odio: qui ei genti fauere videbatur, Samuele Leuita ærarij Præfecto. vicinis locis cædes oppidanorum, agrorum vastitas. Pancorum usque Aragonia signa prolata. Turiaso ad Aragoniorum ius redijt, Lucij Præfecti deditio. 20 ne, ob metum credo aliquem, aut spem melioris fortunæ. Castellæ Rex copijs contractis, hostibus occurrit. Aragonij sese retulerunt Anagarum. Castellæ castra ad Asofram ignobilem pagum posita sunt. eò vir sanctus (sic fama tulit) Regem periculi monuit, quod ab Henrico fratre, iraque numinis immineret. Diu Dominici Calsadij, cuius ille cultui dicatus erat, speciem humana augu- 30 stiore dormienti visam, id significasse. Nuncius interpreti exitialis fuit, in ip- sis castris igne est combustus, iure an iniuria dubitatum. Pro Anagari mœni- bus pugnatum. Castellæ milites meliora tulerunt. Aragonij intra oppidum com- pulsi, opprimi potuerunt: ni vœcordia Rex iniecta, salutare consilium repudiaf- set, satis profectum existimans elapsis hostibus. Anagarum Harumque recepta. Itaq; regni finibus ea parte munitis Hispalim redijt. federe cum Lusitano facto perfuge ad supplicium vtrinq; dediti, iure gentium violato, fideq; publica. noua- rum ea occasio cædium fuit. à Lusitano Cuellus Aluarusq; interfecti, ijs aucto- ribus Agnetem Castriam occisam fuisse recordante. Dieghus Paciechus socius criminis & periculi felici sorte, cædem fuga euasit, nauatæq; Henrico Principi operæ, amplam in Castella ditionem accepit, Paciechorum familiæ nobilis, atq; opulentæ inter Castellæ proceres cõditor. contra Petrus Gusmanius Hispali ob- 40 trûcatur: Gometius Carrillius in triremi, qua Hispali vehebatur, quasi Algezire Præfectus futurus. Garsia fratri vxor à Rege ablata, illi fugæ causâ extiterat: in hunc odij & ex mala conscientia prauæ suspitionis occasio. Ad Alfarum Ferdi- nandus Toletus Regis supellectili præfectus, eius iussu peremptus. luctuosa viri nobilissimi & integerrimi cædes toti prouinciæ fuit. aliæ causæ ad inuidiam mitigandam indignæ necis confictæ. re monendi libertas exitio fuit, quæ apud malos Principes non potest non esse exitialis. assentatio etiam apud bonos sipe periculo

periculo peragitur. eò in aulis Principum magna eius nationis incremēta sunt: nullius rei maior, quàm vera monentium penuria. Prior Hospitalarius & fra- ter patruini iniuria irritati, ad Aragonios discesserunt. Vascus Tolertanus Præsul solum exilio vertere compulsus est, sublata togam mutadi, aut partem aliquam domesticæ supellectilis efferendi facultate: nulla alia culpa, quàm quòd pro eo ac par erat, Guterrij fratris necem indignè tulisse videbatur. Conimbricæ is in Prædicatorum monasterio vitæ reliquum exegit. extincti corpus consequenti- bus annis in templum Tolertanum relatum est. hunc Blasium nonnulli vocant. 10 nominum varietas ne te, lector, cum multis fallat. Miserat Rex Aragonius qua- tuor triremes milite instructas, Tremesenio Regi federato auxilium. eæ à quin- que Castellæ triremibus oppressæ captæq;. Dux ipse Matthæus Mercerus, socij q; nò pauci Hispali obruncati: nulla veteris officij memoria: quod is forte & fide- le Algezira expugnanda præstiterat. Samuel Leuites regia vœtigalia guberna- bat pro voluntate: vnde illi ingentes opes & gratia antea, nunc exitium. Vincu- la iniecta, quæstiones tormentis habitæ, quorum grauitatem perferre nò potuit. interfecti bona in fiscum relata. fisci causâ sub malo Principe nunquam est ma- la. alioqui ad quadringenta aureorum millia occupata sunt. præterea ampla su- pellex, vestisque pretiosæ tantum, ut miraculo esset Iudæum hominem tanto- pere creuisse, nostra calamitate scilicet. Fine anni Granatensis Rex suorum con- 20 spiratione facta regno est pulsus. Mahomad à cæsarie barbaq; cognomento Ru- fus ex veteri Regum profapia, eius vrbs imperium occupauit. hinc noui belli materia: cum Castellæ Rex amici & foederati Principis calamitate moueretur ad Arundam profugi, quæ vrbs in Marrocij Regis fide perstabat: nouus Rex vn- diq; auxilia cõquireret ad Aragonios propensus, quod illi exitiale fuit, Alboha- neno præsertim ex Africa ad Hispaniam repetendam inuitato. Constantia Ara- gonij filia Barcinone in Siciliam missa, Friderico Regi pacta vxor, classis qua vehebatur Duce Olfo Prochita Sardinia pro Aragonijs Præfecto. nuptiæ pro- 30 ximi anni M. CCC. sexagesimi primi sub initia Catanæ celebratæ. Eius insula- res meliori loco esse cœperant, Neapolitanis hostibus quæ pulsas, quæ oppressis. ex eo coniugio Maria nata est, olim Aragoniæ Regina, Siciliæ regno dotata. Car- dinalis Legati opera in Hispania tandem pax constitit, neq; synceris animis, ne- que diuturna futura, his tamen legibus: Vt capta belli tēpore oppida, inter se re- stituerent. Castellæ perfuge Aragonijs finibus prohiberentur. Ijs à suo Rege ve- nia esset. Mensis Maij die octauodecimo ad Desam oppidum, vbi Castellæ Rex statura habebat, voce præconis fedus proclamatum. Maurici belli, quod grauisi- mum impendebat, metus cupiditasq; sancienda concordia occasionem præbue- runt. quæ ut cõstantior esset obsides vtrinq; dati: cautumq; ut ij in Caroli Regis Vasconum, quasi sequestri potestate essent: eo tempore in Gallia, prole ex vxore suscepta, cui Carolo nomen fuit, læti atq; de Hispania repetenda cogitantis, Vi- 40 cario interim Ludouico fratre, cui Vasconum resp. erat cõmissa. Facta pace Ara- gonius Calataiuba, vbi se tenuerat, Cæsaraugustam abiit. Castellæ Rex Hispalim: Henricus & fratres tēpori seruietes in Galliam concesserunt: quorum partes in Aragonia Castellaq; præualidæ formidabilesque, Gallorum fauore & armis muniendæ erant: bellumque maiori quàm antea impetu instaurandum. Blanca

Reginæ calamitas gentem permouebat, vt vires armaq; sociarent. non latuere  
 ij conatus Castellæ Regem. ira in Blancam, quasi tantorum bellorum causam  
 continuò vertit. Afsidonæ, vbi in custodia tenebatur, ipsam ad eundi, aut cum  
 quoquam colloquēdi sublata facultate, extincta est. Venenum à medico viri ius-  
 su temperatum. detestandam vefaniam, impium & crudele facinus, puellam in-  
 fontem, regio sanguine nobilissimam, lectissima forma, sanctissimis moribus  
 prudentiaq; quinto & vigesimo ætatis anno peremptam. Nulla ab omni memo-  
 ria eo loco scemina maiori miseratione. alias quidem à viris interfectas pulsas  
 ve meminimus, sed aliqua sua culpa. certè arridentem fortunam aliquando ex-  
 pertæ, præsentem dolorem melioris olim temporis recordatione lenire potue-  
 runt. Blancæ primus nuptiarum dies, funeris instar fuit, relictæ, inclusæ, deductæ,  
 vbi nihil præter calamitatem esset: pulsis domesticis, pellice validiore, auxilio  
 „ suorum lōginquo. Sed te Rex truculente, fera verius immanis, diuina ira maner:  
 „ tuum caput hoc sanguine consecratur. breui gratissima superis victima cades.  
 „ Infantis puellæ manes vltione felicioris, quam vita, noctes, diesq; exagitabunt:  
 „ atq; ita, vt neq; pudor à turpitudine, neq; à periculo metus, neq; ratio à furore  
 „ reuocatura sit in certum exitum ruentem. Fama est & idonei auctores confir-  
 mant, Regi ad Afsidoniam venanti, pastorem occurrisse vultu vesteq; horridum,  
 capillo barbaque squalidum, extrema comminantem, ni mutata mente Blancæ  
 calamitate moueretur. missi qui indagarent, an Reginæ suafu ea pastor renun-  
 ciasset, nixam genibus, castissimis precibus vacantem inuenerunt, aditu ita clau-  
 so, vt omnis suspicio amoueretur. Opinio hominum magis confirmata, cum pa-  
 stor è vinculis emissus nunquam comparuisset, aliquo instinctu inflatq; diuino  
 prædixisse futura. Isabella, Laræ filia Cesariani & ipsa veneno sublata est. qui-  
 dam Vreniæ prope Taurum in Vaccæis Blancam extinctam ait, ac ne de tem-  
 pore conuenit Eleonoræ Reginæ opsonator, in proprio commentario, de re-  
 bus suæ, hoc est, consequentis ætatis.

*Rex Granatensis interfectus. Cap. V.*



IC innocentium sanguine vrbes & oppida, arces, agri, maria re-  
 dundabant. vbiq; scuitiæ impressa vestigia relinquebantur: quanto  
 provincialium mœrore metuq; dicere non attinet, ne simile exem-  
 plum paterentur, singulis dubitantibus, nullius in tuto salutem ef-  
 se. mœrorem tamen publicum aliqua ex parte Mariæ Padillæ obi-  
 tus Hispali mense Iulio consecutus mitigauit: femina præter iniuriam pellica-  
 tus magnis animi & corporis dotibus, dignæq; imperio. Blancæ corpus Tudelæ  
 in tēpli summi sacrario, translatio funere aliquanto post tumulatum est ab ijs  
 Gallis, qui Henrico opitulatum venerunt, cum in Galliam deferre ad maiorum  
 sepulcra propouissent. Padillæ funus per vrbes & oppida magnificè quasi iustæ  
 Reginæ celebratum. datæ vbiq; inferiæ. cineres in Studilli monasterio, quod in  
 Vaccæis eius impesa extructum erat, conditi sunt. filij regio cultu, & in spem pa-  
 terni regni educati. Tria Toleti in D. Dominici regio virginum monasterio se-  
 pulcra extant: Therasiæ vnum, cui in obsequijs Reginæ matris versanti coniugij  
 etiam

etiam spe facta, vitium Rex intulisse memoratur: ex eaq; filiam genuisse, cui Ma-  
 riæ nomen fuit. duo alia: huius vnum, cum ei virginum collegio diu præfuisset,  
 alterum Sanctij & Dieghi, Petri Regis filiorum ex Isabella, nobili an obscuro lo-  
 co compertum non est: sed nulla erat tanta pudicitia, tantisq; virtutum præsi-  
 dijs munita, quam impudici iuuenis libido audaciaq; non perumperet. ita ex-  
 perrecti viri, propinqui & necessarij esse non poterant, vt ab eo cauere possent,  
 studia omnia vincente temeritate. Per idem tempus à Lusitano Rege proles  
 quas ex Agnete Castria suscepisse dictum est, iustis nuptijs procreatas esse, regiæ  
 que ad eò hæreditatis capaces fore Olisipone pronunciatum, testes laudati Egi-  
 dius Guardiæ Episcopus, Stephanus Louatus regiæ supellectilis præfectus: quos  
 clandestino coniugio adhibitos sanctissimo iureiurando confirmabat. Aderant  
 Lusitani proceres, atque in ijs Alfonso Tellus, Barcelosij Comes in ea vrbe  
 anno priore proclamatus insigni apparatu, festaq; vniuersæ gentis lætitia. Id ho-  
 noris nomen in Hispania infrequens, in Lusitania eatenus inusitatum fuerat.  
 nostra ætate Comitum, Marchionum, Ducumq; iniri numerus non potest. for-  
 dentibus primis insolita nouaq; admiramur captamusq; humani ingenij vitio,  
 hoc quoque nomine prauis. Bellum interea Granatense magno viriusq; gentis  
 conatu gerebatur. contractis vndiq; Castellæ copijs in Maurorum fines irrum-  
 pitur. Antequera (Syngilia hæc veteribus fuit) obsessa, loci præsidijq; firmitate  
 defensa est. ipse vrbs Granatæ ager vastatur. nullum præterea operæpretium ex-  
 titit. Maurorum tantum manus sexcenti equites, duo millia pedites, in Casorlæ  
 agros inuecti, Giennensium aliorumq; circum oppidanorum concursu oppres-  
 si sunt. hoc initium belli Maurici fuit. Maior ex Gallia belli metus impendebat,  
 quem vt auerterent, Cardinalis Legati, qui se ea ætate Pompelone tenuerat, ce-  
 li amenitatem, lociq; opportunitatem secutus, summa cōtentione, quos Castellæ  
 Rex perduellionis lege Almafani damnauerat, fratres, proceresq; vt ijs senten-  
 tia reuocata integra venia esset, agebatur. id icti nuper fœderis legibus cōtineri.  
 Iustissimis postulatis ferox Castellæ Regis animus nihil flectebatur: videbaturq;  
 maius, quàm quod gesserat bellum in Aragonios versare. Legatus ergo pro iure  
 acceptæ potestatis latam in Henricum & socios maiestatis sententiam, irritam  
 pronunciauit. impulsor incitatorq; Aragonius. Castellæ Regis animus ex ea re  
 in vindictæ studium vehementius inflammatur: iram confecto bello Mauri-  
 co effusus. Ad Granatam bellum alternante fortuna gerebatur. ad Accim, hoc  
 est Guidixium, insignis clades accepta, ad quintumdecimum Kalend. Februarij  
 salutis anno millesimo trecentesimo sexagesimo secundo. mille equites, pedi-  
 tes duo millia in hostium fines inuaserant, Accimque parabant expugnare. du-  
 ctor Calatrauæ Magister. maior militum numerus vrbs præsidio aduenerat,  
 nostris ignaris: eoque magna animorum confidentia vicinis Alliamæ agris eua-  
 standis, nonnulli dimissi. Mauri cæteros opprimi posse cogitantes vrbe crum-  
 punt, continentique totius diei pugna victores euadunt. multi uirum virtus ces-  
 sit. è piorum numero multi ceciderunt. plerique capti. in his ipse Calatrauæ  
 Magister Granatam deductus, sine vilo pretio dimittitur. eo blandimento in-  
 fensi Regis animum lenire barbarus satagebat. Metum ille interpretatus fero-  
 cior, cum omnibus copijs acceptæ ignominie resarciendæ studio, in Mau-  
 rorum

rorum fines impetum facit. bello vastatus ager. multa oppida capta. villæ incen-  
 sæ. abactæ prædæ. ad has calamitates domestica pestis accedebat. gentis studia  
 diducta. magna pars Lago profugo quamuis, & eiecto fauebat: magnusq; pro-  
 pterea æmulum amittendi regni metus incefferat. Ergo Rufus re cum proceri-  
 bus communicata Hispalim abire instituit, fide prius incolumitatis impetra-  
 ta: alioqui in Castellæ Regis potestate futurus. consilij exitialis auctor Odri-  
 cius comes periculi, magna ea tempestate inter Mauros auctoritate, & à multo  
 rerum vsu facta prudentia clarissimus. Quadringenti equites sequebantur, pe-  
 ditibus dimidiato numero. argentum aurumq; multum, gemmarum, vestisq; pre-  
 tiosæ vis ingens. aduersus iram Regis infensi præsidium in eo ponebat Maurus,  
 vnde exitum extitit. Hispali intra arcem admissus, factaque conueniendi po-  
 testate hanc è comitibus vnus orationem habuit. Adest Granatensis Rex,  
 maiores suos, Castellæ beneficiarios, foederatos, subditos, semper extitisse me-  
 mor. Si quid offensum erat, vt sunt variæ & inconstantes res humanæ, vestigali  
 imposito, pecuniaque imperata mulctatis ad redintegrandam gratiam aditus  
 erat. Si quid domi controuersia incidisset, Regum Castellæ arbitrio finire mo-  
 ris erat. quod nobis accidisse gaudemus. Sit operæpretium supplices ad Regem  
 potentissimum accessisse. Lagos à gente pulsus, cui superbe & auarè dominaba-  
 tur: in eius nos locum suffecti sumus propensa omnium ordinum voluntate, re-  
 gio genere orti, regnique hæredes legitimi. A Emuli viribus superiores sumus:  
 tibi cedimus: neque tuæ potentia & felicitati pares nos fore putamus. A Equi-  
 tatis præsidio vallatis iustissimi Principis patrocinium haud defuturum confi-  
 dimus: neque nostras, hoc est, regias preces inanes apud Regem futuras. eoque  
 amplius, quod fidei instar publicæ, concepta de tua clementia spes, vt veniremus  
 animos fecit: satis magnum præsidium arbitrantibus, innocentiam nostram,  
 tui ô Rex inuictæ nominis maiestatem. Ad hæc Castellæ Rex fallaci eblandi-  
 tus vultu verbisq;, gratum aduentum extitisse ait. bono animo esse iubet. Hæc,  
 inquit, dies, neque tibi neque tuis quicquam detrahet. omnes causæ necessitu-  
 dinis intercedunt. alioqui non cum fortuna hominum, sed aduersus superbiam  
 ferociamque bellum gerere consueuimus. Hæc ait: simul à D. Iacobi Magi-  
 stro Garcia Toletio Rex barbarus ad cœnam deductus est. cœnanti vincula inie-  
 cta. sic repente aut mutata, aut detecta sæui Principis voluntate. Neque eatenus  
 calamitas constitit. paucis post diebus Rex calamitosus in purpura asino impo-  
 situs, & cum eo septem & triginta socij pœnas capite dederunt. Campus, cui ad  
 vrbe Tablatæ nomen est, supplicio designatus. fama fuit, thesauros quos attu-  
 lerat malo fuisse, Regis animo auaritia corrupto. tyrannumque ipsum sua manu  
 interfecisse addunt. foedum facinus. detestabile carnificis ministerium, cædisq;  
 genus morte ipsa grauius. sermones hominum, qui futuri essent, inuidiæ moles  
 quanta non cõsiderabat. vulneri verba contumeliosa addita. Nostra, inquit, ma-  
 nu cades. Aragonij foederis tua causa importunè icti, hæc merces esto. ad quæ  
 patria lingua Maurus: Positis armis supplicem, dedititium, quæ nam gloria, frau-  
 de cædis? Ruffi sanè interfecti corpus ad Lagum æmulum missum: qui conti-  
 nuò regno recepto Christianos omnes, qui ad Accim capti erant, liberos abi-  
 re permisit.

*Aragonium*

*Aragonium bellum repetitur. Cap. VI.*



CONFECTO bello Maurico, rebusque in Bætica compo-  
 tis maiori impetu in Aragonios arma mota: dissimulanter tamen  
 specieque belli defendendi, quod ex Gallia grauiissimum impen-  
 dere videbatur, Henrico auctore præcipuo. Angliæ Rex ad fan-  
 ciendum foedus sollicitatus. in Gallo parum spei erat, Blancæ in-  
 terfectæ memori, vindicaturoque armis. Soriæ, Vasconum & Castellæ Regum  
 colloquium fuit. arcandò vires aduersus Aragonium sociatæ. Vasconi, belli in-  
 ferendi nulla causa erat. fingit denunciatque sibi aduersus Gallia Regem pro-  
 pinquo & necessario opitulatum non esse: eamque iniuriam armis vindicare  
 velle. ergo ex sua gente copijs contractis, in vicinos Aragoniæ agros irrum-  
 pit. Solum municipium diuturna obsidione expugnat. Castellæ Rex viribus  
 formidabilis, nam decem millia equitum, peditum triginta millia sub signis  
 habebat, Harisam, Atecam Cetinam, Alhamam improviso adortus, capit.  
 mense Iunio Calataiubam promotæ castra, validum in Celtiberis munici-  
 pium, præstanti erga suos Reges fide. Missus ab Aragonio, qui Perpiniæ &  
 Barcinone se tenebat, Aufonæ Comes, Bernardi Cabrerae filius, vt obsessis  
 præsidio esset, ad Miedes oppidum interceptus captusque est. & erat Arago-  
 nius diuturnæ pacis spe à rebus omnibus imparatus. Henricus Tellusque,  
 præterea Gallica auxilia euocata. serius omnia voluntate necessitateque pro-  
 cedebant. Itaque Aragonio concedente, quarto Kalend. Septembris obsessi  
 deditioem faciunt, incolumitatem, atque vt suis legibus viuerent pacti. Ca-  
 pto municipio D. Iacobi Magister cum iusta militari manu præsidio relictus.  
 Vasconum & Castellæ copix in hiberna deductæ. Castellæ Rex Hispalim sese  
 retulit. in ea vrbe prius quàm Aragonium bellum repeteret, in regni conuen-  
 tibus Mariam Padilliam legitimis nuptijs iunctam sibi à primis annis fuisse  
 affirmavit: eoque Blancæ nuptias irritas extitisse. Procerum ob diuersa studia  
 eatenus dissimulatum: nunc conscientiam religione obstructam, & filiorum  
 quos genuerat, causam mouere. mortuæ nomen Reginae, & inter Regum bu-  
 sta tumulus datus. Deinde Alfonso filio, cui regnum destinabat, immatura  
 morte sublato quintodecimo Kalend. Nouembris, grauiissimo patris luctu,  
 testamentum condidit ad quartumdecimum Kalend. Decembris. In eo me-  
 dium se inter Padilliam Reginam, filiumque Alfonso, in sacello quod sua  
 impensa extruendum curabat, sepeliri mandat, in veste Franciscana. ho-  
 mo pius, religiosus, memorque mortalitatis diuinum numen propitiari eo  
 ritu volebat. & sanè sensu cum aliquo numinis tangi, tametsi prauæ sæ-  
 pe cupiditates in transuersum rapiebant naturæ vitio, longoque vsu con-  
 firmatæ, satis indicant eius testamenti tabulæ, quæ autographæ extant. Re-  
 gni hæredes filias deinceps fore sancit, eisque Ioannem substituit, ex Ioan-  
 na Castra susceptum: cum vtrique iustis nuptijs procreati esse non pos-  
 sent: vanumque commentum extitisse, quod de Padillia coniugio vulga-  
 rat, neque iura, sed vim & libidinem dominari, id ipsum indicio est. ta-  
 met si Calatrauæ Magister, Maiorga, Peresius, alijque testes idonei scili-

cet & prestantes, in initum cum Padillia cōiugium, sanctissimo iureiurando, con-  
 tactis sacris confirmarant. Ferdinando Aragonio, Henrico & fratribus filiarum  
 aliquam connubio iungi vetat: si secus faxint, iure paterno maledicit, regni que  
 successione amouet. Beatrici mandat, uti Ferdinando Lusitanæ iuuentutis  
 Principi nubat: dote Castellæ regno. tutor ad idoneam ætatem Garfias Tole-  
 tus D. Iacobi Magister designatur. Diegho Padillæ Calatraux, Suero Marti-  
 no Alcantaræ Magistris honores antea habitos integros esse statuit. Rebus  
 domesticis compositis, fundatoque reipublicæ statu, in medijs hyemis frigori-  
 1363 ribus, principio anni millesimi trecentissimi sexagesimi tertij, ad arma rursus  
 festinatum. tanta erat cupiditas Aragonios vindicandi. exercitui supplemen- 10  
 tum scribit, externa auxilia conquiri: ac nominatim Rex Angliæ, Valliæ que  
 Princeps ad societatem armorum inuitati. Primus impetus in Maluendam,  
 Arandam, Borgiamque factus est. hæc, aliaque minora oppida in potestatem  
 venere. Turiaso circumfessa. Alia parte Vasconum Rex ad Exeam, Tiermasque  
 in hostium fines incurrit, fortunas agrestium agens ferensque paci, agrisque  
 infestus, ac vicinis vrbibus formidabilis, Castellæ militum, qui cum eo erant,  
 præcipua sæuitia. Ludouicus Vasconis frater cum delecta manu in Castellæ  
 castra venit. idem fecere trecenti Lusitani equites, ductore Egidio Caruallio,  
 D. Iacobi in Lusitania Magistro. Granatæ Rex ab Aragonio sollicitatus, ut Bæ-  
 ticæ arma inferret, facere recusauit, recenti Castellæ beneficio obstricta fide. 20  
 Solicitati etiam Africani Reges ad ferendam opem, nulla famæ memoria. ac  
 excusatio erat, sexcentos Granatenses equites, Roduano Duce in Castellæ ca-  
 stra venisse. Tantis viribus Aragonius impar erat: tametsi ex Gallia valida au-  
 xilia venire nunciabantur, Henrico Duce equitum tria millia. dedita Turia-  
 so, capta Magalona, Teruelaque. alia parte Segorbium, Exericaque in potesta-  
 tem venerunt. minorum oppidorum arciumque magnus numerus. peruia om-  
 nia Castellæ viribus erant. in intimam prouinciam armis victricibus penetra-  
 tum. Saguntum circumfessa, deditaque. in Valentia conspectu castra posita, ad  
 duodecimum Kalend. Iunij. magnus tota prouincia terror, rerumque, despera-  
 tio. Erant Castellæ copiarum numero imminutæ, diductæque, in plura præsidia, que 30  
 captis oppidis imponi necesse fuit. id vnum saluti fuit Aragonio, Henricoque  
 cum iusto exercitu obuiam procedentibus. Castellæ Rex totius certaminis aleam  
 subire non ausus, sese Saguntum retulit, loci firmitate bellum defendere pa-  
 rans. hostes ea spe depulsi Burrianam redierunt, vicinum in Edetanis oppi-  
 dum, firmissimumque: quamuis immixtus Castellæ equitatus intermorari atque  
 impedire erat conatus. Obierat Londini Ioannes Gallia Rex ante menses  
 duos, cum ut datos ante libertatis suæ obsides liberaret, in Angliam traiecisset.  
 Cadauer Lutetiam relatum, conditumque in templo Dionysij, iudicibus se-  
 natus Parisiensis in veste lugubri succollantibus. Carolus eo nomine quintus  
 Remis more institutoque maiorum, Rex Gallia sacratur, Regi Vasconum ex 40  
 superiori rerum memoria vehementer infensus. Bernardus Clakinus è Britan-  
 nia Celtica vetus Regum Gallia miles, multisque bellicis operibus clarus. im-  
 petu in Vasconis Gallicam ditionem facto, Meduntam, Mulanchumque, in Nort-  
 mannia, fraude cepit: Philippum Vasconis fratrem acie deuicit: quem per hæc  
 tempora

tempora decessisse comperio: eoque Vasconis animum ad pacem inter Hispa-  
 nas gentes constituendam propensum esse cœpisse. Aragonij is propinqui &  
 necessarij, periculo & calamitate mouebatur. Regis Castellæ felicitas inuidiosa  
 erat, actiones importunæ. Ludouicus Vasconis frater Regum consensu de pace  
 legatus, adiunctusque Abbati Fiscani, qui Legati pontificij partes implebat,  
 vtrunque Regem adiit. aderant Deniæ Comes, Bernardusque Cabrera ab Ara-  
 gonio ad Castellæ Regem, de rerum summa legati. ijs agentibus ferox Castellæ  
 Regis animus mitigari visus est. gemini coniugij spes facta. Castellæ Regis &  
 Ioannæ Aragonij filia. præterea Ioannis Gerundæ Ducis & Beatricis Castellæ  
 10 Regis filia. Hæc palam iactata. ex arcano Henrico Trastamaræ Comiti, Fer-  
 dinandoque Aragonio, dissidiorum in vtroque regno præcipuis auctoribus, exi-  
 tium moliebantur. Castellæ Rege id expetere, Aragonio graue id facinus & tur-  
 pissimum videbatur, fide publica munitos, nulla noua culpa interimi: alienaque  
 calamitate pacem redimere. Siue hæc causa fuit, siue alia, Ferdinandus Arago-  
 nius Castellonij ad Burrianam iussu fratris interfectus est. veteris odij semina  
 ad maturitatem peruenerunt: & nunc Aragonio fratre deserto, cum Castellæ  
 militum multo maxima manu, qui eius auspicia sequebantur, in Galliam disce-  
 dere parabat. vxor cum clam in Lusitaniam discederet, in itinere intercepta,  
 deinde ad patrem Regem dimissa est. Henricus Trastamaræ Comes vitæ dis-  
 20 crimen ad Vncastellum (oppido id nomen est, quod Aragonius & Vasco per  
 causam mutui colloquij ad confines conuenerunt) inscius euasit: felix duplici-  
 ter, Ferdinando grauissimo æmulo sublato, euitatis insidijs beneficio Arellani  
 ei arci Præfecti, per fidem colloquij tantum Principem perimi, suæque familiae  
 prodita fidei perpetuam inuri maculam passurum se negantis. Mirum inter fi-  
 dem perfidiamque, ea tempestate fuisse discrimen, cædium frequentia, cunctorum  
 animis efferatis. hominem externum, Vasconis cubicularium, tanta cōstantia se-  
 se duorum Regum conatibus opposuisse mirum. Henrico cælum, imperium fra-  
 ternum destinabat, cui humanæ fraudes sunt impares. Catanæ in Sicilia per  
 idem tēpus mense Iulio Constantia Sicilia Regina extincta est, filia relicta, cui  
 30 Mariæ nomen fuit, regni paterni hæredi, Aragonij Regis filio Martino nuptura.

*Henricus Rex Castella proclamatur. Cap. VII.*



**C**ONCORDIAE ineundæ conatu speque intermissa, Arago-  
 nius in Catalaunos belli subsidia conquisiturus, Castellæ Rex op-  
 pidis que capta erant munitis, Hispalim abiit, tanta cupiditate bel-  
 li instaurandi, ut sine anni per Murcia fines in Valentinos agros  
 inuectus Illicim, Muelam, Callosam, Dianium, Gandiam, Oliuam,  
 partim vi, partim deditione ceperit. Valentia ipsa prouinciæ caput mense De-  
 40 cembri circumfessa. ingens terror genti vniuersæ, Aragonioque Ilerdæ nata-  
 lem Christi diem celebranti, atque de belli euentu sollicito. Ad Sosium Aragoniæ  
 arcem Vasconis & Aragonij Regum colloquium fuit, septimo Kalen. Martij,  
 salutis unno millesimo trecentesimo sexagesimo quarto. assuit Henricus Tra-  
 stamaræ Comes, reconciliata gratia, an quod potius arbitror priorum insidia-  
 1364



rum ignarus. Fœdus factum eosdem amicos inimicosque futuros. Castellam si victores euaderent prædæ futuram. Henricus fraternas opes & imperium spe inuaserat. quod oppressus eatenus non esset, victoriæ instar ducebat. Cantabria Vltiorque Castella vniuersa Vasconi: Murcia Toletumque Aragonio pacta sunt. de alieno munificum esse facile erat. Bernardo Cabrera vni maximè ij conatus displicebant, quibus Castellæ vires irritabantur Aragonijs superiores, vti belli cuentus indicarat. Bernardi opprimendi consilia inter Principes comunicata. res tanta latere non potuit. Almudeuare se ille in Vascones subduxit. ibi captus, aliquandiuq; in custodia detentus, per conditiones Aragonijs traditus est, quorsum Valentina obsidio euaderet sollicitis: prorsus vt copijs omnibus contractis, Rege ipso ductore, hosti totius pugnae copiam facere non dubitarent. verum eo certamen detrectante, qua causa incertum, sed pugnare non auso, sese Valentiam intulerunt, quarto Kalend. Maias, magna Aragonij nominis gloria, hostium dedecore. Castellæ classis numerosa, quippe viginti quatuor triremium, nauium quadraginta sex, vicinis littoribus tentatis Saguntum appulit. Cardonæ Vicecomes cum decem & septem triremibus Aragonijs sese in Culleræ fluium intulit. eius opprimendi spe Castellæ Rex classe conscensa ostium obsidet, irrita conatu ob exortam repente tempestatem. repetita castra: Rexq; à supremo vitæ periculo seruatus, voti reus vicinum D. Mariæ templum reliquis indumentis detractis in linea tunica adiit, resti etiam collum implicitus: ingenio suo neque immitis, neque irreligiosus nisi iniuria prouocasset. sic Reges Aragonius Barcinonem, Castellæ Murciam atque inde Hispalim redierunt in magnis ætatis feruoribus. De Bernardo Cabrera supplicium CæsarAugustæ sumptum est septimo Kalend. Augusti, Aragonio ipso sententiam pronunciante, Ioanne filio eius iussu exequente. ablata oppida Cabrera, Aufaque, atque multa alia, quæ Bernardus obtinebat. Magnum nefas, nutritium à quo erat sanctissimis moribus informatus ab alumno interfici. quid innocentem, cuius amplissima merita in Aragoniam regiam extabant? nimirum incorrupta libertas maiori fama celebratur: obsequium Principibus magis probatur: & à Regibus sæpe familiarium inuidia peccatur: qua vir præstantissimus nulla præterea culpa oppressus est. Regina, Vasco, Henricus præterea Ripagorsæ Comes in eius necem conspirarant. Mox repetita arma. in agro Valentino à Castellæ Rege Aiora capta est. Guterrius Toletus, qui in Sueri locum Alcantaræ Magister susceptus erat, vti comneatum Sagunto inferret missus, ab Aragonio in ipso itinere victus interfectusque est. Martinus Corduba regiæ supellectilis præfectus successor. Ea clades noua ignominia & maxima geminata est. Castellæ Rex Illici, Orihuelæ fines infestos reddebat: veneratque in spem eius vrbis potiundæ. Aragonius omnibus copijs contractis præsidio adesse certus, castra in hostium conspectum promouit: ijsq; certamen eo etiam loco detrectantibus, quippe suorum voluntati Castellæ Rex non fidebat, Orihuela inuecto comneatu, impositoque præsidio munita est. Hæc sine anni gerebantur. Quo tempore allatum ex Italia est, Egidium Cardinalem, antea Toletanum Præfulem, diem obiisse. Viterbij ad tertium Kal. Octobris decesserat vir domi militiæq; clarus. tribus Pontificibus Clementi, Innocentio, & qui per hæc tempora

pora Romanam ecclesiam tenebat Urbano quinto carus. felicibus armis ditio- nem restituit, quam varij reguli occuparant, iniuriaq; abstulerat in Italia. iterq; eorum successoribus aperuit, v Romam veterem sacri imperij sedem repeteret, quod propediem futurum erat. Cineres Afsisij in Franciscano templo conditi. inde Hispaniæ motibus pacatis Petri Regis cæde, Toletum vti ipse testamento cauit, relati sunt, atque in D. Illesonsi templi maximi sacello compositi, tumulo marmoreo dicato. populis baiulis, qui se veniæ peccatorum spe toto itinere obuij cateruatim effudere. proximo salutis anno incunte millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, ab Aragonio quidem Saguntum obsessum, ac tandem ex ditione captum. à Castellæ Rege Orihuela diuturna obsidione in potestatem redacta. Iunij mensis die septimo Alfonsus Gusmanus Sancti Luciferi regulus, Henrico cuius is partes sequebatur, eximia opera nauata ad eam urbem occubuit, quamuis in florenti ætate iuuenis, acer consilio, manu strenuus. hæredem habuit fratrem germanum Ioannem Gusmanium. Ad Saguntum Gomecius Porras Hospitalarius Prior cum sexcentis præfidiarijs militibus ad Aragonias partes traductus est: sui Regis metu, an Henrici caritate incertum. ab hoc certè initio, quamuis modico, Castellæ vires debilitari cœperunt, ac planè in præceptis ire: adè ex paruis sæpe magnarum rerum exitus pendent. Accessere ex Gallia militum numerosæ manus, qui pace cum Anglis facta, tota prouincia vagi palantesque bello viuere assueti, miserorum fortunas prædæ habebant. Urbanus ipse Pontifex ab his prædonibus circumfessus, suam Romanæq; aule libertatem multo auro redimere compulsus est: omnino trecentis florenorum millibus stipendij nomine (ea species prætentata est.) tantundem à Gallo Rege repræsentatum eius pestis à suis finibus auertendæ studio. Pontifex sanè eo defunctus periculo in Italiam sedem transferre cogitauit haud stabilem tunc: sed vim numinis sentiens, metuensque indies grauiora ob desertum à maioribus sanctissimum religionis domicilium: & defuncto Egidio Cardinali, partem ab eo veteris patrimonij hæreditatem cernere cupiebat, subditosque populos in fide & officio confirmare. Militum Gallorum colluies ex Germanis, Anglis, Armoricis, Vasconibus, alijsq; gentibus conflata, & ex vniuersa Gallia spe lucri prædæq; auiditate, Henrici inuitatu, cui à priori tempore bene velle cœperant, fortissimi viri, genere factisque præstantes venere in Hispaniam. præcipui Duces Bertrandus Clakinus Armoricus, Hugo Carbolaius domo Anglus. Ioannes Borbonius, quem interfectæ sororis dolor stimulabat, bello quamuis delectus Dux mansit in patria, qua causa incertum, sed in Hispaniam tamen non venit. ad duodecim hominum millia erant equites peditesque. Proflantes hitoricus Gallus ad triginta millia in eo exercitu fuisse auctor est. Iplis Kalend. Ianuarij salutis anno millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, harum copiarum pars Barcinonem appulit. reliqui modicis interuallis sequebantur. præcipui Duces ab Aragonio benignè accepti conuiuio sunt. magnum in præsentia auri pondus numeratum, plura in posterum promissa. Bertrando ipsi Borgiæ principatus ab Aragonio donatus: quo maiori animo bellum suscepit. Tanti apparatus Castellæ Regem Hispali, vbi se tenebat, periculi magnitudine excitauit: alioqui neque socordem neque cessantem. Burgos abiit, in regni conuentu subsidia belli conqui-

conquisiturus, frustra cælo irritato, auersis omnium hominum voluntatibus, dabat consilium Labretus, qui auxilio ex Gallia venerat, uti venales externosque milites præbito auro sibi conciliaret, ab Henricoque deduceret. fore id promptum tum gentis ingenio, tum ob necessitudines, quæ sibi cum illis maximæ erant. Obcæcantur eorum animi, qui ad exitium nutu numinis destinantur. salutari- bus monitis Regis aures occlusæ erant, natura ferocis, contemptorisque periculi. Interea Cæsaraugustæ, quod externi milites conuenerant, Aragonij, Henricique colloquium habitum est. in eo colloquio priora fœdera mense Martio ineunte confirmata: designataque rursus Castellæ pars Aragonio victoriæ præmium. pa- ctisque nuptijs Ioannis Eleonoræque, vtriusque Principis filiorum, fides astricta 10 amplius est. Soluta conuentu, Aragonius quidem in ea vrbe substitit, tantarum rerum euentum expectans: Henricus autem omnibus copijs contractis in Ca- stellæ fines irrupit. Alfarum municipium occurrit valido præsidio & operibus firmisimum Horosco Præfecto. eo impugnando tempus terere visum non est, ad maiora nitentibus: & intestinis bellis, celeritate magis quam re alia opus est, cunctatio omnis exitialis. Calagurrim locis finitimis sitam urbem itum est: quam Iberus amnis alluit, in paucis eo tractu nobilissimam. Ferdinandus eius vrbis Episcopus, Touarius Præfectus venienti Henrico portas aperit, septi- modecimo Kalend. Aprilis, seu munitione diffisi, seu auersis à Castellæ Rege voluntatibus. In ea vrbe concilio coacto de belli ratione consultatur. variæ di- 20 ctæ sententiæ. pars Burgos regni caput festinandum censebat: pars continuo Regis nomen occupandum, ut spe recõciliationis sublata, maiori animo & con- stantia bellum inuaderent. Clakinus, ut erat magno animo, & propter rei mili- taris peritiam, primus ei auctoritatis locus deferebatur, ita locutus fertur. Qui- 30 cunque de rebus magnis consilium dat, considerare debet, quid reipublicæ utile sit, quid proprijs viribus consentaneum. nam maiora viribus conari temera- rium est: reipublicæ commodis priuatas cupiditates præferre exitiale inhumana- numque. Ego te, Henrice Princeps, ad Castellæ regnum voco, salutare reipubli- cæ, tibi magnificum, nobis omnibus gloriosum. si nostris viribus, tuo ductu au- spicijsque, tyrannus oppressus, monstrumque, tetrum in hominis facie terris incu- 30 bans, eius exitio fuerit procuratum: nobilissimo regno restituta libertas, facul- tasque, à tantis malis respirandi. An vndatam per domos, agros, oppida, sanguinem populi & nobilitatis non vides? propinquos cæsos: ne feminis quidem & pueris parci? An te patriæ non miseret, pudetque, conditionis? tot exilia, bonorum euer- siones, prædas, direptiones? tantam malorum elluuiem, quis etiam si ferreus sit æquis oculis aspiciat? Non aduersus veteres Castellæ Reges Alfonsos, Ferdinan- 40 dos pugnabis: qui suorum beneuolentia magis quam armis freti, nullo intestino hoste externa bella profligabant. Hostis offertur vetera odiorum nomina ex- quans, externis exosus, subditis grauis, per seque casurus, etiã si à nullo impellatur. nullis legionibus munitus: & si qui sunt milites, Principis ijs imitatione, ener- uati libidine in aciem prodibunt. Tibi è Gallia, Anglia, Germania, Aragonia, nu- merosæ copię sunt, vsu firmatæ, multisque bellis exercitæ: amici Reges, & tua an- te omnia felicitas. tibi tota Castilla boni omnes nauare operam & studium cu- 50 piant: nullusque erit, qui te Rege renunciato, in nostra se castra non conferat. Ha- bentj

benti exercitum imperij nomen alio tempore utile fuerit: hoc sanè mihi neces- sarium videtur, scienda auctoritate, detegendis hominum studijs. Si cælum cœptis affuerit, ut spero, tibi summum decus paratur, nos honore quem dederis contenti erimus. si secus euenerit, quod horret animus meminisse, nihil accedet, quam quod pateris grauius. par cunctis periculum manet. Eo fidelius cõsilium videri debet, quod in pari discrimine versamur. Age maxime animo virtuteque Princeps: nomen ad quod te numina è tantis periculis seruarunt continuo arri- pe. præclarum facinus celeritate occupa, quod tibi hostis exitium parat, inferre 20 perdereque aut perire certus. Fortuna fortes metuit adiuuatque, peruertit ignauos. Post Bertrandi orationem, cæteri Principes audentius circumfilitere, hortari du- bitantem repugnantemque, (sic videbatur) vatum responsa proferre, Diuum ho- minumque, opem certò affuturam polliceri. Vexilla inter hæc explicata. Henrici Regis nomen, per vrbis plateas, populi & militum concursu ingeminatum. ea cæremonia gentis instituto regia potestas nomenque, deferri cõtuit. a nouo Re- ge pro cuiusque auctoritate dona Principibus data oppida, arces, principatus. & in ea rerum perturbatione nouus Rex quasi de alieno munificus videri vole- bat: quisque id habiturum iudicabat, quod precibus occupasset. Bertrandus Tra- stamara, Hugo Carrione donati sunt: vterque Comitibus nomine. Noui Regis fra- tribus, Tellio Viscaïæ principatus restitutus, Sanctio Alburquium datum. Con- 20 saluus Messia D. Iacobi: Petrus Munitius & ipse intima familiaritate Henrico coniunctus Calatrauæ Magister institutus. Alfonso Aragonius Dianij Comes (patruelis is Aragonij Regis erat) Villenæ Marchio renunciatur: cæteraque ad iuncta, quæ in Ioannis Emanuclis ditione potestateque fuerant. alijs arces & oppida tota prouincia donantur.

*Petrus Rex Hispania pellitur. Cap. VIII.*

**D**VOBVS in Castella Regibus vniuersa prouincia ad nouas spes erecta erat. sæuitia Petri Regis multorum animi erant alienati. in- clinatos tamen ad defectionem cunctos Castellæ populos vnus ti- 30 mor morabatur, ne suo, propinquorumque, sanguine, si cœptis for- tuna obstitisset, defectionis culpa lucretur. Reges ipsi maiori con- tentione conatuque, de principatu certare ceperunt: cuius ea est natura, ut plures vno Rege in prouincia vna esse non possint. magna vtrique, præsidia aderant. pro Henrico externi milites, æmuli odium, rerum nouarum studium pugnabant. subleuabat alterum, quod ante Rex fuisset propemodum, quam natus: quod pa- tre, ac tot maioribus Regibus ortus: quod vna esset reliqua eorum Principum soboles legibus procreata. Maiestas in vtroque, sancta erat. Petrum iniurię impa- 40 tencia stimulat: Henricum fratrum & propinquorum effusus sanguis, publi- cæque, ærumnæ ad vindictam irritabant: magisque recentis regij. nominis, quam vitæ memor erat. Rebus sic patris, Burgos festinare visum est. in itinere Lu- grunium, quoniam voluntate quidquam facturos ciues non sperabat, & vim admouere longum erat, intactum relictum. Nauarretum ijs locis Viruescaque in potestatem redacta. Petrus interea Burgis, amissis amicis, quorum plerisque ipse

ipse necauerat, reliquorum virtuti, an fidei minus crederet in ambiguo erat, vā-  
 gus incertusq; agitabatur: an hostis aduentum operiretur, prelijq; fortunam ten-  
 raret, qua sæpe prosperè vsus erat. vicit tamen discedendi sententia, Hispalimq;  
 maturandi metu, ne filij thesauriq; interciperentur in tanta alienatione volun-  
 tatum. Burgensibus ciuibus sua illi studia profitentibus remisit, sacramentiq; re-  
 ligatione exoluit, vt nulla ignominia nota, si res ita ferret, se suaq; hostis potesta-  
 ti permitterent. Deus illi mentem eripuit: atq; eo amplius, quòd publicam inui-  
 diam, vnde exitium imminebat, Ioāne Touario sub ipsum discessum interfecto  
 auxit fraternæ tantum culpæ reo, ob deditam Calagurrim. ad quintum Kalen.  
 Aprilis Burgis discessum. ex itinere arcium oppidorumq;, quæ de Aragonio ca-  
 10 pta fuerant, præfectis mandauit, vt præsidio deducto, publicis priuatisq; ædifi-  
 cijs incensis, ad se quanprimum maturarent, exercitui supplementum. Sic mo-  
 mento amissa sunt, quæ plu-ribus annis, magnaue difficultate parata erant. Ga-  
 lataiubæ Martij mensis dies vltimus, quo restituta libertas est, inter fastos rela-  
 tus: ad D. Mariæ Rupensis peregrinatione, ob eius beneficij memoriam, anni-  
 uersaria instituta. Toleti, quo Rex Petrus appulit, ciuium voluntates confirmatq;  
 haud perstitura fide. Garfias Toletus D. Jacobi Magister in ea vrbe relictus. Hen-  
 ricus à Burgensibus euocatus, metu periculi, an æmuli odio incertum: & Comitum  
 quidem illi nomen adscribere, ad regium insigne inuitantes, modò in ea vrbe  
 20 susciperet: cui propter amplitudinem & vetustatem debebatur, vt non aliunde  
 imperij principium esset. Ergo inter faustas acclamationes nouus Rex in eam  
 urbem exceptus, Olgis regni coronam suscepit. Burgensium exemplo pleræq; Le-  
 gionis & Castellæ vrbes vltro deditioem fecerunt. omnino intra quinq; & vi-  
 ginti dies, ex quo Rex fuerat proclamatus, ditione viribusq; æmulo nihilo infe-  
 rior euasit. proceres & populi certatim noui Regis beneuolentiam occupare of-  
 ficijs & celeritate cupiebāt. Toletum aduenienti Henrico portas aperuit. reliqua  
 prona erant. omnino Petrus rebus omnibus desperatis, lōginquaq; fuga se suaq;  
 tueri constituens, thesauris filijsq; in triremem impositis, in Lusitaniam disces-  
 sit. Quem cælestis fauor deseruerat, eundem studia hominū destituisse visa sunt.  
 Negabat Lusitanus duos Reges vnam prouinciam capere. Ferdinādus Lusitani  
 30 filius ad Henrici partes propensus erat, legationibus vltro citroq; missis Henri-  
 co fauens, à Petro auersus. qui tamen ne violaretur ius gentium valuit. in Gal-  
 ciam tantum abire permissus, fugæ subsidium cōparaturus classe instructa. Com-  
 postellæ Suerus Archiepiscopus, Petrus Toletanus decanus Petri iussu sunt in-  
 terfecti. sic ne in periculo quidem seuis animus compefcebatur: vltroq; ruinæ  
 causas augere non cessabat. Abeundi certo, si terra discederet, periculum pro-  
 ponebatur. duæ & viginti onerariæ ex vicinis littoribus contractæ: minora  
 nauigia aliquot. ea classe filias duas (nam Beatrix maior natu extincta iam  
 erat, Polydorus Baionæ extinctam ait) Ioannem filium Baionam Aquitanicæ  
 40 urbem deduxit: quæ Angli Regis imperio obtinebatur. thesaurorum partem  
 secum detulit. pars altera, quæ ab ærarij Præfecto Martino Iuanio triremi im-  
 posita vehebatur, Hispali intercepta à ciuibus est, Henrici gratiam promereri  
 satagentibus, qui Corduba dedita, in eam urbem festinabat. Sic Petrus suo tan-  
 dem malo didicit res humanas nunquam eodem vestigio consistere: sæpeq; ma-  
 gnos

gnos Principes quantacunque felicitate, & viribus, & copijs, inuidia tamen po-  
 pulari opprimi, meritisque mercedem consentaneam referre. Reges Lusita-  
 nus, Granatensisque de ineundo foedere ab Henrico victore appellati. cum ijs  
 sancita amicitia, cæteris externis militibus dimissis, retenti ex omni copia sunt  
 equites mille & quingenti, Bertrandi Clakini & Bernardi Bearnensis reguli  
 ductu. vxor Henrici Regis ad virum fuerat ex Aragonia amandata, adiuncta  
 Eleonora pacta nuru, vt paulò ante est demonstratum. Lupus Luna Cæsarau-  
 gustanus Episcopus, alijq; viri primarij, comites dati. Regni suscepti rationes  
 cōfirmandæ erant: ærariumq; supplendum, tot antea bellis exhaustum. nam no-  
 10 uam ex Gallia tempestatem imminere nemo dubitabat: neq; Petrus quieturus,  
 vt erat ardenti ingenio, priusquam cum regno vita spoliatus esset. Ergo genera-  
 les conuentus è tota prouincia Burgis agitati. Omnes ordines in Ioannis Prin-  
 cipis verba sacramēto adacti, si quid humanitus contigisset paterni regni hære-  
 dem fore. In belli subsidium decima rerum venalium concessa, nullo tempore  
 designato. belli ex sententia conficiendi studium, Petriq; odium in fraudem in-  
 duxit, ne quàm graue id vestigal posteris esset futurum, in præfenti considera-  
 rent. improvidas hominum in periculo & cupiditate mentes, cæcam vlciscendi  
 doloris cupiditatem. Miranda, quod oppidum Ibero alluitur, Burgensi ciuitati  
 donatum abs Rege est. operæ præstita ea merces fuit, Viruescæq; ablata, Velas-  
 20 coq; Regis cubiculario datæ cōpensatio. summi templi sacerdotibus, in quorum  
 ditione Miranda erat, æris sexaginta millia annua pretium fuit, exigenda è por-  
 torijs: distribuendaq; ex asse preces diurnas nocturnasq; frequētantibus. Burgen-  
 sis Episcopus Dominicus. De huius inauguratione in vulgus iactatum est, scissis  
 Ferdinandi decessoris obitu, bifariam sacerdotum suffragijs, totius controuersie  
 partium voluntate Dominicum delectum arbitrum. eum prætermisissis riuilibus  
 se Episcopum nominasse. felicem temeritatem secutus, eorum qui aderant assen-  
 sus: insigniaq; pōtificalia delata. Lupus Luna denuo ad Henricum ab Aragonio  
 legatur, quæ per icti fœderis condiciones debebantur, mutuamq; pecuniam repe-  
 titurus. regni nondum confirmati rationes, Henricum excusare, metumq; maio-  
 30 ris mali, si vrbes & oppida importuna festinatione alienata essent. alioqui para-  
 tum se, quem parentis loco duceret, cui vitam, fortunas, regnumq; deberet, cun-  
 cta quæ erat pollicitus idoneo tempore præstare. Hæc Aragonio ludificando ex-  
 trahendoque tempore dicebantur. de antiqua Regum ditione nihil imminuere  
 certum erat: vt solent Principes suis vtilitatibus magis quàm officio & religio-  
 ni seruire.

*Res Vasconum. Cap. IX.*



40 VM hæc in Castella gerebantur, inter Vascones & Gallos bellum  
 ante tres annos inchoatum ancipiti fortuna in Gallia erat, maiori  
 Vasconis damno absentis, regniq; rationibus impediti. Itaq; vrbes  
 ei & oppida quædam detracta, tentata alia. præterea Tolosæ in Gal-  
 lia Narbonensi inter Reges Gallum Aragoniumq; fœdus ictum missis in eam  
 urbem legatis: Ludouicoq; Andegauenfi Gallicæ Regis fratre condiciones feren-  
 te conuenit, vti fines Vasconum Aragonius impeteret: Gallicis stipendijs quin-  
 genti

genti equites auxilio essent, nullo propinquitatis respectu. Gallus Ieuir, Aragonius sororius Caroli in perniciem coniurabant: penes quos bello aliunde illato, presidium esse æquum erat. Diram dominandi cupiditatem. Importunę Caroli actiones, moresq; asperi apud vicinos Principes, inuidiam illi concitarant: multosq; inimicos adiunxerant. Ea tempestate prouisa Rex ipse Vasco in Hispania quidem substitit, Aragoniorum impetum repressurus: qui Duce Ludouico Cornelio Turiasone vicinos Vasconum fines vastare, prædasque agere non desistebant: vxor autem Regina, quamuis vtero graui in Galliam missa, rebus asperis presidium, Regemq; fratrem placatura. inanis ea opera fuit: cum Gallicam Vasconis ditionem spe vniuersam hostis inuasisset. pridie ea Kal. Aprilis ad Eburouices suę ditionis urbem in Nortmannia, filium enixa est, cui Petro nomen fuit, Morentania principatus. cum eo adulta ætate ad virum in Hispaniam redijt. Eo conatu irrito, aliunde præsidia comparanda erant. optimum fore visum est, cum Petro profugo vires fortunasq; iungere. & erat ab eo ad armorum societatem inuitatus, multorum oppidorum spe facta, vt sunt homines in calamitate municipi, Guipuscoę, Calagurris, Lugrunij, Nauarreti, Saluaterrę, Victorię. Exstant pactionis tabule, ipso anno Olisipone datę, nimirum (nisi confictę sunt) quo tempore in eam prouinciam fuga abiit. nunc Baionę in Tarbellis, bello instaurando operam dabat: Richardumq; Vuallię Principem Aquitanię pro Anglo Præfectum, ad opem ferendam sollicitabat. affuit Carolus Vasco Richardi Principis inuitatu. conuiuio accepti, ad vnam mensam accubuisse hoc ordine, memorantur. dextram Petrus tenebat, iuxtaq; eum Richardus: ad sinistram Carolus solus sedebat. inter tres Principes fœdus iureiurando sancitum, Petro Rege restituendo in regnum. Viscarię principatus Anglo destinatur, operę præmium. Lugruniũ Vasconi. obsides Petri Regis filię in Aquitania relictę, tum hæc tum datam in stipendium pecuniam præstandi parta victoria. Contra hos conatus inter Gallum & Aragoniũ, fœdus antea ictum, denuò instauratur. Vasconem ea cura sollicitabat: ne quoniam in medio constitutus erat, vtriusq; prædę esset. inuenturos per fines viam, aut ferro facturos Anglos. neq; satis consilium expediebat. Quod pessimum est, medium se gerendo neutri parti satisfecit. dissimulato consilio, an mutata voluntate, ad Campesum Caroli, & Henrici Regum colloquium habitũ est. interfuere Gometius Manricus Præsul Toletanus, in Vasci locum suffectus, Lupus Luna Cęsaraugustanus Episcopus, Dianij Comes Alfonso Aragonius, Bertrãdus Clakinus. fœdus inter eos Principes factum, eosdem amicos inimicosq; futuros. Vasco transitu prohiberet Anglos. Bello, quod futurum erat, cum copijs omnibus Henricum Regem præfens iuuaret. Ita facturum loco obsidum arces & oppida daret. Nauatę operę Lugrunium merces esset, municipium à Petro antea eidem Vasconi promissum. Ludouicus Vasconis frater Ioannam duxit Caroli filiã Dirrachij (in Macedonia ea vrbs sita est) paterno principatu dotali, eius Caroli patruelem, cui ad regnum Neapolitanum Urbano VI. concedente, gradus est factus annis consequentibus. Stemma horum Principum subijcimus, quoniam passim aberratur. Caroli secundi Neapolitani Regis Ioannes Dirrachij Dux filius fuit. nepotes ex Ioãne Carolus & Ludouicus. nepotes è Carolo quidem Ioanna, è Ludouico autẽ Carolus. hic Rex Neapolita

nus

nus fuit, illa Ludouici Vasconis vxor. Caroli, & Henrici colloquium ad Campesum principio anni M. CCC. sexagesimi septimi habitum est. Quo tempore omnino Ianuarij die octauodecimo Petrus Lusit. Rex annos natus quadraginta sex, menses nouem, dies vnum & viginti, ad Stremotium Lusitanię municipium decessit. regnavit annis nouem, totidem mensibus, diebus viginti octo. coniuncto cum Agnetis Castrię tumulo in Alcobasæ monasterio compositus est. Funus regio apparatu magnificè factum. sex ipse sacerdotes quotidie sibi & maioribus diuina hostia parentare, optimis redivibus designatis constituit. æquitaris laude præstantissimus, incredibile sui desiderium reliquit, cunctis quasi publica lætitia, felicitateq; eodem tumulo condita, mœrentibus. Regijs opsonatoribus, agasonibusque quidquam nisi ad veram æstimationem pretio numerato vetuit accipere. Aduocatorum, iudicumq; auaritiam, fraudes, tergiuersationes, vnde lites immortales extabant, sanctissimis editis legibus restrinxit. Scelerum omnium vindex acerrimus, præsertim in eos sæuus, qui alieni tori iura violabant. Eius criminis reum Portuensem Episcopum ad se vocatum manu sua pulsasse fertur. vulgo opinionem, quę flagellum ipsum cędendis hominibus gestare consueuisse vulgavit, ab hoc, alijsque ea seueritate supplicijs ortam esse arbitror. argenti facti, signatiq; magnum pondus quotannis suis, pro cuiusq; merito distribuere consuevit. eiusq; illa vox fertur. Indignum regio nomine Principem videri, quo die nemini beneficium contulisset. Limiæ pons, coniunctumque ponti oppidum Petri Regis structura fuit. successorem habuit Ferdinandum filium pari felicitate laudeq;. Aragonij legati ad patrem missi Ferdinandum adentes cum eo mense Martio prope Scalabim amicitiam iunxerunt, veteris simularis causis vtraque parte detersis. Eleonorę Menesæ nouus Rex amoribus indulgebat, nulla honestatis cura, Laurentio Acunio viro detractę. vnde in Castellam profugus, consuevit in pileo argentea cornua gestare, regię intemperantię, suęque ignominie argumentum insigne.

*Henricus ad Tritium victus. Cap. X.*

**A**STELLA vniuersa Galliaque bellici apparatus erant: militares delectus habebantur: arma, equi, pecunia conquisita. par vtrinq; spes, metusq;. hos parti regni fiducia, illos amissi cupiditas inflammabat. Henricus Burgis erat in defendendi belli curam intentus. hostes collectis vndiq; copijs formidabiles Ronceuallis angustijs superatis, Vascone aut Duce, aut nihil curante Pompelonem vsque peruenerunt. Interceptus is est ab Oliuero Manno inter venandum homine Armorico, qui Clakini nomine Borgiam ijs locis obtinebat. fraudem compositam Reges suspicati sunt, vt ea occasione, neutris fauendo, apud vtroq; aditus ad gratiam relinqueretur. sed ea est natura principatus, vt nihil latere possit eorum quę calidè comparantur: ac sepe homines vero peiora interpretantur. Henricus de belli euentu sollicitus ad Bagnares oppidum, castra promouit. sequebatur Castellę nobilitas, Gallica, Aragoniaque auxilia. equites erant quatuor millia quingenti. peditum numerus memorię proditus non est. Sylua erat latè diffusa pro-

Fff ceris

ceris multisque quercibus. ijs in locis, consilio Principum aduocato, de belli summa disceptatur. Regis Galliæ legati, ea causa missi, Bertrandusq; prælij fortunam detrectandam disputabant, munienda oppida, extrahendum tempus. eam esse soli Hispanici naturam, vt diu hostes sustentare nō possint. Quis victoribus fructus? quid victis, nisi certum exitium? regni que non satis confirmati amissio? Alioqui Anglicę militię florem in hostium castris esse. non armis non arte belli, non scientia pugnandi, aut viribus corporis pares Hispanos futuros. Magnorum Ducum partes esse nō magis viribus, quàm arte hostes vincere. Contra alij ferociore, quamprimum pugna decernendum iudicabant. Hominum opinione res humanas imperiaque constare. quid detrectando certamine, nisi turpissimi timoris significationem, imbecillitatis confessionem contineri? Virium satis esse, nisi desit animus. Optimæ causse cælestem opem minimè defuturam. Hęc vicit sententia. In Alaua, vbi hostilis manus spe prædę vaga dispersa, erat, ad Saldirianum oppidum castra castris collata, Henrici munitiori loco, a tergo claudentibus montibus. videbaturq; nisi ex insidijs, aut è suo loco minime pugnaturus. Ergo hostes motis castris Lugrunium, quod oppidum in Petri fide perstabat, paucis diebus peruenerunt: ad pugnam Henricum elicere destinantes, aut si certamen detrectasset, in interiorem prouinciam penetrantibus reliqua prona futura sperantes. Hostium consilio indicato Henricus sese retro conuertit, cum hostibus pugnaturus: quorum ad Nauarretum castra erant. Anagarum ipse tenuit, quę vrbs veteribus Tritium Metallum in Autrignonibus fuisse creditur indicio pagi, duobus inde millibus antiquum nomen retinentis, letissima soli cæliq; facie, multis rebus, sed & huius belli euentu nobilis. Missæ inter Principes literæ. vtriq; se neq; belli causam esse, neq; moram si modò equa & honesta conditione liceat, paci facturos. Arma inuitos sumpsisse: misereri cladis, quam futuram prouidebant, si ventum ad pugnam esset. Sed neutri alteris de regno concedebant: eòq; spe concordie sublata, acies ad pugnam instructæ. Henricus ad dextram Gallica auxilia constituit, Sanctiumq; fratrem cum multa maxima nobilitatis parte. Tellius, Dianijq; Comes ad læuam curare iussi sunt. ipse medium agmen ductabat. Contra hostes omnino ad viginti millia equitum, peditumq; exæquato numero, sic agmina distribuerunt. In primo Alencastrius Dux, Hugo Carbolaius, qui se ad Anglos contulerat, collocati. Armeniacus, Labretusque agmen alterum ductabant. in postremo Rex ipse Petrus erat: Vuallie Princeps, Iacobus, Balearis Regis filius: qui è custodia Aragonia elapsus, vxorem duxerat Ioannam Reginam Neapolitanam. trecenti equites Vascones, Duce Martino Henrico Caroli Regis iussu. Inter vtraque castra flumen erat, quo Henricus transmisso, in vicina planicie acies explicuit, qua hostibus iter erat. Eo loco concurrunt agmina. clamor permixtus horratione: strepitus armorum, tela vtrinque mitti. dextrum cornu, vbi Bertrandus erat, hostium impetum tulit: videbaturque meliora ferre. Sed Tellius parte altera victoriam corrupit. vincente pudorem metu, neque pugnam inuasit: & terga continuo dedit. fuga facta, Sanctius, Bertrandusq; vno tempore à tergo fronteque circumuenti, vincuntur. fit magna cædes. multi proceres capti. in his Duces ipsi præcipui. conatus est Henricus inclinatum suorum aciem restituere,

tuere, semelque & iterum equo in conferta hostium agmina admissio periculum adiit. rebus ad extremum desperatis, se è pugna subduxit. ipse in Aragoniam abiit, comitibus Ioanne Luna, Touarioq; atque Alfonso Gulmanio. his sese ad Aragoniæ fines Petrus Luna adiunxit, cui deinde Pontifici schismatis tempore Benedicto nomen fuit. neque prius Henricus constitit, quàm in Galliam fuga abiit, Aragonio diffusus. Reliquæ copię fuga dissipatæ per vicina oppida sunt, nulla manu, numero, aut viribus insigni. è captiuis Horoscus, Carrilius, Moscosus, Tenorius peracta pugna interfecti sunt. seruati alij. Malè coercitam Petri Regis sæuitiam Principis Vuallie respectus retardauit, vitia eum continuare victoria parta, per quæ res amiserat accusantis propemodum conuitio. Petrus Lupus Aiála, Henrici partes secutus, eius regium vexillum in hac pugna gestauit: in hostiumq; potestatem venit. partium studium facit, vt minor historiæ ab eo conscriptæ sit fides: ac nonnulla Petri odio finxisse credatur, à quo fuerat antea lege maiestatis damnatus, Alfari pronunciata sententia. pugnatum est sabbatho tertio nonas Aprilis. Tellius ex fuga, deformis acceptæ cladis nuncius, Burgos abiit. Ioanna Regina, & filij tanto terrore proposito Cæsaraugustam festinarunt: Præsules Toletanus, Cæsaraugustanusq; qui in ea vrbe subliterant fugę comites, Aragonio haud satis equo reperto. vt fert natura hominum, ad victores propensus erat, certusq; sese ad fortunę motum mouere: actumq; continuo cum eo dedere, Hugone Carbolaiio ab Anglo per eam causam in Aragoniam legato. concordia iniri facile non poterat, inducię mēsum aliquot pactę. Victores Burgos appulsi. Cordolacus Bracarensis Episcopus Henrici partes secutus, in ea vrbe captus, in arcta custodia, vsq; ad Petri necem mansit: cum rebus mutatis, loco, liberatq; redditus est. pecunię colligendę, quam ab Anglo mutuam acceperat, pacta que oppida reddendi cura sollicitabat: nam neq; Catabri gens indomita, feroxq; externi principatus iugum laturi erant: & ærarij rationes superioris temporis difficultate impedite expediri nō poterant. Itaq; Vuallie Principe Burgis relicto per speciem colligendæ pecuniæ, Toletum atque Cordubam Petrus maturauit. In ea vrbe sedecim viri primarij noctu sunt interfecti. priores hostem intra mœnia accepisse accusabat. Hispali Buccanigra, Pontius Marchenæ regulus, Vrraca Ioannis Gulmanij mater, alijq; cęsi sunt: ex eoq; aucta vehemēter inuidia, prauum animū ne calamitate quidem & exilio sanari potuisse cōsiderantium, regia licentia à puero educum, natura praua. contra Henrici come ingenium ob multas calamitates amplius adamare ceperunt: de eoq; reuocando consilia cōmunicare. Rex Vasconum dato obside Petro filio è custodia liberatus: Oliuero, qui Tudelam comitatus erat, vincula iniecit, nec nisi obside restituto reddidit libertati.

*Magister D. Bernardi. Cap. XI.*



40 **D**IVI Bernardi Magister, ignotum nostra ætate nomen honoreque, prælio ad Anagarum commisso interfuit, Henrici partes secutus cum multis. de capto lege perduellionis, capitis supplicium sumptum Behetrijs, vbi latè dominabatur publicatis, fiscoq; additis. quod ab annalium auctoribus prætermisum, vnus opsonator Eleonoræ

Reginæ, memorię prodidit, de quo paulo ante meminimus. Quod Magistro nomen fuerit, quod Magisterio initium, auctoritas ve non explicat. ea ætate notissima tempus caligine obduxit. Virum sacratum fuisse, anathematis ignominia indicio est, eo nomine Petro inusta. & suspicari liber, Behetrias, cum Petrus Rex sui iuris ea oppida facere contenderet impulsore Alburquerque, vti superius dictum est, sanè certis dominis adscribere, pecuniæ auidior, quàm honestatis: obiecta religionis specie, Romanique Pontificis auctoritate, se Diui Bernardi ordini vltro subdidisse, Calatrauæ, & Alcantaræ militum exemplo, capite delecto constitutoq; , cui D. Bernardi Magistro nomen esset, cura cum cæteris belli sacri. Eo temperamento, quantum libertati per multas ætates illibate. consul-  
 10 tum est ab eorum oppidorum incolis, tantum Regem in nouum Magistrum, atq; ordinem infensus animus esse cepit: eoq; diuersas partes fuisse secutum arbitror. Hæ coniecturæ sunt. quod sequitur in confesso. Missus ab Urbano quinto Pontifice Archidiaconus, qui Petrum Regem eius cædis reum, & quoniam Episcopos Calagurritanum, Lucensemq; loco mouerat, sacrificijs interdictum esse renunciaret: atque in impiorum numero haberi mandaret. Cum is à sæuo Principe periculum vereretur, cui religio & sanctitas vilis esset, ad Hispalim ea parte agri vicini, cui Tablatę nomen est, Regi ex vrbe fortè egresso, biremi aduerso flumine vectus occurrit: rogatq; num de Oriëtis rebus cognoscere cupiat: noua  
 20 & admiranda renunciaturum: recens se ex ijs regionibus in Hispanię littora appulsum. accedenti eo studio ad ripam Regi, pontificias litteras legit: caputq; diris defigit: tum se in fugam secundo flumine (& Oceani æstus remittebat) remorum pulsu concitat. Rex furore percitus, & tacentibus cæteris stolidam audacia ferrox, districto gladio in medias vndas adacto equo, insilit. Archidiaconum ferire cupiens, vano ictu biremem percutit. fugientes sequebatur Rex, cum equus nando fessus in medijs vorticibus deficere cœpit. Periculo vix ereptus accursu cymbę, contenta voce minatur se Pontificis iugum excussurum, violenter & sordidè imperantis: atq; vt idem facerent Aragonius & Vasco, auctorem futurum. præterea bello vindicaturum iniuriam. Hæc flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur cum conuitio effudit. impensa probra, magis ipsi inuidiam, quàm  
 30 sanctissimo Põtificali ignominiam attulerunt. Classem tamen instrui & magnos delectus haberi, cõtinuò mandat. Veritus Põtifex impotens hominis ingenium, placare quacunque ratione constituit: quo maior esset auctoritas legato in eam rem fratris filio an sororis, Anglico Cardinali S. Petri. Eo agente, inducto priori decreto pax his legibus est facta: Vt sublato nomine & munere Magistri D. Bernardi, Behetriae ea retenta appellatione Regi cederent: eas donandi, vendendi, alienandive potestas nulli esset. id religioni datum, quoniam sacre militię erant addictæ ne pretio venales essent. Vt tertiam decumarum, quæ Romanis Pontificibus obuenire solita erat è sacerdotijs Castellę, deinde esset Regibus belli sacri subsidium, Mauris extirpandis. Episcopos, militares Magistros, Priorem Hospitalarium instituendi, alia ve maiora sacerdotia donandi, nisi Regum accedente consensu Pontificibus Romanis potestas sublata. Id studio publicę  
 40 tranquillitatis, quamuis contra quam moribus erat susceptum, & contra omnia verustatis exempla. & miror Pontificem ad cuiusquam gratiam passum esse, tantum

tum de sua auctoritate in Hispania diminui. sed tanti fuit ea ætate Regis vnus væcordiam sanare, malis prius, deinde victoria multo quàm antea ferocioris.

*Henricus redit in Hispaniam. Cap. XII.*

**H**ENRICVS in Galliam appulsus haudquaquam abiecit animum, gnarus variam & cõmutabilem rerum humanarum conditionem: fortes & strenuos tolerare aduersa, atq; contra fortunam niti: timidos & ignauos desperatione concidere. Fuxensis Comes, ad quem  
 10 primo appulit, benignè apud se habuit: tametsi Anglici belli tempestatem vereretur, in suam prouinciam accerere. ad Auenionem cõuento Andegauensi Duce, omnia faciliora spe, opinioneq; fuerunt. Angli nimia felicitas Gallos Principes conturbabat: & Petri iniuriarum memoria nondum inducta erat. pecunia Henricum & milite iuuare constituunt. Captiui Principes redditi libertati, atq; à Petri scuitia, Anglorum ope conseruati sese ad illum conferebant. Bernardus Bearnensis in primis, cui peracto bello Medina Celina operæ merces fuit, coniux Isabella Cerda Ludouici filia, neptis Alfonsi Exheredis. Medinę Celinę Duces ad hos Principes generis originem referunt nunquam intercisa serie. Affuit Aufonę Comes. hic postquam captiuus in Castella fuit, Petro Regi militauerat  
 20 parentis calamitate, & domestico dolore commotus: deinde Henrici Regis auspicia secutus erat. id nunc propositum persequi ad extremum constituens, sese rursus libertati redditus Henrico Principi adiunxit. Perapertusa in Gallię finibus loco & mœnibus munita arx contributa à Gallo: vbi Henrici vxor, & filij, qui sese Aragonij voluntati diffisi in Galliam cõtulerant, ab iniuria tuti rerum cumentum expectarent. Commodum accidit, Vuallię Principem spe Viscaię obtinendę pecunięq; repræsentandæ depulsum, Petroq; iratum rediisse in Aquitaniam. & supererant in Castella gentis studia. Guipuscoa, Visciaia, Segobia, Abula, Vallisoleum, Palentia, Salmantica, aliaq; in Carpetanis oppida in fide perstabant. augebatur factio indies: prauisq; æmuli actionibus confirmabatur. Colle-  
 30 ctis omnibus copijs Henricus per Andorræ vallem in Aragoniam prius, quamuis Aragonio transitum impedire conanti, deinde in Castellę fines peruenit. Ad Iberi ripam, crucis figura in arena facta, se nisi victorem è prouincia nunquam discessurum iurauit in genua procumbens, crucemq; deosculatus. ad suorum studia inflammanda ea cęremonia pertinebat. D. Michaelis profesto Calagurrim ventū est. ad eam vrbe magnus ex tota prouincia concursus est factus exulum, profugorumq; exitij metu. Burgis, cum eò ventum esset, propensa ciuium voluntate acceptus, in arce Philippum Castrium domo Aragonium, cui Ioanna Principis soror coniuncta erat, & ad Tritium fuerat captus, in libertatem asseruit: Iacobum Balearum Neapolitanum Regem, qui in ea vrbe restiterat, cepit. Regiæ  
 40 vrbe exemplo, pleręq; alię defecerunt metu depulso, haud diuturni officij magistro. Legionem parere recusantem castra promota sunt: atq; pridie Kal. Maij, anno M. CCC. sexagesimo octauo in potestatem venit. Toleti ciuium studia & voluntates variabant, consilijs in diuersa diductis. maior pars in Petri fide perstabat, superiori rerum memoria castigata, validiq; præsidij metu omnino sex-

centorum equitum Duce Ferdinando Toletō, eius urbis Prætorē. Henricum mille equites sequebantur, peditum numerus maior, cum ijs copijs urbem prævalidam circumfidere non dubitavit, ea capta sperans, propter loci firmitatem, civitatisq; amplitudinem, reliqua omnia prona fore. in subiecta planicie castra posita. varię militares manus per vicinos montes distributę. Tagus fluvius, quo ferme tota veluti circino ambitur, ligneo ponte iunctus: ut comæandi facultas esset, ubicunque se periculum ostentasset. Toletani constanti animo obsidionis mala tolerabant: ne defectionis culpa obsidum cede lucretur, quos secum Petrus abduxerat civitatis nobilissimos: alioqui ciues militesq; ad mutandam fidem propensi erant. quod Cordubenses eodem tempore fecerant, tametsi auxilia longinqua erant. tanto ex eo factō Petri Regis dolore: ut iunctis cum Granatensi Rege viribus eam urbem impugnandam suscepit. restitere Cordubenses supremo virtutis conatu edito. salutis desperatio, si victi essent, incitabat acer stimulus ad virtutem depromendam. Itaque spe potiundę urbis depulsi Reges, Petrus quidem Hispalim abiit per causam belli comparandi, sed tardius omnia opinione procedebant: Granatensis autem eius permissu Giennium, Vbedamque vicinas vrbes, quoniam Cordubę exemplo defecerant, subiecto testis villisque igne incendit. Bæticię agris vastatis multa millia capitum in servitutem abducta. planctu omnia tumultuque personabant: neque vllum mali genus deerat, cum per omnes ordines, ætatesque hinc Maurica arma, inde regia fæuitia, ac licentia vastarent,

*Petri Regis exitus. Cap. XIII.*



**P**ETRVS Rex validis auxilijs nudatus, cæterorum fide suspecta, quod vnum reliquum erat, rem in casum dare, prælioque experiri constituit, fama magis, quam vi regnare stare non ignarus. Urbis regię discrimen sollicitabat, & tuendę auctoritatis cura. repugnabant Hispalenses: & Regem disputabant in exitium festinatione ruere. mora vires confirmandas videri, sociorum & amicorum auxilia expectanda. quod omnino illi faciendum fuit: nisi obcæcasset mentem diuina vrgens vltio, magnitudoque scelerum. Accessit nouum incommodum. Victoria, Saluaterra, Luginium, finitimis armis vexatę præsidio longinquo, Regi Vasconum deditio- nem fecisse nunciabantur. Tellius defectionis auctor vtrique Regi Petro, fratrique germano ex æquo infensus, atque Viscaia oppidis sese tenens. Toletani in partes scissi. qui Henrico fauebant, turrim Abbatum (sic vulgò vocatur) vnde in hostium castra despectus erat, ei tradere tentarunt: atque ab ea parte in urbem accipere. eo conatu depulsi, ponte cui à D. Martino nomen est, in urbem hostes admittere conabantur. vnde intestini in vrbe motus, cædesque factę. Eo maiori festinatione Petrus auxilium afferre parat, ne rebus perditis intempestius opitulator veniret. Sanctium, Dieghumque filios regiosque thesauros Carmonę reliquit. firmissimum id & lautissimum Bæticię municipium est. mox raptim delectu habito in Carpetanos proficisci parat. equites tria millia sub signis erant, media ex parte Mauri, cõque minori fide, atque animo

mo pugnaturi. Ferunt sub ipsum discessum Abenhatinum Granatensem Maurum, quo multum & familiariter vti consueuerat, consultum mortem denunciassẽ ex Merlini monumentis hominis Britanni ante annos circiter quadringentos & quinquaginta: Auem nigram in occiduis partibus fore vaticinantis, auri cunctorum voracem, sitientem sanguinis. euomituram prius comesta: geminum deinde interitum profugę abditęque in Sylvas imminere. Hoc siue verum vaticinium fuit, siue vanissimi hominis ludibrium, euentu certè non caruit. cum ijs copijs Montielem ventum, oppidum in Oretanis situm, moenibus, locoque & arce munitum. Henricus obuiam hosti prodire constituens, cum copiarum parte Manricum Toletanum Præsulem obsidionem vrgere mandat. ipse Toletō mouet. Sequebantur equites duo millia quadringenti, peditum nulla cura præ studio festinandi. ventum Orgacium, vigesimo ab vrbe Toletō lapide. eò Bertrandus Clakinus cum sexcentis externis equitibus appulit, quos ex Gallia ductabat, firmissimum rebus præsidium, propter virtutem, scientiamque pugnandi. eodem accessere Magistri D. Iacobi, & Galatrauę Messias, & Munitius: alij præterea viri principes ad studium iuuandę patrię excitati. nocturno itinere fessi omnes prius in hostium conspectum veniunt, quam profectio esset nunciata. Quod postquam auditum est, Henricum adesse, tum vero ingens metus hostes inuadit: credere se proditos, insidijsque circumuentos: neque inter se satis fidere, ne oppidanis quidem. Aduocantur ex vicinis pagis, per quos dispersi erant, milites omnes. non pauci periculum veriti signa deserunt. pariter cum ortu Solis acies ad pugnam instructę. Duces pro se quisq; suos ad certamen incitat. Henricus hanc ad milites orationem habet. Hic dies opes, gloriam, imperium, aut dabit nobis omnibus aut auferet, ærumnarum finis, felicitatis ve principium quocunque euentu futurus. diutius sustentare non possumus. nisi interimimus hostem, pereamus ipsi necesse est: morsq; si cruciatus absit in lucri parte ponatur. Mortis quidem necessitatem natura omnibus, quasi veltigal imposuit. crudelitatem mortis, ignominiam, dedecus, virtus vestra propulsabit, si maxime cetera absint. auertite ò superi, & detestamini quęso hoc omen, sed quam morte victis calamitosior vita futura non est? Non est cum eo hoste milites certamen, cum quo aliqua pacis conditio, aut qui tolerabili aliqua seruitute contentus esse possit: incredibili crudelitate, fide nulla. Nullus ei ludus iucundior est, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio. Num cum scelerato homine atque nefario res est, & non cum immani tetraque bellua: quę velut in cauea irritata, deinde emissã nouas cædes, nouum furorem spirat? & quoniam, ut spero in casses incidit, teneatur necesse est: cunctorumque telis obruatur. Succurrite per Deum immortalem patrię in solitudinem redactę. affinium, propinquorum, ciuiumque sanguinem vindicate. Deo freti, cuius ille religiones omnes spreuit, teterrimi tyranni capite, quasi gratisima hostia cæsa, patrata scelera, immane monstrum procurate. His dictis in hostes continuo impetus factus est. turmatim & quam maxime confertis equis pugnam inuadunt. Momento temporis dispalati hostes. fugę initium à Mauris factum est. cæteri aliquandiu substiterunt: mox rebus desperatis sese in vicinum oppidum receperunt. cædes Maurorum præsertim in fuga facta. Pugnatum est pridie

13 69 Idus Martij, die Dominico, salutis anno millesimo trecentesimo sexagesimo nono. Victor Henricus Montielem oppidum corona circumdat, nisi Petro capro, inde non discedere certus. formaceis parietibus circumuallata mœnia, ne exitus aliqua parte pateret. Aquæ penuria in oppido laborari cœptum est, frumentique, à militum aliquo industria corrupti. his malis Petrus circumuentus, fugæ consilium capit. Erat Sanabria vir nobilis, Trastamaræ quidem natus, cæterum egregia in Petrum fide. hoc internuncio Clakinus tentatur, multis promissis oppidis, ducentisque aureorum millibus, si mutata fide Petro euadendi potestatem faceret. Excusat ille, sempiternam perfidiæ maculam eo facto inuri. vrgente Sanabria spatium ad deliberandum sumpturum se ait. re cum fidelissimo quoque communicata, visum est, Henricum de re tota monere. ille magnis pollicitis suadet, vt spe fugæ hosti facta, eum in suum hospitium eliciat. factum ita. Petrus noctu aliquot comitibus stipatus, vt conuenerat, venit in castra. spei aliquantum metus amplior, cognitis verbis recens auctus, (sic ferunt) quæ in præcipua eius arcis turri inscripta erant. HAEC EST TVRRIS STELLAE. Acceperat à vatibus, in eius appellationis turri exitium astra portendere. sed eius artis quanta sit vanitas, & post res affingi sæpe rumores non ignoramus. Illud prudentius. ex medico Iudæo, qui noua imperia, multum gloriæ & felicitatis ex natali die ostendi Petro affirmarat, cum rebus asperis ac desperatis rogasset, ec qui vaticinij fides cõstaret? subdidisse vatem aiunt: cælo rigente, si quis in balneo lauet sudaturum nihilominus: astris studia vitæ, moresque potentiores esse indicans. Ergo Petro Rege in Clakini tentorium ingresso, ac de fuga meditati, accurrit Henricus: primùmque attonito similis substitit, facinoris magnitudine credo, an quia inter se diu non viderant. fluctuabant inter spem & timorem, omnium qui aderant animi. monet Gallus intenta in tyrannum manu, eum hostem suum esse. Petrus ego, inquit, ego sum. vulnus in faciem pugione illi ab Henrico est inflictum: mox brachijs inter se eluctantibus, vterque prostratus est ad terram. Henricum, vt fama fert, Clakino iuuante substratumque voluente, multis vulneribus confectus est Petrus. tetrum spectaculum, Regem, Regumque progeniem in suomet sanguine volutari, à notho fratre cæsum. sed cuius funesta Hispaniæ vita fuerat, mors extitit salutaris: grauiq; documento monstratum, nullis legionibus, opibus, potentia, tutam esse improbitatem. exemplum editum, quod admirentur posterij, perpetuoq; exhorreant: atque doceantur, Principum scelera non inuidia tantum præsentij & certo exitio vindicari, sed æternis etiam annalium monumentis, execrationeque: à qua improborum manes nullo tempore conquiescent. Vigesimo tertio Martij die interfectus est, in ætatis flore, annos natus quatuor & triginta, menses septem. regnavit annis decem & nouem, tribus minus diebus. Corpus in Alcocero municipio sepultum ad D. Iacobi, vilibus exequijs, plebeio funere. inde Ioanne Rege Castellæ, eo nomine secundo, eiusque iussu Madritum sedes mutata, in D. Dominici regio virginum monasterio tumulo constituto. Fernandus Castrius, Sanabria, & Alcantaræ Magistro Gonsaluo natus Dieghus Ouetus, cæso Petro Rege, capti sunt, eum ad omnem simul adeundam fortunam ex oppido secuti. In tantis motibus, nonnulli tamen litteris & probitate vt in tanta rerum

rerum perturbatione viri præstantes, hac tempestate extiterunt in Hispania. in hoc numero Martinus Calatraux Archidiaconus, patriæ Calagurris, Episcopatui repudiato nobilis, in templi summi Toletani veteri Regum sacello, sepulcrum cum inscriptione habet.

*Castella Henricus potitur. Cap. XIII.*

10 **P**ETRI casu magna repente rerum immutatio facta est: omnia ad victorem inclinarunt. Montielis continuo dedita: Toletum aliquanto post rei gestæ fama, cum prouinciam peruasisset, percussis ciuibus. accedebat annonæ difficultas, quod malum in dies singulos augebatur: & quasi diminutione capitis sacramenti religione, qua fidem Petro atrinxerant, exoluti esse videbantur. Apud externos Principes ortum de Castellæ possessione certamen, quis potior iure esset. obscuros Henrici natales cuncti accusabant, imperio ineptos. pro se quisque id habiturum putabat, in tanta permissione rerum & voluntatum, quod primus occupasset. sic sæpe novos principatus constitui, augeri veteres. à Rege Vasconum nobilissima Castellæ oppida erant occupata, vt paulò ante dictum est. ab Aragonio Molina, Cagnetum, Requena, præfectorum perfidia in deditiorem redacta. Lusitanus ad totius imperij possessionem aspirans, se Castellæ Regem ferebat, Sanctij Regis absque controuersia pronepos. Mirobriga, Senticaque in eius potestatem redactæ. Maurus ad nouas spes erectus erat, constanti in Petrum fide (sic videri voluit.) maior belli moles ex Anglia, Aquitaniaq; imminebat. Ioannes Dux Lecestræ, Principis Valliæ frater, Constantiam occisi Regis filiam in matrimonium acceperat: Comes Cantabrigensium, & ipse Principis frater Isabellam natu minorem. dos vtrique paterni thesauri, & regni Castellæ spes, si armis esset in potestatem redactum. Sic in nobilissimo regno, vno tempore domestica concordia constituebatur, foris noui bellorum motus, terroresque ostentabantur. celeritate prouincialium voluntates confirmandæ erant, hostium conatus occupandi. capto Montiele Henricus Hispalim abiit lætus, ouansque victoria. Beticæ vrbes & oppida continuo imperata fecerunt: vna Carmona excepta, vbi occisi Regis filios, thesaurosque relictos esse monstratum est, Martino Corduba Præfecto, præstanti in Petrum fide. Rex Maurus ad ineundum fœdus vltro est sollicitatus, non sine sugillatione maiestatis. Regni confirmandi maior, quam decoris cura erat. frustra is conatus fuit. Rebus tamen in Bætica compositis, finibusque præsidio militari firmatis, Toletum redijt, quo Regina coniux, filiusque Princeps Burgis venisse nunciatum erat. In ea vrbe pecuniæ conquirendæ rationes excogitatæ sunt: quòd externis militibus debita stipendia numerare necesse esset, Bertrandoque in primis præmium nauatæ ad Montielem operæ, hoste interimendo pactum. ex regia pecunia, publicanisque penes quos regionum vectigalium rationes erant, aliquanta summa redacta. modicum tamen id erat subsidium ad explendam auiditatem militum. Ducumque, in manu sua fuisse regnum, datumq; Henrico haud obscure dicitantium: quòd erga rempublicam superbum erat, Regi ignominiosum: nihil tamen tunc gra-



ne ducebat præ dulcedine regnandi. Monetæ non probæ duo genera percussa, metallis adulteratis. vnde in præfenti inopiæ subleuandæ magnum compendium est factum: in posterum, rerum venalium auctis pretijs maiori difficultate prouincia est implicata. vt ferè in exitium vertuntur quæcunque ad redigendam pecuniam à populis, prudenter videntur excogitari. Sed vincebat omnia mite Henrici ingenium, suauissimi mores, atque in breui quamuis statura corporis, flauis candidique oris maiestas. Quæ naturæ bona, conciliatamque ex eo ad populum beneuolentiam conferendis muneribus augebat: vnde illi inter Castellæ Reges Munifici cognomen est factum. & erat necesse nouo regno confirmando, periculis socios opibus dititioneque augeri: vnde in prouincia noui multique extitere principatus. De Lusitaniæ, Aragoniæque Regibus, fama indies grauior esse & cura nouo Principi. Petrus Mendozius, Albornociusque ab Henrico cum valida manu præmissi, Requenam pulso Aragonio præsidio receperunt. Rex ipse in Calæciam festinauit, vbi Lusitanos vagari passim per agros, grauesque præda, eoque opportunos iniuriæ fore, erat nunciatum. Sentica obsessa. deinde Calæcos peruadens, in eam Lusitaniæ partem irrumpit, quæ Durio, & Minio fluminibus circumflua, præcipua soli fertilitate est. agris illata vastitas. villæ, oppidaque incensa. Bracara, & Brigantium captæ. sic bellico terrore hostibus ostentato, iniurijsque vindicatis, retro iter flexit. Aderat Sanctius Regis frater, auro redempta libertate. Lusitanus totius certaminis discrimen subire detrectauit, viribus minor, neque scientia militari exæquandus. Bæticæ motus rebus Lusitanis præsidio fuerunt: vbi à Granatensi Rege capta Algezira erat, soloq; æquata. memor nimirum barbarus erat multarum cladum genti olim causam extitisse. Præterea Bertrando, externisq; pacta pecunia numerada erat. ea cura nouum Regem habebat sollicitum, præfertim cum is conuitio propemodum postularet, in Sardiniam trajcere constituens, Aragonijs rebus præsidium, quæ in magno periculo erant Mariani Arboreæ reguli summa perfidia. Is correptis repente armis, vrbes & oppida ceperat, non obscure ad totius insulæ imperium aspirans. Præfectus ei bello fuerat, missusque ex Aragonia cum iusta classe Petrus Luna Almoneciri regulus, cui & si cum Mariano rebeli, affinitatis necessitudo erat, breui operæpretium fecerat, hostibus maiori quamuis numero, acie dimicare non ausis, atque Oristanum compulsis. Ad eam urbem insignis Aragonijs clades est illata. Obsessi ad omnem occasionem intenti, è superiorique loco neglectam castrorum custodiam conspicati, eruptione ex vrbe facta, tam rapidè decurrunt, vt prius penè in castris essent, quam quid nam rei foret, cognosceretur. sublato truci clamore in hostium tentoria inuadunt. desides, inermesque opprimunt. Dux ipse Petrus Luna, & Philippus frater perempti sunt. Secundum eam victoriam Brancaleo Oria eatenus Mariani partes secutus, ob iram aliquam aut spem liberalioris militiæ Aragonio Regi conciliatus est. venia defectionis data. verum quantum præsidij rebus accesserat, tanto viro in partes attracto, tantum detrimenti acceptum, Saffari vrbe amissa totius insulæ principe. Berengarius Garrocus in Petri locum substitutus. Bertrandus Clakinus magnis pollicitis ab Aragonio ad id bellum inuitatus, conditionem non abnuebat. & erat priuato homini honorificum, quasi belli & pacis arbitrum

trum ea tempestate esse, regnaque dare, & auferre pro voluntate. sed bellum maiori mole coortum in Gallia, ab ea expeditione retinuit, reuocauitq; in patriam. Tædebat Aquitanos Anglici imperij: exhausto enim Hispanica expeditione publico ærario, Eduardus grauissimum tributum imperauit: quod è singulis familijs exigere deplorabant illi præsentem rerum statum, magisque auctor, ad quem deficerent, deerat, quam rebellandi voluntas. quod vnum supererat Regi Gallo se dedere constituunt. Cadurcorum ciuitas defectionis initium fecit. Opportuna ea occasio Gallis visa est acceptæ in Pictauiensi prælio iniuriæ vindicandæ. strenuo Duce opus erat. Clakinus ex Hispania euocatus est. præterea Rex Vasconum ad armorum societatem inuitatus in Galliam abiit, tametsi sanciendo cum Aragonijs fœdere intentus erat, Crusato Tudelæ Decano ea causâ in Aragoniam legato. Verum totius reipublicæ cura Regiæ coniugi demandata, profectus ex Hispania Chireburgum suæ ditionis in Northmannis municipium tenuit Gallo diffusus ob memoriam veteris simultatis: belli futurus spectator: in eam sine discrimine rerum suarum partem inclinaturus, vnde maior spes ostenderetur. Feroci inquietoque ingenio Principem lenire Gallus studebat, haud ignarus paruis sæpe momentis magnas rerum immutationes existere. legati in eam rem viri primarij. Ad Sequanæ ripam Veronionum situm est, in vtriusque principatus finibus. in eo oppido Regum colloquium fuit. sancita concordia. Mompellerijque permutatione Medunta, Mulanchumq; iuris controuersi oppida, Gallo relicta. verum hæc aliquanto post. ad intermissa referenda narratio est.

*Tellius decepsit. Cap. XV.*



**H**ENRICVS quamuis victoria de hoste parata, nouoque in Hispania imperio fundato, clarus lætusque erat: tot tamen circumfusis hostibus in omnes partes cogitationem versare non desistebat, haud ignarus parua sæpe offensione victoriam corrumpi, amitti imperia. In prouincia optimus quisque eius partes, auspiciæque sequebatur. sed omnibus placere non poterat: & vt quisque beneficio aliquo deuinctus erat, occisi Regis causam tuebatur. Lusitani milites, qui Mirobrigam præsidio obtinebant, in vicinos agros excursiones facientes, agrestium fortunis, quæ proximæ iniuriæ sunt, magna detrimenta inferebant. Eò cum copijs omnibus salutis anno millesimo trecentesimo septuagesimo ineunte accursum est. palatos ad prædam carpere sperabat, vique aut voluntate nobilem ijs locis urbem in deditiorem redigere. hiberni temporis iniquitas eum conatum irritum reddidit. Regni conuentus, Mirobrigæ obsidione soluta, Medinam Campelestrem indicti. pecuniæ conquirendæ cura sollicitabat: nam quæ adulteratis metallis confecta erat, in militaria stipendia, Ducumque præmia impudenti eorum auiditate omnis erat consumpta. Clakino, duodecim aureorum myriades debebantur (more Romano quadragies octies sestertium) Petri Regis proditi pactum pretium, ingens ea tempestate summa. impendebant noui sumptus regni motibus pacandis. Ergo noua pecunia ingens ijs conuen-

tibus imperata. Iacobus Balearis, Rex Neapolitanus Clakino deditus est, pro septuaginta aureorum millibus, quod libertatis pretium Regina coniux locupletissima erat pollicita. reliquum auri pondus representatum. Soria, Almafatum, Atienza, Montacutus, Molina, Seronque adiecta. eo principatu, ijs opibus, partaque nominis immortalitate clarissimus ad nouas spes in Galliam recessit. Maurellus Fiennus Magister equitum in Gallia erat. eo abdicante imperium militare Clakino delatum. eo Duce Anglorum conatus, Galliam vrentium repressi. res præclare gestæ. hostes nunc ferro, nunc arte, multis locis victi: & quæ superiori tempore erat amissa, Gallicæ genti gloria bellica restituta est. Inter Aragonios & Vascones Dertusæ concordia sancita, armorumque societas aduersus communes hostes: re iunctis viribus Henricum inuadere erat propositum. oppida Saluaterra, Regaleque Aragonijs, in quorum ditione ab antiquo fuerant, à Regina Vasconum sunt restituta. fœderis constituendi præcipui auctores Bernardus Pompelonensis Episcopus, Crusatus Tudelæ Decanus: quos rebus gerendis proficiscens Rex coniugi consultores, adiutoresque adiunxerat, republica gerenda. In Castella cui primum parti occurreretur suspensis animis consultabatur. Petrus Sarmentus Castellæ Antelatus cum aliquot cohortibus in Calæciam dimissus, vbi recens Lusitanis armis Tude, Compostella, Brigantinusque portus erepta erant. eodem Tellius Regis frater venire iussus, rebus præsidium. cum robore exercitus, Rex Hispalim regni conuentu soluto maturauit: vnde maius periculum ostendebatur, infensis Mauris, Lusitana classe ea littora vexante, Bætisque ostium obsidente, Carmona rebelli. Commodum accidit cum Mauris à D. Iacobi, & Alcantaræ Magistris, qui limiti præfecti fuerant, inducias pactas esse, vsu salutare, bello meliores, Regi gratas, tot vno tempore hostibus impari futuro si per partes bellum esset. Aduersus Lusitanæ classem, in qua sedecim triremes erant, naues aliæ quatuor & viginti, Hispali viginti triremes Henrici iussu instructæ sunt, armamentorum penuria maxima, quæ à Petro Rege Carmonam illata erant: in eo spem habente, si rebellandi occasio esset Hispalensibus ablata. miseram principatus conditionem. ergo ex vltima Cantabria nouæ euocata, aduectæque naues: quibus hostium classis impar fuit. amissis tribus triremibus, ne tentata quidem pugna spe dissipata in Lusitaniamque reiecta est. & erat imminuta numero, quod cum triremium parte Martinus Eborensis, Ioannes Syluensis Episcopi Barcinonem missi erant, de fœdere ineundo ad Aragonium legati. fœdus ijs agentibus inter vtranque gentem sancitum aduersus Henricum. Murcia, Choncha, aliaque finitima oppida Aragonio pacta. reliqua Castella Lusitano relinquebatur, se iam eius prouinciæ Regem publicis tabulis adscribenti. additumque vt Eleonora Aragonij filia Lusitano nuberet, dote centum florenorum millibus. Verum hi omnes conatus effectu caruerunt, Lusitano alienis amoribus distracto, Aragonio de Sardinia bello sollicito. Quo tempore omnino Idibus Octobris Tellius Viscaix regulus in Calæcis obiit, cunctis vitæ officijs æquabilis, multis exercitus calamitatibus, fratri Regi ad extremum infensus. quæ occasio extitit in vulgus iactandi noxio medicamine infectis visceribus occisum. mendacio habita fides est, sic arbitror. Defuncti principatus Laræ, atque Viscaix Ioanni

Ioanni Regis filio à patre datus, in Regum ditione stabili possessione mansit ad nostram ætatem. Corpus Palentiæ in D. Francisci sepultum. inferiæ ex ritu Christiano datæ, funusque magnificè factum est.

*Regis Lusitania nuptia. Cap. XVI.*



10 **M** V L T V M erat profectum factis cum Mauro Rege inducijs, Lusitana classe nostris littoribus prohibita. Carmona supererat: cuius rebellio non ad vnus modo expugnandæ vrbis moram, sed ad totius belli summam pertinebat, perfugium omnibus, quibus præsens rerum status displicebat. magno eos numero esse, necesse fuit, milites veteranos scientia militari præstantes. vis omnis belli in id oppidum conuersa est. Anno eius seculi septuagesimo primo inchoante omnibus 1371  
20 copijs circumfessa. diuturna, ac difficilis obsidio fuit. pro mœnibus varia sæpe fortuna pugnatum erumpentibus oppidanis, sæpeque haud impari acie stantibus: tanta animorum confidentia, vt per diem nunquam portas clauderent, nunquam oblatum ab hostibus certamen detrectarent. Die quodam omnia è mœnibus speculati post meridiem, cum Solis ardor vehementissimus esset, neglectis castrorum custodijs improviso eruptione facta, hostium munitiones inuadunt, perumpuntque. regium tabernaculum petunt, Principis cæde finem bello facturi. Diui indigetes Hispaniæ eo die rempublicam texere. nonnulli periculo permoti Carmonensium impetum sustinere. accessere alij. diu intra munimenta pugnatum. cruenta funestaque illis audacia fuit. Sub hæc regij quoniam vi parum profecerant, ad artes conuersi allatis scalis ad mœnia noctu succedunt. quadraginta milites scanderant, turrimque ceperant. trepidatio toto oppido facta, quali amisso oppido. mox obsessi receptis animis hostes repellunt. desilientium pondere fractæ scalæ. capti alij. de ijs aduentu Martini Cordubæ supplicium sumptum: quod Henrico Regi graue fuit, Martino exitium attulit. fame tandem oppressis omnibus, deditioemque facientibus, quamuis incolumitatem pactus Hispali peremptus est. qua in re violatæ fidei dedecus erat: sed Rex priuatum dolorem, militum cædem nobilissimi viri interitu, qui Calatrauz Magister fuerat, vltus est. Petri Regis thesauri, filijque innocentes in Henrici potestatem venerunt, paterna scelera diuturna captiuitate luituri. Alfonsi Regis cineres, vt ipse testamento cauerat, Cordubam Henrici filij cura translati sunt. Retro aram templi maximi Alfonsi patris, Ferdinandique tui, tumuli extant facello dicato, lignei quidem & humiles, non ineleganti tamen opere incisi sculptoris arte. A Petro Velasco Senticæ Lusitanis erepta, atque in Henrici Regis potestatem redacta. Galæciæ motus compressi. Ferdinandus Castrius qui se fuga ad Lusitanos contulerat, eorum motuum concitator, acie superatus à Manrico Sarmentoque pro Castellæ Rege copiarum Ducibus. ijs claudibus fractus Lusitanus (molli effœminatoque voluptatibus corpori acer & vehemens animus deuinctus esse non poterat) ad ineundam cum Henrico pacem pronior esse cœpit. Alfonsus Gusmanus Gibræleonis regulus, facta ab utroque Rege potestate Kalend. Martij ad Alcauinum Lusitanæ oppidum concordia

concordiæ inter vtranque gentem auctor extitit ea lege. Vt oppidis, quæ belli tempore erant amissa Lusitano redditis, Eleonora Henrici filia coniux esset. Mirobriga, Valentiaq; in Turdetanis, in Galæcis Monteregio dotali. Lusitani imperij augendi magna opportunitas erat: sed omnia peruertit dira tetri amoris flamma, quo Lusitani animus Eleonoræ Menesæ deuinctus erat, vt est ante demonstratum, eò amplius quod ex ea Beatrix filia nata erat. prorsus nouo quod offerebatur coniugio repudiato, restitutisque per legatos vrbibus, quas ceperat, amicam sibi iustis nuptijs iungere statuit. Auspices Tellius Barcelosij Comes nouæ nuptæ patruus, Mariaque eiusdem soror germana. multarum earum calamitatum extitit causa. ciues Olisiponenses correptis præ dolore armis, in regiam impetum faciunt, sugillari maiestatem eo coniugio dictitantes, sceldari Lusitani nominis gloriam. Nihil obiecto periculo obstinatus Lusitani Regis animus mouetur. Portum vrbem se clam subducens, ijs locis publice nuptias confecit. sic concubinæ nomen Reginæ appellatione mutatum est, addita ampla ditione, iussisque omnibus nouæ nuptæ manum osculo petere. quod regij etiam fratres præstiterunt, vno excepto Dionysio, qui facere palam recusauit: tanta ex eo Regis iracundia, vt pugione districto vindicare vellet: Dionysius latebras captare cogere, donec se totum ad Henrici Castellæ Regis amicitiam transiit. Noua Regina ex eo tempore Regis, rerumque potens, quasi veneficio virum dementasset, omnia pro arbitrio gubernabat. Acunij proceres ob memoriam prioris coniugij, & quoniam Olisiponensis tumultus auctores extiterant, solum exilio vertere compulsi sunt Reginæ metu. Eius cognati & necessarij nouis principatibus aucti. Ioannes Tellius patruelis Vianæ Comes, Lupus Sosa, Maria sorore genitus, eius militiæ Magister institutus, cui à Christo nomen est: alijs alia oppida data. plurima gratia, potentiaque Ioanni Andeiro. Natione is Galæcus erat, atque Orenij Comes creatus. eo Regina multum & familiariter vsa, remotis sæpe arbitris mutui stupri suspicionem præbuit: vulgòque iactatum, filios ex ea consuetudine Regi suppositos, mendacian ex fide non satis compertum erat, & sæpe veritas vulgi rumoribus prona in deterius persuasione publica inuidia corrumpi consuevit. Fine huius anni ab Henrico Rege Tauri, regni conuentus habebantur. in ijs conuentibus, restitutis à Lusitano vrbibus, quæ priori tempore occuparat, quæ illi res magnam inuidiæ partem ad populum confluauerat: de ijs oppidis deliberatum, quæ Vasconum præsidij in Castellæ finibus tenebantur: sancitumque vt primo tempore armis, si voluntate detrectarent, in potestatem redigerent. Iudæi & Mauri, quorum erat numerosa multitudo nostris confusa, vt insigni nota distincti essent, mandatum est. Pecuniæ non probæ valor imminatus. antiquare non est visum, ob ærarij publici tenuitatem. Secutum aliud certamen. Behetrias, quarum erat magnus numerus in vltiore prouincia, præter quas D. Bernardi Magistro ablatas fuisse monstratum est, certis Principibus addicere, Regi erat propositum. ex promiscua libertate mutandi dominos magna incommoda extare dictitabat. intercessere proceres priuati compendij causa: tametsi alia species obtendebatur. Itaque eo conatu cessatum est. Copiæ militares aduersus Vascones missæ, inito cum Regina Vasconum fœdere, continuere impetum.

conuenit, vt oppida de quibus controuersia erat, penes Gregorium eo nomine XI. Romanum Pontificem, quasi sequestrum essent. Is principio huius anni, in Vrbanus defuncti locum successus erat, patria Lemouicensis, restitutis Romanis Pontificibus in antiquas maiorum sedes, nobilis, clarusque. additum in fœdere, vt pontificius Legatus, quem venturum propediem constabat, de omnibus controuersijs diiudicaret. Ioannes Arellanus domo Vasco, magnis ab Henrico beneficijs obstrictus (nam operæ nauatæ Camerorum principatum præmium acceperat) ea oppida Pontificis nomine obtineret, sacramento adactus, ei redditurum, cui lite disceptata iudicatum esset. sic in præsentia vi, armisque temperatum est. Paulò post Henricus Burgos profectus contra fœderis condiciones, missa militari manu, Saluaterram, Campesumq; Vasconibus abstulit. Victoria, Luginiumque nullis artibus ad mutandam fidem tunc potuerunt adduci.

*Alia inter Reges fœdera. Cap. XVII.*



MAIOR ab Aragonio belli metus impendebat, acerrimo, infensoque hoste. multæ simultatis causæ extabant. noua accesserat Iacobum Bailem è custodia emissum, contra quam Aragonius egerat per legatos: nam paternos principatus armis repetiturum, dubium non erat. Actum de armorum societate inter Aragonios Lecestriæque Ducem constituenda, iunctisque viribus Castellæ Rege impugnando, sed eos conatus bellum in Gallia grauissimum inter Anglos, Francosque renatum, retardabat. Aragonium belli Sardici cura sollicitabat, metusque ne Iacobus Balearis Galliæ viribus, vbi magni delectus habebantur, Ruscinonenses fines inuaderet, quod fore propediem fama erat. Conuenarum Cardinalis, à Gregorio Pontifice, de pace inter eas gentes Legatus, in Aragoniam apulit. Ne armis disceptare esset necesse omnium controuersiarum arbitrium, Romano Pontifici permissum, graui multa indicta, si quis pactas Ianuarij quarto die salutis anno millesimo trecentesimo septuagesimo secundo inducias violaret. Varijs Henrici tergiuersationibus verentis ne Pontifex Aragonio equior esset, concordia sancienda tempus extractum est. Tude, quam vrbem Sannabria, alijque in Lusitaniam profugi occuparant, circumfessâ: atque in Henrici potestatem iisdem diebus redacta est. Duodecim Castellæ triremes Gallo Regi amico, & fœderato, auxilio missæ, ob memoriam accepti beneficij. Ductor Bucanigra, maris Præfectus, gloria belli, sanguinisque nobilitate præstans, adiuncta Gallica classe, sex & triginta Anglicas naues nauali prælio vicit, cepitque ad Rupellæ littus. victoria cum primis ea ætate celebrata. Vrbs Santonum firmissima in Gallia Rupella est, Anglicoq; præsidio tenebatur. quo deiecto in hostium deditioem redacta est. viri nobilissimi capti, ipseque Angliæ classis Dux. Magnus auri pondus, multa pretiosa vestis, victoriæ monumentum, operæ merces, Burgos vbi Henricus erat, allata. Erant Aragonio Regi ex Eleonora Regina Siculi Regis filia, tres filij superstites: Ioannes regni hæres futurus, Martinus, Constantia. Constantiam sanè Friderico Regi Siculo nupsisse monstratum est. Maria Lupi Lunæ proles vnica Barcinone mense Iulio Martino iuncta est, Lunæ,

Lunæ, atque Segorbij principatu dotali. Exerica à patre Rege addita. neque multo post, idem equitum Magister in Aragonia est constitutus. Iisdem diebus, Ioanni maiori eius Regis filio Mata Ioannis Armeniaci soror desponsa est. dos dicta, centum quinquaginta Francorum millia. nata ex eo coniugio Ioanna Matthæi Fuxensis Comitum quondam vxor. Augusti vigesimo secundo die Bernardino nepoti Bernardi Cabreræ ex filio Aufæ Comite per hæc tempora defuncto, auita oppida à Rege restituta, Aufa vrbe tantum excepta, cum subiecto circum ad quartum lapidem agro. misericordia erga nobilissimam familiam successerat: conscientiaque tanti viri iniuria perempti, Regem Reginamque vrebant. Inter Castellam & Lusitaniam, maiori quàm ante mole atque periculo bellum renatum. multæ Cantabricæ naues ferro, calybe, alijsque mercibus, vt soli natura fert, onustæ à Lusitanis erant interceptæ, qua causâ incertum: nisi quod transfugis, quorum erat magnus numerus, pacem inter vtrunque gentem constare egrè erat, veritis, ne per conditiones, vt antea erat factum, ad supplicium hosti dederentur. Senticam quo Henricus accessit bello comparando intentus, missi feciales res repetituri, & nisi esset satisfactum, bellum denunciaturi. Ab his initijs ventum ad arma. Alfonsus Henrici filius ex impari matre in Calecia curare iussus. Buccanigræ mandatum, vti Hispali duodecim tremitibus instructis Lusitanæ littora vexaret. intestina gentis dissidia, præclari facinoris opportunitatem dabant. ad Senticam urbem, quod grauissimum impedimentorum erat relictum. Rex ipse in Lusitaniam irruit. vbi ventum in hosticum est, agros populatur, pecora abigit, villas, vicosque incendit: Almoïda, Gylloricum, aliaque oppida capta sunt fine anni. Quo tempore Guidonem Bononiensem Cardinalem à Gregorio Põtifice Legatum venisse in Hispaniam nunciatum est. rogat Henricus vti eius aduentum Caracæ operiretur, vbi Regina morabatur. negat ille cum tantum belli esset excitatum, cuius componendi causâ, missus esset in Hispaniam. ergo continuato itinere Mirobrigam appulit, vtrunque Regem adire constituens. Vrebatur Lusitania belli flamma, proximique anni principio millesimi trecentissimi septuagesimi tertij Viseum, cui olim oppido Vico aquario nomen fuisse creditur, expugnatum est. Conimbri-  
ca tentata. belli impetus Scalabim versus est: vbi Lusitanus Rex statiuam habebat: & prælio cum eo decernere Henrico erat propositum. detrectat ille certamen, minori copiarum numero, suorumque voluntati non satis credens. nam Dionysius frater hosti se adiunxerat, Dieghi Paciechi opera, cui iam Begiar in Castella principatus erat Henrici dono. is Dionysium anxium aggressus hortatur, vt contumeliarum quæ à fratre extabant pœnas petat, Henricum secutus. facileque, vt ita faceret, persuaserat, in partesque traduxerat. Ergo spe totius certaminis abiecta, Olisiponem itum. suburbia, quæ ea tempestate muro cincta non erant, primo aduentu occupata. pulcherrimis ædificijs iniectus ignis. pars vrbs superior, propter mœnium firmitatem propugnantiumque virtutem expugnata non est. multæ tamen naues in portu quæ combustæ, quæ captæ sunt à Castellæ classe. ingens præda fuit, multi captiui. Cardinalis Legatus inter Reges commeari non desistebat, nullum laborem, nullum vitæ periculum recusare certus pacis reuocandæ causâ. Eo annitente ad quintum Kalen. Aprilis fœ-  
dus

us ijs conditionibus factum est. Oppida vtrinque redduntur. Castellæ perfugæ omnino ad quingentos equites Lusitanæ finibus arcentur. Beatrix Lusitani foror, Sanctio Alburquerquij Comiti, Isabella eiusdem filia furto genita, Alfonso Henrici filio Gegionis Comiti nubunt. Regum & Cardinalis colloquium ad Scalabim in medio flumine fuit. ibi concordia inter Reges sanctissimo iureiurando sancita. obsides à Lusitano dati. nuptiæ, vt conuenerat, in eo oppido celebratæ Sanctij Beatricisque. Isabella octo tantum annos nata, viroque immatura, in Henrici potestatem tradita est. Sic pace constituta è Lusitanæ finibus discessum. Vis belli in Vascones versa. ad D. Dominici Caladij sanum, Castellæ copiæ progressæ erant. Legati pontificij opera, priusquam ad manus veniretur, ea etiam parte concordia sancita. Lugrumum, Victoriaque Castellæ Regi restituta. Inter Eleonoram Henrici & Carolum Vasconis filios pactæ nuptiæ. Centum viginti aureorum millia Vasconi certis pensionibus numeranda erant dotis nomine: & propter eos sumptus, quos ijs oppidis municendis, quæ reddebantur, tolerare necessè fuerat. Ad Briõnes municipium, in finibus vtriusque regni, Regum colloquium fuit. ibi Carolo puero Vasconis filio & Eleonoræ sponsalia data. initæ pacis conditiones fore stabiles, Petrus minor Caroli frater obses fuit, in Castellæ regia educandus. Bernardus Pompelonensis Episcopus, Crusatus Tudelæ Decanus, quos rebus gerendis à Vascone adhibitos quo tempore in Galliam abiit dictum est, eo reduce in Hispaniam solum exilio vertere compulsi sunt. rei malè gestæ crimen imponebatur. & Præfectorum sæpe periculo peccatur, quamuis nulla propria noxa, præsertim apud feroci animo Principes, atque implacabili, qualis Carolus fuisse memoratur. Crusatus insidijs exceptus peremptusque est. Bernardus fuga felicior Auenionem euasit: deinde in Italiam transcendit Gregorij Pontificis comes.

*Pax cum Aragonio Rege. Cap. XVIII.*

30 **S**OLVTO Brionensi Principum conuentu, fundataque publicæ in Hispania tranquillitatis spe, Henricus quidem in Carpentanum discessit: Carolus sese in Vascones retulit. sollicitasse eum quosdam persuasisseque, vt Regem Francum veneno perimerent, fama erat. venenarij deprehensi, capite pœnas soluerunt. Regina Vasconum eius criminis auertendi deprecandique studio in Galliam missa. Rex ipse Madritum abiit, vbi Castellæ Rege conuento eum à Gallica amicitia deducere conatus est. discessuros Anglos ab armis, neque de regno amplius cum Lecestræ Duce futurum certamen, si Valliæ Principi ea pecunia repræsentata, quæ a Petro Rege stipendij nomine pacta erat, Gallicæ amicitia Anglicam præferret.  
40 Henrico aduersus Gallum neque votum erat neque animus, superiori beneficij memoria obstricto. itaque se facturum præcisè negauit: non recusare tamen, pace inter eos Principes facta, tertium ad fœdus accedere: pecuniaque præbita Anglo satisfacere, quantam designati arbitri iudicassent. Sic Vasco inani conatu Pompelonem, Henricus in Bæticam abiit. subsecutum est nouum certamè de regni par-

te. Maria Ferdinandi Cerdæ filia, eadem Ioannis Larę cognomento Coelitis soror germana Alfonso Comiti in Gallia nupserat, regio ex sanguine nobilissimo. numerosa prole felix, cognatisque, ceteris in Hispania extinctis, Viscaie Larę que principatus materno iure repetebat. missus in eam rem legatus apud Henricum Regem, Burgis quò is venerat Bætica obita, causam diligenter egit. graue erat amplam ditionem ad Gallos proceres redire. legibus resistere & æquitati nefas. arte Gallici conatus delusi sunt. Respondet Rex, se quidem paratum duobus Mariæ filijs, Laram Viscaiamque reddere, modò in Hispaniam reducibus domicilio stabili. detrectant illi conditionem, amplis principatibus, opimisque sacerdotijs in patria aucti, Regum fauore & propinquitate præpotentes. Aragonius ad iungendas cum Anglis vires sollicitatur, legato in eam rem Spinula ciue Genuensi: Murciam, Concham, Soriã, contributaque ijs vrbibus oppida, victoriæ præmium Aragonio futura, si communibus armis Castellæ regnum Henrico esset ablatum. cautior is Henrici amicitiam præferebat, bellica gloria ea tempestate clarissimi, suorum gratia præualidi: præterea rerum potentis, vicinique. & erat si bellum existeret Aragonio formidabilis propter rerum locorumque notitiam: & quoniam exilij tempore magnam sibi Aragoniæ nobilitatis partem adiunxerat. Occulta lege fati ostentis ac responsis Henrico Hispaniæ regnum destinari, Aragoniæ etiam opinio erat: terroresque de cælo multorum mentes conturbabant, horrendo terræ hiatu, motuque multis oppidis ea Aragoniæ parte, vbi Ripagorfa sita est, euersis mense Februario. Superstitioso homines ingenio, ea parte cladem prouinciæ imminere interpretabantur. dictis fides passim adiuncta, quòd multæ cohortes Gallicæ Balearis stipendio conductæ ad fines Ruscinonenses tenderent irrumperere paratæ. Itaque Anglici conatus vani fuerunt: & de Regibus Castellæ atque Aragoniæ inter se conciliandis Ludouici Andegauensis præcipua diligentia agebatur, Carcasone sese tenentis, in eamque causam intenti. metus ne Angli, perpetui Gallorum hostes, rerum potirentur in Hispania sollicitabat. Missi ea de causa ad Aragonium legati. Eleonoram filio suo antea desponsam reddi Henricus postulabat. neque recusabat Aragonius honestissimam conditionem, modò ijs vrbibus redditis, quæ priori tempore pollicitus erat. Excusabat Henricus sibi profugo atque exuli nullam opem allatam: contra cum hoste infensissimo fœdus pepigisse. placuit totius controuersiæ arbitrium Guidoni Cardinali Legato permitti, pace inter Hispaniæ gentes constituenda, quàm antea feliciori. Quo tempore hæc in Aragonia agitabantur Octobris die quintodecimo, Gregorio Pontifici ratio viuendi probata est: quam ij monachi confectantur in Hispania, quibus à Diuo Hieronymo nomen est, copijs, ædificiorum amplitudine, diuinas laudes concentu suauissimo decantandi studio, clausuræ patientia præcipui præ cæteris atque præstantes. natiuis lanarum coloribus extra veneto intus candido distincti. Quidam viri Itali pietatis studio incensi, non procul Toletò domicilium constituerunt, ab hominum conuentu secretum. Horum vitæ genus, propter excellentem sanctitatis opinionem æmulati alij sese illis adiunxerunt. Viri in eo numero primarij, Fernandus

ad Iuanius templi Toletani Canonicus, Pechæ fratres, Alfonso Petrusque: hic regius cubicularius, ille Genuensis Episcopus. Primum huic ordini monasterium, legibus institutisque temperatum prope Caracam supra Lupianam pagum. Regum Principumque munificentia deinde multa alia fundata sunt. ab his Isidoriani monachi prodierunt annis consequentibus. Barcinone inter Reges Castellæ Aragoniæque, mense Decembri, cum de pacis conditionibus non conuenirent, pactæ induciæ sunt, vsque ad festum Pentecostis: quo die illapsi in Apostolos diuini Spiritus memoria celebratur. Ioannes Emporitanus Comes Aragonij patruelis, generque, Ioanna vxore Aragonij filia, Ioannesque Arlanus pro Henrico Rege legatus, induciarum auctores. Iccium, qui portus in Morinis est, Galliæ Belgicæ parte, Lecestriæ Dux cum validis copijs transmisserat. adiunctus Ioannes Dux Armoricus, qui eius sororem coniugem habebat: eòque Anglicis partibus fauebat, à Franco alienus. ab his finitimi Atrebatæ & Veromandui rapinis, ferro, incendijs vexati: verso mox in Aquitaniam itinere, Ligeris traiectus. ventum Burdigalam. Hispaniæ inferre arma cogitabant, atque Castellæ regnum inuadere. Aragonij Vasconesque ad belli societatem, missis identidem legationibus sollicitati. prudentiores illi pro incerta præmiorum spe, in certum exitij periculum incurrere detrectabant: fortunam, vt plerique mortalium, in consilio habituri, alieni periculi spectatores. Henricum eius tempestatis amouendæ cura sollicitabat. Burgos vbi se tenebat, copiæ ex vniuersa ditione contractæ sunt. noui habitus delectus. veterani nominatim ad signa euocati. Affuere proceres periculo permoti, & studio in suum Regem incensi: illi etiam, qui superioribus bellis alieno animo fuerant, promptitudine, diligentia, alacritate, fidem approbare cupientes. dissidere antea solitos commune nunc externi imperij odium iunxit. Noua & inopinata re omnium animi conturbati sunt. eodem appulsus Sanctius Alburquerque Comes in tumultu nocturno peremptus est: cum eius & Petri Mendozæ milites de hospitij decertarent, ad compescendos tumultuantes famulos, heri essent progressi, ad quartumdecimum Kalend. Aprilis, eius seculi anno septuagesimo quarto. Fratris casu Henricus, pro eo ac par erat, commotus, vindicta tamen abstinit culpæ per imprudentiam commissæ. Beatrix Sanctij vxor grauida, Eleonoram deinde peperit, Aragoniæ olim Reginam. Castra regia Bagnares municipium promotæ. ijs locis recensitæ copiæ. equites sex millia ducenti, pedites quinque millia inuenti: virtute quàm numero validior manus: parataque quocunque subita armorum vis aduocasset, eo occurrere: bellicumque terrorem, tum Galliæ, tum Aragoniæ finitimæ intentans. nam pactum induciarum tempus exibat: & Angli immutato numero belli Hispanici cogitationem intermittere nunciabantur. Philippus Burgundus, Ioannesque Vienna, maris Gallici Præfectus, magni nominis Dux, palantes, vagos, prædaque graues toto itinere magnis cladibus oppresserant. sic ex triginta hominum millibus, vix sex millia Burdigalam peruenerunt. Rei bene gerendæ occasio offerebatur, pellendi Anglos ex vniuersa Gallia: quos belli fortuna destituisse videbatur versa ad Gallos. Ludouicus Andegauensis Henricum monet, vt iunctis viribus Baionam in Tarbellis obsideant. ad tuendam nominis existi-

mationem, ea res pertinere visa est: si tantum virium fiduciaque inesse, persuasum hostibus esset, ut non tantum bello propulsando, sed etiam inferendo idonei esse viderentur. Obsessa ea vrbs ab Henrico est extremo mense Iunio. verum continuis imbribus impedita opera, commeatus inopia, finitima Cantabria ob locorum sterilitatem malignè suppeditante, fessis omnibus, re infecta est discessum. & Ludouicus Andegauensis contra quam erat pollicitus venire non potuit, alijs curis districtus. In reditu Bertrando Gueuaræ eius familiæ principi Ognatij regulo, nauatæ operæ Lenitium eo tractu oppidum præmium fuit Henrici Regis dono, nimia liberalitate profusi: quod posterii retractarent. Augusto mense Iacobus Balearis in Ruscinonensem agrum peruenit. numerosæ validæque copiæ sequebantur, quibus Aragoniæ vires impares erant futuræ, si vniuerso prælio decertandum esset. vicit tamen eius gentis fortuna. variæ manus vicinis locis dissipatæ exiguo fructu sunt. hominum tantum & pecorum prædæ abactæ. vis mali in Vrgelitanum tractum potissimum incubuit. Alia parte Bearnensis regulus & Gotifredus Recco Armoricus, quibus ampla ditio in Castella erat, siue Henrici permisso, siue sua sponte Borgiæ agros irruptione facta infestos reddiderunt. tentata oppida. villæ agrique incensi. A Granatensi Franciscus Perellus interceptus, quem Aragonius in Angliam mari legatum miserat, auxilia pacemque expetitur. Catalaunis mercatoribus iniecta vincula. captæ Granatensis nauis ad Tunetanum littus à Petro Bernardo Aragonio dolor stimulabat: simul Henrico Regi gratificari cupiebat. In tantis calamitatibus, tantisque periculis, quò se Aragonij verterent? vnde euocarent auxilia? Henricus sanari Aragonium, quàm perire mallebat, memor eius ope, tantum imperium accessisse. Ioannes Arellanus & Salmanticensis Præsul rursus de pace legati, Barcinonem appulere. Ipso tempore Vasconum Regina in Eburouicibus decessit, die tertio Nouembris. eius lacrymis multa marito scelera antea condonata fuerant: nunc fratris Regis aures suis precibus obturatas dolebat. is dolor ægritudinem, & ex ægritudine mortem attulit. Corpus in D. Dionysij ad maiorum busta tumulatum est. exequiæ regio apparatu splendidæ factæ. Noua marito inuidia ad populum concitata, eorum propinquis & necessarijs vindicandis, quos hostium partes in ea temporum calamitate secutos esse constabat. bona publicata. ipsi exilio supplicijque mulctati. quæ mala si ipsis auctoribus inflicta essent, vindictæ dolor excusari potuit: nunc alienam culpam innoxij luebant. Grauius atque atrocius fame, quàm bello Aragonia vniuersa conflictabatur. aduecto ex Africa frumento, inopia utcunque leuata. id incommodum salutem rebus attulit. hostium copiæ eo malo compulsæ, in Castellæ fines discessere. principio anni millesimi trecentissimi septuagesimi quinti. ipse Balearis Princeps ex morbo continuo decessit. Corpus Soriæ in D. Francisci sepultum. Isabella, Montisferrati Marchioni iuncta coniugio fratrem in eam expeditionem secuta erat, spe paternas iniurias vindicandi. ea Duce Gallorum copiæ in patriam reductæ sunt. Paterna iura Ludouico Andegauensi ea lege data, si armis Aragonios inuaderet. Vnde noua contentionum materia exitit, vix inter Aragoniæ & Castellæ Reges pace conciliata, opera Ioannæ

Ioannæ Castellæ Reginæ, eo studio Almasanum appulsæ. venire eò Archiepiscopus Cæsaraugustanus, Ceruelloniusque ab Aragonio legati. ijs agentibus concordia pridie Idus Aprilis confirmata est, his conditionibus. Eleonora Aragonia Ioanni Principi antea pacta, nuptura redderetur. Dos dicta ducenta florenorum millia: quæ Henricus belli ciuilis initio mutua ab Aragonio acceperat. Molina Castellæ Regi restituta. Aragonio in belli sumptus centum octoginta florenorum millia pacta, certis pensionibus numeranda. Eius concordie lætitia, quam diuturnam fore ominabantur suæ quisque spei indulgentes, in vtraque prouincia conuiujs, ludis, spectaculis, publica que gratulatione celebrata est. ex tantis motibus, tantisque tempestatibus in vniuersam Hispaniam exoptatam tandiu tranquillitatem reuocari gaudebant scilicet, atque sperabant.

*Principum nuptia. Cap. XIX.*



VIT hic annus non Hispaniæ faustus, sed orbi terrarum vniuerso, quàm latè gens Christiana fusa erat. Gregorius vndecimus Pontifex Maximus pontificium decus in veteres maiorum sedes, & celeberrima sanctitatis domicilia reuocauit Auenione relicta, vbi septuaginta annis hæserat: Romamque delatus est, ut in ea vrbe reliquam vitam exigeret, vir magnus, immortalique laude dignus. res in Italia turbatæ absentiam Pontificum non ferebant. Catharina Senensis virgo sanctissima, cuius ad Gregorium duodecim epistolæ extant, salutaris consilij auctor præcipua extitit, aduersus dissuadentes Cardinales, in re certa propriaque proprio ut arbitrio vteretur, elegantissimis verbis persuadens. Bertrandus Clakinus magnis honoribus in Gallia habitis, auctusque Longæ villæ principatu, Soriæ, Atiensam, Almasanum, aliaque oppida, quæ in Castella dara erant, Henrico Regi vendidit. ducenta septuaginta aureorum millia (centies octies sestertium) pretium fuit. ingens ea tempestate pecuniæ summa, redditis viginti sex Anglis nobilissimis, qui ad Rupellam capti erant, magna ex parte compensata. pro reliqua pecunia, obses datus Ioannis Arellani filius, patri cognominis. nam regium ærarium bellicis sumptibus exhaustum erat. Conficiendis Principum nuptijs, vrbs Soria delecta est ad Vasconum & Aragoniæ fines pertinens. loci commoditate Rex Henricus inuitatus, vno tempore geminas nuptias celebrare constituit. Eleonora Aragonia deducenribus Lupo Luna Cæsaraugustano Præsule & Ceruellonio legato, Aragonia nobilitate prosequente Soriæ venit. Eodem Carolus Vasconis filius appulit. prior Eleonora Henrici filia nuptui collocata Maij mensis die vigesimo septimo. is honor hospitibus habitus. Iunij octauodecimo die Ioannis Castellæ Principis & Eleonoræ sponsæ coniugium est initum. plausu, faustisque acclamationibus ac ludis cuncta plena erant, non in ea vrbe modò, sed in reliqua Hispania, ob spem diuturnæ felicitatis hominum animis conceptam. Ferdinandum Castrium (Ioannæ Castræ is frater germanus fuit) qui superiori tempore ex Lusitania profugerat, in Anglia decessisse,

dum spei imminet patriæ armis repetendæ nunciatum est : Angliæque littorâ cognitum, à Castellæ classe prædis, direptionibus, incendioque vastata. ductor Ferdinandus Touarius, Dux ea tempestate nobilissimus. Soria sese Henricus Burgos retulit, foris clarissimus, domi felix, Gallicis partibus vnde tantum præsidij extiterat subleuandis intentus. Alfonso Gegionis Comes pactas nuptias auersatus iuuenili leuitate, in Galliam profugit: Rupellamque mari tenuit, vnde patris diligentia aliquanto post reuocatus est. Obierat Manricus Toletanus Præsul. comitia habita successore designando. Sacerdotes Toletani, quorum ex partes erant studijs scissi, pars Petrum Fernandum Decanum Tolctanum præferebat: pars Ioannem Manricum ex Archidiacono Talaueræ Auriensem prius, deinde Seguntinum Præsulem, defuncti propinquum, fratris filium Garliæ Fernandi Manrici. huic Rex impensè fauebat, quippe Arellani affini & necessario. Controuersia ad Gregorium Pontificem reiecta, ijs pulsus, vti vitio creatis, Petrus Tenorius Conimbrica, vbi Episcopum agebat, ad Toletanam ecclesiam translatus est, eruditionis laude præstans: quam Italica peregrinatione obita, maximam ceperat Baldo præceptore vsus, prudentia ex multarum rerum vsu collecta, atque animi magnitudine ea tempestate clarissimus. Nobilissimi viri Vascones extincti: Rodericus Vrricius opibus auctoritateque præstans, sui Regis iussu Pompelone captus, trucidatusque est mense Martio extremo, salutis anno millesimo trecentesimo septuagesimo sexto. malè recta defectionis consilia exitium attulere, cum Henrico Rege, vti fama tulit, communicata, falsis vt ego arbitror rumoribus accommodata fide. nam pacem tam cito turbare voluisse, quis inducat in animum? Bernardus Pompelonensis Episcopus Nonis Iulij Anagninæ in exilio decessit. Grauitas viri, & prompta libertas inuisa Regi erat. in eius locum Martinus cognomento Calua cooptatus est iuris cognitione sacri profaniq; publici atq; priuati excellens ea tempestate. prorsus vt Baldo æquali iurisperitorum principi multorum opinione exæquaretur. Fridericus Siciliae Rex Messanæ obiit ad sextum Kalend. Augusti, Maria regni hærede Athenarum, atque Neopatriæ. vnde nouæ spes, multisque Principibus contentionum materia, puellæ coniugium, Siciliaeque regnum ambientibus, nouorum motuum consiliorumque expectatio, Aragonijs imperij amplificandi occasio.

Libri Septimidecimi Finis.

HISTO.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XVIII.

#### *Dissidium de Romano Pontificatu. Caput. I*



EQVNTVR tempora bello vacua, præcipua tranquillitate insignia. Hispani Reges quamuis legibus, institutis, lingua, animis, caussaq; discrepantes, bello fessi & tam multis affinitatis vinculis inter se constricti quiescebant: pax diuturna fore videbatur. cum Mauris coniugij commercium esse non poterat ob diuersam religionem: induciæ tamen extabant. Lecestriæ Duci Castellæ armis repetendæ in tanta nostrorum concordia neque facultas erat neque spes: & bellum in Gallia nuper concitatum vigeat maximè. Angli victores passim cædebantur, versa partium fortuna. Henricus Rex tanto imperio parto clarissimus ea tempestate habebatur. in Hispania belli & pacis moderator ad pacis artes conuersus castigare flagitia, quorum maxima licentia fuerat belli tempore: mores pristinos reuocare: vrbes, oppida munire: rempublicam vniuersam modis omnibus augere. Aragonia modò nouis belli suspitionibus fatigata, Ludouico Andegauensi pro Baleari Principe, cuius iura persequenda susceperat, vicario substituto, vti paulò ante dictum est. Ea caussa Montione gentis Aragoniæ conuentus habiti sunt. eius belli defendendi agitata consilia. pecunia in stipendium imperata Iudeis atq; Mauris vniuersa prouincia confusis. vt promiscuè indiceretur populi & proceres recusarunt: parati tamen more maiorum suo sumptu, regijs auspicijs pro patriæ incolumitate, libertateq; militare. ergo magni delectus habiti, cæteraq; omnia ex belli vsu comparata grauissimi & omnium quæ extiterant maximi. sic opinio hominum fuit, quadraginta triremibus in Galliæ littore instructis, cataphractis equitibus ad quatuor millia. & pace cum Anglis constituta, quod propediem fore videbatur (tanta à Romano Pontifice cõtentio ea caussa adhibita est) vniuersæ Galliæ vires & copiæ ne sese in Aragonios fines infunderent, verebantur. Accessit noui atque inopinati belli metus, leui de causa excitatus: vti ex paruis sæpe scintillis, nisi tempestiue occurras, magna incendia concitantur. Ioannes Arellanus Seguntinum Episcopum de Toletano episcopatu coram Romano Pontifice disceptaturum, officij caussa prosecutus erat. in reditu Barcinone coram Aragonio Rege à Rotæ Vicecomite confidenti animo iuvene ad singulare certamen prouocatur, perduellionis crimine imposito: quasi ab Aragonio multis beneficijs obstrictus Iacobum Balearum superiori tempore in prouinciam euocasset. Vicecomitis partibus fauere Aragonius

visus est, Arellano cum primis infensus, nulla maiori culpa, quam quod eius consilij Castellæ Rex multum & familiariter vteretur, haberetque intimum. diem certamini dicit, ex eo die nonagesimum. Henricus in amici ignominia ipse violari sibi videbatur, per legatos certamen excusatum. & cum non impetraretur, quoniam Aragonius in alteram partem propensus esset, tria equitum millia præsidio affutura renunciatum. haud obscura belli denunciatio ea legatione continebatur. Itaque Aragonius conatu destitit: consilium non ratione prudentius quam euentu salutare est habitum. Brugis, quod ea tempestate nobilissimum Belgij emporium erat, Andegauensis Burgundusque cum Lecestriæ, Eboraciq; Ducibus Anglis, data & accepta fide ad colloquium de pace conuenere. 10 Petrus Velascus regio cubiculo Præfectus, & Alfonsus Barrasa Salmatinus Episcopus ab Henrico Rege legati, si qua ratione inito inter Principes foederi tertius accederet. magnus labor irritusque. ne Bononiæ quidem, in quam urbem nempe locis finitimam, proximo salutis anno millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, Principes commigrarunt, concordia sancita est. Eduardi Regis Angli, sexto Idus Iulij, defuncti importunus obitus, præclaros Principum conatus, conceptamque omnium animis spem conturbauit. Obierat aliquanto ante Eduardus Valliæ Princeps. Richardus eius filius vndecim annos natus aou Eduardo successit. ita moriens testamento mandarar, nulla a patris clarissimis Ducibus controuersia: quod in ea temporum perturbatione labeq; inigne pietatis & modestiæ exemplum fuit. Soluta Bononiensi conuentu, Burgundus quidem in Hispaniam venit, voti reus Compostellæ templum aditurus D. Iacobi religione, præsentiq; numine celeberrimum. Omnibus officijs & comitate Segobiti, vbi Henricus erat, excultus perfoluto voto redijt in patriam. Castellæ Rex Legionem reliquam ætatis exegit. hyeme proxima Hispalim abiit. Gallici belli impetus in Vasconis ditionem versus est Gallis cum primis infensus, ob rerum gestarum memoriam. Erant in Nortmannia Petrus Mariaque, matrem Reginam Vasconum in Galliam securi: si innocentis ætatis commiseratione Rex auunculus moueretur, iramq; temperaret in patrem conceptam. Eadem de causa Carolus maior natus, noua nupta apud patrem relicta, quamuis dolente dehoranteque socero, in Galliam festinauit. dati comites Balduinus artium belli ea tempestate peritissimus, Iacobus Rua patri in paucis carus. huic data abs Rege mandata Anglos conueniendi: si Aquitania redderetur quasi Angliæ beneficiario, Galliæ bellum inferre non recusare. nihil eorum quæ gerebantur Gallum latuit. Rua interceptus in itinere est. de capto quæstiones tormentis habitæ. confesso, capitale supplicium Luretæ inflictum. Balduino mandatum arces tradere, quas in Nortmannia Vasconis nomine obtinebat, arcanis notis indicatis, per quas intelligeretur haud dubium ipsius esse mandata. Carolo ipsi Principi vetitum è curia pedem efferre. Petrus Mariaque fratres Bretolij capti. auita Vasconis amplissimaq; in Gallia ditio vno impetu occupata. Eburouices, multæque aliæ vrbes & oppida partim expugnata, partim in fidem accepta: Vasco nisque conatus & facinora ea calamitate, qua grauior atque atrocior nulla extiterat, vindicati. Clakinus, Burgundus, Borboniusque belli Duces. vnum & alterum oppidum, qua causa incertum, sed in fide tamen Vasconis perstiterunt. Cherburgum

reburgum Anglorum præsidio tenebatur, mutæ amicitia, pecuniæque pignus priori tempore datum. Henricus à Gallo sollicitatur, vt Vasconem præcipitatem, opportunumq; iniuriæ, alia parte lacefferet. belli inferendi causa Principi amico & necessario non erat. optimam fors attulit. querebatur ille, pactæ superiori foedere pecuniæ, partem argenteam oblatam, cum auream deberent. nempe adulterata pecunia, genus etiam monetæ commercijs ineundis paciscebantur. eius iniuriæ vindicandæ studio, Petrus Manricus Castellæ Antelatus precibus, gratia, pretioque inuitatus, vt Lugrunium, quod præsidio obtinebat, Vasconi traderet. præstanti fide heros rem omnem Henrico Regi aperit. Monet 10 ille, vt spem Vasconis alat, atque specie dedendi municipium, attractum intra mœnia capiat. Re composita Vasco Lugrunium accessit. quadringenti equites sequebantur. horum pars in oppidum præmissa est, ipso quia fraudem suspicabatur intra mœnia se includere recusante. capti ij Vascones atque spoliati. pauci expedito animo, manuque prompti, fuga seruati. in his regij vexilliferi Martini Henrici virtus enituit, qui districto ferro oppidanorum impetum tulit: deinde è vicino ponte in Iberum subterfluentem deliliens se, vexillumq; conseruauit. Ab hoc initio res ad apertum bellum deducta. Ioannes Henrici filius bello præfectus Dux, in Vasconum fines populabundus irrupit. Guardia Vianaque captæ. Lagarra & Artaxona incensæ. odio implacabili pugnabatur. nulli omnium rerum paritum, in quam ferrum, ignisve seuire possent. miserabilis rerum status: à duobus potentissimis Regibus vno tempore Vasconibus bellum illatum, vel alteri futuris imparibus. Hæc salutis anno millesimo trecentesimo septuagesimo octauo gerebantur. Qui annus Castellæ quidem priuatim lætus fuit, publicè toti orbi Christiano maximè infaustus. Burgis, vbi Castellæ Rex morabatur bello intentus, rei bene gestæ in Vasconibus lætitiæ filijs conubio locandis celebrabat. Alfonsus Gegionis Comes ex fuga reuocatus, Isabelæ Lusitanæ sponsæ iunctus est, inconstanti iuuentis ingenio, prauoque. Ioanna Eleonoraque, & ipsæ furto genitæ Henrici filia, Alfonsi Dianij Comitibus duobus filijs, prior Petro minori nupsit: Eleonora Alfonso maiori natu pacta 30 est, ea tempestate apud Anglos obsidi in Gallia, pretij quod pater ad Tritium captus pro libertate erat pollicitus. ea causa dilata nuptiæ, irritæ postmodum extiterunt. Romæ ante sextum Kalend. Aprilis Gregorius Pontifex decessit. inferiæ defuncti manibus data. vacuo pontificatu Cardinales ad successorem deligendum euocati. eos Romana nobilitas magistratusq; adeunt: ne Roma deserta, Gallia rursus repeteretur supplices orant, atque obtestantur: Ecclesiæ Romanæ Romanum Pontificem darent: vrbs nobilissimæ, vnde origo religioni, vbi domicilium sanctitatis extitisset misererentur. additæ minæ, metusque intentati: adeo plebem esse commotam, vt verendum esset, ne quod atrox exemplum ederetur. Quatuor Itali Cardinales, tredecim Galli, ad comitia conuenerant, studijs voluntatibusq; inter se discrepantes. multitudinis ad arma consternatæ strepitus clamoresq; terrebant. vna vox exaudiebatur. Per Deum crucifixum, Romanum Pontificem date, certè generis Italici. Eo metu proposito, Bartholomæus Butillus patria Neapolitanus Barensum Episcopus Romanæ ecclesiæ præficitur gubernator, ad quintum Idus Aprilis. Urbani V I. nomen.



Pontifex desumpsit. inter plausum populi atque tumultum diuersi Patres alij molem Hadriani tenuerunt, alij extra urbem elapsi sunt: plerique in ædes quisq; suas, vim illatam accusantes, execrantes factum. vniuersi tamen siue mutata repente voluntate, siue inseruendum tempori iudicantes, Vrbanum pontificijs insignibus, tiaraque exornarunt quartodecimo Kalendas Maias. Id præcipuum causæ fulcimentum fuit. si inuiti cur in urbem reuersi inaugurationis cæremonix interfuerunt? si voluntate, quæ peruersitas cum publico periculo quæ probaueris retractare? Excusabant illi inessas à militibus vias, exitus omnes occupatos: cum noui Pontificis seueritatem ferre non possent: cui vitio temporum impares erant. & sanè debuisset Urbanus temporum meminisse: præsentibus obsecundare, meliora voto expetere: quæ maxima prudentia est. Honorato Caietano Fundensi Comiti Campaniæ procurationem initio pontificatus abstulit. ea res Cardinalibus malè cogitantibus opportunitatem præbuit publicæ pacis turbandæ. Urbanos æstus, cælique Romani grauitatem causati fundos diuersi ac dissimulanter concesserunt. In ea vrbe Robertus Gebennensis Cardinalis, Pontifex est renunciatus tertio decimo Kalend. Octobris, Clementis VII. nomine imposito. publicis execrationibus inter se vterque Pontifex certabant. Urbanus collegij supplendi causâ, nouem & viginti Cardinales vnica creatione nominauit, ex omnibus nationibus viros præstantes. Clemens continuò Auenionem abiit. Vter verus Pontifex esset, toto orbe Christiano dubitatum est. Itali, Germani, Angli Urbani partes secuti sunt: Galli Scotique Clementi adhæserunt. Hispani neutris initio, tametsi multis legationibus ea causa sollicitati.

*Henrici Regis obitus. Cap. II.*



**V**O tempore orbis Christiani pax funesto Pontificum dissidio turbata est, Lusitania opima diuturna que tranquillitate fruebatur. sed vt in pace peiore res esse loco non poterant. Regina viri potens, libidinis licentia infamis, Andeiro amasio, suisque propinquis & necessarijs omnia tribuebat: in proceres alios aut vi aperta, aut ex insidijs grassabatur. ea causâ Dionysium Regis fratrem in Castellam aufugisse dictum est. idem aliquanto post Ioannes fecit. Regis hi iusti fratres fuerunt. Ioanni Auisij Magistro ex impari matre iniecta vincula, metusque exitij intentatus. cautior ille a simulatis ad tempus officijs, pœnitentiaque, Reginx infensum animum placauit. Olisiponis vrbis primariæ pars inferior ad mare pertinens, mœnibus cincta. memoria superioris cladis incitabat: & belli sicunde existeret pericula, præstare Regi Ferdinando erat propositum. Reges Hispaniæ legationibus Pontificum sollicitati. Aragonius quidem in neutram se partem commouit, quamuis Urbano Pontifici ex priuata re iratus, Sardiniam Siciliamque auferre cogitanti. edicta à Clemente in Urbanum contumeliosa promulgare in ditione vetuit. redditus pontificios penes sequestrum fore, publicèque custodiri, quousque iudicio ecclesiæ controuersia finem acciperet, in prouincia mandauit. Ad Henricum Regem, Cordubæ agentem legati ab Urbano

Urbano Pontifice venerunt, ut eum Pontificem salutarent, æmulum quasi vitio creatum execrarentur postulatam. viris primarijs in consilium adhibitis de re tanta Toleti in frequentiori conuentu diiudicare visum est: quo Ioannes Regis filius hyematurus venire decreuerat. In eam urbem noui à Rege Gallo legati venerunt, Clementis causæ affuturi. Episcoporum & procerum concilio aduocato. in re controuersa, sui iudicij non esse responsum in partem alteram inclinare: facturos quod ecclesiæ iudicio decretum esset. quæcunque in prouincia ad Romanos Pontifices pertinerent, integra ei fore qui æmulum superasset. Eo responso legati dimissi sunt principio anni millesimi trecentissimi septuagesimi noni. Rebus ita compositis Henricus Toletus Burgos abiit. bellum in Vascones instaurare parantem, legati ab hoste missi adierunt viri principes cum amplâ paciscendi facultate. ijs agentibus concordia sancita. leges dictæ: Vt Angli milites Vasconiæ finibus discederent. Viginti arces, Castellæ præsidio tenerentur ad decimum annum. in his Stella, Tudela, Vianaque. Viginti aureorum millia Vasconi in belli sumptus mutua à Castellæ Regè data firmato fœdere. Regum colloquium ad D. Dominici Caladij urbem fuit. magnificentia, comitate, atque omnibus officijs inter Reges certatum. sic ab armis cessatum est. Belli impetus ne in Mauros verteret, Rex Granatæ formidabat: ex conscientia eorum quæ Petro Rege fecerat digna metuens: neque satis Henrici animum placatum esse arbitratus. nullam retinendæ potestatis nisi in scelere spem fore, eò omnes cogitationes intendit, vt præualidum hostem ex insidijs occuparet. Maurus quidam eius suasu simulato exilio, accommodatisque temporis officijs, Henrici gratiam promereri non desisteat. elegantia pretiosaque munera addita, gemmæ, ocreæque habiles, Maurico opere pulcherrimæ: sed præsentis atque efficaci medicatæ veneno. sic idoneis auctoribus fama vulgauit. fides accommodata mendacio, quòd quo primùm tempore eas induit, vis morbi lethalis inuasit. neruorum dolore prudentiores extinctum aiunt, die decimo ex quo cœpit ægrotare, in ipsa D. Dominici vrbe, ad tertium Kalend Junij, die Lunæ. Vixit annos sex & quadraginta, menses quinque. regnauit ex quo Calagurri primùm regium insigne desumpsit, annis tredecim, duobus mensibus. vir aduersis æquè ac prosperis admirabilis: constans aduersus fortuita, acer consilio, manu promptus, sermo promiscuo, veste cultuque corporis vix à cæteris distinctus. vindicatis maternis fraternisque manibus æmuli sanguine, regnoque ablato felix: clarissimum exemplum obscuritatem natalium virtuti non officere. si libidinis intemperantia abesset, antiquis Regibus par. nam profusam liberalitatem, qua regni potentiam imminuisse visus est, temporis perturbatio satis excusat, proceribus alliciendis confirmandisque, ingentia munera data. & erat æquum, victoriæ præmiorum participes esse, qui laborum & periculorum fuerant. Sed ea tamen munificentia postremis arcanisque testamenti tabulis restricta est: cognatis à latere ab hæreditate exclusis, ac ijs tantum admittis, qui recta serie succederent, filij, nepotes que. vnde alio tempore magna eorum oppidorum, quæ donata erant, pars ad regiam ditionem redijt. Assuit morienti Ioannes Manricus Seguntinus Episcopus. Eo interprete Ioanni successori hæc missa mandata. In Pontificum dissidio non temerè in alterutram partem inclinan-

clinandum. Deum præ oculis & ecclesiæ incolumitatem haberet. Gallicam  
amicitiam omnibus officijs tuendam: vnde tantum præsidij rebus asperis ex-  
titisset. Captiuos omnes Christiani nominis reddendos libertati. Nullum ne-  
que maius, neque magis pretiosum, iusti imperij instrumentum, quàm bonos  
amicos. Prouinciam in tria hominum genera tributam, qui sibi, qui Petro  
Regi, qui neutri adhæsisent. primis data beneficia conseruaret: sed ita fidei  
eorum innitendum, vt perfidiam leuitatemque vereretur. alteris satis tutò res  
communes credi posse, constanti hominibus ingenio, offensam officio com-  
pensaturis, fidemque diligentia atque industria approbaturis. postremos in of-  
ficio contineret iurisdictione, legum cura: regni ne vllam partem attingerent,  
quippe priuata commoda publicæ saluti potiora habituri. Defuncti corpus  
ex ea vrbe Burgos continuo delatum, Ioanne filio prosequente, funusque re-  
gio apparatu curante, in templi maximi sacrario D. Catharinæ extemporario  
sepulcro tumulatum est. inde Vallisoleti: postremo Toleti vertente anno, fa-  
cello eius sumptibus extructo, ea parte templi maximi, vbi præcipua turris  
furgit, Matremque Virginem de cælo delapsam vestigio olim constituisse, du-  
cta per manus opinione affirmatur. Verùm id facellum Carolo quinto Impe-  
ratore, in locum alium migravit: vbi Henrici, eiusque filij & nepotis Castel-  
læ Regum, atque vxorum sepulcra sex, cum inscriptionibus extant eleganti  
opere. sacerdotes sex & triginta sacra quotidie hostia pro eorum manibus pa-  
rentare non desistunt. Vestis Dominicani ordinis morienti defunctoque indu-  
ta. id eius voluntati amorique, quo eum ordinem complectebatur ob D. Do-  
minici sui gentilis memoriam datum est: & Regibus solenne erat ex eo nume-  
ro & ordine sacerdotes deligere, quibus conscientia vulnera detegerent, pro-  
curarentque. Decepsit per idem tempus Rex Maurus. successit filius Mahomad,  
cognomento ab studio eam vrbe amplificandi exornandique Guidixensis,  
regno nullis intestinis motibus turbato, præ cæteris Granatæ Regibus clarus  
atque præcipuus. Rex Aragonius in affecta quamuis prouectaque ætate no-  
uis se nuptijs implicabat. Ioannæ Neapolitanæ Reginæ coniugio quod of-  
ferebatur repudiato, Sibylam Fortiam viduam duxit, præstanti formæ ve-  
nultate foeminam. id Regem in fraudem impulit. Nati ex eo coniugio duo filij  
in tenera ætate defuncti, filia vna Isabella nomine, Iacobî Vrgelitani Comitis  
vxor futura.

*Joannis Castella Regis initia. Cap. III.*



**I**OANNES Henrici Regis filius paterno funere procurato Bur-  
gis in Olgarum templo regni coronam suscepit, annos natus vnum  
& viginti, menses tres. centum nobilissimi iuuenes balteo militari  
donati. Eleonoræ coniugi etiam regia corona imposita. vrbi no-  
bilissimæ pro ijs sumptibus. quos tantis apparatibus facere necesse fuit, proque  
fide eximie culta. Pancorum oppidum datum est. inaugurationis lætitia tota  
ditione celebrata, festi dies agitati: eò maiori studio, quod haud dissimilem pa-  
tri fore filium certa spes erat, ob præstantem indolem, ingenium facile, sedatos  
mores,

mores, atque ad omnem pietatis partem compositum animum. Exigua corpo-  
ris statura fuit, oris præcipua dignitas: minimè per se præceps festinusve, alie-  
nis consilijs faciles aures præbebat. Regni cura suscepta nihil antiquius Gallo-  
rum amicitia habuit. Itaque continuo classis instructa, missaque aduersus Ioan-  
nem Monfortium Ducem Armoricum, quem quòd Anglicis partibus faueret,  
publicum Gallia hostem Lutetia regius senatus iudicarat: principatuque publi-  
cato bona fisco addixerat. Ea littora Castellæ triremium aduentu longè latèque  
vastata: arx capta, cui Gaio nomen erat. ætatis reliquum Burgis extractum est.  
Publicam vrbe regni que lætitiæ, duæ res subsecutæ, altera auxit, conturba-  
uit altera. Iudæus quidam in ea gente primarius, opibus copiosus, cui Iosepho  
Picho nomen fuit, suæ gentis fraude occubuit. vectigalium rationibus præfe-  
ctus fuerat, magna ex ea re, tum gratia, tum auctoritate. Iudæi quidam in  
ea natione principes, qua caussa non proditur, sed tamen exosi hominem eius  
interimendi consilia communicarunt. diploma à Rege inscio, & quid subscri-  
beret ignorante, fraude ablatum, vt continuo perimeretur mandans. adiun-  
ctus regius apparitor, seu simili deceptus fraude: seu pecunia corruptus, quod  
sumptum de eo supplicium arguit. Facto agmine in Iosephi domum inuadi-  
tur. venturi securus inopinato obruncatur. fraude cognita, sceleris auctoribus  
irrogata supplicia: Iudæorum genti in suæ nationis homines animaduertendi  
in posterum potestas ablata: quod temporibus antea datum erat Principum dis-  
simulatione, propter ærarij egestatem, genti pecuniæ vias omnes callenti. Quar-  
to Nonas Octobris Regi filius, cui Henrico nomen fuit, natus est, in spem pa-  
terni auitique regni obtinendi. Finis huius anni, principiumque proximi mil-  
lesimi trecentissimi octogesimi, copiosis continentibusque imbribus insignia  
fuerunt. fœda agrorum illuies. inflati immensum amnes. Iberus ad Cæsaraug-  
ustam ruptis obicibus, alueo dimotus est: magnoque demum labore & sumpti-  
bus castigatus pristinum cursum tenuit. Burgis Toletum abs Rege itum. In ea  
vrbe paterno funere instaurato, magnificèque, vt par erat, corpore tumulato,  
Hispalim itum. inde viginti triremes Duce Touario maris Præfecto dimissæ  
in gratiam Galli Regis Angliam appulsæ, aduerso Tamesi amne in Londini  
conspectum peruenerunt. omnia terrore. luctuque completa. vastati agri. de-  
licia ciuium, villa amœnissimæ in eorum oculis incendio vastatæ. Quo tem-  
pore dissidium inter Pontifices Romanos concitatum, maiores indies vires  
fumebat, numine peccatis Principum & populi irritato. sancti viri, & eorum  
quidam diuinitatis signis clarissimi, opinionibus inter se discrepantes, Vrba-  
num alij, alij Clementem sequebantur: quo iustior venia populo fuit, malum  
grauius atque diuturnius. Reginæ Neapolitanæ, quam eius mali præcipuam  
auctorem fuisse constabat vlciscendæ, Urbanus Pontifex studio inflammatum,  
pace Florentinis, Perusinis, alijsque populis, qui pontificij imperij iugum  
detrectauerant, data omnes ingenij industriæque neruos in eam curam inten-  
dit. vires tantis molitionibus impares erant. externa auxilia conquesta. Ca-  
rolus Dirrachij Princeps (nam alteram Ludouici patris filiam Margaritam  
nomine coniugem habebat) ex Hungaria euocatur, odio Reginæ ob Andrea-  
sum Hungari fratrem ab ea necatum: & spe iniecta regni Neapolitani, si eius  
ductu

ductu impotentis foeminae atque impudicæ libidines & scelera essent procurata. In maxima fortuna, minima licentia esse debet. Principum peccata cunctorum oculis patent, fama atque fortuna paribus. Othonem illa Brunsvicum tertijs nuptijs sibi adiunxerat: ex Gallia modò aduersus ingruentem tempestatem præsidia aduocare constituit. Ludouicus Andegauensis in filium hæredemque adoptatur. Absenti Cantabriæ principatus (vti hæredibus regni erat vsitatum) donatur. adoptionis cœremonia Neapoli ad arcem Oui tertio Kalend. Iulij peracta. Clemens Pontifex quò partes firmaret, eius consilij suator. Hoc Andegauenibus primum initium extitit regnum Neapolitanum ijs armis inuadendi, quibus res Christiana diu ac multum conflictata est. Bertrandus Clakinus in castris, quæ ad Castrum nouum in Armoricis oppidum erant, tertio Idus Iulij decessit: vir magnus, rebusque gestis clarissimus. origo illi ex Britannia Armorica, Reginaldus pater, cognomento Clakinus, vir nobilis, Bronij oppidi regulus, non procul antiqua Rhedonum vrbe. Gallicis Hispanicisque bellis spectata virtus atque industria, ingentes opes, paremque gloriam attulerunt. in eius locum Oliuerius Clifsonius equitum Magister creatur. Carolus Gallix Rex potentissimus ad saltum Vincennarum sextodecimo Kalend. Octobris defunctus & ipse est. Corpora coniunctis ferme funeribus elata: ad D. Dionysij, iunctis certè sepulcris tumulata sunt. is honos Clakino defuncto habitus. sic Rex ipse moriens faciendum mandarat. Carolus conomine VI. paternum in Gallia imperium cepit. Lusitano Regi ingrauescente ætate de successore cura erat. filia Beatrix è Regina suscepta, (legibus an stupro post euerfas fortunas, patrisque obitum dubitatum) Friderico Beneuentano Duci, Henrici Nothi Regis filio ex Beatrice Pontia, fuerat desponsa Henrico patre superstite. nunc mutata voluntate noua consilia inita. redeuntem è Bætica Castellæ Regem Lusitani legati adeunt: rescisso priori pacto puellam Henrico eius filio coniugem offerunt paucos menses nato. præposteram conditionem, infaustasque nuptias propter imparem ætatem sponsæ maiorem futuras, regni Lusitaniæ spe proposita, Rex Castellæ auersatus non est. Sorix in conuentu regni data sponsalia sunt haudquaquam rata futura. Petro Manrico Antelato vincula iniecta. rerum nouarum consilia cum Alfonso Dianij Comite communicata crimen fuit. defuncto in custodia sine prole, Dieghus Manricus frater successor est datus. rerum præclare bello Vasconum gestarum id præmium fuit. Gallix procuratio propter imbecillam Regis ætatem, curis maioribus imparem, penes Ludouicum Andegauensem erat: magno periculo metuque Aragonij Regis non defuturum occasione Balearica iura repetendi existimantis. sed maior cura inerat Reginae Neapolitanæ, cuius patrociniū susceperat, armis tuendæ. & à Ioanne Rege soceri Principis periculo & litteris prouocantibus, missi in Galliam de pace legati viri principes, iura pretio empta, vt pretio venderet expetitur, oblato etiam de suo ingenti pecuniæ pondere, ne Hispaniæ tranquillitatem pulcherrimè constitutam importunis armis turbaret. Missa etiam legatio ad Sultanum Aegypti, per causam Leonem Armeniæ Regem, qui fortunis euerfis captiuus tenebatur, vxore filiaque in custodia amissis calamitosum liberandi. Dedit

dit barbarus Imperator, quod à Rege Castellæ petebatur: misitque litteras de se superbas, in Ioannem honorificas: cuius virtutem & potentiam magnis laudibus celebrabat: expetebat amicitiam. Armenius tertio post anno in Galliam Castellamque delatus, Madritum & Illiturgim à Rege accepit: annuosque redditus vnde vitam sustentaret, patriæque & regni desiderium leniret. & est magnorum Principum propria laus alienam calamitatem, Regum maximè, subleuare: prohibere iniuriam. Is in Galliam cum abiisset tamen & Angliam, inter eos Reges pacem constituere satagens, communiaque arma in communes Christiani nominis hostes maiori fructu gloriaque verti monens, in ipso conatu tantarum molitionum obijt. Extat Lutetiæ in Celestinorum templo ad dextram aræ maximæ, in pariete excauata abside Leonis Regis Armeniæ marmoreus tumulus, haud ineleganti opere.

*Castella Clementem Papam agnoscit. Cap. IIII.*

**R**OMANORVM Pontificum dissidio concussus orbis. Christiani Principes missis legationibus fatigati. religiones variæ omnium animis obiectæ, qua re nihil potentius est. Ad Medinam Campestem Castellæ conuentus ea causâ agitati sunt. à legatis pontificijs summa contentio adhibita, quòd ibi decretum esset, ratum in reliqua Hispania fore, minimè dubitantibus. Hi Romana, illi Fundana comitia præferrebant. prudentioribus neutri parti fauendum fore videbatur: sed quasi pontificio interregno controuersiam ad arbitrium generalis concilij rejiciendam. tempus altercationibus trahebatur. Regina quinto Kalend. Decembris filium peperit, cui Ferdinando nomen, Aragonia alio tempore regnum fuit, nobilissimo omnium ea tempestate atque felicissimo Principi. Assuere Benedictini foderales frequentes, iniurias expolulantes, quæ à proceribus in Vltiori Castella grauissimæ extabant, specie quasi ea monasteria opibus amplitudineq; præstantia, haberent ipsi commendata. oppida per vim occupata: noua & insolita vetigalia imperari oppidanis: cognitiones rerum capitalium, iudiciaque, eorum arbitratu fieri contra superiorum temporum morem legesq; querebantur. Dati iudices in causâ viri prudentissimi, procerum superbiam auaritiamque restringendam videri pronunciarunt. cœnobiorum diuitias fore sanctas, neq; cuiusquam tutelæ præterquam Regibus commendari. id Ioanne Rege decretum valuit. Erat Petrus Luna nobilissimo inter Aragonios loco, à Gregorio Pontifice Cardinalis creatus: secutusq; in dissidio Clementis partes, ardenti ingenio vir, legum peritissimus. is in Hispaniam, si ingenij dexteritate eas gentes in partes attraheret, legatus est, ineunte salutis anno millesimo trecentesimo octogesimo primo. & in Aragonia quidem inanis opera fuit, Regis & procerum animis incertis suspensisque. apud Castellæ Regem maius operæpretium fecit. Viri præstantissimi selecti de re tota iudicaturi. multi dies in cognitione consumpti. Salmanticæ tandem, quo conuentus translatus est, ad tertiumdecimum Kalend. Iunias Vrbanis causam, vt vitio creati auersati, Clementem Pontificem, quasi liberis comitijs electum salutarunt, Auenione morantem. in quo & loci

loci vicinitatem secuti sunt: & Regis Galli gratiæ magis id datum, quàm ad æquitatis regulas expensum. Reginæ matris obitus septimo post die subsecutus, malè ominatam fore sententiam apud plerosque confirmavit sceminæ sanctissimæ, munificæque in pauperes, vnde illi egenorum matris cognomen. vestem in monasticam conformatam viuens, moriensque gestauit. funus Toletum, vbi Henricus maritus sepultus erat, apparatu celebre, sed & populi lacrymis, desiderioque celeberrimum illatum est. Dum Clementis Pontificis opera, Castellæ in partes trahitur, Carolus Dirrachij Dux ab Urbano ex Hungaria euocatus, venit in Italiam: acceptaque à Florentinis ingenti pecunia in stipendium, ne arma Hetruriæ inferret, Romæ Senator à Pontifice creatus, regijsque insignibus exornatus, in Neapolitanos fines irrupit. omnia opinione faciliora fuerunt. vrbes & oppida aduenienti patefacta. Neapolis ipsa vrbs amplissima & nobilissima dedita. Ioanna viribus minus an ciuibus fideret incerta, arcis munitione aliquandiu bellum defendit. vir Otho ad pugnam egressus in acie capitur. Regina amissa iam omni spe deditioem fecit. dedita in custodiam coniecta: ac mox ea parte suspendio necata est, vbi ipsa viro Andrea sso gulam fregerat. Otho Brunsvicus in patriam dimissus. multum ea victoria Urbani auctoritas confirmata est. numen ab eo stare visum: oppugnare, damnareq; æmuli conatus. Andegauensis spes irritæ fuere, in Apulia extincti morbo. eius obitu ingens exercitus cum quo venerat dissipatus. Ludouicus Vasco his rebus non interfuit, bello implicitus, quod in Attica gerebat, Athenarum atque Neopatriæ principatus armis occupandi spem vrgens, Neapolitanorum Regum veteri iure repetito. verùm prouinciæ proceres è Catalaunis oriundi rebus Aragonijs fauebant: Regemque Aragonium ad id imperium capeffendum litteris & legationibus prouocare non desistebant.

*Bellum Lusitanicum. Cap. V.*



**N**OVA ex Lusitania belli tempestas concitata inter Lusitanos & Anglos fœdere factò, in itaq; armorum societate, aduersus Castellæ Regem, propter ætatem iniuriæ opportunum (sic illi cogitabant). victoriæ præmium Anglis proponebatur Castellæ imperium, Lecestriæ Duci dotale. Lusitanum interceptæ regnandi spei dolor vrebatur: & Castellæ Regem tanquam impium auersabatur, ipse Urbani Pontificis partes secutus. Alfonso Gegionis Comes defectionis consilia agitabat. ex modicis sæpe principijs rerum maiorum euentus pendent. fratris sanandi cura Ioannes Rex Ouetum in Astures abijt. Alfonso in eius se potestate fore dixit ficta voluntate, factione nondum satis confirmata. Senticam itum est, vbi bellici apparatus erant, militesq; ex omni prouincia euocati conuenerant. Almoinda municipium Lusitanæ, vicinum Mirobrige corona circūdatur. loci firmitas opponebatur, obsefforumq; virtus. Dum obsidio ducitur, classis Lusitana trium & viginti triremium Duce Alfonso Tello Reginæ fratre Barcelosij Comite à sedecim Castellæ triremibus superata est. captæ viginti triremes, magnaue in ijs Lusitanorum multitudo, præterea Dux ipse classis. ad totius belli summam magnum

magnum operæpretium erat factum, parto maris imperio, terrore omnibus iniecto: nisi se Touarius Hispalim secundum victoriam retulisset: vnde Anglica classis opportunitas Ohsiponem appellendi. Castellæ Rex successu elatus, misso feciali ad pugnam prouocat, litteris in hanc sententiã datis. Scire se Emundum Cantabrigensem venisse in Lusitaniam, fratris Lecestriæ Ducis vicarium: adiunctam lectissimam Angliæ pubem. si causa viribusq; considerent, pugna experirentur. se Almolda oppido capto, vltro venientibus occursum, progressurumque duorum dierum itinere. numina optimæ causiæ affutura non dubitare. Ardebant Angli cupiditate dimicandi: sed equorum penuria, quos nondum Lusitanus contraxerat, certamen detrectarunt. feciali tantum vincula iniecta, in eo iure gentium violato. Castellæ copiæ propter anni tempus in hiberna deductæ, proximo salutis anno millesimo trecentesimo octogesimo secundo maiori conatu bellum repetituræ. Gegionis Comes rursus defectionis consilia agitans, Brigantijq; se tenens, venia tamen a fratre Rege proposita, desertus à suis necessario ad officium redijt, Alfonso Dianij Comite sermonum inter fratres interprete: quem Castellæ Rex Magistrum equitum pridie Nonas Iulij creauit, more ex Gallia, atque Aragonia translato, nouo in Castellæ instituto Bini Marefcali adiuncti Ferdinandus Toletus, Petrus Sarmentus Magistro subditi: ac fere ijdem, qui Romana republica Legati vocabantur, aut castrorum præfecti. Præclara ingenia gloria ad bellum incitata: sapiensq; Rex ijs institutis honoribus rempublicam iuuare, atq; illustrare cogitabat. Senticam, quo militares copiæ conuenerat, Pacem Augustam festinatum obuiam Lusitanis copijs, ea parte irruere parantibus, Helbesq; duo decim passuum millibus progressis. E Lusitania tria equitum millia erant, iustus peditatus Cantabrigensis tria alia equitum millia aduexerat, parumq; sagittariorum numerum. In Castellæ castris equites grauis armaturæ quinque millia erant, quingenti velites, pedites numerosi, quamuis rebus magnis idonei, multis bellis exerciti, vincere assueti, eodq; ardentiori pugne cupiditate: prorsus vt Castellæ armis Lusitanam amentiam obrui posse considerent. Regi tamen Castellæ, vt erat moderato animo, viam ineundæ concordie tentare visum est, Aluaro Castrio caduceatore. Rerum humanarum inconstantie monet. Innoxie multitudinis sanguini parcerent. Victoriã haud multo minus luctuosam victoribus quàm victis fore. magnas inter vtranque gentem, atque vetustas necessitudinis causas extare. Rebus integris arma facile deponi: si ad manus esset ventum, quis exitus futurus esset neminem dubitare. Gloriam, imperium, nominis immortalitatem, concordia parari. Legibus, iudicioque quàm martis arbitrio, controuersiam componere, vtrique genti fore salutare. Longinquæ, & diuturnæ expeditionis tædere Anglos cœperat: tametsi Lusitani regni spes, victoriæ præmium proponebatur, Beatrice puella Lusitana, de cuius nuptijs toties licitatum est, Eduardo pacta Emundi Cantabrigensis filio. Ex vtraq; gente viri principes, pacis studio tenebantur. ijs annitentibus conuenit tandem, vti Beatrix Ferdinando Castellæ Regis filio, rescissis prioribus pactis desponderetur. capti prælio nauali Lusitani, triemesque restituerentur. Angli Castellæ nauibus deueherentur in patriam. Graues ex conditiones Castellæ Regi, atque ignominiosæ videri potuerunt: sed quid ancipitem prælij fortunam

experiretur? quid tantum luctum, tantamque cladem victoribus æquè ac victis in Hispaniam attraherent? & est nemo vsqueadè in arma promptus, vt non idem pretium quietis, quàm periculi malit. obsides eas conditiones ratas fore Lusitano Regi dati, viri Castellæ primarij. sic ab armis eo quidem tempore discessum est: atque à pugna temperatum.

*Rex Lusitanus decessit. Cap. VI.*



REVIS ea lætitia fuit, magnorum Principum funeribus obscura. Ioanne Rege in Carpetanos delato, Madritique ex morbo decumbente, Eleonora coniux Cuellare municipio in vltiori Castella decessit, ex partu filiaè haud diu futurae superstitis, tanto mariti, populariumque dolore, luctu, desiderio, vt tantum non memoriam consecrarent foeminae castissimæ, atque sanctissimæ. Corpus Toleti in Regum sacello sepultum est. Ea res Lusitano Regi nouorum consiliorum occasionem præbuit. missi legati, qui cælibi Regi, quamuis geminae prolis parenti, florenti tamen ætate iuueni, Beatricem Lusitanam coniugem offerrent. Ferdinandi ætas dum expectaretur, multos intercedere casus posse. regni Lusitani successionem, amicitiamque initam eo vinculo commodius firmari. Re constituta Helbes municipium, pace nuper constituta faustum, nuptiarum celebritati designatum. Fine anni hæc in Hispania agitata. Quo tempore Attica Vasconum & Aragoniorum armis tumultuabatur, de Athenarum, atque Neopatriæ principatu contendentium. ductor Aragoniæ classis Dalmatius Rocaforti Vicecomes, cæsis, pulsisque Vasconum tota prouincia præsidij, cum principatum Aragonio Regi peperit. Raymundus Villanoua Athenis cum iusto præsidio præfectus, in Sicilia nihilo tranquilliores res erant. Artallus Alauona Mistretæ Comes pro ea auctoritate quam habebat maximam, Reginæ coniugium ad suum arbitrium reuocabat: regnumque sui beneficij facere satagebat: Ioannemque Galeasum nondum Mediolani Ducem ex Insubribus eo consilio euocarat. Sed classe ab Aragonijs triremibus in ipso Pisano portu oppressa superioribus annis, Galeasi nauigatio impedita est. Siculis proceribus graue erat, tantum sibi Arrallum sumere, vt plus priuatim ipse posset quàm alij omnes. Guillelmus Moncada, re cum Aragonio communicata, Catanam occultè ingressus Reginam Augustam suæ ditionis arcem mari deduxit. accessit Catalaunorum præsidium, Rogerio Moncada Duce ex Aragonia missum. Artallus furore percitus Augustam mari, terraque obsidione premebat. commodum Dalmatius ex Attica rediens periculo cognito, obsidionem dissipauit: Reginamque periculo exemptam, triremibus in Sardiniam aduexit. Inde in Hispaniam migravit. paternum Siciliæ regnum cum Aragonia, eius nuptijs tempore coniunctum. Carolus Vasconis filius eatenus in Gallia detentus sublata discedendi libertate, Regis Galli permisso tandem sospes in Hispaniam redijt: Pompelonemque tenuit, ineunte salutis anno millesimo trecentesimo octogesimo tertio. Ioannis leuiri Castellæ Regis, id gratiæ atque precibus datum est. beneficij memoria

moria in iuuenis animo diuturna fuit. in Vasconibus festi celebresque dies aduentu Principis agitati. Rex ipse Vasconum cum ætate prudentior, prioris temporis errata melioribus actionibus castigabat. extant Pompelone alijs que locis, pia mutati animi monimenta. nam veluti numine irato piacula querenda existimabat: benefactis procurabat infamiam, quasi veneno multorum Principum salutem appetiisset: Regis Galli, Ducum Burgundi, Bituricensisque, & Fuxensis Comitum. quæ siue vera, siue asimulata, quod magis credere iuuat, iactata tamen in vulgus, magnam illi apud vtranque gentem inuidiam conflagrunt. Nuptiæ Ioannis & Beatricis mense Maio, quo loco conuenerat, ingenti viriusque gentis lætitia celebratæ sunt: tamen Rex Lusitanus valetudine impeditus interesse non potuit. Alfonso Gegionis Comes eodem tempore in Calæcis tumultuabatur, inquieto iuuenis ingenio. aduersus cum copiæ militares missæ. Rex Segobiam festinauit ad regni conuentus, veteri annorum computatione per Eras Cæsaris immutata Valentinorum exemplo, à Christi Dei ortu initio computandi sumpto, magis quàm re alia memorabiles. Dum hi conuentus in Castella agitantur, in Lusitania quidem Ferdinandus Rex diuturna valetudine oppressus Olisipone decessit ad tertiumdecimum Kalend. Nouembris, ætatis anno quadragesimo tertio. regnavit annos sedecim, menses nouem, dies duos. egregius Princeps si dempta domestica intemperantia, ignominiaque, aliæ aspiciantur virtutes. sermone facundus, rerumque civilium, magis quàm belli peritus diuturna totius prouinciæ tranquillitate. Eius & Constantiæ matris corpora Scalabi in D. Francisci honestissimo loco tumulata sunt. In Sardinia autem quietæ res non erant. Hugo Arborea Mariani filius, paternas spes persecutus, haud minori ambitione regnandi, suorum coniuratione ferro occubuit. omnes cruciatus adhibiti, quos ille perimendis hominibus excogitarat, homo ferus immanisque, neque considerans, quantæ sint multitudinis vires malis exacerbatae. Brancaleo Oria, cuius opera fidelis & præstans proximis bellis extiterat, pacandæ insulæ consilia cum Rege communicaturus, in Aragoniam delatus quamuis fide publica, custodiæ est mancipatus: quod eius vxor Eleonora Arborea Hugonis perempti soror, virili animo foemina, atque expedito consilio, correptis armis fraternam necem, paternumque imperium vindicatura, insulæ regiones peruaderet: oppida arcesque in ditionem, quæ vi, quæ voluntate redigeret. Missus Brancaleo in Sardiniam, cum vxorem ad æquas pacis conditiones non perduceret, diu Calari substitit, crepta quoquam discedendi libertate. sic Aragonium imperium in ea insula nutabat, Rege Aragonio alijs curis implicito, neque tempelstiuè eius belli defendendi cogitationes explicanti.

*Castella Rex Lusitaniam adit. Cap. VII.*

40



ERDINANDI Lusitani Regis obitu noua atq; internecina inter Lusitaniam & Castellam bella extiterunt. plebs Lusitana mutationem Principum non ferebat: odio Castellæ, vt in vicinis regnis ferè consuevit: atq; inter libertatem & licetiam incerta ex sua gente

gente dari Regem exoptabat. hæc pro se quisque, hæc in circulis, hæc viri, foeminae, puerique iactabant. proceres Olisipone suspensis animis de republica consultabant. metus pro Rege Castellæ. contra eum libido suadebat, pessimi consultores. Nullo consensu publico proceres quidam priuatim datis litteris Castellæ Regem, ad regnum capeffendum inuitant, gratiæ nimirum aditum apud nouum Principem captantes. primus in eo numero fuit, ipse Auifij Magister natura, atq; arte compositus, populi voluntatibus nondum conciliatis. malè cogitantium conatus celeritate occupandi, mora conualuerunt. dum altercationibus consultationibusq; tempus extrahitur, pulcherrima occasio elapsa de manibus est, non reditura amplius. Consultorum pars censebat expectandum, donec communis consensus populi, atque optimatum ad regni coronam vocaret. religio obijciebatur iurisiurandi. superiori fœdere Lusitaniæ procurationem, pene Eleonoram viduam fore, quousq; ex Beatrice nata proles ad iustam ætatem perueniret pactum. Prudentioribus in ea rerum perturbatione, armis occupandum regnum videbatur: voluntate nihil facturos Lusitanos. vim adhiberi placebat. mediam viam tenere placuit, inepto atq; incommodo vtriusque sententiæ temperamento: vt Rex inermis præcederet, sequerentur armati. Guardie Episcopus, quæ olim vrbs Idigita fuisse creditur in finibus Lusitaniæ, in Beatricis Regine obsequijs erat, comes à patre datus, consiliorum omnium particeps. is sese intra urbem Regem accepturum pollicetur. sed erant in prouincia quorundam prauis conatus occupandi. Ioannes defuncti Regis Lusitani frater, ex iustis nuptijs procreatus, in Castella profugus, metu tempestatis, quam in Lusitania vigiuisse dictum est, custodiæ traditur in arcem Toletanam, neq; arctæ, neq; obscuræ, nullum ob crimen. sed generis nobilitas, iuraq; regnandi notabantur. Gegionis Comiti ad Montalbanum non procul Toletano iniecta vincula: quoniam ad officium toties retractus, turbida consilia agitare, atque datis ad Lusitanos litteris communicasse compertum erat. eius custodia Tenorio Præfule Toletano commendata: eiusq; iussu diu in Almonaciri arce detentus est. bona omnia ficto addicta. His rebus compositis Placentiam Rex & Regina abierunt. inde in Lusitaniam festinatum. Idigitani sacerdotes cum sacris crucibus, infulisque venientibus obuij occurrere faultis acclamationibus, felix diuturnumque regnum comprecantes. arcis Præfule restitit, quorsum commotæ res euaderent expectans: neque in alterutram partem se commouere certus, antequam Rex aduenteret. Olisipo sacramentum eius acceperat. auctor Henricus Emanuel Ferdinandi Regis auunculus Sintræ Comes: quod oppidum ad Tagrum montem situm est. accessit Eleonoræ Regine viduæ consensus: ad compescendas procerum & populi voluntates studiaque, maiori opus esse potentia existimantis. Ex eo principio plebs tumultuari cœpit: grassarique inter se. cædis initium ab Andeiro Comite factum: quem in ipsa regia Auifij Magister obruncauit. nimia Regine gratia, quam turpem consuetudinem plerique interpretabantur, exitium attulit. Efferata semel multitudine atque ad arma consternata, nullus modus, nulla reuerentia fuit. Martinus Olisiponensis Præful intra templi turrim, ad quam confugerat, populi concursu periijt (inijcere viro sacro manus religio non fuit) nullo alio

alio crimine, nisi quodd in Castella natus, Ioannis Regis partibus fauere visus est, turbida consilia detestari. Eleonora Regina in tanta rerum perturbatione vim verita, permissa Auifij Magistri vrbe egressa, Scalabim tenuit. præcipitibus vt assolet consilijs cuncta administrabantur, mole ciuilibus belli, tempestatque vrgente. Erat Auifij Magister ob multa ingenij bona, elegantiam, liberalitatem, comitatem populo æquè, ac proceribus carus, acceptusq; dignus tantum, qui ex concubina ortus non esset. neq; acceptum imperium in quemquam grauius, aut seuerius, quam in semetipsum exercuit. Castellæ Regi mite & tractabile ingenium, nisi iniuria prouocaret: sed sermo breuis, quo hominum voluntates maximè conciliantur: eoque eius facultatem facillimam homini voluit esse natura. Itaq; simul in Lusitaniam appulit, & quorundam studia restinxit: aliorum animos auertit, gentis natura comis & priorum Regum familiaritate assuetæ. Idigita Scalabim itum est, Regine socrus inuitatu, ineunte eius seculi anno octogesimo quarto. Quingenti equites è Castella sequebantur, quantalibet virtute, parua tamen pro tantis molitionibus manus. verum Magister equitum, Toletanus Præful, Petrus Mendoza Regis vicarij, eiusque iussu, rebus in Carperanis præfecti, magnis delectibus in vtraque prouincia habendis, nouas indies cohortes submittebant. Exhausto erario pecunia in stipendium redacta: ac thesauri Guadalupe templi ea tempestate celeberrimi, quos inde mouere religio erat, signa argentea, atque donaria conflata, ad tria circiter millia argenti pondi. malè ominatum bellum vulgus interpretabatur: suumque templum Virginem tutaturam, grauia à violatoribus piacula fore exigenda credebatur. tametsi Carolus Vasconis filius beneficij propinquitatisque memor, cum valida suorum manu auxilio festinabat. Aragonius annis grauis, & rerum suarum difficultate detentus, belli Lusitani spectator, quam particeps esse maluit. Eleonora Regina vidua tantæ rerum moli impar viribus & ingenio, Lusitaniæ procuratione genero cessit: magno dolore prouincialium Castellæ imperij iugum imponi, eo facto existimantium grauisimum seruitutiq; proximum. sic proceres, sic plebes priuatim, palamq; conquerebantur, Magna pars procerum diuersas partes sequebatur. Castellæ Regem Henricus Emanuel, Ioannes Texeda regij antea scrinij Magister, Petrus Pereira Prior Hospitalarius in Lusitania, in Castella deinde Galatrauæ Magister institutus, huiusque fratres Dieghus, atque Fernandus. Erant alij tota prouincia dispersi: ac præsertim regio, quæ Tagum inter Miniumque iacet, Castellæ Regis partes secuta erat, Lupi Leire industria, qui quamuis in Galæcia natus, ei prouinciæ cum imperio erat præfectus. Alfonso Pimentelius Brigantium dedit. Ioannes Portocarrerius, Alfonso Sylua arces alias eorum fidei commissas.

*Olisipo Obsessa. Cap. VIII.*

40



ACTENVS res Castellæ in Lusitania sine offensione processerant: magnaq; spes erat vniuersam prouinciam voluntate in ditionem venturam. si bellum esset viribus impar, quamuis integris: nunc populus & proceres in factiones scissi erant, eoque opportuno

H h h 3 niores

niores iniuriæ breui tamen ea omnis spes euauit, verſaq; fortuna partium eſt: grauique documento ſancitum, rebus ſæpe maius in vnius hominis prudentia, præſidium eſſe, quàm in viribus & potentia. Dolebant Luſitani recuſabantq; externum imperium, Caſtellæ maximè, inſito gentis odio, vt fere fit in vicinis regnis. quæ vna reliqua ſpes erat, Eleonorę Reginę procurationem ablatam: contra quam ſuperiori fœdere erat cautum. Ioannem Ferdinandi Regis legitimum fratrem Toleti victum eſſe, nulla ſua culpa. nimirum hoſtis cum iure diffideret, vi & dolo opprimere innocentem Principem velle. Quod vnum ſupererat, ad Auſij Magiſtrum cunctorum conuerſi animi. ſpes, atq; opes Luſitaniæ in eo ſitæ videbantur: homine callido, altaque diſſimulatione, verſare multitudinis vo-  
luntates edocto. pollicetur ille ſuam operam: nullum laborem, nullum periculum pro communi ſalute recuſare proſitetur. Ioanni abſenti imperium delatum. eius imago in vexillis prælata, ferro vincti, quo maior populi commiſeratio eſſet. Eleonoram Reginam imparem genere accuſabant: ſola corporis forma commendante, Acunij coniugio ablatam, in regiam contra auſpicia irru-  
piſſe exitium patriæ allaturam. filiam quaſi ſtupro genitam à regni hæreditate excludi legibus. quod in eius verba ante iuraſſent, id patris Ferdinandi voluntati datum: vnumq; ex omnibus, quæ conſtituiſſet ſeruandum non eſſe. Oliſipone hæc conſilia agitata: quæ vrbs à Caſtellæ Rege maximè auerſa erat. acceſſere  
proceres: ſed principem auctoritatis locum Nunnius Pereira obtinebat, Prioris  
Hospitalarij filius, Bracarenſis Epifcopi nepos, ceterum manu promptus, expe-  
dito conſilio, præſtanti vir ingenio, poſt victoriam Brigantinorum Ducum in  
Luſitania præpotentium conditor primus. Eo Duce valida Luſitanorum manus  
ad Caſtellę fines euandos præmiſſa. quod ad ſanciendam auctoritatem valere  
creditum eſt, ſi hoſtes vltro laceſſerent. aduerſus eos conatus, pars copiarum à  
Rege obuiam miſſa. ad Pacem Auguſtam pugna tumultuaria fuit. Alcantarę Ma-  
giſter in conflictu cecidit. Ioannes Guſmanus Nieblæ Comes, Touarius maris  
Præfectus in fugam verſi. magna clades, ſed maior ignominia accepta. & ab eo  
initio, Caſtellæ res præcipitare ceperunt. Conimbrica Gonſalui præſidio teneba-  
tur, Eleonorę Reginę fratris. ſpe eius vrbs potiunde, Caſtellę Rex cum Reginis  
Eleonora Beatriceque feſtinavit. conatus inanis fuit, cum Præfectus à Caſtellæ  
rebus auerſus in fide perſtaret: eò maiore Regis desperatione iraque, quod Pe-  
trus Regis ipſius patruelis, Friderico D. Iacobi Magiſtro natus, ſe in eam vr-  
bem intuliſſet, conſcia vt creditum eſt, & conſilij particeps Eleonora Regina,  
pridem à genere alienata, rebusque Luſitaniæ fauente. Mitti eam in Caſtellam,  
atque ad Tordeſillam, honeſta cuſtodia detineri mandatum. quæ res popula-  
rium voluntates amplius exarcerbauit. De Oliſipone obſidenda deliberatio  
cœpta: cuius diuitiæ reliquam Luſitaniam vincebant, totius prouinciæ opi-  
bus in eam vrbem auro atque argento congeſto. Quibusdam propter vrbs  
firmitatem & amplitudinem ſatius fore videbatur, diducto in plures manus  
exercitu, qui iam numeroſus erat, alias arces & oppida carpere. totius  
prouinciæ conſenſum, ſecuturos Oliſiponenſes: aut ſi reſiſterent, tum de-  
mum totis viribus impugnandos. vicit tamen ea ſententia, quæ vrbem no-  
biliffimam, regni que caput petendam diſſerebat. in vnius obſidione vni-  
uerſi

uerſi belli ſummam verti. vaſtatis agris, oppidisque compluribus in poteſta-  
tem redactis, Oliſiponem ventum eſt. caſtra ad eam vrbs partem poſita, vbi  
Sanctorum cœnobium ſitum eſt. claſſis Hiſpali inſtructa, naues longæ trede-  
cim, onerariæ myoparonesque duodecim, in oſtium Tagi fluminis inuecta, ad  
aduerſam ripam commeatus ne ad obſeſſos inucheretur, intenta erat. In vr-  
be ampla, atque frequenti (& eò plerique quaſi ad præſidium confugerant)  
annonæ difficultate laborari cœptum eſt, non tantum præſenti penuria, ſed  
futuræ metu, indies ingraueſcentis. claſſis Luſitana, Portu vrbe profecta, in  
qua triremes ſedecim, octo onerariæ erant, per medios hoſtes inuecta, quam-  
uis tribus nauibus amiſſis, commeatus affatim intulit. ſic repente fortuna con-  
uerſa eſt, & ex cæli inſueti intemperie grauis & peſtilens autumnus, vires ho-  
ſtium debilitauit. Actum de pace Petro Velasco caduceatore. is Auſij Magi-  
ſtrum facta conueniendi poteſtate, alloquitur, ſi malorum quæ futura erant,  
& periculi commemoratione moueretur. Imperandi dulcedine deguſtata, re-  
gnique ſpe propinqua, nihil pro ſano facturus negat pacis ullam conditio-  
nem fore, niſi vni ſibi Luſitaniæ procuratione permiſſa, donec ex Beatrice ſuf-  
cepta proles, ad iuſtam ætatem perueniret. id populum, id optimates cupere:  
ſeque niſi concedatur, ciuibus de ſe optimè meritis haudquaquam defuturum.  
regijs plerisque grauis ea & infauſta militia videbatur, cum propinquis, nec-  
ſarijs, denique pijs hominibus: & quacunque ratione paciſci cum hoſte cupie-  
bant. Peſtis lues non modò in vulgus militum, ſed etiam in Principes ſæuiebat,  
abſumptis duobus D. Iacobi Magiſtris Petro Fernando, & qui in caſtris ſucceſ-  
ſerat Meſſia: Touario maris Præfecto, Velasco: Sarmiento, Toledoq; Mareſcalis.  
ingraueſcenteque in dies malo, ducenta in dies ſingulos funera in Libitina rati-  
onem veniebant: prorſus vt extincta magna exercitus parte diſcedere ab ob-  
ſidione neceſſe fuerit. Itaque Scalabi munita commendataque Diegho Sarmen-  
to, qui fratris locum Mareſcali honorem acceperat, alijsque præſidijs tota pro-  
uincia diſpoſitis vno tempore claſſis Rexque cum pedestribus copijs Hiſpaliſim  
diſceſſerunt. grauis clades accipi potuit, ſi Luſitani diſcedentes inſecuti eſſent.  
à paucis modò integris deleri vniuerſæ copiæ potuerunt. verum illi cautioreſ,  
neque minoribus fracti malis, ſeſe intra vrbs continuerunt, ſatis profectum  
exiſtimantes præſenti periculo ereptos eſſe, diuino potius beneficio, quàm huma-  
no conſilio. pro quo ad omnia templa inſigni pompa ſupplicationes habitæ, di-  
uisque immortalibus actæ gratiæ. Quo tempore Rex Aragonius à filijs Ioanne,  
Martinoque, alienato animo erat, nouercali odio, arteque circumuentus. ſic ſa-  
ma ferebat. tametſi in Ioannem maiorem natu peculiaris cauſa ſuberat: nuptiæ  
cum Violante Ioannis Biturigum Ducis filia, inuito patre, eoque nullo princi-  
pali apparatu feſtinatæ, repudiato Siculo coniugio, quæ honeſtiſſima conditio  
erat. Ioannes Emporitanus Comes Regis patruelis generque iuueni receptum  
in ditione præbuit. inde irarum cauſæ. filio ad patrem reducto Aragonijs ar-  
mis Emporitanus petitus eſt: ablataque ferme ditione vniuerſa, quam ampliſſi-  
mam in Catalaunis obtinebat, ipſe vix triremi Auenionem euafit, inde bellum  
ſuis & amicorum viribus, ditionis recuperandæ ſtudio reparaturus.



M P O R I T A N I Comitis fuga in annum salutis incidit mille-  
 simum trecentimum octogelimum quintum. Cuius principio  
 magnis delectibus validæ copiæ à Castellæ Rege comparatæ sunt:  
 classis instructa triremium duodecim, nauium viginti. verum om-  
 nia tardius opinione, votoque Regis administrabantur. quod ipse  
 ex morbo grauissimo decumberet, salute a medicis desperata. eò maior sollicitu-  
 do inerat, maiorque cupido belli instaurandi animum inuasit, quam primum ex  
 morbo confirmari cœpit. nunciatum erat, ab Scalabis præsidio Lusitanæ mili-  
 tiæ Magistrum, eius cui à Christo nomen est, & Priorem Hospitalarium in con-  
 flictu captos esse. sed quantum ex eo nuncio voluptatis, tantum mœroris incus-  
 sum, cognito Auifij Magistrum Conimbricæ Lusitanæ Regem fuisse saluta-  
 tum. Consilio in ea vrbe coacto, de belli exitu deliberatio suscepta erat. Duce  
 impigro opus esse, cunctis videbatur aduersus Castellæ vires, conatusq; sed no-  
 minis regij auctoritatem plerique adiungendam disputabant: vt maior iubendi  
 atque vetandi auctoritas esset: vnusq; imperio deuincti, cæteri in vnam de-  
 fendendæ reipublicæ cogitationem ardentius incumbere. Regiam potesta-  
 tem à multitudine exortam eius consensu commutari posse. Extare antiquita-  
 tis exempla multa atque illustra. Defendendæ libertatis ius, repellendæque ser-  
 uitutis, omnibus à natura datum. Si legibus hostes fiderent, cur priores arripuis-  
 sent arma, inita fœdera violassent? Illatam iniuriam viribus repellere, atque ar-  
 mis nulli negatum. Aderant viri eruditi, qui id naturæ legibus concessum, ciui-  
 li iure permissum, multis argumentis confirmarent. Pars Beatrici regnum de-  
 ferebat, iniquumque fore affirmabat paterna hæreditate spoliari. meminisse se  
 temporum quibus nati essent: meliorem rerum statum voto expetere, præsen-  
 tem conditionem tolerare. Castellæ arma irritare fore temerarium, præsertim  
 irrito conatu, exitio certo. Arma tenentibus æquas pacis conditiones haud de-  
 negaturos hostes. id priuatim, id publicè satius extimare. Nonnulli Ioannem  
 quamuis in Castella detentum, Regem iubebant: eius liberandi consilia agita-  
 rent. sic paulò ante communi consensu definitum. quid enim aliud illa vexilla  
 designare? euenisse nihil cur recens instituta mutarent. Verum hæc sententia  
 ab alijs explosa est. quid enim rebus præficerent, qui non Rex, neq; præsidium  
 in periculo, sed tantum belli causa futurus esset? Eò maiori voluntate Auifij  
 Magister Rex Lusitanæ proclamatur in D. Francisci, Aprilis quinto die, om-  
 nium qui aderant communi consensu. etiam qui diuersa senserant, ardentiori  
 studio simulato in genua procumbere, dextram osculis fatigare, quo fidem no-  
 uo Regi approbarent. Responsum vatum & siderum motus referre. Infantem  
 octimestrem Eboræ horum motuum initio, cunis assurrexisse, tertioque Ioan-  
 nem Lusitanæ Regem proclamasse. quod illi de Auifij Magistro interpreta-  
 bantur, vt suis votis fauet nimium humana mortalitas. Ex eo die maiori conatu  
 bellum gestum est, certiori præmiorum spe. vulgus ad noui nominis celebrita-  
 tem erectum, insita à natura mortalium animis, cupidine rerum nouarum, odio  
 præsentium. ea pars Lusitanæ, quæ Durio & Minio fluminibus comprehensa  
 est, à

est, à nouo Rege expugnata. pars in fidem accepta. classis ex Bætica & Canta-  
 bria ad Olisponem erat, maris imperio parto. agris illata vastitate, ciuibus ti-  
 mor incussus. ea res Lusitanorum conatus spesque morabatur. Castellæ Rex  
 Cordubæ se tenebat. Ineunte æstate Regina Abulam missa est oneri in bello fu-  
 tura, nulli commodo irritatis Lusitanorum animis, vincente reuerentiam fi-  
 demque studio libertatis. dum omnes copiæ conueniunt, Tenorius Toletanus  
 Pontifex Mirobriga iussus in eam Lusitanæ partem, vbi Viscum municipium  
 situm est, validam suorum manum immisit ineunte mense Iulio. ij per agros  
 & oppida spoliare, rapere, vi & stupris cuncta polluere, præda graues, atque im-  
 pedito agmine procedentes, aggressi Lusitani tumultuaria pugna vicere. Ceci-  
 derunt viri primarij. greges, spoliaque ablata. Ex ijs rebus cum spe victoriæ,  
 animus Lusitanis creuit. bellum alternante fortuna, multis vno tempore locis  
 gerebatur. vbiq; direptiones, vastitates, rapinæ, miserabilis rerum facies. æstate  
 præcipiti Mirobrigam Castellæ copiæ contractæ. Carolus Vasconis filius ex  
 patria, quo se retulerat, breui aduenturus nunciabatur, cum valida suorum ma-  
 nu. In ea vrbe concilio aduocato, de belli summa consilium inritum. Pars totius  
 certaminis aleam subire recusabat. Darent gentis furori, darent malorum pœ-  
 nitentiæ locum. Præclaros conatus confirmari mora, prauos debilitari. Lenti  
 belli atque diurni malis Lusitaniam domandam, præsidijs tota prouincia  
 dispositis, agris depopulandis. Superiori anno militiæ florem peste ad Olis-  
 ponem extinctum. superesse Duces, iuuenes belli inexpertos. pecuniæ in stipen-  
 dium magnam inopiam esse. Omnino Regem à belli periculis eximendum, ne-  
 que debere in hosticum penetrare, præsertim imbecilla valetudine. in vnus ca-  
 pite publicas & priuatas omnium fortunas, spesque periclitari. Pars quibus ar-  
 dentior animus erat, pugna decernere cupiebant, suorum vires effertes, ho-  
 stium eleuantes. Raptim ab illis delectu habito nomen magis exercitus, quam  
 robur esse contractum: neq; permittendum, vt nouum imperium tempore con-  
 firmaretur. Arces & oppida, quæ in fide erant, deserui in periculo nefas videri.  
 Hæc vicit sententia, in qua plus dignitatis inerat. in altera prudentiæ amplius:  
 vt post fortunam belli intellectum est. Non semel nostri in hac expeditione  
 peccarunt, numine à Castellæ rebus auerso. omnino manus Vasconum prope-  
 diem affutura, fuerat expectanda. E. go rebus constitutis, mota Mirobriga ca-  
 stra. Gilloricum oppidum obsessum in ea Lusitanæ parte, cui Veræ nomen est,  
 atque in ditionem redactum. Conimbricæ suburbia combusta. Leiria quæ in  
 Eleonoræ Reginæ fide erat, tentata. Ad Gilloricum testamentum à Rege Ca-  
 stellæ, incertos atq; inconstantes humanæ vitæ casus reputanti cōscriptum est,  
 ad duodecimum Kal. Augusti. In eo testamento Viscæ atq; Molinæ principa-  
 tus Regum Castellæ filijs maioribus addicti sunt. sex tutores Henrico filio insti-  
 tuti, regni procuratores duodecim. de Regina socru, Ioanne, Dionysioq; Lusita-  
 nis, de filijs Petri Regis, ac Ferdinandi Castrij filio, qui vincti tenebantur, iure  
 decerni mandatum. omisisset offensas, an dissimulasset breuitate vitæ in incerto  
 fuit. multa alia tumultuariè sancita, vnde iurgiorum & contentionum copiosa  
 materia extitit posteris. Lusitanæ copię interim ad Tomarium oppidum erant,  
 vniuerso prælio dimicare certæ. mota vtrinque coniunctaq; medio ferme itinere



re castra. Lusitani priores loco restiterunt, à fronte quidem plano, cæterum ab utroque latere gemina atque profunda valle muniti: equites duo millia ducen-  
 ti, pedites ad decem millia. hostes multo ampliori numero, ad sex passuum mil-  
 lia, castrametati in planicie æqua atque patenti ex omnibus partibus. ipso per-  
 uigilio Assumptæ in cælum Virginis matris, copiæ ad pugnam instructæ. In  
 medio agmine Castellæ Rex erat, cornua ductare præcipui proceres iussi, inu-  
 tilita pugnae propter interiectas valles. ex omni copia subducta manu præfe-  
 ctus Gonfaluus Gusmanius Alcantaræ Magister occultè circuire hostium ter-  
 gum iussus est, vt quasi indagine cincti cuncti aut caperentur, aut perirent. tan-  
 ta inerat fiducia animis, hostiumque contemptus. Lusitani proter locorum an-  
 gustiam duobus agminibus pugnare decreuerunt. in Priori Nunnus Pereira,  
 in altero Rex ipse Lusitanus curabat. latera vtrinque claudebat equitatus. eo  
 ordine acies promotæ ferme ad teli iactum. consistebant Lusitani de suo loco  
 pugnaturi. tunc de pace à Pereira, quem paulò antea Magistrum equitum crea-  
 rant, appellati aduersarij. Missis viris primarijs, dum altercationibus tempus  
 extrahitur (industria vt postea creditum est) nullo fructu: inter Castellæ Du-  
 ces de pugnae conferendæ ratione, magna sententiarum varietate disceptaba-  
 tur. Pars laceßendos hostes iudicabat: alij nisi æquo loco detrectabant certa-  
 men. neque Ioannis Riæ pro Rege Galliæ legati, Castellæ castra secuti præter-  
 mittenda oratio est, propter insignem hominis septuagenarij prudentiam, au-  
 thoritatemque. Hospes, inquit, atque externus, cui audire æquius erat, consilium  
 tamen iustus do, si proficuum vtimini, si ineptum parcite. Meo in vestram na-  
 tionem studio, beneuolentiæque venia danda, atque huic ætati, in qua nulla  
 arrogantia, aut leuitatis suspicio subesse potest: eaque omnibus bellis, quæ in  
 Gallia gesta sunt exacta, diuturno vsu didici: nulla re magis in bello peccari,  
 quàm acie ad pugnam perperam instruenda. locum eligere, tempusque, acies  
 competenti ordine explicare, easque opportunis subsidijs firmare, magnorum  
 imperatorum partes sunt. sæpiusque arte victoria, quàm viribus & potentia pa-  
 ratur. Nunc hostes quamuis minori numero, & vt nonnulli ante me verbosius  
 disputarunt, nulla virtute, loco tamen muniti sunt: cornua nostrorum nulli  
 vsui futura: diei tempus in vesperam extractum: milites in eodem vestigio hæ-  
 rentes, labore itineris, armorumque pondere fatigati: potus cibique nihil sum-  
 ptum, quòd procul sint castra. Censeo, igitur à pugna abstinendum censeo: per-  
 standumque in acie. si hostes inuasent, æquo loco pugnabimus: si detrecta-  
 rint certamen, noctis superuentu & nostri corpora curabunt, & multos ex ho-  
 stium castris dilabi necesse erit, comæatu in hunc tantum diem parato, colle-  
 ctio exercitu. & sunt tenebræ pudori inimicæ. luce à virtute secernitur igna-  
 uia. Ipse sanè quodcunque tandem consilium Rex ceperis, periculi particeps  
 esse non recuso. sed nisi audaciam frænatis, vtinam falsus vates sim, luctum, ig-  
 nominiam, exitium vobis, nominique vestro sempiternum, haud dubium com-  
 parabit. Hæc placebat Regi sententia: sed iuuentæ ardore proceres quidam  
 moræ impatientia, ne dato quidem signo, in hostium agmina incurrunt fero-  
 ces, formidabilesque. secuti sunt cæteri, vt par erat, ne primos in periculo dese-  
 rerent. Pugnatum, vt de regno acriter. Castellæ milites regni iniuria intercepti  
 dolor

dolor stimulabat. Lusitanos libertatis studium incitat, ipsa morte durius exti-  
 mant à Castellæ Rege & magistratibus iura petere. Missa inuicem pila: con-  
 sumptisque telis omnibus, districtis gladijs res geritur. multum effunditur san-  
 guinis. conferti equites, peditesque dimicant. non timidus, non ignauus cessat.  
 in eodem vestigio stant, mori aut interimere contendentes. Castellæ Rex sella  
 sublimis propter valetudinem gestabatur, magnum suis incitamentum. Ho-  
 stium prima acies loco mota respectare fugam. cum Lusitanus cognito pericu-  
 lo agmen secundum promouit. Ego ego Rex sum, contenta voce inter phalan-  
 ges ingeminans. quo ruitis milites? quæ caussa trepidationis? Fugæ locus subla-  
 tus, circumfusis vndique hostibus. nisi in dextra, salutis nulla spes est. An exci-  
 dit pro patriæ incolumitate, pro libertate, pro liberis, pro coniugibus esse cer-  
 tamen? Castellæ nomen penes hostes est, non vires, robore exercitus proxima  
 peste consumpto. An tyronum primos impetus non feretis, spolia potius ad  
 bellum, quam arma viresque ferentium? Ponite ante oculos luctum, calamita-  
 tes, ignominiam, quæ victis accidere necesse est: ac illud prouidete, ne mihi im-  
 perium ad ludibrium dedisse videamini. His hortationibus nutantes milites  
 confirmati. restituti ordines. momentoque temporis, versa prælij fortuna. Ca-  
 stellæ copiæ suorum præsidio destitutæ, cæduntur magna strage. nobilissimi  
 Duces in oculis sui Regis trucidati aduerso corpore omnes. ipse veritus, ne vi-  
 uus in hostium potestatem veniret, in paratum equum imponitur: è pugnaque  
 educitur. cæteri in fugam versi. Cædes magna fuit. decem millia ceciderunt.  
 in hoc numero promptissimi quique, nobilissimiq; viri. Petrus Magistri equi-  
 tum filius. Ioannes Tellio genitus, Ferdinandus Sanctio, vterque Regis patriue-  
 lis, Dieghus Manricus Castellæ Antelatus, Carrillius Marefcalus, Ioannes To-  
 uarius maris Præfectus, in patris locum nuper creatus, Petrus Mendoza regiæ  
 Magister. è Lusitanis, Ioannes Tellius Regine auunculus, Pereira fratres Petrus  
 Calatrauæ Magister, Dieghusque Castellæ partes eo bello secuti. præterea Ioan-  
 nes ipse Riæ pro Rege Gallo legatus, indignus ea calamitate. multi noctis su-  
 peruentu seruari, pars ad Alcantaræ Magistrum perfugit: qui fusis fugatisque  
 cæteris, loco se aliquanto tempore tenuit. pars ad Carolum Vasconem sese rece-  
 pit, diuersa parte prædas agentem, quoniam regia castra consequi non sperarat.  
 Alij qua data curque fugæ via est, dissipati abiectis plerique armis, in Castellæ  
 fines aufugerunt. Lusitanis incruenta victoria non fuit. quidam ex eorum nu-  
 mero ad duo millia desiderata ait. Rex Castellæ, continuato tota nocte itinere,  
 vincente valetudinem metu, quatuor & quadraginta millium confecto itinere  
 Scalabim tenuit. inde proximo die auctarium nauigium nactus Olisiponem  
 secundo flumine abiit: classeque discedere iussa, Hispalim tandem incolumis  
 appulit in atrata lugubrique veste, totius ciuitatis luctu admixto lætitiæ ob  
 Regem è periculo seruatam. Hæc est illa memorabilis pugna inter Castellam  
 & Lusitaniam commissa, cui à vicino pago Aliubarrotæ vulgò nomen est cele-  
 berrimæ. Victoriæ memoriam gens Lusitana anniuersarijs sacris Olisipone  
 instaurat, sed peruigilijs, & Bacchanalibus magis, quàm Christianæ disciplinæ  
 simili lætitia. Orator è suggestu declamantis in morem, in Castellæ ignauiam  
 inuehitur. Lusitanorum virtutem effert, præclaraque facta: ac ne à verborum  
 obscœnitate

obscenitate nonnunquam abstinet. Consequitur magnus astantium risus, plan-  
susque. turpe dictu: sed danda venia ob partam retentamque, eius prælij euen-  
tu, patriæ libertatem. Castellæ homines non virtute hostium, sed suorum lassitu-  
dine ignominiam acceptam vulgò aiunt. vim numinis persuadent alij, con-  
tra quam nulla potentia satis est. Virginem Matrem à Guadalupci templi spo-  
liatoribus eas habuisse pœnas. Omnia ex eo tempore victori in Lusitania  
procliuia fuerunt. Scalabis, Brigantium, aliæque arces & oppida, pars vi,  
pars voluntate in ius, ditionemque venerunt. regium nomen sibi, & posteris  
stabile, perpetuumque fecit. Rex Aragonius graui ex morbo ad Figueras oppi-  
dum decumbebat, ætate grauis, corpore multis laboribus fracto: sed recuperata 10  
valetudine Ioannem filium abalienauit. iniectam ab vxore magicis sacris amen-  
tiam vulgus interpretabatur. excedit ille curia, militesque ex Gallia euocat,  
sibi & Emporitani Comitibus rebus præsidium. à patre regni procuratione spo-  
liatur. In Aragonia vti superius est indicatum, magistratus veteri instituto est,  
quam Iustitiam Aragoniam nominant, legum libertatisque præsidium certissi-  
mum, ne à Regibus opprimatur: nam quasi tribunitia intercessione omnem  
iniuriam prohibere, & plebis atque optimatum commoda tueri consuevit.  
Hunc Ioannes regni procuratione exclusus adit: paternas iniurias, Reginae in-  
sidias conqueritur: impetratque, vt eius auctoritate quousque causa diiudicata 20  
esset, in pristinum dignitatis locum reponatur. Verùm hæc hoc ipso anno in-  
choata, proximo perfecta sunt. ad Castellæ res referenda est oratio.

*Lusitani Castellam inuadunt. Cap. X.*



N ipso acceptæ cladis luctu, Castellæ Regi, atque proceribus no-  
uius exoritur metus. varios atque ancipites rerum humanarum ca-  
sus considerabant. fortunam vbi semel mota est non vno gradu  
consistere. Lusitani feroci homines ingenio vrgere victoriam de-  
stinantes, primùm legatione missa in Angliam, Lecestriæ Ducem  
ad belli societatem inuitant: victoriæ præmium Castellæ regnum futurum: ho- 30  
stium gemina clade vires fractas, ignominia debilitatos animos. insistendum  
spei, neque prætermittendam occasionem proteruiæ gentis domandæ. Deinde  
correptis armis Rex ipse Lusitaniam omnem peruadit. equitum Magister cum  
delecta manu in Bæticiæ agros populabundus incurrit, antequam Ducibus au-  
toritas, militi fiducia rediret, denuò hostes opprimi posse confidens. Obuiam  
missi Munitius D. Iacobi, Gonsalvus Gusmanus Calatrauæ Magister, Nieblæ-  
que Comes. ij collectis reliquijs superioris naufragij ad Vallem viridem (pa-  
go id nomen est) hostes minori numero quasi indagine claudunt. eo etiam lo-  
co auersa à rebus Castellæ fortuna fuit. in supremo discrimine trepidos, foedus-  
que orantes Lusitanos, Munitij Magistri inopinatus casus eripuit, initio confli- 40  
ctus confosso equo perempti. quo casu perculsi alij, pugnam quasi malè omina-  
tam exhorrentes destiterunt. Itaq; Lusitani incolumes in patriam recesserunt  
diuites præda, lætisque merces operæ Nunnio Gonsaluo Pereiræ Barcelosij com-  
mitatus fuit. in occisi Munitij locum Villagarfia D. Iacobi Magister est insti-  
tutus.

tutus. Belli Anglici tempestas supererat. ea Castellæ Regi propior quàm vin-  
dicandi iniurias cura erat. Hispali ad regni conuentus Vallisoletum contendit.  
prosequitur Carolus Vasconis filius bello bonus, officio in leuirum Regem  
pius, gratusque. noui delectus, atq; maiores quàm antea habentur. externa auxi-  
lia conquiruntur, pecuniaq; in belli vsus, cuius maxima difficultas erat. in Gal-  
liam, vbi præsidium certissimum fore rebus asperis iudicabant, missi legati, viri 1 3 8 6  
nobilissimi Lutetiæ dato senatu, ineunte anno M. CCC. octogesimo sexto pa-  
trix calamitatem lugubri oratione exposuerunt. Nouam ex Anglia impendere  
tempestatem. nisi excitatam flammam oppressissent, ingenti mox incendio vt  
10 in coniunctis ædibus arsuram primùm Hispaniam, deinde Galliam. Dolere se  
quod oneri toties esse cogentur: cum nulli vsui ante fuissent, certè exiguo,  
quoniam ita res tulerunt. sed Castellæ regnum Galliæ beneficium Henrico pa-  
tri collatum, debere ipsos in filio tueri. Non de sociorum iniurijs, de ditionis  
parte certamen esse: sed de dignitate, libertate, animaque. victis nihil reliqui fu-  
turum. Galli proceres qui aderant promptissimis animis Regi amico & foede-  
rato opem ferendam decernunt. auxilia destinata, duo equitum millia Duce Lu-  
douico Borbonio, Galli Regis auunculo, centum millia Francorum in prima  
stipendia. additumque nisi ea præsidia bello defendendo satis essent, Regem ip-  
sum cum Galliæ copijs omnibus & viribus auxilio venturum. Venerunt à Cle-  
20 mente Pontifice litteræ, quibus amici Regis casum solabatur ex diuinis libris,  
atque antiquitate accommodatis exemplis. Petrus Regis patruelis, quem ad  
Conimbricam defecisse dictum est, & inde exul in Galliam abierat, data deli-  
ctorum venia redijt in patriam. Exigua hæc præsidia rebus asperis, ac propè-  
modum deploratis erant. sed mora, qua nihil fuit salutaris, cicatrix obduceba-  
tur. Lusitanus Rex Cauria in Vectonibus obsidione tentata, nouo inuecto ab  
hostibus præsidio victoria desperata in patriam cum præda redijt. Ex Anglia  
Lecestriæ Dux classe vectus in Brigantium Calæciæ portum (quæ hodie Co-  
rugnia est) ad octauum Kalend. Augusti, sese intulit. mille quingenti equites  
erant, parique numero sagittarij. exigua manus, sed multum momenti allatura  
30 si sese Lusitanis adiunxissent. primo aduentu sex Castellæ triremes in ipso por-  
tu sunt captæ. oppidum expugnari non potuit, eximia Andradæ Præfecti vir-  
tute, fideque defensum. Ea mora non ad eius modo expugnandi oppidi, sed ad  
totius belli summam pertinuit. quædam tantum in Calæcis oppida capta, ipsa-  
que Compostella prouinciæ caput dedita: vim verita, an rerum nouarum studio  
incertum. nonnulli certè viri primarij eo tractu Anglis sese adiunxerunt, re-  
bus mutatis maiora præmia sperantes. Lusitani Regis inuitatu in Lusitaniam  
Lecestriæ Dux abiit. ad Portum urbem, quo Durus in mare illabitur, Princi-  
pum colloquium fuit Lecestriæ & Lusitani. Venerant ex Anglia, Constantia  
Ducis Lecestriæ vxor, Catharina filia Constantiæ, præterea duæ priuignæ ex  
40 priori mariti coniugio, Philippa, Isabellaque. De summa belli in eo congressu  
consultatum, sancitumque, vt iunctis viribus Castellam inuaderent. victoriæ  
præmium Anglus Castellæ regnum, cuius iam nomen & insignia vsurparat:  
Lusitanus vrbes quasdam & oppida ferrent, de alieno inter se munifici. Contor-  
diæ vinculum nuptiæ Philippam inter & Lusitanum pactæ, cælibatus legis  
modò

modò venia ab Urbano Pontifice esset, cuius religione astrictus erat Lusitanus, ad instar Calatrae militum homo religiosus. Castellæ res periculo proximas Diui indigetes Hispaniæ tutati sunt magis quàm vlla humana industria. tametsi sese Castellæ Rex Zamoræ tenens, in omnes prospiciebat partes: nouaque indies ex prouincia Galliaque copiae aduentabant. Legionem in quam primus impetus futurus erat valido præsidio muniendam curauit, Ioanni Manrico Compostellano Episcopo ea cura demandata. sed locis natura grauibus, pestilentique anni tempore morbi inter Anglos vulgati. vnde crebræ mortes, tertiaque copiarum pars extincta est. præterea commeatus, aut pabuli causa palantes per agros, vagosque intercipientes oppidani, (nam pars maxima in fide perstitit) quæ priori peste grauior pestis fuit. ego reliquum ætatis nullo magno operæ pretio consumptum, nisi quod legationes inter Principes missæ sunt, fecialis ab Anglo nisi regnum redderetur, bellum denunciaturus: à Castellæ Rege viri primarij, in quibus Serranus erat Guadalupeus Prior, eo templo recens Hieronymianis contributo. ij Aurix, vbi se hostis tenebat, causas explicarunt, cur Ioannes iure Rex esset, Constantia paterna hereditate excluderetur. Sanctij neptis eius cui regnum per vim occupanti Alfonso pater cognomento Sapiens iure paterno maledixerat, & quasi impium erat execratus, Cerdis successione iure restituto: vnde ipse materni generis originem duceret. de iniustis Padillæ nuptijs mentio nulla. credo vt inter se vitium generis condonarent. Hæc palam consilio aduocato explicata. ex arcano Prior Guadalupeus optimum fore sui Regis verbis denunciauit, Catharinam Constantiæ filiam Henrico iungi, Castellæ iuuenturis Principi. sic vtriusque familiæ iura connubij lege firmari, atque in vnum coalescere. id publicè, id priuatim consilium salutare fore. Gratissimum id Anglo fuit, honestissimæque pacis conditio visa. tametsi, re nondum matura aliud præ se tulit: coramque nisi regnum restitueretur, bello se temperaturum negauit, neque aliam pacis conditionem fore respondit.

*Trium Regum obitus. Cap. XI.*



IC res in Castella erant, vt in malis conditione tolerabili. quòd non essent, continuò oppressi in præsens lætitia, in futurum spes, posse inclinata restitui: minusque iam terroris ab hoste erat. Regionibus disiunctissimis continuata ferme trium Principum funera. in Hungaria Caroli Neapolitani pridie nonas Iunij, securi in caput impacta. Pompelone Caroli Vasconis eo nomine I. ipsis Kalend. Ianuarij principio anni millesimi trecentissimi octogessimi septimi. tametsi de anno variant auctores, & nonnulli superiorem adscribunt. sed quoniam die Martis decessit diuersam opinionem sequamur necesse est. Vixit annos quinquaginta quinque, menses quatuor, dies duos & viginti. regnauit annos septem & triginta, menses duos, dies quinque & viginti. Corpus in eius vrbe æde maxima tumulo est compositum. Rex Aragonius Petrus eo nomine III. quarto post die Barcinone decessit, annos natus septuaginta quinque, regni anno quinquagesimo primo expleto, minus diebus decem & nouem, in exiguo & debili corpore

corpore, ardenti vir ingenio, ambitione maxima. omnia ad decorem imperij eo Rege comparata: vnde Cæremoniosi nomen. suis copijs cum opulentis Regibus bella gessit: sæpeque violentiam fortunæ excelso animo tolerauit. litteras, litteratosque coluit, Astrologiæ impensè deditus, atque chalcymix metalli commutare arte profitenti: si ars est, & non otiosorum potius & vanissimorum hominum præstigiæ. Corpus Barcinone primùm sepultum: deinde Populetum, vti ipse testamento mandaratum, translatum. Neapolitano Regi amplificandi imperij cupiditas exitio fuit. ab Hungaris proceribus ad regnum capessendum Ludouico Rege defuncto, iure propinquitatis euocatus, atque ab Elisabetha Regina vidua beneuolentiæ simulatione splendide acceptus, Budæ in conuiuio atque inter pocula ipsiusmet fraude perimitur, hospitij iure violato, Mariam filiam paterna hæreditate excludi dolentis. Vxorem habuit Margaritam Ioannæ minimam sororem Neapolitanæ Reginæ (Ioannam alteram huius Coroli sororem, Ludouico Vasconis fratri nupsisse dictum est) ex ea liberos susceperat Ladislaum, Ioannamque deinceps Neapolitanos Reges, ætate sexuque inualidos. vnde noui in Italia motus, bellaque internecina extiterunt. Rex Vasco superiori tempore lepræ contagione ita laborare cœperat, vt corpus depasceretur vreretque. iustas cælitum iras vulgò homines interpretabantur, ob ea quæ impiè & crudeliter gesserat feroci, auaro, crudelique ingenio, præterea immensa libidine. Inde fabulam ortam existimo, horrendo vitæ exitu semistultatum decessisse, lecti cortinis fortè incensis, linteisque, quibus corpus erat inuolutum auidè concipientibus flammam: quod sulphureis balneis & fomentis medicorum iussu curaretur. Filia sanè natu minima, cui Ioannæ nomen erat, Ioanni Montfortio Duci Armorico pacta de mense Septembri ad sponsum nauigarat: puella auis, atque atavis nobilissima, prole deinde numerosa felix, Ioannem, Arturum, Guillelmum, Richardum, filias tres viro peperit: eoque defuncto Henrico Angliæ Regi nupsit annis consequentibus. Successit defuncto Vasconi filius cognominis, ea tempestate Castellæ Regi assiduus: vnde paterno obitu nunciato in patriam accurrens, parentis manibus iusta persoluit. mox in procerum conuentu, Clementem eo nomine VII. iustum videri Pontificem pronunciatum. quod eatenus Aragoniæ exemplo factum non erat, incertis suspensisque Principum & populi animis. Regum Galliæ atque Castellæ gratiæ id dari visum est, potius quàm ad veritatis, atque æquitatis regulam satis expendi. & extabat à Castellæ Rege nouum beneficium, redditus Vasconiaribus, quæ in ditione eius Castellæ præsidijs magno numero obtinebantur: pecunia etiam, quam pater magno pondere mutuam acceperat, condonata. Erant etiam à Gallo & Anglo multa oppida & vrbes, quæ in Nortmannia, alijsque locis occupata erant, recuperanda: eoque honestissimæ legationes ad vtrumque Principem missæ, in magna prouentus spe. sic inter se Principes officijs, & beneuolentia certabant, quæ pulcherrima contentio est. & passim nouo Principi fauebatur, propter morum integritatem, facilitatem ingenij, atque liberalitatem, nihil denegantis quod dono dignum esset. ad cætera quibus nemo ea ætate instructor Princeps fuit, congestis omnibus à natura, fortunaque bonis: eoque patri dissimillimus, vnde Nobilis cognomentum factum est. Ex vxore Eleono-

ra Ioannam, Mariam, Blancam, Beatricem, Isabellam: præterea Carolum, Ludouicumque in minori ætate defunctos genuit, furto Gotifredum Marefcalum Cortesiumque Marchionem futurum, Ioannam, quæ Eneco Stunica viro nobilissimo nupsit. Aragoniæ regnum post patris obitum, Ioannes Princeps suscepit, modesto, mitique ingenio, nisi iniuria naturam corrumpere. decubuerat is paulò ante Gerundæ ex morbo grauiſſimo, desperata propemodum valetudine. ex quo nondum planè confirmatus, neque paterno funeri interesse potuit, neque regni curam suscipere: tamen si res publica commota vehementer erat, Sibylla Regina vidua, fratreque Bernardo alijsque viris primarijs in fuga captis, qui metu noui Regis suæ salutem consuluerant. Magicarum cantionum, ijsque virum 10 contaminasse crimen Regine impositum, Iudæi cuiusdam indicio haud satis idoneo (sic visum est.) de conscijs quæstiones tormentis habite, atque, sicuti de manifestis rerum capitalium supplicium sumptum. Regina eiusque frater conseruati. tamen si bona eorum nouæ Regine addicta sunt, leui compensatione annui vectigalis, unde Sibylla vitam sustentaret. Rege restituto, nihil prius quam de Pontificum dissidio actum, uti moriens pater testamento sanxerat diris execrationibus, nisi esset obtemperatum. Barcinone in Episcoporum & procerum conuentu agitata causa, diu multumque. Fundana comitia præferenda videri, pronunciatum pridie Nonas Februarij. Ergo Clemens omnium ordinum consensu atque lætitia, Pontifex salutatur. sic Hispaniæ multo maxima pars eius auspicia sequebatur: nouisque accessibus factio ea vehementius confirmabatur. 20 Petri Lunæ Cardinalis Aragonij, qui à Clemente Legatus in Hispania agebat, diligentia, & auctoritate res ad exitum perducta. Ioanni Emporitano ob memoriam amicitie, quæ illi cum nouo Rege fuerat, in patriam reduci, melioraque speranti vincula Barcinone iniecta. sæpe apud Reges magna merita leui offensione inducuntur, officiorum obliuione parata. Gallica arma commouisse crimen obtendebatur. De Sardinie motibus pacandis, quod sæpe ante tentatum erat, nouo conatu speque agitatum. & erant Sardi diuturni belli malis domiti: duroque seruitutis iugo oppressi, finem calamitatibus orabant. Semen Arnoſius ea re insulæ pro Aragonijs Præfectus, cum Eleonora Arborea, viroque, Oriæ 30 fœdus ea conditione sanxit: ut Arboreæ principatus illis, Mariano filio, & posteris integer esset. de oppidis controuersi iuris, dati partium consensu iudices disceptarent, atque statuerent. quæ eorum armis & præsidijs occupata tenebantur, ad regiam ditionem redirent. sic in præſenti discessum ab armis est.

*Pax cum Anglis facta. Cap. XII.*



ISDEM diebus bellici apparatus, morusque graues Lusitaniam inter Castellamque erant. Beneuentum Angli equites sexcenti, parique numero sagittarij, reliqua multitudine peste consumpta, è 40 Lusitania duo millia equites, pedites ad sex millia inuadunt: mœnibusque prohibiti ab Aluaro Osorio Præfecto, leui pro munitione commisso certamine oppidum obsident. ignobilia circum oppida capiunt. Rex Castellæ superiori clade cautior in proposito totius certaminis detrectandi perſta-

di perſtabat. Sic nullo magno operæ pretio duo menses exacti sunt, quo spatio pestis lue nondum planè sedata & denuo resumente vires, præterea inopia comæatus, qui in loca tuta collatus erat, reliqua de industria corrupta, cum tantæ vno tempore difficultates premerent, copie Anglicæ Lusitanæque, qua parte Mirobriſta lita est, sese in Lusitaniam contulerunt. Milites moræ impatientia, quibus in temeritate spes, cædes, & vulnera prædæ auiditate pensantur, iniecta inter Principes pacis mentione, minori studio gerebant arma. metu depulso Gallica auxilia seriùs quam opus fuisset aduenientia, à Castellæ Rege dimissa sunt, stipendij parte in pecunia, parte alia in nominibus persoluta. Caduceatores ad 10 Anglum in Lusitaniam, de pace continuò missi, ad Troncosum oppidum mandatis expositis, mite, ac tempori locoque conueniens responsum tulere. tædebat Anglos infaulæ militiæ: patriæque desiderium vrgebat. nuptijs Henrici Catharinæque, quam vnicam Leceſtriæ Dux ex Constantia filiam haberet, victoriæ fructum compendio breui redire, nempe Castellæ regnum. Ergo eæ nuptiæ in primis pactæ. dos puellæ dicta Soria, Atienſa, Almafatum, Molina. matri Caraca in Carpetania: Medina Campeſtris, Olmedum in vltiori prouincia. Sexcenta francorum millia certis pensionibus numeranda erant. præterea dum Leceſtriæ Dux vxorve Constantia viuerent, quadraginta francorum millia annua promissa sunt. Hæc summa fœderis fuit Lusitano ingrati. qua causa Portu vrbe 20 soluentes Angli, Baionam in Tarbellis tenuerunt irati Lusitano Regi, quòd festinatis nuptijs, nondum voti religione exolutus desponsam sibi Philippam toro iunxisset. Simul Angli è Lusitania discesserunt, omniaque in Galæcis oppida, quæ fuerant primo aduentu occupata, ad pristinam Castellæ ditionem redierunt. proceribus, qui defecerant, venia data. prouinciæ magna ex parte restituta tranquillitas, metus depulſus. missi denuo Baionam, ut conuenerat, legati fœderis conditiones retractaturi, sacramentoque inuicem reddito, acceptoque firmaturi. Pecuniæ à popularibus cogendæ præcipua difficultas obijciebatur, multo maioris, quam pro eorum facultatibus. eo studio Viruescæ ineunte salutis anno millesimo trecentesimo octogesimo octauo con- 30 uentus generales ex vniuersa prouincia agitati. locorum propinquitas inuitauit, & quoniam Burgi vrbs, aliaque circum oppida, pestis contagione laborabant. In ijs conuentibus institutum vectigal est, eius summæ redigendæ gratia: à quo neque viri sacriati, neque ingenui immunes essent: neque videbatur iniquum, quoniam de communi omnium libertate agebatur, communi subsidio reipublicæ opitulari. Sed ab eo initio ius libertatis imminui optimates conquerebantur, nihil non ausuri per desperationem. quæ tandem sententia valuit: decretumque inductum. Soluta conuentu ad Calagurrim Regum Castellæ & Vasconis congressus fuit. Rursus Nauarreti, eorum Principum colloquium habitum. Eleonora Vasconum Regina virum comitata 40 affuit: eiusque permissu in Castella permansit, valetudinem qua diu aduersa conflictabatur, natiuo cælo, quod præſentissimum remedium esse consuevit, curatura. Catharina Leceſtriæ Ducis filia firmato inter Principes fœdere, in Hispaniam missa, Palentiæ propter vrbs amplitudinem, subiectique agri bonitatem, sponsalia regio apparatu celebrata sunt. decimum ætatis

annum Henricus agebat, Catharina annos decem & nouem nata erat. vt Astu-  
rum Principes vocarentur datum, more ex Anglia translato: vbi Regum filij  
maiores, Valliæ Principes nominantur. quod ab hoc initio susceptum ad no-  
stram ætatem conseruatur, vt Castellæ Regum maiores filij, Asturum Prin-  
cipes sint: quibus annis consequentibus Vbeda, Biatia, Illiturgisque sunt ad-  
iectæ. Pace ad hunc modum inter Castellam & Angliam constituta, Con-  
stantia puellæ mater, regio iam nomine abstinens, permissu Castellæ Re-  
gis Medinam Campestrum ad eum mense Augusto venit. benignè acceptæ,  
officijsque omnibus, vt iura propinquitatis, & amicitæ nuper initæ po-  
stulabant, cultæ ad pacta oppida Opta vrbs adiecta est, vnde annui redi-  
tus ampliores suppeditarent. præcipua liberalitas, sed regni amissi, compen-  
satio non magna. Inter Regem & Lecestræ Ducem munificentæ certamen  
erat. aurea corona eximij decoris pretijque missa abs Lecestræ Duce. ad-  
dita muneri verborum gratia: regni iure abdicato, corona etiam quam suo  
capiti pararat, cedere. Pactæ pecuniæ conquirendæ ratio excogitata. con-  
uenit vti priori decreto rescisso, in quo tantum offensionis erat, summa  
ea per familiarum capita, mutui nomine imperaretur, eorum qui ante ea  
tempora in ærarios relati essent. ingenuis, virginibus, matronis, viris sa-  
cratis immunitas conseruata. Constantia ineunte salutis anno millesimo tre-  
centesimo octogesimo nono possessionem Caracæ vrbs sibi attributæ adiit. 10  
Rex Madriti restitit. Quo tempore à Lecestræ Duce de mutuo colloquio,  
ad Cantabriæ Aquitanæque fines, per legatos appellatus, primùm ventu-  
rum se dixit: eaque voluntate Burgos sese retulit: vbi ieiunij tempore, quod  
ritu Christiano obseruatur, ex morbo decubuit. spatio temporis interiecto  
sententia mutata: tamen Victoriæ accessit, vnde Constantia ad virum  
dimissa erat. Legati Petrus Aiala, Vxamæ Episcopus, Fernandus Illesca,  
qui ex ordine Franciscano, Regi à sacris confessionibus erat, Lecestræ Du-  
ce conuento Regis valetudinem nondum planè confirmatam, annique tem-  
pus excusarunt: Pyrenæi iuga niuibus impedita, gelu rigentia fore supe-  
randa. hæc species obtenta. ex arcano colloquio Rex detrectabat, quod 30  
Lecestræ Duci propositum esse cognouerat, cum à Gallica amicitia di-  
strahere. parque periculum offerebatur, siue Principi recens foederato, ali-  
quid coram negaret: siue annueret, iniquissimo postulato, tantis à Gallis  
Regibus beneficijs obstrictus, in quo turpissimam ingrati animi notam  
incurreret. Actum de re tota cum legatis. ij sui muneris esse negant quid-  
quam nisi Rege conscio constituere: remque omnem ad eius arbitrium re-  
uocari integram petunt. sic re infecta Victoriæ ad Regem redeunt, ne facta  
quidem Anglis potestate Compostellam religionis ergo adeundi, quod reli-  
quis nationibus datum erat. Calæcorum animos ne suo aduentu denuò ad stu-  
dium rerum nouarum concitarent, ob belli superioris memoriam provideba-  
tur. Quo tempore omnino quarto Idus Martij Cæsaraugustæ, dum templi pars  
reficitur, cui ab Engratia nomen est, opinione sanctitatis in ea vrbe celeberrimum,  
dumque superstruendo operi fundamenta effodiuntur, gemina sepulcra  
vetustate obruta forte reperta sunt, D. Engratiæ, atque D. Lupertij, consecuta  
publica

publica vniuersæ ciuitatis lætitia & gratulatio, eo pignore Diuos tutelares pro-  
pitios amplius fore existimantis. numini gratiæ actæ, supplicatioque ad omnia  
templa insigni apparatu habita.

*Regis Castellæ obitus. Cap. XIII.*

**M** V T V I inter Principes Lecestræ, Castellæque colloquij men-  
tio intermissa est. Inter Anglos Gallosque triennes induciæ factæ:  
sucedenteque æmulatione virtutis ex longo interuallo sacrum  
bellum repetitum. iunctis viribus Genua traijiunt in Africam.  
Aphrodisium, quæ vrbs hac ætate Africæ nomen habet, obsidione  
tentata. prouentus tantis molitionibus impar fuit. Hispania nondum quiesce-  
bat. Castellæ conuentus Segobiæ habitus sunt. inde ad Lusitanum missi legati,  
quoniam in Gallico foedere vtriusque gentis confederati Principes comprehen-  
si erant, quid animi haberet sciscitatum. negat ille ad se rem eam pertinere: re-  
bus secundis insolens feroxque, neque satis reputans rerum humanarum incon-  
stantiam: & nouo bello Calæcos impetere cogitabat. induciæ tantum semestres  
Ferdinandi Illescæ diligentia impetratæ: quem ego ea tempestate probum in-  
dustriumque hominem fuisse comperio. Romæ Urbanus V I. decessit Idibus  
20 Octobris. in eius locum Petrus Tomacellus patria Neapolitanus paucis post  
diebus cooptatus est. Bonifacij IX. nomen Pontifex desumpsit. Tuda Calæ-  
ciæ vrbs ad Lusitanæ fines pertinens, quo primùm tempore induciarum tem-  
pus transactum erat, à Lusitano obsessa, omnique conatu impugnata est. sub-  
iectus ager incendijs, ruina, cæde foedatus. Castellæ Rex belli fortunam, quam  
auerfam erat expertus formidabat: & Lusitanos successu feroces laceflere tu-  
tum non erat. ne tamen nihil agere videretur, Tenorium Toletanum Præsu-  
lem, Martinum Iuanium opitulaturos præmittit. seruum auxilium fuit, rebus  
perditis, vrbe capta. Eorum tamen interuentu induciæ in sex annos inter  
vtranque gentem factæ. Tuda restituta, aliaque ab vtraque parte oppida. Pro-  
ximo anno millesimo trecentesimo nonagesimo regni conuentus Caracæ ha-  
bitus sunt, rerum gestarum magnitudine, multitudine, varietate omnium cele-  
berrimi. referente Rege de regno abdicando actum: si Castellæ imperium de-  
posuisset, filioque de manu tradidisset, Lusitanos eius & Beatricis vxoris im-  
perium haudquaquam repudiaturos. Decumarum ecclesiasticarum tertiam  
partem Clemens Pontifex concesserat, vt eo blandimento Castellæ Princi-  
pes deuinctos teneret, exemplo Urbani V I. qui idem Anglis præstiterat. Eas  
se decumas Hispalim, Cordubam, Gienniam, Murciam, atque Cantabriam  
retenturum dixit: cætera cessurum filio. proceres sententiam rogati, sese id  
passuros negant. pessimum exemplum induci. Regem, idonea maxime æta-  
te reipublicæ curam abdicare: tradere puero curis publicis impari. malo  
40 cogendos Lusitanos, neque quidquam pro sano voluntate facturos. Dein-  
de de factiosis relatum. ijs in commune venia est concessa, modò delicti pœ-  
nitentiam benefactis approbarent. vnus exceptus Gegionis Comes in cultor-  
dia manens: cui infensus Rex omnes ad eum opprimendum occasiones sæpe  
capturati

captarat: fecissetque, ni Petri Regis calamitatis exemplum, ob similes cædes retardasset. Vectigal militare ordinum consensu maius quam vnquam institutum. Consueuerant milites hostili metu sublato, consensentibus bellis tota prouincia vagari, res agrestium agere, ferreque. Sancitum, vt eorum multitudo ad competentem numerum redigeretur. grauis armaturæ equites quatuor millia, leuis mille & quingentos, sagittarios mille cum suo iusto comitatu, ordinario stipendio ali: atque in præsijs, quarum videretur vrbium collocati finem licentiæ facerent. Sic militaris disciplina restituta, & ærarij inopiæ prouisum, imminutis stipendijs immunitate veniaque multarum legum concessa. externa stipendia faciendi facultas omnibus sublata. rem haud dubio vtilem, & à bonis postea Principibus perpetuitate disciplinæ firmatam. Externis hominibus sacerdotia in prouincia dari vsu receptum erat, vnde magna incommoda extare necesse erat: templorum cultum negligi sacerdotum absentia: litterarum studia prouinciales non curare, nullis virtuti præmijs. Communi consensu constitutum, Clementem Pontificem de ea re appellandum. neque enim iustissimis prouinciæ votis repugnaturum putabant. Priorum temporum perturbatione Castellæ Vterioris proceres in iura ecclesiarum inuaserant, patronorum occupato nomine sacerdotes instituere soliti. exiguo stipendio constituto, decumarum multo maximam partem, pro se quisque domum auertere, ecclesiarum iura occupare, dare, & auferre templis mercenarios sacerdotes atque temporarios. Episcopis Burgenfi & Calagurritano, vbi vis mali incubuerat maximè, agentibus de ea re in conuentu est relatum. Rege ad æquitatem propenso præclari ij conatus impediti regulorum intercessione, ne noua offensione eorum animi irritarentur. Erat enim subditis paulò ante potestas concessa, à proceribus ad regio iudices prouocandi: quod ægerrimè tulerant. Itaque ecclesiarum libertas sanciri non potuit: & illi morem per multas ætates continuatum, maiorum merita, priorum Pontificum veniam excusabant, ante concilij Lateranensis tempora: Alexandro tertio Pontifice scilicet, cum nouo decreto est cautum, ne decumas profani inuaderent, ne Pontificum quidem permissu. Præterea petentibus, vt Henrici Regis testamentum, qua parte profusas donationes restrinxisse dictum est, nouo decreto rescinderetur, præter speciosa verba: placere Regi dona paterna esse rata, nihil impetratum. Vno tempore à duobus Regibus Vasconie, atque Granatensi legati Caracam venire, Ramirus Arellanus, Martinus Ayuarus pro Vascone dato senatu postularunt Reginam Eleonoram curata valetudine, qua causa discesserat impetrata venia, ad virum remitti. æquum non esse integra vtriusque ætate coniugium dirimi. regium insigne, quod catenus dilatatum erat, more gentis vtrique imponendum fore. De ea re, Eleonora Regina à fratre Rege appellata: videri æqua virum petere: profectioem continuò maturaret: odium illa gentis excusauit, insidias vitæ suæ comparatas, veneno à medico Iudæo præbito, vnde tandiu aduersa valetudine conflictata esset. vim adhiberi regiæ sceminæ graue erat. legatis tamen postulantibus datum, vt Ioanna maior filia, quoniam virili prole carebant, Roa vbi à matre erat relicta, primo quoque tempore, vti factum est,

remitte-

remitteretur ad patrem. Qui reuocandæ vxoris spe depulsus celeberrimo apparatu Pompelone in templo maximo regias infulas suscepit Idibus Februarij. regni libertatem, subditorum commoda iuratus, inunctusque de more, clypeo militari impositus, humerisque sublatus Rex à cunctis ordinibus proclamatur. totius cæremonia Antistes Petrus Martinus Salua Pompelonensis Episcopus. Petrus Luna Clementis Legatus affuit, alijque magno numero nobilissimi proceres. à Rege Mauro Malacæ Præfectus legatus, insignes equos, gemmas, vestemq; pretiosam splendidi muneris loco, Castellæ Regi attulit. petenti induciæ concessæ. Petrus Tenorius Archiepiscopus Toletanus insigni ponte Tagum iungendum curabat, eo cui ab Archiepiscopo nomen est, iuxtaque casæ rusticanae in pagi formam. loci commoditate Rex oblectatus, cum belli Lusitani tempore Hispalim peteret, hac tempestate expetenti eidem Præfuli dedit incolis eius oppidi vectigalium omnium immunitatem, Villæ Francæ, hoc est, immunis, ab ea re nomine dato. idem Alcoleæ oppido concessum, in cuius agro pons ædificabatur. Extat diploma regum in ærario sacro inter schedas templi Toletani, Caracæ datum, pridie Idus Martij. Ferdinando minori Regis filio, cui Lara principatus erat, oppidum Pennafielis additum, Ducis nomine. corona capiti imposita, nullis extantibus floribus, quod collatæ dignitatis insigne erat: tamen nostra ætate non Duces, sed Comites etiam coronam clypeis adiungunt regiæ haud absimilem. ex vtraque regia Castellæ atque Aragoniæ insignia puero temperata distinctionis causa, & quoniam vtriusque Regibus satus erat. Sic adulto vere, tantisque rebus, quæ perfectis, quæ constitutis, conuentus Caracenses soluti sunt. mensè Iunio cum Lusitano Rege, cuius indies potentia confirmabatur Castellæ formidabilis, induciæ sexennes denuò patæ. Romæ pontificatum gerebat Bonifacius eo nomine IX. patria Neapolitanus, anni superioris sine, vti paulò ante monstratum est, in Urbani defuncti locum subrogatus. eo concedente Olisiponensis Præsul Archiepiscopi honore auctus est Conimbricensi Episcopo contributo. nostra ætate Portalegris episcopatus Pauli tertij Pontificis Maximi venia recens institutus accessit. hoc aliaque multa blandimenta Lusitanis in fide confirmandis à nouo Principe Pontificeque per id tempus data. Segobia in aditu Castellæ Vterioris sita est vrbs ampla, ciuium numero frequens, lanarum artificio, vnde magnus ciuibus prouentus, quàm re alia nobilior, montibus ambientibus, qui perpetuis niuibus rigent, eoque per æstatem præcipua cæli temperie. eò se Castellæ Rex Caraca profectus contulit. Vicinis locis ad pagum Rascafriam Regis impensa structura monasterij surgebat, eius cui Paularij nomen est, inter Carthusianorum domicilia ipso ædificij splendore, copijs, & loci sanctitate in Hispania celeberrimum. Vallisoleti arx vetus in monasterij formam conuersa: vnde Benedictini monachi vniuersa prouincia iura repetere, nostra quidem ætate soliti sunt. Guadalupeum templum alijs sacerdotibus, quibus ab Alfonso auo datum erat, detractum, atque monachis, quibus à D. Hieronymo nomen est, attributum superioribus annis fuerat, regiæ pietatis atque religionis, quæ in Ioanne erat, hæc extant monumenta in Hispania. Aestate circumacta, Reginam quidem Madritum præmisit: Henricum & Catharinam sponsam

Talaueram hyematos, regionis temperie & amœnitate inuitatus. Ipse consilio in Bæticiam festinandi, vbi perturbatione temporum omnium facinorum licentia erat, inualido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur, fluxa magistratuuum auctoritate, quæ magna pernicies est, Complutum in primis abiit. Venerant ex Africa quinquaginta milites, professione quidem Christiani, atque Farfanes vulgò dicti: cæterum Marrocio Regi operam nauare soliti, atque Africanæ militiæ assuefacti, vt ferè quibus quique in locis milites versantur, multum earum regionum consuetudine moueantur necesse est. equos magna agilitate incitabant, variosque orbes elegantia quadam implicare explicareque erant edocti. Eo spectaculo cum se Rex & proceres oblectare cuperent, die Dominico, septimo Idus Octobris, sacris procuratis, egressi in vicinum agrum sunt, ea porta, quæ palatio coniuncta est, & vulgò Burgensis vocatur. Rex studio incitatus equum quo insigni vehebatur in veruactò cum subditis calcaribus incitasset, loci inæqualitate fulcisque offendente equo, concusso afflictoque corpore ad terram præcipitatur: momentoque temporis extinguitur. O nullam constantem felicitatem, magnumque rerum humanarum ludibrium, morteque ipsa tristius mortis genus. Quid regia potentia profuit, opes, comitatus, copiæ? quid ætatis viridæ decoræque iuuentæ flos, annum agenti trigesimum tertium? regnum tenuit annis vndecim, mensibus tribus, diebus viginti. Sub vitæ finem Segobiæ ipso D. Iacobi festo die insigne excogitabat, ex aureo torque radijs distincto columbæ effigiem, aulicis, atque nobilibus ad præclara facinora aui exemplo honoris specie obiecta incitamentum. verum eius morte res ea priusquam confirmaretur euauit.

*Res Aragonia. Cap. XIII.*



**A**EC in Castella. in Aragonia Ioannis Regis mores à paternis degenerabant institutis. Ille viuido ingenio erat, bellaque ex bellis ferendo imperium amplificare semper studuit: belli & pacis consilia, vtilitate magis metiri, quàm honestate. Ioanni mitis ac tractabilis animus fuit, nisi naturam fortuna corrumpere, aut grauis aliqua iniuria ad vindictam prouocaret. quietis quàm belli cupidior. cuncta tamen ad imperij gloriam composita. aucupio, venationi, musices & poetices studijs deditus in primis fuit, sed cum splendore sumptuq; vt pares imperio diuitiæ, ijs oblectationibus vanitatiq; non sufficerent, neque dissimulatæ voluptates aliæ, neque tecta luxuria. Regina ijsdem studijs, vt sexus ferebat delectabatur: eoque viri potens erat. regia conuiujs, cantibus, saltationibus personabat. puellæ quæ in obsequijs erant, psallere & saltare elegantius & frequētius, quàm necesse erat ingenuis. omnia instrumenta luxuriæ visabantur. Præcipua præmia poetis, qui Lemouicensi lingua aliquid dignum ingenio ijsque moribus consentaneum cuderent: prorsus vt legatione ad Regem Gallum missa id genus poetas conquiri, atque ad se mitti postularit. Prouocauit eius rei fama Venceslaum Cæsarem pudenda hominem ignauia, vt per legatos noui

Regis

Regis amicitiam expeteret, eiusque filiam Ioannam sibi in coniugium dari. morum similitudo studia conciliabat: tamen quod de coniugio petebatur, dilatum in præsentem, ac postmodum disturbatum est. Proceres Aragonij rerum perturbationem ex Regis socordia non ferentes, communicatis inter se consilijs, iunctisq; viribus Calasancium anno superiori conuenerunt: quo tempore regni conuentus Montione erant. conspirationis princeps Alfonsus Villenæ Marchio, Iacobusq; illius frater Dertusæ Episcopus, præterea Bernardus Cabrera, alijque viri principes. Querelæ de scripto propositæ, missæque ad Regem & conuentum. summa erat: Militarem disciplinam labefactatam voluntatibus. priscos gentis mores indies magis eueriti. nec libidini, nec sumptibus, neque vestium pretio modum esse. Atque illud intolerandum, ad vnius foeminæ arbitrium rempublicam verti: (Carrocia hæc erat, qua multum & familiariter Regina utebatur) plus in aula posse, quàm grauitas illius ætatis sexusque conditio, & imperij maiestas postulare. vulgi & procerum querelas, atque sermones in eius potissimum nomen erumpere, neque à Rege & Regina tamen temperare. certatum ab vtraque parte minis conuitijsque. & initium belli ciuilibus proceribus in factiones diductis, quæri videbatur. Regis mite ingenium præsidio rebus fuit. post multas altercationes Principibus coniu-ratis datum, quod iuste petebatur. Regia lasciuia voluptatesque restrictæ. repetitæ leges sumptuariæ. & quod caput erat Carrocia, aula exacta est: nullamque vt deinceps reipublicæ regiæve partem attingeret, cautum. Sic iræ confedere: paxque publica modicè lacescita tandem stetit. Noui tamen ex Gallia belli terrores ostentati. Armorici milites magno numero, Tomichus ad decem & octo millia equitum fuisse ait, ductore Comite Armeniaco, cui ægrè erat fraternos conatus frustra fuisse, in Ausetanos, Indigetesque sese magno impetu infuderunt, nulla belli causa, vno tantum studio prædandi. villæ vicique incensi. direpta oppida. abacta pecora. cædes factæ. in Emporitanos Gerundensesque fines vis mali defæuijt. Contractæ raptim prouincialium copiæ. Raymundoq; Bagio Duce ad Cabanias oppidum, iusto prælio cum hoste certatum est. victi fusique Galli. Dux ipse earum copiarum Martinus in potestatem venit. secundum eam victoriam Rex, qui se Gerundæ continuerat, ad omnem occasionem intentus ex ea vrbe egressus, hostium copias, quæ ex varijs partibus in vnum corpus conuenerant, deleturus contendit. Gallorum vires impetu valent, mora consenescent: vti tunc accidit. diuturna enim militia fessi, & superiori clade castigati, certamen deurrunt: seque superato Pyrenæo monte in Galliam retulerunt, agro Ruscinonensi direpto vexatoque: cum Marigotus Aruernus Regis Aragonij auspicijs militaturus, Armeniacum Comitem in patriam retraxisset, ditionis defendendæ necessitate. Bellum in Aragoniæ finibus gerebatur, & nouorum coniugiorum pacta inibantur, Ludouicum inter Andegauensem alterius Ludouici filium, qui se Neapolitanum Regem ferebat, & Violantem Regis Aragonij filiam. per legatos, Clemente Pontifice Auenione disceptante coram & conditiones ferente, pactæ nuptiæ. Maria Siciliæ Regina Martino Exerice regulo, Regis ex fratre nato pacta est. sponsalia Perpiniani data: vbi Rex

Iii 4 bello

139 bello defendendo intentus, veris tempore morabatur. In Sardinia noui motus concitati sunt, principio anni millesimi trecentissimi nonagesimi primi. à Brancaleone Orta nulla memoria ic̄i nuper fœderis, veniæq; impetratæ arma quasi pro communi libertate correpta. fauebant Genuenses insulaniq; rerum nouarum studio, Aragonioque imperio fessi. Saffaris vrbs primaria, aliaq; oppida & arces, pars vi, pars voluntate occupatæ. Aragoniæ vires imminutæ erant. nouæ ergo copiæ conscriptæ: atque Cæsaraugustæ ad quintum Idus Februarij omnes quicunque in ea insula possessiones aut oppida haberent, continuò præsidio accurrere à Rege mandatum est. Quo anno Martinus Salua Pompelonen-  
sis Episcopus à Clemente Pontifice honore purpuræ donatus est: eumque pri-  
mum ea ecclesia Cardinalem habuit, virum omnibus animi & corporis doti-  
bus præstantem ea tempestate.

*Henrici tertij Castellæ Regis initia. Cap. XV.*

**R**EGIS Castellæ lateri, quo tempore equi casu afflictus oppressus que est, Tenorius Archiepiscopus adhærebat præstanti vir, expeditoque consilio. Ergo extemporali tentorio ipso loco extructo acres custodias adhibet. exanime Regis corpus vestibus & fomentis te-  
git. pro Principis incolumitate, quasi eius iussu votis & supplicationibus supe-  
ri fatigantur, haudquaquam exaudituri extincto iam Rege. sed à prudenti Præ-  
sule prouidebatur, vt extracto tempore extrusi in omnes partes tabellarij vrbes  
& oppida in fide confirmarent: proceribusque & Episcopis, qui diuisi studijs  
erant, reipublicæ conturbandæ facultas non esset. Quo consilio interdum nun-  
cij vulgati Regem melius habere: dareque mandata. sed cum vultus non con-  
sentiret cum verbis, omniaque timidè ac perturbatè agerentur, multumque mi-  
nistri inter se arcanò colloquerentur consultarentque, diu res contineri non po-  
tuit. Prima Beatrix Regina ad triste spectaculum accurrit, paterno ante spoliata  
regno, nunc etiam viduata viro, nulla prole, quæ calamitatem leuaret. Henricus  
eodem percitus nuncio Madritum venit, iter prosequente Ferdinando fra-  
tre. Agenteq; Toletano Archiepiscopo, cuius primæ partes erant, in eo munici-  
pio, vexillis de more explicatis, Henricus primùm in conuentu procerum, deinde  
per compita Castellæ Rex proclamatur vndecim annos natus, paucis adie-  
ctis diebus. publicæ lætitiæ mœror permistus, tanto sublato Principe, corpore  
noui Regis imbecillo, vnde Valetudinarij cognomen accessit. Conuenere ta-  
men certatim tota prouincia proceres nouum Regem salutaturi, rebusq; in dis-  
crimine opem laturi. nouas nonnulli fingebant spes rebus mutatis turbatisque,  
augeri ipsos copijs & potentia posse. affuerunt Fridericus Beneuenti Dux, Pe-  
trus Trastamaræ Comes, Magistri militum Laurentius Figueroa D. Iacobi, Gon-  
saluus Gusmanus Calatrauæ, Martinus Iuanus Alcantaræ, Ioannes Manri-  
cus Archiepiscopus Compostellanus, idem regij scrinij Magister. Alfonso Vil-  
lenæ Marchioni, qui priori tempore in Aragoniam discesserat infensus (sic  
arbitror) Castellæ Regi, nunc expetenti, seseque ea conditione assuturum pol-  
licenti equitum præfectura concessa à Rege Reginaque est, iudicium defuncti  
Principis

Principis secutis, sub quo eum honorem obtinuerat. neque venit tamen, alijs  
in Aragonia rebus implicitus. Extincto Regi postquam iusta magnificè facta  
sunt, corpusque vti ipse mandauerat Toleti in regio sacello est tumulatum: pro-  
ceres in vnum conuenere, vt inter se de reipublicæ statu componendo discepta-  
rent. venere vrbiū procuratores studio incitati, patriæ opitulandi. Eleonora  
Sanctij Alburquerquij Comitissæ filia vnica, & amplissimi principatus hæres,  
prorsus vt ea tempestate locuples scœmina vulgò diceretur, in aula versabatur.  
huius nuptias Beneuenti Dux eius patruelis ambire cepit. verum conatus frustra  
fuit Ferdinando Regis fratre prælato, ea lege, ne prius ratæ nuptiæ essent, quàm  
10 Rex quatuordecim annos esset natus, vti erat in Anglico fœdere cautum, si  
quid Henrico ante iustam ætatem humanitus accidisset, Ferdinandum cum  
regno in Catharinæ nuptias subrogari. Ea causa Eleonora sacramento, nu-  
ptiarum pactum confirmauit, lectissima puella forma, regia indole, decem &  
sex annos nata: Ferdinandus ætate minor, iureiurando abstinuit. Dum de re-  
publica disceptatur, Petri Aialæ, ad quem Fuenfaldæ Comites genus refe-  
runt, indicio cognitum est, à Ioanne Rege testamentum conscriptum superio-  
ribus annis fuisse. conquirendum proinde diligenter visum est, priusquam cer-  
ti aliquid statuerent. regiæ schedæ excussæ omnes, atque testamentum inuen-  
tum ante annos aliquot ad Gilloricum oppidum in Lulitania nuncupatum, vti  
20 superius dictum est. Recitatæ tabulæ in conuentu. varij animorum consecuti  
sunt motus. ac illud plerosque offendebat maximè, quòd Henrici tutores vsque  
ad quintumdecimum ætatis annum instituti erant, Alfonsus equitum Magi-  
ster, Archiepiscopi Toletanus, Compostellanusque, Calatrauæ Magister, Nie-  
blæ Comes Alfonsus Gusmanus, Petrus Mendoza regiæ procurator. his sex  
ciues Burgis, Toletis, Legionis, Hispali, Corduba, Murcia, ex singulis vrbi-  
bus singuli, aliorum ciuium suffragio deligendi, adiungebantur. Res magna  
controuersia agitata. pauci defuncti Regis voluntatem ratam esse cupiebant.  
alijs testamentum abrogandum videbatur: quod conditori ipsi displicuisse  
multis argumentis & testibus confirmabant. Itaque ea sententia valuit: tametsi  
30 Archiepiscopus Toletanus comburi tabulas testamenti vetuit: quòd in eo tem-  
plo Toletano multa abs Rege legarentur, quæ rata fore disputabat, vt cætera  
consulta & decreta rescinderentur. De administrando imperio mox actum. &  
communi sententia rerum potestas Beneuenti, Villenæ, atque Trastamaræ re-  
gulis commendata, Archiepiscopis Toletano, & Compostellano, D. Iacobi &  
Calatrauæ Magistris. è sedecim regni procuratoribus octo per vices spatio tri-  
mestri adiuncti proceribus. collatis omnium sententijs, quòd maior pars decre-  
uisset, id ratum fixumque fore placuit. Ea gubernationis ratio vni Toletano Ar-  
chiepiscopo displicebat, in plures partito principatu, eoque minori singulorum  
potentia, maiori rerum perturbatione: atque Alfonsi Sapientis stari lege malle-  
40 bat, vnum, tres, quinque, aut septem Rege minori creati procuratores sancietis.  
victus tamen aliorum procerum importunitate, minisque consensit. Monetæ  
genus Agni figura percussæ, quoniam nuper excogitata erat, & temporum vi-  
tio adulterata, abrogari placuit: atque ex pristina forma valoreque conflari. Al-  
fonsus Gegionis Comes vinctus, in Toletani Archiepiscopi potestate erat. eo



referente contendenteque Almonaciri arce Montem regalem translatus, D. Iacobi Magistro eius custodiendi cura demandata: donec maturo consilio de eius rebus communi consensu deliberatum esset. Fine anni Hispali atque Cordubæ in Iudæorum gentem sæuitum à populo est. illatæ clades. domicilia Synagogæque eorum direptæ. turbæ concitator Ferdinandus Martinus Archidiaconus Astigitanus per plateas concionabundus, inualidis magistratibus, apud vulgus spe prædæ, magis quam sincero religionis studio. vis mali ex interuallo in alias Hispaniæ regiones diffusa. Toleti, Lugrunij, Valentiaæ atque Barcinone, quasi signo dato ad certam diem Nonis Augusti in miserorum fortunas grassatum est. multi, Christiani hominis officium datis nominibus, simularunt potius, 10 quam impleuerunt. metus haud sincera voluntate impellebat. verum hæc aliquanto post. Madriti in templo quodam procuratorum regni conuentus haberi soliti erant. Beneuenti atque Trastamaræ reguli ferro tecti in conuentum irrupere. cohortibus armatis locus circunseptus. ea res in Præfulis Toletani petus altiùs, quam vt facile euelli posset, descendit. Itaque proxima luce Complutum abiit, suæ ditionis municipium: deinde Talaueram concessit. ex ijs locis sollicitare populos & proceres litteris non desisteat, atque ad arma concitare. Pontificem Clementem, Reges Galliaæ atque Aragoniæ monere: Paucorum vi oppressam Castellæ libertatem. In senatu non argumento & ratione, sed lingue petulantia, de rebus publicis & priuatis disceptari. Non publicum consilium 20 vigere, sed paucorum libidine regnum administrari. In regia signa esse, in oppido vbi curia erat, milites vagari. Senatuum nihil decernere, nihil à singulis pro sententia dici: terrore proposito ad paucorum libidinem circumagi. Defuncti Regis voluntatem, quæ sacrosancta esse deberet, pro nihilo duci. Quod si regij testamenti tabulæ contemnebantur, quasi in procinctu ac perturbatè factæ, id enim nequitiaæ velamen prætenditur, quid regni leges à sapientissimo Rege promulgatæ? an eum etiam parum animo valuisse, confectum annis & laboribus contendat? Ne ergo senatus iudicio, neque regni publico consensu statutum esse putate, quod paucis collibitum fuit. ac rebus potius perditis Regi minori, cuius ætas ludibrio est, regnum quæstui, opem ferre maturate. quod per omnia 30 numina, & quidquid in terris sanctum est, melior & sanior regni pars oramus, obtestamurque. Beneuentanus Toletani Præfulis exemplum secutus, infalutato Rege Beneuentum discessit, seseque cum Toletano coniunxit. accessit in partes Villenæ Marchio. missi ad omnes legati: vt quoniam regni conuentus futuri erant generales, venire non recusarent. certè pro se vicarios cum potestate mitterent. frustra is conatus fuit. variæ factæ excusationes prætensæ. Dominicus S. Pontij Episcopus ex Prædicatorio ordine, præstanti vir eruditionis opinione à Clemente Pontifice Legatus, geminas litteras attulit, ad Regem, regni que procuratores. summa erat. Dolere cum optimi Principis inopinato tristisque casu: atque ex eo intelligere, quanta sit 40 inconstantia humanæ felicitatis. debere eos æquo animo ferre orbitatem: atque in vnam reipublicæ iuuandæ concordiam pari voluntate incumbere. publicamque regni salutem priuatis doloribus atque cupiditatibus potiore arbitri. quod vt facerent, pro iure paterni imperij mandare. Eo legato vltro citroque

troque commeante, de concordia inter proceres actum, nullo fructu. A Regibus Galliaæ atque Aragoniæ legati eadem de causa venerunt. cum ijs foedus instauratum, ac nouo iureiurando sancitum est. Vasconum Regis legati præterea, Eleonoram Reginam ad virum remitti postularunt eo loco futuram, quo erat consentaneum. De ea re appellata, quæ fratris præces reiecerat, pueri conatus, facile ijsdem excusationibus ludificata est. Interea à Toletano Præfule delictus habitus: conquisita auxilia. species erat reipublicæ liberandæ: sed vt est pro na vulgi in deterius persuasio, plerique existimabant, occasiones captare vniuersæ administrationis occupandæ, profunda ambitione hominem, personæ 10 quam sustinebat nulla memoria. legationibus ineundæ concordiaæ ratio semel & iterum tentata: & cum nil proficeretur, vim veriti regni procuratores, atque Madriti munitione diffisi, cum Rege Segobiam abierunt. Trastamaræ Comes Magister equitum creari cupiebat: idque Ioanni Regi fuisse propositum dum viueret, disputabat. Villenæ Marchionem eo honore detracto irritari, in ea rerum colluione, sanioribus non placebat. temperamento excogitato, septuaginta millia æris annua in præfenti, ex regio fisco Trastamaræ regulo constituta, quod Magistri equitum stipendium erat: in posterum nisi Villenæ regulus mutaret, à factioneque recederet, honor quem ambiebat promissus, quod paulo post factum est. Sequebantur Toletani partes Alcantaræ Magister, & Dieghus Mendoza, is ad quem Infantatus Duces copijs & ditione hac tempestate præualidi, generis originem referunt. Exercitus conflatus: in quo mille quingenti equites erant, pedites quingenti. cum ijs copijs coniurati Vallisoletum perueniunt, quò Rex se contulerat. ad vicini fluminis ripam posita castra sunt. Vasconum Regina, quæ se Areuali tenebat, periculo percita, ne pars cum parte confingeret, pari damno siue victoribus siue victis coniuratis regijsve, vtroque 20 ad eundo, magno labore, magna contentione impetrauit, vt colloquium de pace esset. Peralio oppido designato conuenere die dicta, ex vtraque parte proceres. affuit Regina ipsa, virili animo foemina, Clementis Pontificis Legatus. rogat in conuentu Toletanum Præfulem Compostellanus: cuperet ne rata esse 30 omnia quæcunque defuncti Regis testamento sancita erant. ad eam vocem Toletanus cunctatus, dolumque veritus, id agi vt Beneuentanus alienaretur, quoniam in regni procuratoribus eo testamento nominatus non erat: placere sibi respondit, ea tamen lege, si tres alij proceres accederent Beneuenti, & Trastamaræ reguli ex regio nati sanguine, atque D. Iacobi Magister, opibus & clientelis in primis potens. id publicè & priuatim fore salutare, tantos Principes à reipublicæ procuratore non excludi. Assensere aduersarij ante discrimen feroces, in periculo pauidi. cautumque vti eo foedere confirmando Burgis generales conuentus haberentur. dati obsides virorum principum filij, Ioannis Mendozæ regiaæ procuratoris, ad quem Montis acuti, Almasanique reguli genus referunt, Petri Aialæ, Dieghi Sunicæ, Alfonso Cerdæ. sic in præfenti discessum 40 quidem ab armis est.

*Fœderis conditiones mutata.*

*Cap. XVI.*

TOLETANI



TOLETANI Præfulis partes nouo foedere haud obscure confirmabantur: plusq; vnus auctoritatis & virium habiturus videbatur, quam omnes aduersarij, & suis opibus validus, & noua trium Principum accessione formidabilis. id intelligentes Compustellanus & focij, omnes ingenij & industriæ neruos ad imminuendam illius potentiam conferunt. Consilio inter se communicato Alfonso Gegionis Comitis liberandi, atq; in pristinam ditionem restituendi auctores existunt. satis ærumnarum pertulisse, satis poenarum esse datum. sic ille mutatione temporum euasit, ad Regemque deductus est. Burgis vbi conuentus agebantur, de foedere nuper icto disceptatur. negat Compustellanus assensurum, nisi Gegionis Comes, quartus tribus proceribus accederet, pari nobilitate potentiaq; dolet Toletanus suis se artibus peti. diducti in partes ipsi ciuitatum procuratores. res magna altercatione agebantur. nouorum motuum metus iniectus. partium consensu, delecti iudices controuersia, Gonsaluus Episcopus Segobienfis, atque Aluarus Martinus, vtriusque iuris publici & priuati peritissimi, cæterum & ipsi infecti partibus, eoque consensu nullo. Principio hæc anni millesimi trecentissimi nonagesimi secundi agebantur. multis in ea re diebus & laboribus consumptis conuenit tandem: quatuor proceribus, de quibus controuersia erat, ad reliquos adiunctis regia vectigalia diuidi: tempora imperij singulis constituit: ita vt semestri spatio quini rempublicam procurarent: cessarent alij. ea compositione tranquillitatis spem prouincialium animis conceptam, improuisus casus repente conturbauit. Dieghus Rogius ex Gegionis Comitis familia, è venatione rediens, à duobus Beneuentani affeclis trucidatur, hero haud ignaro (sic vulgò persuasum est) vnde magna inuidia flagrare cœpit. singulis considerantibus qualis futurus esset accepta potestate, qui id specimen sæui animi ipsis inijtis præbuisset. ergo rebus mutatis, retractatoque foedere defuncti Regis testamento stari placuit: ea modò conditione, vt quoniam Villenæ & Nieblæ reguli aberant, dum euocati denuo regijs litteris venirent, eorum partes Toletanus Præful impleret, quasi vtriusque vicarius, cum iure trini suffragij. Duci Beneuentano, & Gegionis Comiti ex regio fisco, stipendij nomine centum æris myriades annuæ, singulis designatæ. datum præterea Toletano, vt regia vectigalia dimidia ex parte penes ipsum essent: vnde eos sumptus compensaret, qui paulò ante contrahendo, alendoque exercitu facti erant, publicæ utilitatis causa. sic ipse prædicabat, credique cupiebat. & quoniam induciarum tempus exibat, quæ pactæ cum Lusitano erant, neque satis virium ad bellum instaurandum: communi consensu legatio ad Lusitanum missa est. cuius legationis principes fuere Ioannes Serranus Seguntinus Episcopus, atque Dieghus Corduba Castellæ Marefcalus, nobilis in primis potensque. vnde Egabri siue Cabræ Comites, generis stemma perpetua serie deducunt. Nieblæ Comite in curiam euocato, graues Hispali motus extiterunt. Maris præfecturam Aluarus Gusmanus illius propinquus obtinebat. Dieghus Mendozius pro ea gratia & auctoritate qua apud puerum Regem valebat, dari sibi cupiebat. attraxeratque in partes Nieblæ Comitem, aliena calamitate studentem, nouum sibi & potentissimum amicum conciliare. ea irarum causa grauisima. Pe-

trus

trus Pontius Marchenæ regulus, iunctis cum Aluaro Gusmanio viribus Hispaniam occupat. Nieblæ Comitis amici & necessarij ad vnum omnes vrbe exacti. Segobiam propter loci firmitatem ciuiumque fidem abs Rege itum est. eò ex Lusitania allatum: Regem Lusitanum à foedere aures auersas præbere. Henrici Regis ætas contemptui erat, & ex procerum Castellæ discordia rei bene gerendæ occasio existere videbatur. præterea Beneuentanus Dux, qui publicam inuidiam non ferens, & ne testis deformis acceptæ ignominia in curia viseretur, in patriam discesserat, rebus Lusitanis fauere nunciabatur, Beatrice Regis Lusitani filia notha desponsa, ingenti auri pondere dotis nomine promisso. ægrè id habuit Regem & proceres reputantes, quantum momenti accessurum Lusitanis esset, Beneuentano in partes attracto, magnis opibus & clientelis, finitimo principatu. Eleonoræ Alburquerquij Comitis nuptias interceptas, accusabat ille, dolebatque. ea causa Rogium interficiendum curasse creditum, cupiditati repugnantem. quod si Ferdinando detracta, sibi redderetur, facile Lusitanam conditionem esse sepudiaturum. consilio inter proceres collato, parere necessitati visum est. Arealum in Vltiori Castella nobile municipium, nuptiarum celebritati designatum. quam rem incenso studio ambierat, eius copia fastidium peperit, repenteq; mutata voluntate destitit. siue id fuit, siue insidias & fraudem veritus in fœderis specie, certè ad Lusitanum coniugium denuò animum retulit. Toletanus Præful haud ignarus quantum periculum rebus immineret, pro ea gratia & auctoritate quam penes Beneuentanum obtinebat, ad eum citato itinere profectus est. Villenæ Marchionis filiam coniugem pollicebatur: auri pondus dotis nomine, non minus quam quod in Lusitania offerebatur. recusat ille conditionem: sibi que, externo præsidio opus esse ait, aduersus inimicorum potentiam: quorum erat magnus numerus in prouincia, opes amplissimæ. ergo nihil profectum. tantum in reditu à Toletano Præfule Senticæ, hoc est, Zamoræ ciues in fide confirmati: Villaisanoque arcis Præfecto suspecto, ne eam Beneuentano traderet, prodicionis facultas sublata, præcipua turri templi maximi, cui à Salvatore nomen est, quam occuparat præsidio, detracta. Erat annus in ætatem extractus: cum ex Lusitania, quò legati de pace amandati sunt, intellectum est, nihil ea legatione fuisse profectum. tamen ad Sabugaliæ oppidum in vtriusque regni finibus, vbi Prior Hospitalarius pro Rege Lusitano cum ipsis conuenerat, supremus conatus erat adhibitus. res ad bellum respectare: Lusitanos ex memoria rerum gestarum spei imminere ditionis amplificandæ: nec nisi suo commodo foedus facturos. Beneuentanum quingentos equites sub signis habere: peditum magnum numerum. cum ea manu ad Pedrosam habere castra, quod oppidum prope Taurum in Vaccæis situm est. Magna regni procuratoribus iniecta cura: ingens popularibus metus reputantibus ad intestinas difficultates malaque quantum periculi accederet, nouo bello concitato. Ergo Rex Medinam Campestrem abiit. vniuersa ditione militares delectus habiti. bellico strepitu, armorum apparatu cuncta personare. Eo maiori terrore, quòd à Mauris alia parte bellum imminere videbatur Mahomadis Granatensis Regis obitu: cui huius anni principio importunè sanè defuncto, magnoq; rei Christianæ incommo-

incommodo (nam nostrorum amicitiam perpetuò coluerat) Iuzephus filius  
 successit, ingenio haud absimili, moribusque, atque pietate: qui superstitie patre,  
 multis Christianis libertatem restituit, eosque in patriam remisit, nullo redem-  
 ptionis pretio, sed propensa de nostra gente bene merendi voluntate. quod illi  
 Regi factò malo fuit. Quatuor genuerat filios, Iuzepum, Mahomadem, Halim,  
 Hametum, Mahomad ardenti spiritu iuuenis, nullamque spem regni nisi in  
 fraudibus habens, ætate minor patrem criminando, quali nomine tantum  
 Maurus esset, re & ex arcano professione Christianus, multos in partes at-  
 traxit, vitio humani ingenij rerum nouarum cupiditate concitatos, & pra-  
 uæ superstitionis studio incensos. Eò res à paruis initijs processerat, vt pericu- 10  
 lum esset, ne pars cum parte armis certaret, pari vtrinque gentis malo cla-  
 deque. aderat Marrocij Regis legatus, vir à multo rerum vsu collecta pru-  
 dentia, vt in ea gente admirabilis. eo annitente, dissidio sublato inter patrem  
 & filium, pax in præsentem quidem composita est. ne potentia imminuta civili  
 bello, gens Maurica prædæ esset hostibus prouidebatur, ad omnem occasionem  
 eius imperij delendi intentis. Moneant, inquit, vos vtriusque temporis docu-  
 menta: ne cõtumaciam cum pernicie, quàm concordiam cum securitate malitis.  
 Nostris disidijs, nulla hostium virtute, maximæ clades acceptæ. quid nunc  
 fore putatis, nouo tumultu concitato? Parenti quamuis impio, filium obsequi  
 consentaneum est. in eius vitam conspirare, quid aliud, quàm naturam inuer- 20  
 tere, & ima summis, summa infimis commutare? Quin potius iunctis viribus,  
 in hostium fines irruitis, iniuriæ opportunos propter infirmam Regis ætatem,  
 dissentientes procerum inter se voluntates, belli Lusitani metum. Ad has  
 voces rebellium studia repente conqueuerunt. Mahomad in patris se pote-  
 state fore dixit. mox in Murciae fines impetus factus, ea parte vbi Eliocro-  
 ta sita est, nostris Lorca. vastati agri. actæ prædæ. Septingenti equites erant,  
 peditum tria millia. his obuiam factus Alfonso Fagiardus cum centum &  
 septuaginta equitibus, quadringentis peditibus, magna eos strage cecidit, fu-  
 ditque, ablata prædæ. magno metu Hispania liberata. quo metu belli etiam Sar-  
 dici apparatus classem Barcinone instructa per caussam Sardiniae repetendæ, 30  
 vbi Brancalconis armis vrbes & oppida occupabantur, disturbatus est. Acce-  
 pta Mauri clade castigati, maiorisque mali metu, ad pacatiora consilia ani-  
 mos reuocantes, inducias petierunt, impetraruntque: reputantibus nostris plus  
 gloriæ atque periculi è Lusitania intare: eoque bello, aut composito, aut  
 profligato, Mauros in cætera victoriae præmia facile accessuros. Augebatur  
 Lusitanus numerosa prole, quatuor filijs continuatis ferme annis ex Phi-  
 lippa vxore susceptis. Alfonso, qui ad iustam ætatem non peruenit, Eduar-  
 dus cui regnum fata destinabant, prioribus annis nati sunt. hoc anno Septem-  
 bris nono die Olisipone Petrus in lucem prodijt, Conimbricae deinde Dux: &  
 sedecim mensibus elapsis Henricus cui Viseum principatus fuit, eius militiæ 40  
 Magistro, cui à Christo nomen est: rerum cælestium atque conuersionum pe-  
 ruita maxima. Quo præsidio, atque animi magnitudine, Oceano enauigato, in-  
 tima Africae littora explorare primus, atque aperire tentauit. vnde posteris  
 occasio in vltimas Orientis oras circumducta Africa nauigandi, magno splen-  
 dore,

dore, fama, prouentuque gentis Lusitanæ, vti alio loco commodius est ex-  
 plicandum. Caroli Regis Gallia eo nomine VI. mens conuulsa erat, furoreque  
 percita, ex inopinato miserabilique casu. Magistrum equitum Lutetia ex aula  
 redeuntem noctu, Crao vir nobilis aggressus multis vulneribus inflictis pro  
 mortuo reliquerat, seq; ad Armorice Ducem ex fuga recepit. inde iræ in vtrun-  
 que Regi, quæ semet vindictæ mora atque difficultate accendit. dedere homi-  
 nem iussus Dux non parebat: se tamen neque auctore neque conscio facinus  
 factum excusabat. Rex delectu habito vindicare iniuriam parabat. Ex Ceno-  
 manorum vrbe, iniquissimo anni tempore, maximis Solis ardoribus sub me-  
 ridiem præceps abiit. vix ad alterum ab vrbe lapidem peruentum erat, cum in-  
 uisus eum furor corripuit. stringit repente gladium. vnum & alterum interi-  
 mit, vulnerat alios: equo tandem delapsus pro mortuo inter manus Cenoman-  
 nos reportatur. adhibita curatione ita restituitur, vt ex interuallo mente peri-  
 clitaretur, vacillaretque. vnde magna mala Gallicæ genti extiterunt, Rege cu-  
 ris grauioribus inepto, rerum procurationem multis vno tempore proceribus  
 ambientibus. Ioannes Iuuenalis Bellouacorum Pontifex Carolum in eo furore  
 nihil molestius tulisse ait, quàm si quis Angliæ Anglorumque mentionem fa-  
 ceret. purpureas cruces, quæ Anglis pro militiae teslera sunt, plurimum execra-  
 ri solitum. credo quòd insanis & dormientibus eæ potissimum inerrant menti,  
 20 atque oculis imagines, quibus sani vigilantesve maximè mouebantur.

*Inducia cum Lusitanis facta. Cap. XVII.*



**F**RIDERICI Beneuentani Ducis pacandi, in partesque trahen-  
 di cura Castellæ proceres sollicitabat. Toletanus Præsul nullum  
 reipublicæ laborem negare fas esse cogitans, & nouis propositis  
 conditionibus eius animum flecti posse confidens, rebus alijs ne-  
 glectis, ad eum maturare constituit principio anni millesimi tre- 1393  
 centesimi nonagesimi tertij. optimi Præsulis precibus & auctoritate id modò  
 30 datum, ne Lusitanas nuptias maturaret, donec induciæ, de quibus magna con-  
 tentione agebatur pactæ essent. vt ad Regem veniret, militesque dimitteret, ad  
 duci non potuit, multis inimicis, præpotentibus aulicis: quod erat necessè Re-  
 ge minore, neque sui penitus arbitrij. turpe autem illis rempublicam gubernan-  
 tibus se in curia conspici, nulla apud Regem auctoritate. Digresso Toletano,  
 rursus Senticæ vrbs in periculum venit, ne à Beneuentano caperetur: sed cona-  
 tus eius, Villaisani inconstantiam dedendæ arcis consilia agitantis, Compostel-  
 lanus, Toletanus, & Calatrauæ Magister magna celeritate occuparunt, ciuibus  
 sua præsentia in fide confirmatis, munita vrbe. Beneuentanus, qui cum copijs  
 in vrbs conspectum venerat, ea spe depulsus, aliò impetum vertit. Maiorgæ  
 40 arcem Alfonso Cerda obtinebat, Ferdinandi regij fratris nomine. eo dedente,  
 in Beneuentani potestatem venit. acceptæ iniuriæ dolor stimulabat, quòd ho-  
 nore esset spoliatus ex Ioannis Regis testamento, quem in Ferdinandi pueri au-  
 la obtinuerat, familiæ procurator. vrebatur etiam Villaisanum, licitoris munus,  
 quo pater erat functus Senticæ, ereptum esse. ea inconstantis fidei causa erat:

vt violent

vt solent homines dolori indulgere, magis quam officio satisfacere, nulla famæ memoria. eo minus fidus fore putabatur, persuasumq; vt annuo vectigali concesso, arcem traderet Gonfaluio Sanabriæ Bletisæ, hoc est, Ledesmiæ ciui, eius Sanabriæ filio, quem ad Montielem captum fuisse monstratum est, Petro Rege interfecto. Henrici Regis curia Senticam migravit, vt locorum vicinitate commodius de Lusitano fœdere ageretur. Beneuentani gratia potentiaq; indies minuebatur: multique consilio mutato, eo relicto sese ad Regem conferebant. Retrahandis fœderis conditionibus multi menses consumpti sunt. re diu multumq; iactata, conuenit tandem, vt Sabugalia, Mirandaq; superiori tempore de Lusitanis captæ redderentur. Castellæ Rex Beatrici nouercæ, Ioanni, Dionysioq; eius patris, quos in Castella detineri dictum est, Lusitano regno recuperando, quo se ferebant iniuria spoliatos, nullam opem communicaret. idem Lusitanus faceret, si qui vellent Castellæ fines inuadere. Captiuus vtraque parte libertas esset. Ijs legibus induciæ annorum quindecim pactæ: cautumque vt duodecim obsides in Lusitani potestatem darentur, procerum Castellæ filij. id vnum mutatum: datiq; Hispali, Corduba, Toletu, Burgis, Legionem, Senticam ex singulis vrbibus bini obsides, primarijs ciuibus nati. sic fœdus sancitum: Olisiponeq; & Burgis, vbi Reges erant Castellæ & Lusitaniæ, magna vtriusque gentis lætitia voce præconis promulgatum, Maio mense dimidiato: turpe quidem atq; ignominiosum Castellæ Regi. sed est prudentium virorum, malis reipublicæ temporibus obsecundare: meliora in voto habere, quæcunque tolerare.

*Archiepiscopus Toletanus captus. Cap. XVIII.*



AE induciæ, quantum prouinciam vniuersam recrearunt, diuturnæ tranquillitatis spe, tantopere conturbauit Toletano Præsuli irrogata iniuria. Externo timore depulso, intestina dissidia confirmata fauebat Duci Beneuentano Toletanus Præsul: Ioanni Velasco regio cubiculario vtriusque amico & necessario, maiores honores haberi cupiebat, augerique stipendium, quod ex regio testamento magna ex parte erat imminutum: & cum non impetraret, curia abire constituit. veriti alij proceres, ne nouorum motuum ea occasio existeret, propter amplas opes, ditionemque, Toletani excelsum animum, omnisque iniuriæ impatientem: consilio inter se & cum Rege communicato, eum in aula, Ioannem Velasculum domi suæ capiunt. erat is opibus & clientelis validus, (nuperque accesserat Villalpandum dotale municipium) eius Velasculi filius, quem ad Olisiponem decessisse dictum est, nobilissimæ familiæ conditor: vnde plures Magistri equitum continuato honore, nostra tempestate extiterunt. capti etiam Petrus Vxamensis Episcopus, Ioannes Fusselensis Abbas. iniicere viris sacratis manus, pudori non fuit. publicæ tranquillitatis species obtenta. Senticam, vbi capti sunt, Palentia, atque Salmantica sacris interdictæ. Itaque aliquanto post dimissi omnes sunt: cum Toletanus Talaueram, Complutum, obsidum loco tradidisset, præterea quatuor propinquos. Ioannes Velascus Sorisæ arcem, quam Regis nomine obtinebat. Anathematis religione Rex & proceres ex eo facti erant deuincti.

uincti. Eius procurandæ potestas Dominico pontificio Legato, Albiensi tunc Episcopo facta est, ijs litteris, quarum exemplum subiicimus ex Toletani templi schedis. Impleuit amaritudine mentem nostram nunciata nobis nouiter venerabilium fratrum nostrorum Petri Archiepiscopi Toletani, & Petri Episcopi Oxomensis, & dilecti filij Ioannis Abbatis de Fussellis in ecclesia Palentin. captio, seu detentio personarum, per nonnullos, tam ecclesiasticos, quam laicos, Henrici Regis Castellæ & Legionis illustris, tutores, consiliarios & subditos, ac de mandato & consensu Regis ipsius perpetrata. dolemus siquidem & inconstanter contristamur, ecclesiæ sanctæ Dei, his mœstuosissimis temporibus, tam afflictæ & multifariè desolatæ, necnon schismatico dissidio miserabiliter laceratæ, super tot suorum vulnerum, per dictum Regem ipsius peculiarem filium & præcipuum defensorem superadditum existeret tantum vulnus. verum quia sicut pro parte dicti Regis expositum nobis fuit, in captione seu detentione prædicta, quæ ex certis, iustis & rationabilibus causis, personæ Regis eiusdem & regnorum, ac subditorum suorum statum bonum, securitatem, pacem, quietem, & commoditatem concernentibus, maturaq; consiliarium ac magnatorum suorum super hoc deliberatione præhabita, facta fuit: aliis grauis vel enormis circa personas dictorum sic captorum, seu detentorum, non interuenit excessus: ipsique sic capti siue detenti, postmodum restituti fuerunt, plenariè liberati & ipsa principaliter potiuntur. nos teneritudinem ætatis Regis ipsius, adhuc impuberis, propensius attendentes: & proinde captionem seu detentionem huiusmodi, non tam ex ipsius, quam sui deliberatione consilij perpetrati fuisse verisimiliter arbitantes: volentesque propter hoc mitius agere cum eodem: suis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ committimus & mandamus, quatenus ipsum Regem ab excommunicationis sententia, quam occasione præmissorum incurrit à iure vel ab homine, quoquomodo, si hoc humiliter petierit, auctoritate nostra absolvas in forma consueta: & iniungas inde sibi pro modo culpæ pœnitentiam salutarem: & alia quæ de iure fuerint iniungenda: etiam iuris rigore circa hoc mansuetudine temperato: si & prout ex iustis & rationabilibus causis discretioni tuæ videbitur faciendum. necnon pœnas alias, in quas propter præmissa quomodolibet incidit, circa ipsum eadem auctoritate relaxes. Datis Auenione, quarto Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno quintodecimo. His acceptis mandatis, in D. Catharinæ templi maximi Burgenfis sacrario, Rex in genua procumbens, atq; humillimo corporis habitu veniam precatus, sacramentoque adactus, se in posterum legibus sacris obtemperaturum, satisfactorumque Toletano Præsuli redditis arcibus: anathematis religione exolutus est quarto Nonas Iulij, die Veneris. Assuerunt Episcopi Petrus Vxamensis, Ioannes Calagurritanus, Lupus Mindoniensis, Dieghus Mendoza maris Præfectus. interdicti decretum inductum, quo tres vrbes astrictæ erant. Ad hanc lætitiâ, noua accessit. Compostellano, penes quem rerum arbitrium erat, deprecatore atque annitente, Beneuentano Duci persuasum est, vt dimissis copijs animum ad tranquillitatem referret: atque se Regis permitteret potestati. Lusitanæ induciæ mouebant, amici Præsulis casus, vnde rebus suis præsidium expectabat. Sexaginta millia Francorum pacta,

dotis Lusitanæ compensatio: libertasque concessa ex quavis gente vxorem ducendi, exceptis modo Lusitanis. vt Taurum venit, nullis acceptis obsidibus, quo fidem fide obligaret, Rex cum omni comitate atque officijs omnibus complexus, eo loco apud se habuit, quem eius nobilitas postulabat: minori aulicorum potentia, Regis ætate confirmata. sic magnorum motuum sublato metu, qui sollicitos habebat prouinciales, pax rebus reddita est. Compostellanus magnus haberi: in ore omnium esse: gloria haud diuturna, Rege breui sui iuris facto, Toletano æmulo in pristinum gratiæ & auctoritatis locum restituto. quod illi malo fuit, vti fictis vtriusque Præsulis nominibus vulgatoque pro-  
 uerbio populus ominabatur. quod alio loco explicandum est. Regi Vasconum  
 Chireburgum in Nortmannia ab Anglis redditum est, mutua eatenus pecu-  
 niæ pignus. impositum præsidium propter circumfusas vndique Gallorum co-  
 pias, Martino Lacarra Præfecto. Martini Principis & Regina Siculæ pactæ  
 nuptiæ, superiori tempore confectæ erant, Clementis Pontificis venia: quod  
 ea insula Romanæ ecclesiæ esset vectigalis. Siculi proceres ad spem libertatis  
 arrecti magnam insulæ partem præsijs occupabant. armis ad officium per-  
 trahendi erant: nam voluntate quidquam pro sano facturos non sperabant.  
 eò noui Reges classè comparata traijciunt, Martinusque Momblanci Dux, Re-  
 gis Siculi pater. Bellum geritur varia alternanteque fortuna. Aragonij, qui-  
 bus initio cuncta prona fuerunt, ij rebus conuersis intra Catanæ arcem com-  
 pulsi, obsesque tenebantur. Bernardus Cabrera (quem ea ætate præstantem  
 virum bello paceque fuisse constat) virtutum indole, suis maioribus æqualis,  
 ad eam expeditionem profectus, classisque præfectura donatus, propter Sardo-  
 rum motus, in Hispaniam redierat: sua nunc sponte, an ab Aragonio euocatus,  
 incertum, sed periculo tamen ex Sicilia nunciato, paternis auitisque oppidis  
 oppigneratis, ex Catalaunis, Aquitanis, & Morinis exercitu raptim conflato,  
 atque in Siciliam traijciens, rebus in extremum discrimen adductis, ac prope-  
 modum desperatis, salutem attulit. versa partium fortuna, victi coniurati pro-  
 ceres, totaque insula rursus Aragonij imperij iugum subire compulsæ est. quod  
 ad nostram ætatem perstitit, propriumque fore auguramur.

Libri Octauidecimi Finis.

HISTO:

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XIX.

10 *Henricus Rex rerum administrationem cepit. Caput. I.*



10 **R**ECREATA ex magnis dissidiorum tempestatibus, magnoque timore tantisper Castella est. multorum imperio, vnde magna incommoda extiterant sublato, rerum ad-  
 20 ministrationem Rex desumpsit quatuordecim annos natus (quæ ætas patris testamento legitima erat) duobus tantum mensibus minus. sed id specimen sui dederat, vt magni, prudentis, iustique Principis in eo indolem esse appa-  
 30 reret, si modò vita suppeteret. Proceres vt rempublicam capesseret, conuicio propemodum hortabantur, non vno omnes studio. quidam vt puerili cupiditati indulgendo gratiæ aditum sibi & necessarijs patefacerent: pars inuidia præ-  
 sentis status æstuantem, & nouarum rerum studio incitati. Consilio Rex appro-  
 bato, in Olgarum monasterio, quod prope Burgos est, vbi Castellæ Reges regni  
 insulis exornari consueuerunt, congruentia temporis elocutus: Quod superis pla-  
 citum, reipublice salutare, felix faustumque omnibus esset, regni administrationem  
 se suscipere professus orat, ac postulat, vt imbecillam ætatem consilijs suis ipsi  
 sustentent, atque vna secum prouinciam administrent. ceterum tutorum, procura-  
 40 torumque nomine & potestate ab eo die penitus sublato, eius signo, litterarum, diplomatumque fides constaret. Secutus est omnium qui aderant plausus, proce-  
 50 rum approbatio: pontificij Legati, Ducis Beneuentani, Magistri Calatraue, aliorum, qui toti cæremoniæ interfuerunt testes spectatoresque. Compostellanus Præ-  
 sul, vti erat à multo rerum vsu exercitatus, & quoniam ei primas cæteri defere-  
 60 bant, in hunc modum locutus fertur. Non minore religione, neque minore  
 70 lætitia apud te, inquit, o Rex verba faciemus, quam modò pro tua incolumitate  
 80 te ad aras superis vota persoluimus: te quoque eadem animi pietate auditorum  
 90 confidimus. Tertius agitur annus, ex quo tuæ ætatis rectores, vniuersæ prouin-  
 100 ciæ moderatores, patris tui testamento & voluntate sumus abhibiti. Quantum sit  
 110 profectum, aliorum iudicium esto. nullum certè laborem, nullum vitæ peri-  
 120 culum communis salutis causâ subire recusauimus. De nostris laudibus dicere  
 130 inuidiosum est: sed domestica tamen concordia perstitit, in magna quam-  
 140 uis voluntatum varietate. Nullus effusus est sanguis: nullæ cædes extiterunt:  
 150 quæ res comparanda miraculo, & tuæ felicitati accepta feratur necesse est: at-  
 160 que ad reliqui imperij omen vertatur. Cum Mauris ad spem imperij depellen-  
 170 di concitatis, perpetuisque hostibus nominis Christiani foedus instauratum est.

K k k 2 fero-

,, ferocientes Lusitanorum animi factis inducijs pacati. Galli, Angli, Arago-  
 ,, nij, vt erat opus, omnibus officijs culti, conciliatique. At plebes nostris im-  
 ,, perijs exacerbatae, exhaustaeque sunt? quí id cum populis recreandis, decuma-  
 ,, rerum venalium, quam pendere soliti erant, ad vigelimam sit redacta? sic po-  
 ,, puli inopiæ, atque querelis occursum est. plerique patriæ extorres violentia,  
 ,, atque crudelitate publicanorum, atque fortunis omnibus euersi, domos redie-  
 ,, runt. At ærarium est exhaustum, thesauri regij consumpti. esto. sed æs alienum  
 ,, nominibus soluere quí poteramus? nobilem, & populi commotas voluntates  
 ,, sedare, nisi augendis muneribus? quæ à te tamen, regno confirmato restringi  
 ,, pro voluntate possunt. Nullum hæctenus oppidum detractum est, ne ignobilis  
 ,, quidem pagus. omnia integra sunt. nihil tuæ felicitati deest, nihil nostræ letitiæ.  
 ,, quin confecta nauigatione longissima, multis perfuncti periculis, mercibus, ar-  
 ,, mamentisque saluis, portu tandem occupato, velisque contractis libenter con-  
 ,, quiescimus in tua prudentia & benignitate, certi si quid in tanta rerum varieta-  
 ,, te peccatum est, te id vltro nullo deprecante cõdonaturum. Hoc quoq; in tuam  
 ,, gloriam cedit, eos habuisse tutores, qui, quibus hæctenus modestiæ, prudentiæ, di-  
 ,, ligentiæ inter se, quibus virtutibus res tantæ perfectæ sunt, & aduersus vitia cer-  
 ,, tamen fuit, nunc quoque modica tolerare, & quietem pati possent. Ad hæc Rex:  
 ,, Vestra quidem erga me merita, cum perspecta sint omnibus, dum vita suppetet,  
 ,, æterna erunt: & vt ante vestræ præceptis pueritiam cõformauimus, sic deinceps con-  
 ,, silio vt certum est, in omni reipublicæ parte. Hæc ineunte Augusto mense acta  
 ,, sunt. mox de regni statu relatum. Sacris Castellæ beneficijs, vt quæque opulen-  
 ,, tissima erant, ita maximo studio, spe, conatu externi imminabant, nullo probi-  
 ,, tatis respectu, nullo eruditionis honore. tanti mali procurandi causa, Caracæ  
 ,, in regni conuentibus, vt superius dictum est, cautum: ne externi in ea beneficia  
 ,, inuaderent. nihil esse sordidius, atque crudelius, quàm si ecclesias arroderent,  
 ,, ij qui nihil opis contulissent, neque ipsi, neque maiores eorum: nulli deinceps  
 ,, vsui futuri essent. Cum id decretum à Romanis Pontificibus negligeret, à  
 ,, regni procuratoribus prioribus annis sacerdotiorum reditus, quæ externi obti-  
 ,, nebant, occupati erant. De ea re referente Clementis Legato, in conuentu disce-  
 ,, ptatum: consilioque inter proceres communicato responsum. Iniqua videri ex-  
 ,, ternos petere: sed aulicis tamen spe imminentibus ea sacerdotia impetrandi  
 ,, venia Pontificum, lubrica pueri Regis ætas tentata precibus, ac victa tandem  
 ,, est. De ea, alijsque controuersijs communi procerum consensu deliberan-  
 ,, dum videbatur. conuentus ergo regni generales Madritum indicti. Verum  
 ,, dum euocati conueniunt, nouus Rex Cantabriam presens cernere volens, vt  
 ,, eius prouinciæ homines flagitabant, eò profectus, eius principatus possessionem  
 ,, inijs: datumque Cantabris expetentibus Castellæ exemplo (nondum enim  
 ,, mos ille sublatus erat) prouocandi ius ad singulare certamen, Marte arbitro  
 ,, controuersias, quæ multæ in ea gente erant, diiudicandi. sic tempora erant.  
 ,, Fuit hic annus insignis Fortunatis insulis ex interuallo noua nauigatione re-  
 ,, petitis. Cantabri ingenti sumptu, classe instructa, circumductisque Hispaniæ  
 ,, littoribus ad eas insulas appulsi, earum situ, amœnitate, numero at-  
 ,, que nominibus cognitis, ad Lanfarotam (vni earum insularum id nomen est)

excen-

excensione facta, conferraque pugna victores, Regem, Reginam, centum ac  
 septuaginta insulanos captos: præterea pelles caprinas, ceræque primitias, qui-  
 bus insulæ abundant, nauibus in Hispaniam aduexere, innatæ fertilitatis spe-  
 cimen, prouentusque: si repetitis nauigationibus eas insulas Hispanorum im-  
 perio subiugarent.

*Madriti conuentus habitus. Cap. II.*

10 **I**N T E R E A proceres, Episcopi, ciuitatum procuratores, Madri-  
 tum, vti erant iussi, magno numero conuenerunt. Rex rebus in  
 Cantabria compositis, atque ad Segobiam æstate transacta, mense  
 20 Nouembri eodem appulit. Vocato concilio, de parentis laudibus,  
 de reipublicæ statu pauca præfatus, consilia sibi & exempla capef-  
 fendi egregiè imperij atque administrandi, domestica suppetere, multa & præ-  
 clara memorauit. Pace cum externis Principibus pulcherrimè stante, se minore  
 regnum domesticis discordijs agitatum, ac tantum non oppressum. Quod vi-  
 tio temporum, magis quàm hominum culpa, deprauatum erat, affectumque:  
 sua cura, eorum, qui aderant, consilio sanandum. Futuri principatus, eam for-  
 mam fore, quæ maximè ea declinaret, quorum recens inuidia erat. Curaturum,  
 20 effecturumque, ne ambitioni quidquam peruium, aut pecunia venale esset. Iu-  
 dicio, legumque auctoritatem, superiorum temporum licentia euersam,  
 cupere restitutam: cum benignitate tamen, ad quam ætatis conditione, ingenio,  
 atque natura esset, quam ad seueritatem procliuior. Publici ærarij, cuius erat  
 tenuitas maxima, supplendi vnã rationem esse, si aut populis ipsi noua  
 tributa imperarent, aut donationes ipse rescinderet, quæ superiori tempore  
 à tutoribus factæ erant, optimò haud dubium animo, sed magna tamen ca-  
 lamitate regionum vectigalium. Regis oratio, grata Patribus fuit: tamen ex  
 eorum ore mitti constabat, qui in aula gratiosi adolescentis Principis æta-  
 tem haud leui aliorum inuidia pro voluntate, proque arbitrato gubernabant,  
 30 in pari potentia gratiaque concordibus animis, quod miraculi instar erat:  
 Ioannes Mendozius regis Magister, Dieghus Sunica, Rodericus Daua-  
 lus cubicularius, præstanti omnes fide, magnoque ingenio viri. Certamen  
 tribus vnũ erat, lubricæ Regis ætatis frænandæ, reipublicæ tuendæ, aduer-  
 sus procerum conatus. Rogati patres sententias ad vocem noui tributi, se ex-  
 horrescere affirmarunt, populo tantis antea vectigalibus exhausto: vige-  
 simam tamen rerum venalium, libenter concedere. Importuna procerum  
 auiditate antiqua vectigalia alendis militibus, maiori quàm opus esset nu-  
 mero consumi, intolerandum videri. AEs militare ad antiquas priorum Re-  
 gum rationes esse reuocandum. Id consilium approbatum: atque ex publicis ra-  
 40 tionarijs inductæ pensiones, quæ Rege minore, aut concessæ denuo aut pluri-  
 ma ex parte auctæ erant. Multorum ex ea re offensi animi, publicarum opum  
 attactu contaminatorum. sed odium in occulto erat, palam approbatio. Gemi-  
 ne nuptiæ publica gentis lætitia celebratæ: Regis & Catharinæ sponse, quoniam  
 ad legitimam ætatem peruenerat: Ferdinandi fratris, & Eleonoræ Alburquer-

K k k 3 quæ

1394 quæ. His rebus confectis, Madriti conuentus soluti sunt. Rex Illefcas abiit, principio anni millesimi trecentefimi nonagesimi quarti. metum incufferat pestis contagio, quæ Madriti grassari cœperat. Loci opportunitate inuitatus Toletanus Præful, quoniam id oppidum in eius ditioe erat, sese ad Regem contulit, pristinumque gratiæ & auctoritatis locum facile obtinuit: facetus natura, & consuetudine exercitus, magnorum Principum gratiam promereri officijs ad tempus accommodatis. Grauiter ea res perculit Compofstellanum Præfulem: prorsus vt simulata valetudine, sese è curia subduxerit, abieritque Hamuscum, suæ ditiois oppidum in Vltiori Castella, Regi, Toletanoque iratus, vindicaturusque, si qua sese occasio daret. Fuere ea tempestate ij duo Præfules diuersis virtutibus, artibus, moribus. quos quoniam res obtulit, visum est, vtriusque naturam, atque ingenium explicare. Nobilitas his, ætas, eloquentia, animi magnitudo, paria ferme fuerunt. ad gloriam non eadem via nitentur. Compofstellanus blandicijs, calliditate, munificentia certabat. Toletanus egregijs artibus, vitæ integritate. Officijs ille, & conciliandis procerum voluntatibus præstabat: hic seueritate, dignitate, opibus. In illo flagitiosis perfugium erat: hic bonos tuebatur, malis perniciem comparabat. Compofstellanus laborare, contendere, amicis fauere, nihil negare, cuius haberet facultatem. Toletano studium modestiæ, decoris, & probitatis erat. Dolor illum interceptæ ecclesiæ Toletanæ stimulat, transuersumque agebat: hunc obtentæ nullo ambitu, nulla cura, gloria decorabat, formidabilemque reddiderat aduersarijs. sæpeque oppressus, euasit tamen: & quasi lucis radijs discussit insidiarum caliginem, quas æmuli offundere conati erant.

*Magister Alcantara occisus. Cap. III.*



OLEBAT proceres intercepta vectigalia, annuasque pensiones, quas ex regio arario auferre consueuerant. ea occasio rebus turbandis in Vltiori prouincia exitit. Beneuentanus Madrito digressus, in regia vectigalia ipsosque templorum redditus inuadere non desistebat, Regis ætatem ludibrio habens. missus ad eum Ferrerius Marefcalus, vt officij & modestiæ admoneret: non sine periculo occupari, quæ à Principe essent precibus meritisque impetranda. iussus Reginam etiam Vasconum, Gegionis, & Trastamaræ Comites, quos idem dolor vrebatur, viresque & copias fociarant, iisdem verbis appellare. Respondit Beneuentanus, nouis hominibus apud Regem primum gratiæ & auctoritatis locum esse, ægrè ferre. ea causa discessisse è curia, neque rediturum tamen, vti Rex postulabat, nisi obsidibus datis trium aulicorum potentissimorum filijs. Ad Compofstellanum, quoniam ad coniuratos Principes propensus erat, Stunica abs Rege legatus, eius verbis mandauit quamprimum in curiam rediret. Negat ille præfente Toletano, cum quo ab antiquo inimicitia essent, venturum ad Regem. Reginam Vasconum maritus Rex reuocare satagens, reique perficiendæ opportunitatem venisse ratus Principum alienatione ob fa-

ob factam cum proceribus conspirationem, noua legatione missa, Henricum Regem de ea re appellare constituit. legati Complutum appulsi, quo se Rex contulerat, quamuis maxima contentione, nihil amplius quam antea impetrarunt. exhorrebat Regina reditum, detrectabatque. principi foeminae & necessariæ vim adhiberi, molestum. ne duæ quidem filia, quas penes se habebat, vt ad patrem redirent datum est. dirempto coniugio, proles diuidi exæquato numero æquum videri obtendebatur: quarum vterque aspectu, viduitatis, & solitudinis incommoda sustentaret. Noua accessit à Lusitano legatio, quorundam procerum subscriptione, qui eatenus facere recusarant, inducias nuper pactas, ratas esse conuicio expostulanti, Villenæ Marchionis, atque Alfonsi Comitis Gegionis. suo ille consensu & approbatione, nihil esse opus excusabat, cum quo rem integram non communicassent. negabat Gegionis Comes scædus in initum antea approbaturum, quàm oppida, quæ dotis nomine in Lusitania promissa erant, à Lusitano redderentur. Ergo Lusitani legati re infecta, dimissi sunt. res ad bellum respectare videbatur. Maior tamen aliunde terror ostentatus est, vnus hominis imprudentia, & temeritate, scæderis cum Mauris in initum mota fide. Martinus Barbuda, præcipiti vir ingenio, natione Lusitanus, Ioanni Auifij Magistro infensus, tamen eius ordinis Clauiger erat, an spe liberalioris militiæ, (nam causæ æquitatem secutum non arbitror) belli superioris tempore Castellæ Regi adhæsit: prælioque ad Aliubarrotam facto interfuit. studij operæque præmium, Alcantaræ Magister creatus est: vnde magna auctoritas, opes amplæ. Ioannes quidam Sagus vir sanctus, (sic vulgò creditum) qui diu secretam ab hominum conuentu vitam in montibus egerat, quasi instinctu, inflatuque numinis (furore percitum euentus docuit) ingentes de Mauris victorias, nominis gloriam, amplissimum imperium pollicetur. hortatur, persuadetque, vt cum Mauris, de Christianæ religionis veritate, præstantiaque armis decertet. Præclarum initium, legibus Christianis violandis earum tueri sanctitatem. Idoneos viros Granatam mittit, Maurorum Regem ad singulare certamen prouocatum. si id recusaret, viceni, triceni, aut centeni dimicarent, Maurorum duplicato numero. eam defendendæ professionis conditionem proponere, quam recusare non deberent. inclementi responso, legati conuictijsque violati. Eo Magister maiore celeritate consilium maturare constituit. nihil potentius ad permouendos multitudinis animos, quàm religionis opinio. qua vbi capta est, impotens, sæua, mutabilis in præceps ruit. Ad rei famam multi mortales conciti. trecenti equites sequebantur, mille pedites. accessere magno numero milites voluntarij, omnino ad quinque peditum milia erant: sed ex omni numero, quora pars militaribus armis instructa: cæteris, spari, fundæ, sudes. Consilio indicato, conatus est Rex hominem ab ea mente deducere. Aquilarij reguli Alfonsus, Dieghusque, quibus à Corduba nomen erat, obuij facti: Quo, inquit, Magister ruis? cur te & socios in præceps das? nimirum fata in exitium trahunt. Horum miseret, quos tanquam pecudes mactandos, Christiani nominis hostibus obijcis. Per omnia numina, & quicquid in cælo sanctum est, istam mentem exue: compressoque tantisper

imperu, animi cupiditatem, ad rationem reuoca. si recusas, nã magnum genti  
 malum, perpetuum luctum, ignominiam religioni certissimam comparas. Ad  
 has ille voces, neque flectitur animo, neque mouetur, non magis quàm durissi-  
 ma cautes. obcæcat animos diuina vindicta, cum supplicij imminentis aciem  
 retundi non vult. In hosticum penetratum sexto Kalend. Maij, die Dominico.  
 Exca turris in ipso aditu impugnata. quo tempore Rex Maurus improuisus ad-  
 uenit, equites quinque millia, pedites ad centum viginti millia infano delectu  
 trahens, iussis tota ditione arma capere, quorum esset ætas idonea. re improuisa  
 perculsi nostri momento temporis superantur: pedites præsertim ab equitatu  
 disclusi, & ex promiscua colluione conflati, nulla virtute, nulla militari scien- 10  
 tia. equites restiterunt egregiè pugnantes. Barbuda ipse memor Christiani no-  
 minis, atque pristinæ dignitatis, supremo virtutis conatu edito, perimitur. ceteri  
 quem quisque pugnando locum ceperat, eum exanimi corpore texit, aduersis  
 omnes vulneribus confossi. exiguum id acceptæ calamitatis & ignominia le-  
 uamen fuit. Sic dies Christi ad vitam reducis memoria octauus, reque & nomi-  
 ne candidus in atrum versus est. Barbudæ corpus, Maurorum permissu, Alcan-  
 taram relatum, atque in D. Mariæ tumulo compositum, in inscriptione, quam in-  
 cidi ipse mandarat: HIC SITVS EST MARTINVS IVANVS, IN OM-  
 NI PERICVLO EXPERTI TIMORIS ANIMO. Hanc ferunt inscriptio-  
 nem referenti cuidam Carolum Augustum eo nomine V. subiecisse. Fauillam 20  
 ardentem candelæ restinxisse hunc digitis nunquam arbitror. In eius locum Ca-  
 latraux Clauiger Ferdinandus Villalupus cooptatus est, magna obrectatione  
 militum, ex alio ordine Magistrum præfici recusantium. sed vicit tamen Regis  
 voluntas, parereque necessitati compulsi sunt. Barbudæ calamitate, atque Hen-  
 ricis Regis excusatione Mauri mitigati, ne in nostros fines incurrerent, alioqui  
 parati, armis illatam iniuriam, violatum foedus vindicare.

*Novæ in Castella dissidia. Cap. IIII.*



**B**ELLI Maurici suspicio proceribus, qui in Castella veteri tu- 30  
 multuari cœperant, occasionem suppeditauit factionis opes nouis  
 delectibus confirmandi, per speciem belli, quod instabat, defen-  
 dendi: ad Regem que deinde Toletum eius iussu veniendi, vbi  
 reliqui apparatus bellici erant. Villenæ Marchionem Alfonso  
 Aragonium regis amicitia, Calatraux Magister restituit, Illescasque perdu-  
 xit. venientem cum splendido nobilium comitatu, qui ex Aragonia honoris  
 causa sequebantur, benignè Rex accepit. adijcit complexum & osculum, co-  
 mis natura, simulareque benevolentiam, que inter regias artes ponitur, à primis  
 annis edoctus. secundum salutem se Magistrum equitum, à Ioanne Rege insti-  
 tutum, iniuria esse spoliatum conqueritur: restitui postulat. Pollicetur Rex, si in 40  
 Vltiorem Castellam se prosequatur, ad pacandos procerum motus euntem,  
 qui depulso belli timore, in miserorum fortunas grassabantur. quasi graui ac  
 diurna tempestate iactata republica, nondum dissidiorum fluctus compo-  
 ni potuerant. excusat ille, in patriamque redit, irato similis. Superatis Rex mon-  
 tibus,

tibus, Vallisoletum abiit. proceres veriti, vt regis potentia pares essent, rebus  
 suis diffidere: ad meliora consilia reuocare animos. fide incolunitatis accepta,  
 Compostellanus prior, deinde Beneuentanus in curiam veniunt: factum excu-  
 sant: inimicorum iniurias conqueruntur: ignosci petunt, fatali propemodum  
 necessitati, maioribus officijs superiores offensas compensaturis. venia data.  
 præterea Beneuentano ex publico arario annum vectigal constitutum, fester-  
 tij quinquaginta millia, in Beturia Valentia municipium. dotis Lusitanæ ea  
 compensatio fuit. vtrunque ea lege, vt vectigalium, quæ sua auctoritate à publi-  
 canis extorserat, rationem redderet. Exoptatæ tranquillitatis affulserat spes, eo  
 diuturnioris, quod Petro Trastamaræ Comiti Henrici fratris opera, Rege con-  
 ciliato, in curiamque deducto par vectigal datum est: Paredesque municipium,  
 quod Alfonso Gegionis Comes iniuria occuparat, regia auctoritate restitutum.  
 & est nemo ita turbido ingenio, vt non idem quietis præmium, quam laboris  
 malit. Gegionis Comes supererat audaci homo ingenio, callidus, inquietus. In  
 eum quoniam voluntate nihil pro sano facturus videbatur, Rex vires couertere  
 parabat, cum à Carolo Rege Vascone oratores venerunt, Episcopus Osenfis ho-  
 mo Gallus, Martinus Ayuarus. quod toties irritò conatu tentatum erat, Eleono-  
 ram Reginam ad virum remitti postulant. impetradi, quod petebatur spes erat,  
 propter æquitatem postulati, Henricique Regis alienatam ab amita volunta-  
 tem: quam cum cæteris proceribus conspirasse constabat, atque ex Madriti con-  
 uentibus irata discefferat: quod annui redditus, qui ex regio fisco dabantur, ma-  
 gna ex parte essent detracti. De eius reditu disceptabatur, cum repente Trasta-  
 maræ Comes sese è curia subduxit, Roamque ad Reginam abiit, præsidio futu-  
 rus si vis pararetur. Beneuentano conscio, dolum & coitionem suspicatus Rex,  
 in aulam euocato, vincula iniici mandat sabbatho ad octauum Kalend. Au-  
 gusti, custodiasque adhibet. mox cum ijs copijs, quas in Gegionis regulum ha-  
 bebat paratas, magnis itineribus contendit: ne se Petrus & Regina temporis  
 spatio munirent. Occurrunt ad munimenta venienti Regina & filia atrata,  
 supplicique habitu veniam precantes. nulla sua culpa Petrum aufugisse, sed fra-  
 tri tamen perfugium, & hospitij iura denegare fas non fuisse. necessario pieta-  
 tis officio se ad eas contulisse, vt consolando dolore leuaret. excusatio ita ad-  
 missa, vt Petro in Calæciam elapso, oppidum Rex sui iuris fecerit, vectigalibus  
 modo Reginæ relictis, vnde vitam sustentaret. eam Vallisoletum se sequi iu-  
 bet. custodias circumdat, sublata quoquam discedendi facultate. Gegionem Al-  
 fonsus armis, milite, comitatu munire nunciabatur. eius conatus celeritate oc-  
 cupandi erant. profectus Rex in Astures est: Ouetoque vrbe recepta, quæ ho-  
 stis præsidio tenebatur, Gegionem promotæ castra. Vi capi, loci natura prohi-  
 bebat. obsidionem duci graue erat, frigidissima anni tempestate, regioneque,  
 morbis in castris vulgatis. Ne nihil profectum esse tantis molitionibus videretur,  
 Trastamaræ Comes effecit Regi conciliatus, veniensque in castra. cum Al-  
 fonso obfesso foedus ea lege factum est: vt Gegione tantum retento, reliqua di-  
 tione regijs præsidijs occupata, de perduellionis crimine, quod obijciebatur,  
 in Gallia præfens disceptaret. quod Rex Gallus consensu delectus arbiter iudi-  
 casset, id fas iusque esset. Henricus Alfonso filius paternæ fidei obses datus. sic in  
 K k k s præsen-



præsenti ab armis discessum est: respublicaque ex magno timore, magna-  
que sollicitudine recreata.

*Benedictus. XIIII. Pont. creatur. Cap. V.*

**D**VM hæc in Hispania geruntur, Auenione Clemens Pontifex de-  
cessit, ad sextumdecimum Kalend. Octobris. Principes finitimi  
atque longinqui cum Cardinalibus per legatos egerunt, ne comi-  
tibus festinatis, quemquam in defuncti locum cooptrarent. tollendi  
schismatis rationem prius ineundam videri. Differri comitia 10  
non placuit. id modò Principum voluntati concessum, vt pro se quisque Pa-  
trum conceptis verbis iuraret pontificatu abiturum, si eligeretur, modò idem fa-  
cere Romanus induceret in animum. totius orbis terrarum concordia reuo-  
canda eam optimam rationem videri. Iurisiurandi formam hoc loco adscribi  
, placuit. Nos omnes & singuli sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales congrega-  
, ti pro electione futura in conclau, ante altare, in quo missa communis celebra-  
, ri consuevit, pro Dei seruitio, vnitæ ecclesiæ suæ sanctæ, ac salute animarum  
, fidelium omnium promittimus, & iuramus ad sancta Dei Euangelia corpora-  
, liter per nos tacta, quòd absq; dolo, fraude, & machinatione, quibusq; ad vni-  
, nem ecclesiæ, & finem imponendo schismati, proh dolor, in ecclesia nunc vi- 20  
, genti, quatenus in nobis erit, laborabimus fideliter & diligenter, quatenus ad  
, nos pertinet, seu etiam pertinebit: & dabimus pastori nostro, & gregis domini-  
, ci, ac Vicario Iesu Christi domino nostro futuro, qui erit pro tempore auxilium,  
, consilium, & fauorem: nec ad impediendum præmissa dabimus consilium, vel  
, fauorem directè, vel indirectè, publicè, vel occultè. Et ista omnia & singula, &  
, alia vltra præmissa, omnes vias vtilis, & accomodas ad vtilitatem ecclesiæ, &  
, vniõnem prædictam eiusdem sanè & veraciter, sine machinatione, seu excusa-  
, tione vel dilatione quacunque seruabit: & procurabit posse tenus quilibet no-  
, strum, etiam si assumptus fuerit ad apostolatam, etiam vsque ad cessionem inclu-  
, siuè, per ipsum de papatu faciendam: si dominis Cardinalibus, qui nunc sunt, 30  
, vel erunt in futurum, de ijs, qui sunt nunc, vel maiori parti eorundem hoc, pro  
, bono ecclesiæ & vniõnis prædictæ videatur expedire. Hac conceptione ver-  
, borum iurati singuli Cardinales: iurati vniuersi vnus & viginti, omnibus suffra-  
, gijs Petrum Lunam, Aragonium natione, nobilissima familia ortum, Ponti-  
, ficem iusserunt, iuris cognitione excellentem, ciuilibus, sacrique, multis obitis le-  
, gationibus ea tempestate clarissimum. Comes inerat, atque naturalis ingenij  
dexteritas, quibus studia hominum, conciliantur maximè. Benedictus vocitatus  
est. mox de transferendo in Italiam domicilio, consilia agitata. de abdicatione  
memoria nulla. Vtraque re Gallica natio, in primis perculsa est. Lutetiæ in con-  
uentu Principum suscepta deliberatio est. Ad terrendum nouum Pontificem: 40  
tanta præsertim animi magnitudine, quantum reliqua vita declarauit, maiesta-  
te opus erat. tres Duces Burgundus, Aurelianensis, Bituricensis Auenionem le-  
gati orare, flagitareque, vt pacem terris redderet, memor iurisiurandi, memor  
calamitatum, quas gens Christiana passa erat. Cogendum Patrum concilium,  
qui

qui in re præsentis disceptarent. Negat ille, deserturum se Dei viuentis eccle-  
siam, Petrique nauem quam in tantis fluctibus susceperat gubernandam. cum  
finem obsecrandi non facerent, neque quidquam tamen impetraretur, re infe-  
cta abeuntes, Regem & gentem noua impleuerunt ira: ad quam mitigandam,  
ius decimæ, de sacerdotibus cogendæ, in annum Regi Gallo concessum. hæc  
mense Maio gerebantur salutis anno millesimo trecentesimo nonagesimo, 1395  
quinto. A milite Franco, regioque Prætoris obsideri nouus Pontifex, oppugnari  
que. ne quis ab eo sacra peteret edictum. vnde secessio, ex omni Cardinalium  
numero, vno Pompelonenfi in Benedicti fide perstante. neque prius constite-  
re commotæ semel voluntates, quam in dissimulato habitu sese Auenione sub-  
duxit, in Catalaunosque abiit. verum hæc aliquot post annis contigerunt. In-  
ter Reges certè ea causa vltro citroque legationes missæ: contendente Rege  
Gallo, Reges Hispanos non Vasconem modo, & Aragonium, sed Henricum  
etiam ea ætate à Benedicti Pontificis studio, obedientiaque deducere. Ioannes  
Conchensis Episcopus ab Henrico in Galliam legatus: si ingenij dexteritate  
inter Pontificem & Regem Gallum, reconciliaret gratiam. nullum eo conatu  
operæpretium factum. In Aragonia belli suspicio ex Gallia ostentata, militi-  
bus magno numero ad fines Ruscinonenses, quasi ad prædam vagantibus. à  
Violante Regina, penes quam viri cessatione rerum potestas erat, pulsa tempe-  
20 stas, ad Regem Francum, Ducemque fratrem Coponio legato. Ioannes Rex in  
Foxano nemore cum venationi operam daret, portentosa magnitudinis lupa  
excitata, siue spectrum id fuit, siue vera species, morbo repentino & lethali op-  
pressus est. ad quartumdecimum Kalend. Iunij decessit, nulla re præterquam  
ignauia, otijque studio nobilis. Corpus ad Populeti sepultum. iusta funeris re-  
gio apparatu facta. prole virili caruit. Ioannam, Violantemque ex duobus con-  
iugijs susceptas, illam Fuxensi Comiti Matthæo collocarat, Violantem Ludoui-  
co Andegauensi desponderat, vt antea dictum est. Martinus Momblanci Dux,  
cuius frater ad regni successionem lege, defuncti testamento, & voluntate gentis  
vocatur, eo tempore Siciliæ motibus pacandis districtus, absensque. Maria eius  
30 vxor, virili animo fœmina, regnum pro viro vicaria, regiumque nomen cape-  
sit: atque in procerum conuentu Barcinone, quoniam Regina vidua prægnan-  
tem se esse relictam simulabat, custodes adhiberi sancit: ne qua esset ludificatio.  
illa conatu, simulationeque destitit. Fuxensis Comes de regno litem intendit,  
paratus nisi causæ æquitate impetraret, armis disceptare. aduersus defuncti Re-  
gis testamentum, Petri eius patris voluntas proferebatur, supremis suis sanxisse  
Ioannis filias ad regni successionem vocari, si mascula prole destitueretur. id  
mutari nefas fuisse. nouum proinde decretum inducendum rescindendumque  
videri. hæc Fuxensis causæ munimenta erant. Cæsar Augustæ tamen Iulio men-  
se regni conuentus habitus omnino frequentes. communi omnium voluntate  
40 Martino, quamuis absenti, regium insignis, nomen, potestasque decreta sunt. bel-  
li, quod ex Gallia instabat, defendendi consilia à proceribus explicata.

*Regina Vasconum ad virum redijt. Cap. VI.*



**S**IC Aragonia noui belli suspicionibus iactata est: armorum stre-  
 pitu, & apparatu, vrbes & oppida personare. In Castella tranquil-  
 læ res erant, reliquis proceribus ad officium pertractis, Gegionis  
 Comite in Galliam, Eleonora Vasconum Regina ad virum abire  
 compulsa, sacramento adactum in eius verba eo loco futuram,  
 qui Reginz, regioque ex sanguine prognata esset consentaneus. Abeuntem Ca-  
 stellæ Rex Alfarum & ad fines Vasconum profecutus est. propinquitati id, ho-  
 norique datum, atque solatio necessitatis impositæ, cui repugnare non licebat.  
 Rex Carolus venientem Tudelæ excepit: vbi eius aduentum morabatur, lætitia  
 ingenti siue vera, siue simulata. pro Reginz reditu, regioque coniugio instaura- 10  
 to, supplicationes decretæ, festi dies agitati, ludi, spectaculaque commissa. vni-  
 uersæ gentis animi recreati. Ioannes Mendoza principem auctoritatis gratiæ  
 que locum apud Castellæ Regem occupabat. Agreda municipio recens abs Re-  
 ge donatus erat, Ciria, atque Borouia oppidis in Sorizæ agro. ea nauatæ operæ,  
 atque industriæ merces fuit, meritis maior. sic vulgi opinio fuit, vt est ad dete-  
 riora promptum, & ferme magnos homines obtrectatio comitatur. Agredæ in-  
 colæ noui principatus iugum subire recusabant, libertatem tueri armis, si opus  
 foret parantes. Quid enim regium imperium, priuato mutarent, initio leni,  
 deinde grauissimo futuro? vt multa documenta vetera recentiaque oppidorum 20  
 confirmabant. in Vasconum & Aragoniæ finibus sito municipio, ac propterea  
 iniuriæ, direptionibusque opportuno, quid priuatæ opes præsidij allaturæ  
 essent? maiorum certè meritis, fideique eximie cultæ parem gratiam non red-  
 di. Commotas incolarum voluntates, vt præsentia & auctoritate pacaret Ca-  
 stellæ Rex, eò festinandum duxit. vix se incolæ continuerunt, quin venienti  
 portas clauderent. vicit tamen sanior pars: periculose à Regibus extorqueri,  
 quod esset precibus & æquitate impetrandum. Id consilium salutare fuit. facile  
 enim Regi persuasum est, vt eius oppidi possessione retenta, Ioanni Mendozio  
 Almasanum, Gormatiumque prioris muneris compensatio esset. sic tumultus  
 populares deuitati. In Galliam legati ab Henrico Rege amandati, Lutetiæ ad  
 diem dictam præsto fuere. Gegionis Comes venire distulit, necessitate, an pru- 30  
 dens incertum: sed cum legati de reditu cogitarent, nunciatum est ad Rupellam  
 Sātonum urbem & portum, nauigatione appulsum. lite ergo coram Rege Gallo,  
 vti conuenerat, contestata Gegionis Comes lege maiestatis damnatur, sancitum  
 que est, vt in sui Regis potestate esset. si ita faceret, eorum quæ comissa erant, ve-  
 niam, principatumque pristinum speraret, ipso Rege Gallo annitente, depreca-  
 toreque: si recusaret, nullam spem præsidij, ac ne tutum quidem perfugium in  
 Gallia fore. De ea re ad Armoricum Ducem, aliosque vicinos proceres, & præ-  
 fectos litteræ datæ: vetitumque eum pecunia, milite, armis, nauibusve iuuare ad  
 repetendam Hispaniam. Gegionem ex foedere dedi Castellæ Rex postulabat:  
 & cum Comitissæ vxor recusaret virilis animi foemina, ne mora vires confirma- 40  
 ret, eò festinatum. haud diuturna obsidio fuit. nulla defensionis spe, deditum op-  
 pidum est, soloq; abs Rege æquatum. iustissimum obstinationis supplicium, re-  
 bellandi facultate priuari. Isabellæ Principi permissum, recepto etiam Henri-  
 co filio, qui obsidis loco fuerat, ad virum discedere sese in Santonibus tenen-  
 tem

tem, neque magna, neque nulla spe principatus recuperandi. Capto euerfoque  
 Gegione, Madritum festinatum, consilio Bæticiæ vniuersæ inuisendæ: quod ea-  
 tenus factum non erat, ex quo Henricus Rex erat renunciatus. mense Nouem-  
 bri ad Talaueram nobile municipium Mauri Regis legatos obuios habuit, quo-  
 niam induciarum tempus exiuerat, postulantes, vt nouo inito foedere, earum  
 tempus prorogaret: & metus suberat, ne intestinis motibus pacatis, in Grana-  
 tentes fines impetus fieret vindicandi iniurias studio, quæ Rege minore acce-  
 ptæ erant. integra totius rei deliberatio, in aliud tempus reiecta: legatique Re-  
 gem Hispalim sequi iussi. in ea vrbe inter festas populi acclamationes, splen-  
 dido apparatu receptus est. Archidiacono Astigitano, qui cladis illatæ Iudæo- 10  
 rum nationi auctor præcipuus extiterat, iniecta vincula: cæterisque eius sup-  
 plicio documentum datum, non esse temerè pietatis prætextu tumultus popu-  
 lares concitandos. Noua lux reddita rebus esse videbatur, fontibus compressis;  
 prouincia pacata, cum Mauris expetentibus, instaurato foedere. In Henrico  
 Rege magna virtutum semina inerant, cum ætate ad maturitatem perducta.  
 breui tamen ea omnis felicitas luxuriauit, inanisque effecta est diuturna prin-  
 cipis grauiq; valetudine, perpetua oris macie, corporis viribus debilitatis, men-  
 tis vigore vacillante. vnde curis grauioribus impar, præstare reliqua ætate non  
 potuit, qualem prioribus annis promiserat Principem: vix vt cognosci possit,  
 20 quid deinceps rerum gesserit. quod non scriptorum incuria magis accidisse ar-  
 bitror, quàm ipsiusmet cessatione Principis, Republica nullis aut leuibus tem-  
 pestatibus iactata. id diuino magis beneficio, quàm hominum industriæ tri-  
 buatur necesse est. Dux Beneuentanus ad Montem regalem asseruari iussus, D.  
 Iacobi Magistri cura, fideque, inde Almodouarem translatus est, annis conse-  
 quentibus. ea iniuria Compostellanum Præsulem maximè vrebat, virum in exi-  
 guo corpore, præstanti animi magnitudine, ingenio turbido, neque in adula-  
 tiones prompto. se agente datam Beneuentano fidem conquerebatur esse vio-  
 latam. Præterea ex Auenionensibus Pontificibus religiones captatæ, quos vi-  
 tio creatos disputabat: legibus Romanos. ea siue vera causâ fuit, siue prætensa,  
 30 fuga in Lusitaniam certè dilapsus Episcopus Conimbricensis primùm, deinde  
 Bracarensis Lusitani beneficio creatur. abdicatæ Compostellanæ ecclesiæ com-  
 pensatio fuit, mutatæ id fidei præmium. in eius locum Lupus Mendoza sub-  
 stitutus est Compostellanus Episcopus. Palentinis iura sacra Ioannes Castrius  
 ea tempestate dicebat: fidei constantia erga Petrum Regem, eiusque posteros  
 quam realia nobilior, clariorq;. Lecestriæ Ducis beneficio Episcopus Aquen-  
 sis in Aquitania factus antea, Constantiæ vxoris precibus datum in cuius ille  
 obsequijs erat, pace facta, redux in patriam Giennensi Episcopatu primùm,  
 deinde Palentino donatus est. Hunc ferunt, de Petri Regis rebus gestis com-  
 mentaria scripsisse multo synceriori fide, ijs quæ vulgò circūferuntur, ex fraude  
 40 & mendacio composita eius, qui perfidiæ maculam eluere, seque ad fortunæ  
 motum mouere induxit in animum. sic fama fert. sic magni auctores testantur.  
 intercidisse tamen eam historiam constat. non tam iniuria temporis, quàm eo-  
 rum arte, quibus veritatem celari, & rerum memoriam inuerti, commodum  
 erat. Hæc illi. nobis communis hominum sententia, quæ vna famæ vox est, po-  
 tior

tior videbatur: neque mentis oculis minus officit amor, quàm odium, vt verum  
 sincere dispiciatur, nullo in alterutram partem præiudicio. In Aragonia quie-  
 tæ res non erant. Ioanni Emporitano Comiti, quoniam Fuxensis partes seque-  
 batur ex memoria acceptæ iniuriæ, an causæ æquitate motus, vincula iniecta,  
 ne sese commouere posset. ordinum conuentus Cæsaraugustæ ad sextum No-  
 nas Octobris, in D. Francisci habiti sunt, ex vniuersa gente frequentes. com-  
 muni consensu tumultus indictus, desumpta saga, habiti tota prouincia dele-  
 ctus. Petrus Vrgelitanus Comes, omnibus copijs præfectus imperator. Fuxen-  
 sis Comes cum iusto exercitu Pyrænei saltu superato, Ilergetum regionem,  
 quam Sicoris amnis interfuit, ferro, igne, direptionibus vastabat: mense No- 10  
 uembri extremo Barbastrum obsedit. habebat sub signis quatuor equitum mil-  
 lia: peditum numerosa multitudo sequebatur. in castris regio insigni desum-  
 pto, Reges proclamantur Fuxensis ipse vxorque. In Valentino agro mense De-  
 cembri dimidiato, terra horrendo fragore mouit, magna ædificiorum strage.  
 concidere alia, nonnulla conuulsa sedidus suis inclinata manserunt, magno in-  
 tumentium miraculo. vulgus ex ea re religiones captare, futuraque mala suspensis  
 animis ominari. breui tamen depulsus metus, Fuxensi propter inopiam com-  
 meatus, locis omnibus corrupti, aut in alia loca conuecti, obsidionem soluere  
 compulso, atque in Vascones primùm elapso, fugientis instar: quod festinatio  
 & impedimenta multis locis relicta indicabant: inde sese per vicinos montes 20  
 in Galliam retulit inglorius, nullo operæ pretio facto, amissa suorum parte: cum  
 Vrgelitanus locis omnibus instaret, vrgeretque assiduus infestusque. Sic Ara-  
 gonix tranquillitas reddita principio anni millesimi trecentissimi nonagesimi  
 sexti. Martinus nouus Rex rei gestæ nuncio recreatus, compositisq; Siculis mo-  
 tibus, in Hispaniam redire constituit, classe Messanæ comparata, instructaque.  
 ex itinere Sardorum etiam motus ex parte pacati. nouo Regi cuncta esse faci-  
 lia videbantur. Ad Prouinciæ oram delatus, aduerso Rhodano Auenionem ve-  
 ctus, Pontificem Benedictum omni comitate complexus, ab eoquè tum aurea  
 rosa, tum maximè Sardinix, & Corsicæ imperio donatus, data acceptaque fide,  
 sospes tandem & tantorum regnorum accessione clarus, triumphantis in mo- 30  
 rem, Barcinonem classe appulsus est. In ea vrbe regnum se iure capeßere pro-  
 fessus, fratrisque defuncti testamento: Fuxensem Comitem, eiusq; vxorem, quo-  
 niam in regium nomen inuaserant, armatique prouinciam vexarant, lege ma-  
 iestatis damnauit: iure, an iniuria quis statuat? Verùm hæc aliquanto post, ad  
 intermissa reuocanda narratio est.

*Bellum Lusitanicum repetitur. Cap. VII.*



IC in Hispania reserant, non omnino malè. Orientis imperium  
 in præcipiti, importuno Græcorum procerum dissidio, perpetua 40  
 Othomanorum felicitate. Amurates Turcarum Imperator, ab ea  
 parte accitus, quæ in ciuili certamine impar erat, aliorum calami-  
 tatem suam occasionem fecit: Callipolique ad fauces Helle sponti,  
 atque Hadrianopoli vrbe nobilissima occupatis, reliqui imperij obtinendi spe  
 immi-

imminebat, finitimis etiam prouincijs infestus formidabilisque, Pannoniæ ma-  
 ximè: vbi latè imperabat Sigismundus, pace in ecclesiam consequentibus annis  
 reuocata quàm bello felicior. Ab eo ad Regem Gallix Carolum V I. legati  
 venere, auxilij impetrandi spe aduersus ingruentem tempestatem. Commu-  
 nem Christiani nominis causam agi, communibus armis periculum propul-  
 sandum: priusquam imperium gentis efferæ & barbaræ in Europa diuturni-  
 tate confirmaretur. Missi Ioannes Burgundi filius, Philippus Magister equi-  
 tum in Gallia, Henricus Borbonius, alij viri principes genere & factis no-  
 bilissimi. iustus equitum numerus adiunctus. In Pannoniam vt ventum est Bu-  
 10 dæ consilium belli gerendi cum Sigismundo Rege communicatum. primo  
 quoque tempore prælio discernere visum est, priusquam ardor cum quo Galli  
 venerant, mora remitteret. prædæ ex vicinis locis actæ. ignobilia oppida ex-  
 pugnata. Ex re prosperè gesta securitas orta, hostiumque contemptus semper  
 in bello exitialis. ad Nicopolim Thraciæ vrbe, nostrorum castra hostium ca-  
 stris coniuncta. pugnx mox signum propositum. Galli suarum virium fiducia  
 elati, prius in hostes irruunt, quàm è castris Hungari processissent. ea temeri-  
 tate victi oppressique nostri. Ioannes Burgundi filius venit in hostium pote-  
 statem: paternoque auro redemptus est. Sigismundum fuga seruauit. ipso D.  
 Michaelis profesto die insignis ea clades accepta est, anno millesimo trecente- 1396  
 20 simo nonagesimo sexto. Pij toto orbe non præsentem tantum malo, sed etiam fu-  
 turi metu solliciti esse: prouinciæ omnes luctu personare, in vota & supplica-  
 tiones verti, si cælestem iram placare possent. Granatæ Iuzephus Rex diem  
 obiit. Phuthensis Rex specie beneuolentiæ eius vitæ insidias comparauit, splen-  
 dida munera mittens, atque in his vestem veneno medicatam, vsque ad eò effica-  
 ci, vt cum primùm eius pulchritudine inuitatus induit, morbo lethali oppres-  
 sum ferant: atque intra diem trigessimum inter grauissimos cruciatus expirasse,  
 laceratis diffluentibusque sanie artibus. regnum ab eius morte Mahomad co-  
 gnomento Balua defuncti minor filius armis occupauit obtinuitque: Iuzepho  
 30 maiori fratre, quem ætatis prærogatiua ad regnum meliori iure vocabat, præ-  
 termisso, in ordinemque deiecto. Erat nouus Rex ardenti ingenio, promerendi  
 hominum studia arte præditus. Henrici Regis conciliandi cura sollicitabat, ne  
 fratris patrocinio suscepto imperium eriperet. ergo Toletum eius conueniendi  
 causa festinauit. ibi tametsi commississe videbatur, vt hostis loco esset, instauro  
 foedere pactisque inducijs à congressu discessum. Quo tempore Toleti qui-  
 dem regni conuentus agitati de summis reipublicæ rebus. regiumque edictum  
 promulgatum, externos homines à sacris Castellæ beneficijs arcens: in quo alia-  
 rum prouinciarum exemplum secuti sunt: venia tamen legis, nonnullis priua-  
 tim data, ac Lusitani omnes excepti. id blandimentum genti promerendæ, in  
 partesque trahendæ datum. Hispali autem die Iouis, tertio Nonas Octobris,  
 40 Ioannes Gusmanus Nieblæ Comes decessit, successore Henrico filio. Henrico  
 natus Ioannes Gusmanus aui nomen referens, Assidonix Dux consequentibus  
 annis Regum beneficio dictus est. Calatraux militibus vestis nigra, qua pectus  
 & humerum tegentes insigni vti consueuerant, rubra cruce quadrata forma  
 mutata. Gonfaluus Gusmanus eius militiæ Magister Benedicto Pontifice con-  
 cedente,

cedente sanxit, quod perpetuo vsu ad nostram ætatem confirmatum est. Henrici Regis valetudo Lusitanis contemptui esse cœperat. nouo bello laceffendi occasio quærebatur, inducias à Castellæ proceribus non esse opportuno tempore confirmatas accusant. bellum indicitur. repente correptis armis Pax Augusta locis finitima à Lusitanis occupatur. Garsias Ferrerius Marefcalus ei vrbi Præfectus capitur. malorum orbis repetitur, quæ superiori fœdere procurata erant. bellum toto triennio non minori, quàm ante animorum contentione gestum est. Rodericus Daualus equitum Magister recens creatus erat, Petro Trastamaræ Comite defuncto incertum, an in ordinem redactò. maris Præfectus Dieghus Mendozius erat. his præcipuis Ducibus bellum administratum. Proximo mense Maio, salutis anno millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, à Castellæ classe quinque longarum nauium, septem triremes Lusitanæ victæ sunt: quæ Genua veniebant, armis, omnique bellico apparatu onustæ. quatuor captæ, vna ad terram eiecta, duæ tantùm fuga euaserunt: homines quadringenti in mare proiecti sunt parta victoria. crudele exemplum: sed eius gentis insolentia, insigni seueritate reprimenda videbatur. Præterea à Diegho Mendozio maris Præfecto, Lusitana littora longè lateque vastata: direpta, incensaque oppida, abactæ prædæ. multi viri nobiles, siue causæ æquitatem secuti, siue Lusitani Regis imperio fessi, in Castellam aufugerunt: Regique Henrico fortem & fidelem operam bello paceque nauarunt. in his Acunij fratres, Martinus, Egidius, Lupus: præterea Ioannes & Lupus Paciechi & ipsi fratres, vnde nobilissimæ familiæ in Castilla propagatæ sunt. Tude vrbs Lusitanis armis in Galæcia occupata. Belli impetus in eam veteris Lusitaniæ partem versus, cui Beturiæ, nunc Extremaduræ nomen est. Alcantara nobile ijs locis municipium circumfessum, Magistri equitum occursum periculo est ereptum. præterea vicini hostium fines igne ferroque vexati. ignobilia oppida expugnata. magnus genti terror illatus. Alia parte Miranda vrbs, quam Durus amnis alluit, à Calatrauz Magistro Dieghoque Mendoza, atque Stunica regio Prætoze obsidione premebatur. Accurrit eodem Daualus Magister equitum: & cum resisti non posset, ciues deditio nem facere compulsi sunt. Sic Lusitanorum audacia compressa in præsententi est, in futurum spes concepta animis concordie inter vtranque gentem refarciendæ.

*Inducia instaurata. Cap. VIII.*



ELLI Lusitani initio, duo Franciscani sodales, quorum nomina memorie prodita non sunt, Christianæ pietatis propagandæ studio incensi, gentisque Mauricæ ab stulta persuasione, ad veram religionem reuocandæ, Granatæ in magna populi frequentia conciones habere aggressi sunt. moniti vt desisterent, adduci non potuerunt, ac ne verberibus pulsati. Mauri sacerdotes factò agmine Regem adeunt: iniuriam patriæ religioni fieri exostulant: impetrantque, vti lege maiestatis in eos homines ageretur. capita amputata. corpora vnco in gemonias

in gemonias tracta inter populi conuitia. sed post fata tamen à nostris dicati templis sunt, atque in sanctorum Martyrum numero habiti. Auenione Pontifex Benedictus Rege Gallo infesto à suis desertus, atque intra palatium obsessus, pontificatus retinendi, neque magnam, neque nullam spem habere. terrebat eum popularis inuidia, qua flagrare cœperat. Regum Hispanorum studia adhuc integra faciebant animos. Eos Rex Gallus litteris & legationibus à Benedicti amicitia deducere satagebat. concordie reuocandæ nullam viam esse, nisi Benedicto abdicante, quod sanctissimo iureiurando erat ipse pollicitus. Salmanticæ Episcoporum aliorumque virorum eruditionis opinione præstantium, conuentus habiti sunt ex vniuersa ditione generales. affuere Aragonij legati Vitalis, Raymundusque iureconsulti. nouari tamen nihil placuit: quamuis Rege ad mutandam fidem propenso. sancitum tantum, vt rescisis ab vtraque parte inductisque decretis, quæ in alteros promulgarent: loco communi consensu designando, duo Pontifices consilia pacis constituendæ, serio inter se, & quamprimum communicarent. Pompelone templi maximi præcipua pars prostrata iacebat, ante septimum fortè collapsa annum. eius instaurandæ rationes excogitatæ. impensæ magnitudo terrebat, cui priuatæ opes, pares futuræ non erant. quadragesima regionum vectigalium in annum duodecimum insigni Caroli Regis liberalitate operi faciendò dicata. extantque de ea re publicæ tabulæ ad nonum Kalendas Iunij, hoc ipso anno datæ oppido, cui à D. Ioanne nomen est, ad radices Pyrenæi montis in ora Galliæ sito. Cura eum ditionis pristinae recuperandæ sollicitabat, quam maiores in Gallia amplissimam obtinuerant, Eburouicum atque partis Nortmanniæ. actum de ea re per legatos: & cum nihil proficeretur, ad Gallum Regem ipse contendit, ex superiori morbo nunquam planè restitutum, sed pectore per interualla temporis titubante, imparique regni curis. ergo nullo operæpretio factò, mense Septembri anni millesimi trecentissimi nonagesimi octauis, in patriam redijt, filiumque sibi cognominem, quem proximo anno ex vxore susceperat, regni successorem fore sanxit, cunctis ordinibus in eius verba sacramento adactis. tota cæremonia Pompelone peracta, quinto Kalendas Decembris. lætitia haud diuturna fuit puero breui, immatura morte extincto. Lusitanorum ferocia non vna clade castigata, ad pacis consilia animos reuocarunt. Henricus se, neque causam eius belli fuisse respondet, neque moram paci facturum: si modò æqua & honesta conditione liceat ab armis discedere. pax stabilis constitui non poterat: priores modò induciæ instauratæ. De Aragonijs fama indies grauior, ne alienati arriperent arma: & cura crescere Castellæ Regi præsertim Villenæ Marchione, ad vtriusque regni confines amplum principatum obtinente. is in curiam Regis venire recusabat, in quo multum offensæ erat. Accedebat honesta occasio belli inferendi. duobus Alfonso Villenæ Marchionis filijs Alfonso Petroque, duæ Henrici Regis amitæ connubio iunctæ fuerant. dos dicta triginta aureorum millia singulis. ea Anglis data paternæ libertatis pretium, pro quo Alfonso filius erat obses. Petrus ad Aliubarrotam ceciderat, eius Henrici pater, cui à Villena cognomentum fuit, eruditionis tantum

tantum studium, vt magica etiam sacra, carminaque caluisse fama sit. ex-  
 rant ingenij monumenta: in quibus multa reconditaque eruditio est, ele-  
 407 gantia parum quippe affectata, sed horrida, & cum Hispana lingua Lati-  
 nam miscens. Alfonsi coniugium diremptum, ob malè rectas vxoris libidi-  
 nes. Henricus Rex earum foeminarum patrocinio suscepto, cum dos non re-  
 stitueretur in ditionem inuolauit, atque præter Villenam & Almanfam, quæ  
 in fide perstiterunt Aragonio præsidio, & locorum firmitate defensæ, cætera  
 omnia eius principatus oppida regijs præsidijs occupata. Henrico Villenæ  
 ætate eruditioneque æqualis Paulus Carthagenæ fuit, cognomento Burgen-  
 sis à patria vnde ortum habuit, & vbi Episcopum egit, professione antea Iu-  
 10 dæus, copijs, nobilitate, doctrinæ laude, in ea gente facile princeps. Is Diui Tho-  
 mæ Aquinatis scripta de Theologia peruolando, facile intellexit, quantum  
 Christiana religio Iudaicæ superstitioni præstaret. noster effectus, religionis  
 quam suscepit placita litteris illustrauit: librosque edidit in suo genere miran-  
 dos. Erat enim ingenio facili, copioso, perspicaci, & diuinarum litterarum co-  
 gnitione præstabat. Treuigni Archidiaconus primùm, deinde Carthaginensis  
 Præsul, postremo Burgenfis creatus. id probitatis eruditionisq; præmium fuit.  
 addita consequentibus annis scrinij regij præfectura perspectæ fidei argumen-  
 to, quod rarum in ea gente est. Eiusque illa vox fuit. (sic fama tulit) Ex ea gente  
 prognatis nullam reipublicæ partem committendam videri, moribus ex frau-  
 20 de atque mendacio compositis, simulare mentirique natis, neque bello bonis,  
 neque pace. tres filios ex vnis nuptijs reliquit, priusquam noster esset susceptos:  
 Alfonsum, ex Decano Segobienfi in defuncti patris locum subrogatus Burgen-  
 sis Episcopus: cuius extat de Hispaniæ Regibus opus non inelegans, cui Ana-  
 cephaleoli nomen fecit. Gonsaluum, virtutum merito Placentinum Episco-  
 pum. Aluarum Garsiam familiæ propagatorem, sanguine, vti erant eius tem-  
 pestatis mores, cum nobilibus Hispaniæ familijs confuso. cuius extant com-  
 mentaria de rebus Ioanne secundo Castellæ Rege gestis, non ineleganter  
 conscripta.

*Res Aragonia. Cap. IX.*

**F** O E D A tempora ecclesiæ dissidijs, pestis lues magis insigniuit,  
 superiori præsertim anno, ad oram maritimam Barcinonæ Aue-  
 nionem vsque grassata: Iberi & Orbæ inundationes cum magna  
 agrorum, ædificiorum, pecorum, hominum strage. Rex Aragonius  
 his malis mitigatis, Barcinonæ vbi se tenuerat, Cæsaraugustam, ad  
 eam urbem regni conuentu euocato abiit ad tertium Kalend. Maij. In D. Sal-  
 uatoris æde, concio abs Rege ad circumfusos proceres & populum, è folio habi-  
 40 ta est: amplissimis verbis gentis Aragoniæ laudes celebrata. Non ferro, in-  
 quit, atque copijs militaribus, sed fide ciuium imperia constare, viri amici,  
 & necessarij, si alia argumenta deessent, domestica exempla satis decla-  
 rant. Sic nostri regni ab humili principio, angustisque finibus opes auctæ  
 sunt. nominis gloria vniuersum terrarum orbem peruasit. Ab ipso Pyre-  
 næi

naï montis saltu, vbi ægrè maiores libertatem turabantur, locorum magis  
 munitione, quàm armis confisi, ditionis fines non in Hispania tantùm prola-  
 ti, sed ad extremas etiam insulas maris Mediterranei. Vestrarum laudum tro-  
 phæa in Sardinia, Sicilia, totaque Italia extant nobilissima atque præclara. O  
 magnam concordia fideique vim. Non numero, sed virtute Sanctius & Pe-  
 trus Sanctij filius Osca expugnata, quasi ex latibulis, vbi se tenuerant, in  
 planiciem dilapsi sunt. Hac ipsa vrbe Alfonsus de Mauris capta, regnum  
 confirmavit: posteris ad bene sperandum signum sustulit. Ecquid attinet ve-  
 10 tera commemorando, tempus contere? nos ipsi quingentis Aragonijs equi-  
 tibus numerosas Siculorum copias fudimus: vniuersamque insulam filij im-  
 perio subiicimus, vestra ciues fide atque constantia. quæ seu vincit ferociter  
 instat victis, seu victa est, instaurat cum victoribus certamen: neque se opprimi  
 sinit. Pro quibus meritis Deum precor, vt parem gratiam referat: quoniam nõ-  
 bis pro nostro animo, vestrisque erga nos obsequijs satis facultatis non est. cu-  
 rabimus tamen, ne ingrato, aut immemori beneficium dedisse videamini.  
 Quod præsentis celebritatis est, solenni vos cæremonia, vt in nostra, filijque  
 nostri verba de more sacramento adigamini conuenistis: id vt præstetis pre-  
 20 camur. Propensa id omnium ordinum voluntate factum est. Publicam ex ea  
 re lætitiæ noui belli suspiciones conturbarunt. equitum peditumque copia  
 Pyrenæi montibus superatis Tardenfi notho ductore Thermas Vasconum op-  
 pidum primo imperu occuparunt. Aragonijs terror illatus. breui tamen ea  
 tempestas disiecta est, Lihorio regni Procuratore pro Vascone obuiam hosti  
 progresso. Sicilia mollibus noui belli tempestatibus & ipsa iactata: vbi ad quin-  
 tumdecimum Kalend. Decembris, Martino filius est natus in spem paterni  
 auitique regni, incredibili vtriusque gentis lætitia. sed ea tamen breui mœrore  
 mutata, infante ante legitimam ætatem, matreque, importuna morte sublatis,  
 vti competenti loco repetendum est. Cæsaraugustæ Rex & Regina mense Apri-  
 30 li, salutis anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono, de more inuncti, re-  
 gia insignia, atque imperij insulas susceperunt. cæremonia Antistes Fernandus  
 Heredia Episcopus Cæsaraugustanus. Alfonso Villenæ Marchioni regia in-  
 signia, atque Gandiæ ducatus data abs nouo Rege sunt. Interea Auenione  
 Benedictus Pontifex desertus à Cardinalibus, obsessus ab hostibus, in ma-  
 gno discrimine erat. ad eum ab Aragonio Rege legati viri præstantes Cer-  
 uellionus Zaquamus vtriusque iuris priuati & publici peritissimus, Marinus  
 ex ordine Franciscano præstanti eruditione vir. ab ijs de concordia reuo-  
 canda sublato dissidio appellatus: respondet se in eorum Regum potestate  
 futurum, qui ipsius partes secuti erant. Galli præsertim atque Aragonij ar-  
 bitrio, controuersiam disceptandam permittere. sibi nihil antiquius pace es-  
 40 se: cauere tamen ne pacis nomine seruitutem inducerent: iusque & æqui-  
 tatem in re minimè dubia perturbarent. Eo accepto responso legati Ara-  
 gonij, vt in mandatis habebant, ad Gallum Regem sunt profecti. Lute-  
 tiæ in gentis concilio de concordia reuocanda consultatum. mandata ad Be-  
 nedictum missa: quorum hæc summa erat: Vti pro virili parte quamprimum  
 pacis constituendæ rationem excogitaret. Ad conuentum Episcoporum ve-  
 niret,

niret, quem ex toto orbe Christiano euocare destinabant, in Patrum potestate futurus Galli Regis fide, atque præsidio militari, à vi & iniuria securus. In Castellâ Petrus Tenorius Toletanus Archiepiscopus decessit in ipso limine anni secularis, die Veneris, ad decimum Kalend. Decembris, (marmoreo tumulo Toleti inscriptus titulus obiisse ait quintodecimo Kalend. Iunij. ipso illapsi in Apostolos diuini Spiritus festo die) vir bello paceque clarus, præstantique animi magnitudine, rebus aduersis æquè ac prosperis admirabilis. Tauri in Lusitania natus est. alij Talaueræ in Carpetanis aiunt. iunior iurisprudentiæ studijs operam dedit, in Italia cum fratribus patria extorris, propter turbida reipublicæ tempora Petro Rege. cum ætate Conimbricæ episcopatum obtinuit, deinde Toletanum, nullo ambitu, Pontificis tantum Romani, cui notus erat, beneficio, vti superius dictum est. extant multa & præclara ædificia, tota prouincia Tenorij impensa constituta, munificentissimi animi certissima argumenta. vix vt credas tantis sumptibus priuatas cuiusquam opes pares fuisse. nimirum domi frugalis, parcus in suos, ad publicum splendorem communemque vtilitatem cuncta referre solitus erat: quæ magna in Principibus virtus est. Toleti quidem pontem, cui à Diuo Martino nomen est, bellis ciuilibus quæ Petrum inter & Henricum fratres fuerunt euersum restituit. Arcem subterfluenti Tago amni imposuit, quibus olim vestigijs Sancti Seruandi cœnobium fuit. Templo maximo coniunctum peristylium amplissimum: vbi ipsius sepulcrum cernitur sacello dicato, prope alterum Vincentij Balboæ Placētini Episcopi, quo multum & familiariter vsus erat. Sedecim in eo sacello sacerdotes perpetuis sacris, ipsi & maioribus quotidie parentant Ad fines Granatenses, vbi Alcala regia municipium est, turrim extruxit, captiuorum, quorum erat inter Mauros magnus numerus perugio, perpetuis per noctem ignibus monstrato itinere. Talaueræ D. Catharinæ nomine cœnobium amplissimum templo maximo contiguum, Canonicis illud destinans, abdicatis voluptatum illecebris, communi mensa & domicilio victuris: sed incolarum intercessionem conatu impedito, D. Hieronymi monachis attributum est, amplissimis redditibus, ipsoque structuræ genere in paucis insigne. alijs locis alia, munificè omnia, religiosèque. Mariam sororem Ferdinando Syluæ collocauerat: vnde Alfonso Tenorius est natus, cui Gasoriæ præfectura ab auunculo data est. Hic ex Isabella Menesia geminam prolem suscepit, Petrum Tudensem Pacisque Augustæ Præsulem: cuius extat sepulcrum Toleti in Dominicanorum æde: atque Ioannem Syluam, qui in Basiliensi olim concilio legatus, rerum gestarum merito Cifontanus Comes abs Rege creatus est.

*Annus secularis. Cap. X.*

1400



**D**E publica consequentis anni millesimi quadringentesimi lætitia: quo more & instituto maiorum, venia delictorum concessa est omnibus, qui Romam adirent Christianæ religionis caput arcemque sanctitatis, multum diminutum est, Pontificum dissidio nondum composito. tametsi tanta à Principibus adhibebatur contentio, vt prope

40

prope res confecta videretur. Henricusque Castellæ Rex à Benedicti auctoritate quoniam auersum se à pacis consilijs præbebat, abdicareque recusabat, contra quam erat pollicitus, publico gentis consensu defecit, faces subdente Petro Fria Cardinali Hispaniæ. Regis id Galli gratiæ datum, vulgus interpretabatur: Aragonio tamen pro Benedicto annitente, decretum tandem inductum est. Accessit pestis lues, quæ multos mortales vniuersa Hispania consumpsit, ex Gallia Narbonensi & Catalaunis, vbi vis mali primum incubuit, in reliquis Hispaniæ prouincias diffusa. Hispali Castellæ Rex frequens morabatur, vrbis elegantia, & locorum amœnitate oblectatus. mense Iulio, Rege è templi maximi turri despectante, vbi magno populi concursu, primum horologium, magnique ponderis campana collocanda erat, repente procella exorta, multiq; fulmine exanimati. malorum præsentium indicium, futurorum præsagium esse plerique existimabant. prodigio auerruncando, supplicationes decretæ habitæque sunt. In Vaccæis ad oppidum Nieuam, Virginis Matris signum fortè repertum: vbi constituto Dominicanorum cœnobio, impensa Regiæ Catharinæ, locus religiosus haberi cœpit, plenusque numine: breuique multorum concursu in municipium excreuit, eius templi possessione, atque opinione sanctitatis, quàm re alia nobilius. Violantes Ioannis Aragonij Regis filia, ad virum missa Barcinone est: nam eatenus nuptiæ dilatae erant, propter immaturam virginis ætatem. dos dicta centum sexaginta florenorum millia, ea lege, vt paterni regni iure publicis tabulis, atque iureiurando decederet. Ioannes Montfortius Dux Armoricus decessit. Ioanna Caroli Regis Vasconum soror eo viduata (cui Ioannem, Richardum, Arturum, Guillelmumque generat) Henrico Lecestricæ Duci, Richardo æmulo recens oppresso, iam Angliæ Regi nupsit, & ipsi ex priori coniugio, vnde multiplicem prolem susceperat, cælibi. Blanca Vasconis Regis filia tertia, coniux Martino Regi Siculo pacta est: cuius prior vxor, filiusque ex ea, salutis anno millesimo quadringentesimo primo decesserunt, coniunctis elati funeribus, mater ad octauum Kalend. Iunias, filius paulò ante. eius coniugij paciscendi causa, ad Cortes Vasconum oppidum colloquium Regum fuit, Vasconis Aragonijque: puella que in foceri Regis manum contradita, eximia formæ venustate, lectissimis moribus, præcipua felicitate: nata prioribus sororibus extinctis, fratremque, regni ipsa paterni hæreditatem accepit: sed annis consequentibus. Proximo quidem, de mense Septembri noua nupta Valentia in Siciliam nauigauit ad virum, eius insulæ imperium ex defuncti coniugis testamento retinentem. classis qua vehabatur, ductor Bernardus Cabrera. Henrico Castellæ Regi, Maria filia ex vxore Segobiæ nata est Nouembris quartodecimo die, magna parentum lætitia, gētisque, Alfonso Aragonij Neapolitaniq; regis vxor futura ventre insœcundo.

1401

*Tamerlanes Scythæ. Cap. XI.*

40



**N**ICOPOLITANA victoria, fuis fugatisque Hungaris, Francis oppressis, Turcæ Orientis imperium spe vniuersum inuaserant. finitimis longinquisque maximus terror illatus. Baiacetes eorum Imperator felix sibi esse videbatur: copiisque omnibus Constanti-

LII 3

nopolim

nopolim obsidebat Græcorum imperij & fortunarum sedem. Fallax rerum humanarum fides, mirabilis inconstantia. eam tempestatem maior aliunde procella disiecit ad tempus atque discussit. Tamerlanes Scythia magnus corpore, animo magnus, ex gregario milite audendo, moliendo, populares ad arma cōcitando, magnam auctoritatem, paresq; opes consecutus ingentem exercitum conflauerat, equites quadraginta millia, pedites ad sexcenta. vix fidem faceret numerus, ni idoneis id auctoribus confirmaretur. cum his copijs torrentis instar rapidissimi sese in Orientis prouincias infudit, terris vastitatem, cladem, exitium allaturus. Parthi primi imperata fecerunt: Syria, Ægyptusq; ludibrio, cædi, rapinæ fuerunt. In more habuit cum ad urbem aliquam castra poneret, primo die signa candida præferre clementiæ significatione: si continuo portas aperirent facta deditio, neque morarentur ipem. die proximo purpurea cædem minitantiā, exilia, bonorum euersiones. tertio atra, quibus excidium, vastitatemq; denunciabat hominibus, agris, vrbi. neque vllis precibus sæuus animus mutabat. sic magnitudine supplicij terrorisque, cuncti certatim imperata fecerunt. Accidit vt Berytenses in diem alterum deditioe dilata, barbaro placando, virgines, puerosque ramos gestantes cum infulis & velamentis supplicum habitu præmitterent. ad genua cum procumbere conarentur, voceque flebili patriæ interitum deprecarentur, adacto equitatu conculcandos obterendosque præbuit. crudeli spectaculo commotus quidam Genuensis, qui barbari castra sequebatur, loquebaturque Scythicè, benignitatis admonuit, se hominem ac mortalem esse recordaretur. ad quem ille toruo vultu, contractoque supercilio. Ecquid me hominem esse putas? flagellum ego sum Dei, diræ, pestisq; terrarum. Pro magno Genuensis habuit incolumem euasisse. Baiacetes Asiæ periculo permotus, relicta Constantinopoli, cum omnibus copijs obuiam progreditur. ad Tauri montis eam partem, cui Stellæ nomen est, pugna olim Pompeij & Mithridatis nobilem, totis vtrique viribus & copijs dimicatum. vicere Scythæ. supra ducenta hominum millia cæsa. ipse Baiacetes captus, ludibrio reliqua vita futurus: qui tot gentibus fuerat terrori, aureis catenis vinctus, atque in cauea ferrea per vniuersam Asiam Syriamque ad ostentationem circumductus, cibum capiens, quem tanquam cani de mensa victor proijceret, ascensuroque equum, substernens pedibus tergum. Idem calamitatis & vitæ finis fuit. Sic homines humanaque vertuntur. & est infelicissimum infortunij genus miseris, fuisse aliquando felices. Henricus Castellæ Rex aduersa quamuis valetudine oppressus, omnia ad imperij splendorem conferebat. ad finitimos longinquosque Principes frequentes legationes mittens, quæ apud quamque gentem præcipua essent, sciscitari non desisteat. Ad Orientis prouincias Pelagius Sotomaior, & Fernandus Palafuelus legati, earum gentium vires moresque exploraturi prælio interfuerunt, fortè an prudentes, quod inter Turcas & Scythas commissum est. eos victoria parta Tamerlanes honestè habuit, remisitq; in Hispaniam, nouo ex sua gente oratore adiuncto, Henrici Regis amicitiam expetitum. cum eo Alfonso Paez, Rodericus Gonsaluus, atque Gometius Salazarius denuò ad victorem barbarum missi. quorum extat de eo itinere commentarius Itinerarij nomine, ab ipsismet legatis confectum. Tamerlanis potentia

tia, gloriaque diuturna non fuit. in Scythiam reuersus, tantis belli manubijs urbem Mercantim condidit, spolijsque aliarum gentium exornauit, elegantissimamque reddidit. mortuo duo filij succedere, neque fortuna, neque indole eadem: de paterna hæreditate dissidentes, imperium patris virtute partum sua ipsi ignauia amiserunt, corrumpere gloriam. Fuit his annus Lusitanis priuatim atque Vasconibus infaustus, vtriusque regni hærede morte sublato. Alfonso Lusitani Regis filius maior cum duodecim annos esset natus, decessit magno gentis luctu. Corpus Bracaræ in templo maximo sepultum est. tametsi eam fortunæ iniuriam, numerosa proles Regi superstes supplebat, Eduardus, Petrus, Henricus, Ioannes, Fernandus, duæ filiæ Blanca, Isabellaque. eo minor genti, atque parentibus mœroris causa fuit. Pompelone Ludouicus semestris, & Carolus quinque natus annos, coniunctis funcribus sublato, sepultique in æde maxima, ipso Philippi Regis abauis sepulcro. luctus ingens nulla virili prole superstite, regni que hæreditate necessariò ad scæminas deuoluta. Fine anni, atque consequentis initio millesimi quadringentesimi tertij, magnæ fluuiorum inundationes vniuersa Hispania extiterunt, Hispali præsertim Bætis supergressus ripas, ipsaque vrbs munimenta; magnam vrbs partem cooperuit. ad D. Michaelis, atque ad portam; cui à coniuncto nauali nomen est, inundatio peruenit. fœda rerum facies, metuendaque colluies. prætoris diligentia, cui Alfonso Tauro nomen erat, saluti fuit, noctu atque interdiu omnibus partibus occurrentis, ripas statuminantis, portas pice stupaque, vrbs mœnia alia materia stipantis. sic periculum procuratum est, terrorque populi sedatus. Tolitana ecclesia, ex quo Petrus Tenorius decessit, Pontifice vacua erat. iniuria id temporum factum, dissidioque Romanorum Pontificum. in Castella præsertim Benedicto repudiato nullus Pontifex erat, vnde sacra peterentur, magno gentis incommodo. Ergo Vallisoleti in frequenti regni conuentu, Benedicto Pontifici ad quartum Kalend. Maij, imperij ius restitutum, solenni cæremonia: cui Rex ipse, procures, & Episcopi astuerunt. idem ad septimum Kalend. Iunias in Gallia factitatum. conuersæ repente vtriusque gentis voluntates erant. breue tamen obsequium fuit. sed datum tamen Benedicto Pontifici, vt ecclesiam Tolitanam Petro Lunæ fratris filio committeret, quod tertio Kal. Augusti factum est. tametsi venire aliquandiu distulit, Dertusanæ ecclesiæ, cui ante præfectus fuerat procuratione, & motu temporum impeditus. Martinus Salua Cardinalis Pompelon. Sellone in ora Prouinciæ, quò Benedictus pestis vitandæ studio se contulerat, diem obiit sexto Kal. Nouembris. ecclesiam Pompelonensem, post eius obitum Michael Salua gubernandam suscepit. additus aliquanto post purpuræ honos, quod eruditioni est datum (erat enim iuris peritissimus) atque patrii defuncti meritis, fideique perpetuæ erga Benedictum Pontificem, alijs Cardinalibus deferentibus. Matthæo Fuxensi Comite in patria sine prole defuncto, Aragonij regni obtinendi nulla spe, Ioanna vxor, nulla ex se edita prole, internuncio Iacobo Scriba Aragonio Regi conciliata: rediensque in patriam tria millia florenorum annua, vnde vitam sustentaret, abs Rege pacta est. exiguam regni erepti vilemque compensationem. nimirum necessitati parendum fuit, cuius quam pietatis, honestatis ve maiores sunt vires.



P I M A festaque pace Hispania florebat. domestici motus compositi. externa arma silebant. Vasconem tantum interceptæ à Rege Gallo amplissimæ ditionis dolor urebat, Eburouicum, Campania, atque Briæ. missis vltro citroque legationibus, nihil erat profectum. Rex ipse Vasco semel & iterum Gallicam profecti-  
 10 etionem ea causâ susceperat, haud magno operæpretio. nunc extremam spem tentare visum est: si à Rege Gallo amitino, cæterisque Galliæ Principibus, præfens agendo, moliendoque aliquid impetraret. regni cura Reginæ commenda-  
 data. Vt ad Regem Gallum ventum est, suprema contentione de re tota disceptatum. conuenit tandem, vti omni ditione, de qua controuersia erat, Gallis relicta, Chireburgo etiam Vasconum præsidio deducto, Nemorosum Ducis nomine Celticæ urbem acciperet. iniqua permutatione, amplissimorum principatum opes abdicatæ: addita tamen annua duodecim Francorum millia: præ-  
 1404 terea in præfenti ingens auri pondus. hæc salutis anno millesimo quadringentesimo quarto, quinto Idus Iunij Lutetiæ gesta sunt. Ex ea pecunia gemina palatia Oliti atque Tafallæ, quæ oppida quatuor inter se millium interuallo sunt disita, constituta à Carolo Rege fuisse, vulgò hominum opinio est, planè magnificentissima: prorsus vt nihil artificij, ad pulchritudinem, magnificentiam-  
 20 que ac commoditatem deesset. Et erat is Princeps harum non minus elegantiarum, quam ciuilium, militariumque rerum peritus. ea oppida inter se perpetuo porticu committere habuisse, in animo fama fert, si longior vita cõtingeret. Ipso tempore Reges Granatæ atque Castellæ munificentia inter se, atque comitate certabant. Salutaris barbaris erat nostræ gentis amicitia propter angustiam ditionis: Castellæ necessarium ob perpetuam Regis imbecillitatem, sua magis tueri, quam alienos fines inuadere. missa abs Rege Mauro ad Henricum amplissima munera, aurum, argentum, gemmæ, picta vestis, atque pretiosa: & quo maior gratia esset, vxor etiam cum ijs donis legata, nimirum è multis vna: quas Mauri singuli, pro opibus quisq; quam plurimas habent, Reges maximè. sic ani-  
 30 mo distracto, nulla in magno pretio est. ijs officijs vtriusque gentis animi noua beneuolentia deuincti, neque syncera tamen, neq; diuturna, vt rerum euentus breui declarauit. Romæ Bonifacius IX. decessit Kalend. Octobris. in eius locum festinatis comitijs Cosmatus Melioratus, patria Sulmonen. ex presbytero Cardinali subrogatur ad sextumdecimum Kalend. Nouembris, Innocentij VII. nomine desumpto. breuis pontificatus fuit, duorum annorum, vnus & viginti dierum. Conciliandæ inter Pontifices pacis spes à Principibus tentata. cæterum varijs artibus ij conatus ludificati: cum locus vtriusque partis quem consensus probaret, conuentui nullus inueniretur: prorsus vt collusio videretur, & vtrunque Pontificem in sacra causâ præuaricari. Benedictus præsertim  
 40 magna amicorum parte alienata, cæteris ad Romanos respicientibus, vagus, incertusque agebatur. neque illi res vlla, neq; consilium, aut quisquam hominum satis placebat. tamen eius causam multi viri eruditionis & sanctitatis opinione præstantes tuebantur. in his ex Dominicano ordine Vincentius Ferrerius

rerius Valentinus: cuius ea tempestate fama, per ora omnium nationum volitabat: ad quas Euangelij lumen intulit. satis constat patrio sermone concionantem ab externis gentibus, auditum libenter, atque intellecta quæ diceret: quod ab Apostolorum temporibus vni contigit. doctrina miraculis confirmata. cæcorum aperta lumina. claudis gradiendi facultas data. omne genus morbi depulsi. mortui ad vitam reuocati. Quo minus mirum sit, eius opera innumeram hominum multitudinem, altissimis eatenus ignorantia tenebris oppressam, cælesti illustratam lumine Christo nomina dedisse, in vna Hispania Mauri octo millia, Iudæi ad triginta quinque millia: ac præsertim Palentiæ in Vaccæis  
 10 multo maxima Iudæorum pars Christiana sacra suscepit, Sanctio Rogio eius vrbis Episcopo. Calamitas ex ea re sacrorum vectigalium, cum suscepta religione immunitate donarentur, ex regio hisco annuis Episcopo attributis redditibus est procurata: vti regium diploma per hæc tempora datum declarat. Publicam ex ijs rebus lætitiæ Catharinæ Castellæ Reginæ partus felicissimus auxit. Tauri in Franciscanorum cœnobio filium enixa est, cui de aui appellatione Ioanni nomen fuit, salutis anno millesimo quadringentesimo quinto, die Veneris, pridie Nonas Martij, per oppida & vrbes festi dies agitati: Iudi, spectaculaque commissa: quo diutius expectata fuerat, ac prope diffidebatur, eò maiori vniuersæ gentis lætitia. ab externis Principibus missæ legationes, quæ gaudio  
 20 fungerentur. Ioannes Reginæ auunculus, Petri Regis filius, Soriæ vbi vincus erat, paulò ante decesserat, ex Eluira vxore, quam in vinculis duxerat, custodis Bertrandi Erilis filiam gemina prole relicta, Petro, Constantiaque. hanc Rex continuò nactus Madriti in D. Dominici regij virginem sacrari curauit. Petrus quem in custodiam tradere cupiebat, subtractus est. Amitini commiseratione Regina ad se deductum Regi post partum fortè inuisenti conciliauit, venia precibus impetrata: neque erat æquum aliquid denegari puerperæ, quod dono dignum esset. repente ergo è latebra, vbi retro Reginæ stratum erat, ad Regem deductus in veste sacerdotis genibus nixus, in gratiam acceptus: atque vt esset vnde vitam in studijs litterarijs sustentaret, Alarconis Archidiaconatu  
 30 continuò donatus est. deinde Vxamenis Episcopus, ac tandem Palentinus est creatus. nobilitas pro virtutibus fuit. Ex duabus concubinis, Isabella domo Anglica, atque Maria Bernarda numerosam prolem genuit: quatuor filios Alfonsum, Ludouicum, Sanctium, Petrum, pari numero filias, Alfonfam, Isabellam, Catharinam, Constantiam. Ab his ac præsertim ab Alfonso maximo filiorum, cui ex iustis nuptijs septem proles fuerunt, ea familia deducta perpetua serie, cui à Castella cognomentum est, in paucis nobilissimæ, ad paucos redactæ, modicis opibus.

*Bellum Mauricum. Cap. XIII.*

40



I N T E R E A Aragonia intestinis tumultibus vexabatur: ac Cæsar Augustæ cædes passim, bonorumque direptiones factæ. partium duces Lupus Nuza, atque Petrus Cerdanus, viri opibus, clientelis, auctoritateque præpotentes. Ad Maelliam municipium con-

LII 5 uentus



uentus gentis habitus de ordinando regni statu, deque ijs motibus pacandis ab Rege est relatum. leges aliæ in tempus aliquod, quædam perpetuæ utilitatis causa in æternum promulgatæ. sancitumque Martinum Regis filium primo quoque tempore in Hispaniam euocandum: ut hominibus maximè liberis, ius à natura datum, virtute, meritis, fide, fœdere, ac religione fundatum disceret conseruare: neque rempublicam pro voluntate, arbitratoque ut in cæteris prouincijs, sed legibus æquitateque gubernare. ergo auctore patre Drepano soluens, atque Benedicto Pontifice ex itinere ad Nicæam, quod se is contulerat specie ineundæ pacis, salutato, fœdereque in ea vrbe cum Ludouico Andegauensi, qui se Neapolitanum Regem ferebat, & ad Aragoniæ imperium aspirabat, Pontificis opera constituto, Barcinonem tandem classe appulit, tertio Nonas Aprilis. Pro eius aduentu dies festi per vrbes & oppida agitati: nam diu in Hispania moraturum sperabant, nimirum opinione sua falsi, cum Siciliam relinquere metueret, suspensis antea, & incertis prouincialium animis, & nunc Bernardo Cabrera, in quo præsidium esse debuit, plus eius discessu sibi auctoritatis arrogante, quam quod reipublicæ rationes, & regia dignitas pati possent. Itaque rebus utcunque in Hispania compositis, ad octauum Idus Augusti, Barcinone classe qua vectus erat, Siciliam repetijt. Bernardus Cabrera, aula primùm deinde tota insula pulsus est. eorum quæ obijciebantur cognitio, ad patrem Aragoniæ Regem integra reiecta. Quatuor argenteæ statuæ gemmis, auroque nitentes, mensè Nouembri ineunte Barcinonem delatæ, Benedicti Pontificis donum: quibus Valerij, Vincentij, Laurentij, Engratidis cineres, qui Cæsaragustæ seruantur, præcipuis diebus inclusi, in pompa circumferrentur, thenis impositi, & humeris hominum magna populi religione gestati. In Castella pax erat domesticis factionibus sublatis, externis Principibus aut fœdere aut amicitia deuinctis. quam Granatensis Regis insolentia turbauit, Aiamonte oppido in Turdetanis ad Anæ ostium per vim capto, detractoque Aluaro Gusmanio, in cuius dirione erat: præterea annum tributum pendere recusabat. Quibus rebus tametsi commississe constabat, ut hostis loco esset, experiri tamen placuit, si reuocandæ concordie ratio aliqua iniri posset. missi qui iure feciali res repperent. Barbarus metum interpretatus, principio anni millesimi quadringentesimi sexti suorum manum in vicinos Biatæ fines immisit. magnus genti terror, agris, & oppidis vastitas illata. Petrus Manricus limiti præfectus, Dieghus Benauidius, Martinus Rogius tumultuario delectu habito, obuiam progrediuntur Mauris. ad Quesadam oppidum acie dimicatum. pugnantibus nox diremit dubia victoria. nisi quod nostri per medias hostium acies perumpentes, vicinum tumultum occuparunt. id percussi animi, peioresque in pugna tulisse argumentum fuit. cecidere non pauci. in his nobilissimi Martinus Rogius, Alfonso Daualus, Ioannes Ferrerius Marefcalus, Garfias Oforius. Henricus Rex Segobiæ se in Vaccæis ea tempestate tenebat, quamuis imbecillo corpore, memor dignitatis, publicæ salutis memor. bellum omni conatu comparare certus, ipse quidem Madritum continuo abiit: regni autem ordines Toletum primo tempore conuenire iubet: ut communi gentis consensu de re tota consilia inæantur. Rex Vasco in Gallia catenus moratus, rebusque confectis, ut paulò

paulò ante dictum est, alio itinere in Hispaniam redijt, per Narbonem in Catalaunos appulsus. ipsius & Aragonij Regis colloquium ad Ilerdam habitum, mensè Martio. in ea vrbe instaurato inter vtrunque Regem fœdere Cæsaragustam itum: Aragonio omnibus officijs & comitate Valconem toto itinere prosequente. Beatrix Vasconis filia Blanca minor, Jacobo Borbonio Marchiæ Comiti desposita erat, iuueni in procero corpore, eximia formæ dignitate, bellica fortitudine præstanti. eæ nuptiæ Pompelone Septembris die quartodecimo, principali apparatu celebratæ sunt. Quo mensè Michael Salua Pompelonensis Cardinalis Benedictum Pontificem in Liguriam secutus, ad Monæct arcem ex peste decessit: qua contagione ijs locis multi mortales consumpti erant. defuncti corpus Nicææ in D. Francisci tumulatum est. in eius locum Lancelotus Nauarra Pompelonensis Episcopus creatur. Gallia vniuersa à Benedicto Pontifice discedit. quoniam catenus concordia inita inter Pontifices non erat, fraudem subesse atque præuaricationem vulgò homines, sed & gentis Principes interpretabantur.

*Henrici Regis obitus Cap. XIII.*

**C**ONVENTVS Toleti agebantur omnino frequentes, rerum de quibus suscepta deliberatio erat, magnitudine, Principum numero, ac tristi tandem Regis exitu nobiles. Ioannes Seguntinus Episcopus, qui Toletani Episcopi partes implebat eius ecclesiæ rector, ex quo Petri Tenorij obitu vacua erat, Sanctius Rogius Palentinus, Paulus Carthagenensis, Fridericus Trastamaræ Comes, Henricus Villena Calatrauæ Magister in locum Nunnij Gusmanij ante biennium substitutus, Rodericus Daualus Magister equitum, Ioannes Velascus, Dieghus Stunica, alijque viri principes interfuerunt. Regem in iplo conatu morbus solito grauior oppressit. Itaque pro Rege vicarius Ferdinandus frater substitutus est. Eo referente de subsidio in bellum Mauricum conferendo, pecuniaque genti imperanda actum: vnde equitum millia quatuordecim, peditum quinquaginta millia conscribi possent, triginta triremes instrui, quinquaginta onerariæ: præterea sex ignea tormenta maiora, quas nostrates historiæ Lombardas vocant, fortassis quod in Longobardia id genus machinæ inuentum primò esset: minora tormenta centum, aliaque instrumenta belli: quod extirpandæ genti Mauricæ supremo conatu gerendum erat. Res per altercationes ducebatur. negabant vrbiū procuratores tantum pecuniæ redigi posse, præsertim Episcopis oneris partem subire recusantibus centum modò aureorum myriades in belli sumptus concessæ. datumque, ut nisi ea summa sufficeret, aliquanto amplior populis imperaretur, non consultis regni ordinibus, neque conuentu procerum euocato. Equiti stipendium erat in dies singulos sestertij viginti, pediti dimidiatum. Ferdinandi Principis diligentia res ad exitum perducebatur: cuius secundum Regem fratrem prima & maxima rebus omnibus erat auctoritas. Cum Roma allatum est Innocentio Pontifice defuncto ad octauum Idus Nouembris. successorem datum pridie Kalend. Decembris, Angelum

lum Corarium Cardinalem, natione Venetum, Gregorij XII. nomine edito. Toleti Henricum Regem mors oppressit octauo Kalend. Ianuarias, ineunte salutis anno millesimo quadringentesimo septimo, annos natum viginti septem, atque omnibus sacris ex ritu Christiano procuratis. regnavit annis sedecim, duobus mensibus, diebus vno & viginti. filios reliquit Ioannem, Mariam, Catharinam. Corpus in veste Franciscana regio sacello templi maximi Toleti tumulatum, verisimilis totius gentis lacrymis, luctuque, immatura morte præreptum eximia indole Principem lamentantium. rempublicam rursus quasi rectore spoliata, nauim, nouorum motuum fluctibus agitari necessarium. fuit ingenio facili, miti, atque liberali. vultus satis decorus, nisi perpetua valetudo foedasset. vernacula facundia instructus, omnium quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Ad Principes tum Christianos, tum Mauros finitimos longinquosque legationes mittere solitus, vnde multum prudentiæ rebus gerendis multumque splendoris haulum est. animi magnitudinem, atq; consilij, vnius rei argumento notasse sat erit. Superioribus annis cum primum regni administrationem suscepit, Burgis accidit, vt ex coturnicum aucupio, quo se oblectare consueuerat, post meridiem redeunti die quadam, nihil opsonij ad prandium esset paratum. causam sciscitanti, respondit opsonator, regijs vectigalibus exhaustis, fidem etiam esse consumptam. ne pignora quidem superesse cibus regiæ familiæ comparandis. Miratus Rex, arietinas carnes, pallio oppignerato, emi continuo mandat: ijs & coturnicibus, quas ceperat, prandium parari. ministrat brachatus regius ipse opsonator. in serum dies erat extractus: proceres, Toletanus Archiepiscopus, Dux Beneuentanus, Trastamaræ Comes, Henricus Villena, Medinæ Celinæ Comes, Ioannes Velascus, Alfonsus Gusmanus, alijque magno numero, luxu inter se & splendore mensarum certabant, soliti in orbem conuiujs se mutuo excipere. Fortè apud Toletanum cœnabatur. eò Rex nocte tectus, inuolutoque capite abiit. opipara fercula illata, delicijs lautitiaque diffluebant. Remotis mensis, varij vt fit sermones additi. quantum quisque copiarum haberet, quantum ex regijs vectigalibus perciperet, vt in nullo tali periculo commemorare. Noua ea res Regem impleuit ira. proxima luce fingit grauissima se valetudine opprimi. dare suprema mandata velle. proceres in arcem euocat singulos. ijs admisis comites exclusi. Sub meridiem Rex ferro tectus, districtoque gladio, ad proceres ingreditur in cœnationem magnam, vbi rei euentum suspensis incertisque animis expectabant. assurgunt illi, Rex absidet, trucique vultu, Toletanum rogat. Ecquot Reges antea nosset: idem ex alijs sigillatim sciscitatur. alij tres respondent, quidam quatuor, qui plurimos quinque. Ecquid id verum esse ait, cum hac ipsa mea ætate, viginti Reges nihilominus in Castella nouerim regnasse. Mirantibus dicti causam. Vos, inquit, vos omnes Reges estis, magna reipublicæ calamitate, nostri nominis ignominia, sed ne diutius imperetis, neque Reges ludibrio habeatis, vestris capitibus continuo sanciam. Simul contenta voce lictores euocat, militesque sexcentos, quos arcandò paratos habebat. quæ ad supplicium postulabat parari, afferrique iubet. tunc Toletanus ab insita animi magnitudine præsidium petens, in genua procumbit, veniam

veniam supplex rogat: idem eius exemplo cæteri faciunt, panis manibus, lacrymis toto ore manantibus, emendaturos atque in eius potestate se suaque fore pollicentur. Increpitos atque vltimi supplicij metu percussos, non ante dimittit, quàm regijs arcibus traditis omnibus, aurique pondere repræsentato, quod occupatis regijs vectigalibus debebatur. Ijs rebus perficiendis duo menses consumpti, ex quanto tempore in arce seruati sunt. regia auctoritas confirmata: nullo vt tempore obsequentiores proceres fuerint, timore ipsis timoris causis longiori. Simile seueritatis exemplum Hispali editum est: quo tempore Nieblæ Comes & Petrus Pontius intestinis dissidijs tumultuabantur: nisi quòd grauius supplicium fuit mille fontibus Regis iussu peremptis. Regia vectigalia liberata, præsertim Ferdinandi fratris diligentia: vnde annis singulis magnum auri pondus in regium ærarium illatum. cuius pars maxima Madriti seruata ad grauiores reipublicæ casus. Henrici Regis impensa ei arcimunitissimæ turres sunt additæ. Eius illa vox fuit: Populi se execrationes amplius quàm hostium arma formidare. eòq; thesauros congeffit, innoxios tamen & sine subditorum gemitu: cura tantum regiorum vectigalium, modestiaque, quæ magna Principum laus est.

*Joannes Castella Rex renunciat. Cap. XV.*

20



VSTA funeris Henrico Regi splendide facta: simul de successorum renunciatum suscepta à proceribus deliberatio est. non vna omnium mens erat, nec eadem cunctis oratio, graue reputantibus expectare dum infans menses duos & viginti natus, ad iustam ætatem perueniret. malorum imagines, quæ passa prouincia erat, Regum priorum ætate minori ante oculos versabantur. Defuncti Regis testamentum prolatum: in quo reipublicæ procuratores, Regina vidua, Ferdinandusque Princeps scripti erant. Dieghus Stunica, Ioannes Velascus infantis tutores designati: Paulus Carthaginensis Episcopus magister institutus, adolescentia litteris & regijs moribus informanda: ea tamen lege, ne aliquam reipublicæ partem attingerent, contenti ea cura, quæ ipsis concredita erat. Verùm ea decreta rescindenda omnia nonnulli disputabant: Regem confectum morbo parum mente valuisse. nam pridie obitus testamentum confectum erat. & si cætera essent integra, nouarum tempestatum fluctibus rempublicam obijcere recusabant. Hæc clam inter se. hæc palam atque in circulis conqueiebantur. consilia malivitiandi non satis explicabant: quodq; in re tali difficillimum est primus auctor, primaque vox expectabatur, dum animis spes, timor, ratio, casus ancipites obuersantur. loquebantur omnes, adijcere consilio periculum suum singuli detrectabant. Vnus erat Fernandus Princeps, qui regno suscepto rebus opem ferre poterat, (sic illi existimabant) sed natura cunctator, mansuetus, modestia singulari: quæ vulgus virtutibus affinia vitiorum nomina affringendo, metum, ignauiam, angustiam, humilitatemq; animi interpretabatur. Nouorum consiliorum opportunitatem Regiæ tum sexus, tum absentia suppeditabat, Segobiæ cum filijs, quorum res euaderent, expectantis, squalore luctuque oppressæ, ob mariti obitum,

tum, neque magis præfenti calamitate afflictæ, quàm metu imminenti, ne ipsa filiusque ludibrio haberentur. Re inter se communicata proceres, Ferdinandi constantiam tentare decernunt. Daualus Magister equitum post multos secretosque sermones cunctantem dubitantemque hac oratione erigere ac confirmare nititur. Nos te, Ferdinande, ad patrium auitumque regnum vocamus, salutare reipublicæ, tibi magnificum, nobis omnibus faustum. in tua id mansuetum est. nemo erit, qui nostro consilio repugnare audeat. Neque speciem adulantium, fraudemque subesse cogita. Ad regni fastigium ambitu & malis artibus niti turpe est: vltro delatam, & quasi ad tuum præsidium confugientem rempublicam deserere in periculo, ne sopor & ignauia videatur, prouidendum est. Post se gentis consensu regna mutari, nouosque Reges institui, ipsa regni potestatis natura documento est: quæ populi voluntate exorta, rebus exigentibus transferri potest ad alios. Vagi initio homines, incertis sedibus errabant. in quaque familia tantum, ei à cæteris honos deferebatur, quem ætate prudentiaque cæteris præstare constabat. verum cum vita omnis iniurijs esset obnoxia, ac ne consanguinei inter se satis conuenirent animis: qui à potentioribus premebantur, societates cum alijs inire, & ad vnum aliquem opibus fideque præstantem respicere cœperunt. Hinc vrbanus cœtus primum, regiaque maiestas orta est. non fraude, atque ambitu, sed moderatione, innocentia, virtute obtinebatur: neque hæreditario iure, sed pro multitudinis voluntate, in defuncti Regis locum alius substituebatur. Imperaturus omnibus, eligebatur ex omnibus. Nimia Regum potentia effectum, vt parentibus filij, prauis sæpe moribus, imbecilla ætate succedant. qua peruersitate, quid exitiusius excogitari potest? exercitus, prouincias, copias ex vxoris sinu dari accipique temerè nullo delectu? & quod virtutibus erat datum, nullis iam meritis contra malis artibus obtineri: rempublicamque vnus respectu, grauissimis procellis exagitari? Licet antiqua exempla proferre. Henrico eo nomine primo defuncto, Berengaria soror minor est prælata, Blanca Galliarum Regina prætermissa. quod consilium superis esse probatum, Ferdinandi Regis Berengariæ filij, sanctitas ac perpetua felicitas declarauit. Alfonsi Regis cognomento Sapientis minor filius, quia indoles erat, nepotibus ex maiori filio prælatus est. Licet recentia. Henricus auus tuus fratrem Regem imperio euerit, eiusque filias paterna hæreditate spoliavit. quod nisi iure factum est, priores Reges iniuria regnasse, fatearis oportet. Prioribus annis Ioannes Auisij Magister Lusitania occupata, iure an iniuria non disputamus, sed certè eximia populi voluntate hæcenus stetit, quamuis Castellæ armis sæpe lacepsitus: & nuper duæ Ioannis Aragonij Regis filiarum à paterno regno depulsæ: Martinusque Ioannis frater ex Sicilia ad imperij sceptrum euocatus est. Nimirum quod publicæ salutis causa, & communi consensu institutum est: eadem multitudinis voluntate rebus exigentibus immutari quid obstet? Quod si externus homo inuitaretur, nulla nobilitate, nulla rerum gestarum gloria, consilium reprehendi posset: nunc Principem nobilissimum, patre atque atavis Regibus natum, ad imperium vocamus, & fratre superstite rerum moderatorem. Vide ne propius cõtumeliæ quàm laudi sit, hanc eximiam nostrum omnium, & populi voluntatem repudiasse: patriarumque supplici, & quasi manus tendenti, periculum si quod esset, certè laborem curamque

curamque denegasse. Nam illud admonere non attinet, vt oblata dignitate, quam modestissimè vtare. Post hanc orationem cæteri proceres circumsistere, hortari, cœlitum voces, & astrorum motus referre. Negat ille tanti esse regnum, vt ambitiosi propterea notam velit incurrere, atque inhumanitatis, innocenti puero spoliato, Regina vidua cõtempta, quorum patrociniū suscipere æquius foret: atque nouorum bellorum materiam præscindere, quæ regni mutatione futura necessariò prouidebant animis. Se quidem pro eo studio immortales gratias agere: sed maius beneficium dare non posse, quàm fratris filio, vt ratio & æquitas postularent, Rege renunciato. ipsum rempublicam curaturum, vt frater moriens mandarat: neque vllum laborem, aut vitæ periculum patriæ denegaturum. vt suo nomine imperaret, adduci non posse. Conuentus procerum in templi maximi eo sacello habitus est, quod Tenorij Archiepiscopi impensa extructum erat. Daualus equitum Præfectus, rursus ad Ferdinandum conuersus, si subeunte pœnitentia mutasset, eque Regem renunciari vellet, rogauit. Ille indignantis habitu, contentaque voce, Quem, inquit, nisi fratris mei filium? Continuo ergo Ioannes in conuentu primum, deinde per vrbis plateas explicatis vexillis, Rex est Castellæ præconis voce proclamatus. Ferdinandus omnium confessione, eorum etiam qui maximè institerant, ab eximia moderatione, fideque laudem tulit, cum vltro delatam regiam dignitatem repudiaret: quam alij per ignes & ferrum petunt. dignus cui ad amplissima regna viam numina aperirer, gloriamque eò maiorem, quod varijs antea criminibus apud fratrem fuerat appetitus ab ijs, qui Principum offensas alijs euertendis acriter rimantur. & per se inuidiosi suspectique Principibus sunt, qui proximi ad imperium destinantur. sed sub vitæ tamen finem eius probitate perspecta odium beneuolentia mutarat. Maria etiam filia Alfonso Ferdinandi filio maiori cum spe regni desponsa: quod vtriusque rationibus commodum, reipublicæque, ad eò vniuersæ salutare erat futurum.

*Bellum Granatense. Cap. XVI.*

**N**OVVS in alia Hispaniæ parte luctus exortus Aragoniæ genti est, Mariæ Regine funere, præstantissimæ Principis, ad Villam regiam extinctæ prope Valentiam, quarto Kalend. Ianuarij. corpus ad Populeti est tumulatum: exequiarum iusta magnificè facta. tres filios Iacobum, Ioannem, Margaritam in minori ætate amiserat. Martinum sibi superstitem reliquit: verum rebus Siculis implicatum, multisque ex eo periculis obnoxium, & vt erat præstanti animi magnitudine, offerentem sese: quod illi perniciem tandem, maximas genti calamitates attulit. Ferdinandus Princeps rebus Toleti compositis, fraternoque funere procurato, ipsis Ianuarij Kalendis Segobiam abiit: vbi se Regina limine continebat, recenti mœrore oppressa, squaloreque, cœdata. coram de republica summisque regni rebus consilia communicata. & quò maior esset auctoritas proceres ex vniuersa prouincia, populique ad generales conuentus euocati sunt. pueri Regis educandi cura Regiæ matri ipsius rogatu permissa. id vnum in Henrici Regis tabulis mutari placuit. Velasco & Stunicæ auri pondus abs Regina datum, duodecim florenorum

norum millia, ablatæ potestatis non satis æqua compensatio. sed erat tempori  
 cedendum: neq; vacabat periculo Ferdinandi Principis voluntati, atque Regi-  
 næ votis velle repugnare. Mox de bello Granatenſi in conuentu ſuſcepta deli-  
 beratio eſt, eò maiori animorum alacritate, quòd Februario menſe noſtri, per  
 Murciae fines in Maurorum agros inuecti, Veram municipium impugnant:  
 & cum obtinere non poſſent, ſine ſcalis vineiſq; ad bellum proſecti, cæterisq;  
 quæ expugnandis oppidis idonea ſunt, duodecimo inde lapide ad Xuxenam  
 Maurorum manum auxilio obſeſis venientem, commiſſa pugna proſtigarant.  
 minor quàm pro victoria cædes fuit: vicinum oppidum multis perſugio. arx  
 deſenſa. captum direptumq; oppidum. ductores præcipui Ferdinandus Ferre-  
 rius Caſtellæ Mareſcalus, Ioannes Fagiardus, Ferdinandus Galuillus, alijque 10  
 viri primarij. Id principium ad totius belli omen ſpectare viſum eſt: magnum  
 que auri pondus referentibus in conuentu Regina, atq; Ferdinando, volentibus  
 populis imperatum. vniuerſi belli cura Ferdinando Principi, vt par erat, deman-  
 data. exortæ inter eum & Reginam nonnullæ ſuſpiciones: cum apud Reginam  
 Eleonora Lopides plus poſſet, quàm imperij maietas poſtularet: multique cor-  
 ruptores, & vaniloqui, quales in aulis Principum ſunt, Ferdinandi potentiam  
 Reginæ, atque filijs fore formidabilem diſputabant. Ijs criminationibus eſſe-  
 ctum, vt procurationis finibus diuiſis, Vterior Caſtella Reginæ permitteretur,  
 Citerior Ferdinando: cui in Vaccæis nonnullæ vrbes additæ ſunt. vxor & filij 20  
 Ferdinandi Medinam Campeſtrem amandati. ipſe Idibus Aprilis Segobia ad  
 bellum proſectus ad Villam regiam in Oretanis reſtitit, dum copiæ milita-  
 res idoneo numero ex omnibus partibus, vti erat iuſſum, conuenirent. irruptiones  
 tamen in Mauricam ditionem facere interea, e finitimis populis permiſſi  
 pedites, equitesque, non eadem ſæpe belli fortuna. vaſtati agri, direpta oppi-  
 da, abactæ prædæ, crebra facta transfugia. Maurus quidam noſtræ religionis  
 ſtudio incenſus, ad Magiſtrum D. Iacobi, qui ſeſe Aſtigi tenebat, dilapſus, facta  
 „ cum conueniendi potestate: Transfugæ, inquit, nomen, quàm ſit omnibus ex-  
 „ crabile ſuſpectumq; non ignorans, ad vos tamen venire conſtitui, numinis im-  
 „ pulſu actus, cui repugnare non potui. Transiſſio apud vos, neq; fraudi, neque ho- 30  
 „ nori ſit, niſi inſigni aliquo officio prius fidem approbauero. Chriſtianis tantum  
 „ me ſacris expiate: mox noſtra opera vtimini: quam fortem & fidelem fore,  
 „ dies & vſus declarabit. Factum vt Maurus poſtulabat, lotus ſalutaribus aquis in-  
 dicat Prunam oppidum opportunum iniuriæ eſſe. Duce Promagiſtro D. Iaco-  
 bi, copiæ militares improuiſo ſeſe ad mœnia oſtendentes, qua parte ille indica-  
 uit admotis ſcalis, pridie Nonas Iunij, momento temporis in oppidum tranſ-  
 cendunt: magno Chriſtianæ rei commodo, gentisq; lætitia, recordantium Mau-  
 ros præſidiarios ex eo oppido excuſiones in finitimos piorum agros facere ſo-  
 litos. Ferdinandus Princeps in eius belli curam intentus, Cordubam primùm,  
 deinde Hiſpalim abiit, decimo Kalendas Iulij. itineris labor, inſueti loci ca- 40  
 lores morbum importuno tempore conciliauerunt. Marchiæ Comes octo-  
 ginta equitibus ſtipatus eodem appulit decora iuuenta florens, ſtudioque inci-  
 tatus rei Chriſtianæ aduerſus Mauros iuuandæ. inſigni morum ſuauitate comi-  
 tateque omnium voluntates conciliabat ſibi. A Mauris Lucena primùm  
 tentata:

tentata: & cum conatus nō proceſſiſſet, incredibili Maurorum multitudine Bia-  
 tia circunſeſſa: pedites centum millia, ſeptem millia equites ipſo Granatæ Re-  
 ge ductore, in caſtris eſſe ferebatur. ingens tota prouincia trepidatio. concla-  
 matum ad arma, concurſumque in muros, atque portas eſt. ſuburbijſ combu-  
 ſtis, vix hoſtilis impetus ſuſtentatus. prouinciales eius vrbis periculo permoti,  
 ad arma concitantur ingenti multitudine: quod vbi auditum eſt, hoſtes præda  
 graues, multisque captiuis in patriam diſceſſere. Ab Alſonſo Henrico maris  
 Præfecto ad Gadeis inſulam ingens victoria parta, de quinque & viginti tri-  
 remibus, Regum Tunetani, Tremefeſijque. octo triremes captæ. aliæ pars ſub  
 10 merſæ, pars in fugam actæ: eò maiori laude, quòd noſtræ triremes tredecim  
 tantum erant. Ferdinandus Princeps eo nuncio lætus, confirmataque valetu-  
 dine, ſepſimo Idus Septembris Hiſpali proſectus eſt. incertus tamen qua par-  
 te Mauros inuaderet, cum viris principibus deliberatione habita, varijs di-  
 ctis ſententijs, tandem conſtituit in Arundæ agros irrumperet. Zahara nobi-  
 le ijs locis oppidum, copijs omnibus circunſeſſum. tribus tormentis igneis, diu  
 noctuque verberata mœnia: haud magno operæ pretio, rudi tum arte, magna  
 que imperitia librandi. dūcebatur obſidio: obſeſisque malis omnibus fatiga-  
 ti, & maioris mali metu percuſi, deditiōnem fecerunt, pacti libertatem, res  
 que efferendi potestatem, exceptis armis & comœatu. Mox minora alia  
 20 oppida in potestatem venerunt. Septinilium admota caſtra, oppidum eo tra-  
 ctu viris, arteque munitum. Interea Aiamontem quidem Petrus Stunica ce-  
 pit de Mauris, cui ea cura à Ferdinando erat commendata. Rex autem Mau-  
 rus virtuti diſſuſus, atque totius certaminis diſcrimen ſubire detrectans, in cuius  
 euentu, rei Mauricæ ſumma vertebar: nouo conatu Giennium urbem obſi-  
 det, octogenta millia peditum, ſex equitum ſub ſignis habens. nihil tanta  
 multitudine proſectum. noſtrorum accuſu, inglorius reiectus eſt. vaſtitas mo-  
 dō illata agris. ſed ea iniuria vindicata, Maurorum finibus depopulatis Ma-  
 lacam vſque. nam variæ noſtrorum manus e caſtris in omnes partes ad præ-  
 dam egreſſæ, inferre hoſtibus clades non deſiſtebant. Capi Septinilium non  
 30 potuit: id vnum ad cumulū felicitatis deſuit. autumno præcipiti, continuis  
 que imbribus noſtri fatigati, ab obſidione ad octauum Kalendas Nouembris  
 diſceſſerunt. Hiſpalim reductæ copiæ. Gladius quo Ferdinandus Rex San-  
 ctus, clarum ijs locis nomen, in bellis vſus fuerat, eumque Ferdinandus  
 Princeps ominis cauſa, vti more erat ſuſceptum, commodato derulerat, lo-  
 co reſtitutus. Hiſpali, Cordubæ, alijsque locis præſidia conſtituta: ad col-  
 ligenda belli ſubſidia in Citeriorem prouinciam Ferdinandus abiit. Quo  
 tempore Calagurri quidem Petrus Aiala, extrema ætate quinque & ſep-  
 tuaginta annos natus, deſunctus eſt, regij ſcrinij præfectura, ſed & ſuo-  
 rum temporum hiſtoria à Petro Rege vſque ad Henricum tertium dedu-  
 40 cta, clarus in paucis ea tempeſtate. Tametſi factionis ſtudio creditus eſt, Pe-  
 tri virtutes obſcuraffe, æmuli illuſtraſſe, pari vtrunque vitio, & veritatis ini-  
 iuria. Corpus in Quixanæ cœnobio tumulatum eſt. Vniuerſa autem Gallia  
 mota, diductaque in factiones eſt, Ludouici Aurelianenſis cæde, quem Ioan-  
 nes Burgundiæ Dux Lutetiæ, ex aula, multa iam nocte redeuntem, inter-  
 M m m ficiendum

ficiendum curauit Otonuilla sicario, decimo Kalendas Decembris. Similitatis  
causæ in incerto fuerunt. sed Regis imbecilla mente vtrunque ad se rerum po-  
testatem reuocare voluisse fama est. cædis auctore detecto, Burgundus quidem  
in ditionem abiit, armis paratus immane parricidium defendere. Valentina vi-  
dua de facto inquiri lacrymis & querula voce postulabat. venit ille ad causam  
dicendam. Ioannes Paruus Theologus, hominem venalem, assentationique ser-  
uientem, parricidium defendit, defuncti manes insectatus: quasi in regium no-  
men inuadere cogitasset. tyrannidis depulso rem gratia, honore, diuitijs cumu-  
landum videri. armato venia data Ludouici filijs merito exoptantibus: vn-  
de eius belli flamma concitata est, qua vniuersæ Galliæ opes fortunæque affli-  
ctæ sunt. Inter Theologos magno animorum motu iactatum diu: Fas sit oppri-  
mere tyrannum priuato. quod aiebat Paruus: Patres Constantienses negarunt,  
cum de ea quæstione eoque facto esset in conuentu relatum. Ludouicus Caroli  
Regis frater erat, Burgundi patruelis.

*Inducia Mauris concessa. Cap. XVII.*

1408



**T**OLETI Christi Dei natalis dies principio anni millesimi qua-  
dringentesimi octauo à Ferdinando Principe est celebratus: Hen-  
ricus, Regis manibus instaurato funere parentatum. Caracæ Rex  
& Regina erant, locorum amœnitate, cælique salubritate inuitati.  
eò ad conuentus regni proceres atq; Episcopi euocati, magno nu-  
mero conuenerunt in commune de belli Maurici summa deliberaturi: quod ma-  
iori impetu repetere cogitabant. Summa redigendæ pecuniæ difficultas erat:  
& ad vocem noui tributum popularium aures obturata, metuentium ne in pace  
manerent, quæ belli necessitas excusare videbatur. Magna Ferdinandi Princi-  
pis, & aliorum procerum contentione impetratum, vt centum quinquaginta  
aureorum millia in belli sumptus imperarentur prouincialibus: ita tamen, vt  
accepti & expensi rationes constarent, ne ad alia conuerterentur, pro volunta-  
te imperantium. Alcaudetem municipium Rex Granatensis Februarij octauo-  
decimo obsederat septem millia equitum, peditum centum & viginti millia sub  
signis habens. res prope periculum erat. magna vniuersa Bætica trepidatio, mo-  
dicas vires esse sibi non ignorantibus, auxilia longinqua, tempus importunum:  
sed virtute tamen obsessorum fracta Maurorum audacia: nostriq; tribus ex par-  
tibus in Granatenses fines inuecti, agros depopulati, acta præda hominum pe-  
corumque, præclare iniurias vlti sunt. Quibus malis fracti Mauri, missis Ca-  
racam legatis, inducias postularunt. Recusabat Ferdinandus, ac Maurorum  
rem in præcipiti esse disputabat: sed Regiæ tamen voluntate à bellis abhorren-  
tis, octimestres induciæ concessæ sunt Mauris. neque ideo de pecuniæ conquista-  
tione mutatum: vt esset vnde in proximum annum bellum sustineretur. populis  
tantum exigentibus datum, vt eius summæ pars quarta remitteretur. Venit ad  
hos conuentus inter alios Principes Petrus Luna, quem superiori tēpore Toleta-  
num Præfulem fuisse renunciatum, monstratum est, secum deducens Aluarum  
Lunam propinquum, decem & octo annos natum. Huic Aluarus Luna Cagne-  
ti &

ti & Iuberæ in Aragonia regulus pater fuit: mater Maria Cagnetia: in qua præ-  
ter formam, nihil laudares, libidine sic accensa, vt quatuor filios, totidem viris  
furo genuerit: hunc, & Ioannem Ceresolam Cagneti præfecto, Martinum  
Ioanni cuidam opilioni, quartum eodem nomine agricolæ Cagnerensi. sed  
duobus postremis Lunæ cognomen ab Aluaro fratre fuit. vsque ad eò ab hu-  
mili ducta Aluari potentia creuit, inopi iuuenta cum ætate non modò cæ-  
teris proceribus, sed Regi etiam formidabilis, quod illi exitium attulit. Pe-  
tri nomen quod à prima ætate habuit, Benedictus Pontifex pueri ingenio,  
& venustate oblectatus, Aluari appellatione mutauit. nunc inter regij cu-  
buculi affeclas annumeratus est. aderat facundia, mulcendique homines ar-  
tes, formæ dignitas, atque auctoritas. Mahomadis Regis Mauri subsecutus  
interitus, diuturnæ pacis spem confirmauit. Granatæ in arce extinctus est,  
interula veneno medicata: sanè ad quintum Idus Maij. Iuzephus eius fra-  
ter è vinculis, quibus constrictus Salobrennæ, iussu Mahomadis Regis tene-  
batur, ad regnum eductus est. sic rerum humanarum vices mutantur. silen-  
tio, & celeritate res vniuersa administrata, ne Christianorum viribus ij cona-  
tus impedirentur. suscepto regno, legatis vltro citroque missis, induciæ con-  
firmatæ. magnificentia munerum vtrinque certatum: Maurique legati equos,  
gladios, telas bombycinas, vnam passam, caricas, amigdala, quibus ea gens oble-  
ctatur, ad Castellæ Regem attulere: neque ijs donis tamen, vt longiores indu-  
ciæ concederentur, impetrarunt.

*Benedictus Pont. venit in Hispaniam. Cap. XVIII.*



**I**NTEREA Benedictus Pontifex, prouincijs diuturnitate dis-  
sidijs fessis, amisissis amicis, quorum plerosque ipse importunis  
actionibus alienarat, anceps incertusque agebatur: neque illi res  
vlla aut consilium satis placebat. Auenione vitata Gallorum vim  
veritus, sese Massiliæ ad D. Victoris tenebat. inde ad Gregorium  
30 æmulum de pace litteræ datæ: à qua nunquam abhorruisse dictitabat: neque  
modò facturum moram, modò æquis conditionibus locoque idoneo delecto:  
ad quem vterque conueniret, coram disceptaturi de re tota. longo itineris spa-  
tio, cum per alios conditiones ferantur, idem perfici non posse. Conuenit vt  
Gregorij legati Massiliam venirent: interim à noua creatione Cardinalium  
abstineretur. Saona in ora Liguriæ consensu legatorum delecta, Pontificum  
colloquio. eò Benedictus, quo se promptiorem ostenderet, continuò nau-  
gavit. recusat Gregorius conditionem, locumque in Benedicti potestate esse,  
sibi minimè tutum causatur. Lucam tamen Hetruriæ urbem ipse, Benedi-  
ctus portum Veneris accedunt huius anni principio, ex propinquis locis, de  
40 omnibus conditionibus disceptaturi. modica concordia spes erat: colludereque  
inter se Pontifices credebantur. confirmata opinio, cum contra pacta, tres Gre-  
gorius vna creatione Cardinales renunciaffet. ea re alij collegæ alienati, sese  
facto agmine Pisas contulerunt. eorum alienationem Benedictus suam occa-  
sionem facturum, eodem quatuor Cardinales, tres Archiepiscopos mittit. Libur-

ni medio itinere mora facta, dum Florentinorum fides expectatur. mentio de concilio generali facta: rumoresque sparsi, de Benedicto capiendis consilia agitata. quæ fama, siue vera fuit, siue de industria conficta, Benedictus Italiam timens tam incertis & suspensis omnium animis, & Ladislai Neapolitani Regis, quem Gregorius imperij Vicarium dixerat, Romanum Senatorem, vim veritus in Hispaniam nauigare constituit concilio Perpiniæ indicto. Illiberim appulit, Iulij mensis secundo die. inde Helenam, atque Perpiniæ abiit. Quo tempore Vasconum Rex, Galliæ motibus sperans pristinæ ditionis partem posse recuperari, eò festinans Cæsaraugustam tenuit: Regeque Aragonio Barcinone, Benedicto Pontifice Perpiniæ salutatis, Lutetiam contendit. 10 nihil felicius ea profectio fuit. nullo operæpretio rediit in patriam. A Benedicto Pontifice, vt erat institutum, concilium Episcoporum centum & viginti ex Hispania ferme atque Gallia, Perpiniæ inchoatum, ipsis Kalend. Nouembris. Concordiæ in ecclesiam reuocandæ prima cura erat. non eadem mens omnibus. sententijs variantibus, plerique e conuentu dilapsi sunt. Decem & octo Patres qui supererant, oblato codicillo, suadent, hortanturque in eam vnam curam incumberet, pontificatuque si sit opus abiret: atque in eo, orbis potius terrarum consensum sequi verius, quàm prauis quorundam adulationibus moueri. Luctu, & squalore oppressam ecclesiam, ac penè confectam, cum lacrymis supplices manus tendere. Communi saluti nihil esse denegandum: neque aliter diurno morbo posse succurri. Parum spei erat, quidquam Benedictum voluntate facturum: qui se in extremam Hispaniam, quasi ad præsidium subduxisset. septem tamen viri primarij ab eo Pisas legati, simulatione incundæ concordiæ, re vt Patrum conatus cognoscerent, explorataque renunciarent. Erant in ea vrbe præter alios Episcopos, qui magno numero confluxerant, tres & viginti Cardinales. in hoc numero ex Benedicti aëclis sex, hoc est maior pars collegij ipsius. Ab his vterque Pontifex ad dicendam causam vocatur: & cum non obtemperarent, tempusque altercationibus duceretur, ad 1409 sextum Kalend. Iulij, salutis anno millesimo quadringentesimo nono Petrus Philargus Cretensis ex Minorum ordine Mediolanensis Præsul Presbyter Cardinalis, Pontifex renunciatur, Alexandri V. nomine imposito. breuis pontificatus fuit. non toto vertente anno decessit. & vnde melioris fortunæ spes affulserat, amplius exacerbata res sunt, ad priores Pontifices tertio adiuncto, qui se legibus creatum diceret: alij vitio contenderent: orbisque terrarum, nullo vno consensu, in tres factiones distractus est. sic sæpè in peius vertuntur, quæ prudenter videbantur esse in salutem destinata.

*Martini Regis Siculi obitus. Cap. XIX.*



ELIORE fato, fideq; res Castellæ à Ferdinando Principe gerebantur. potentiam, opesq; familiæ, bonis artibus quæsitæ, tempore confirmabatur: tamen nonnulli occultis apud Reginam circumstantiis eum in suspicionem vocare non desistebant, quasi regni malo cresceret: neq; vnquam satis fida potentia, vbi nimia est. Regum animo

animo nihil suspicius, incertius nihil ea gratia. præcipui impulsores Velafcus, & Stunica, siue inuidiæ stimulis incitati, siue quia ita iudicabant. Fridericus Trastamaræ Comes, eius Petri filius, quem equitum Magistrum fuisse dictum est, auctor Ferdinando erat, ijs manus & vincula iniiciendi. euaserunt illi fuga, periculo indicato. Reginæ animus exulceratus, quasi ijs pellendis maiestas violata esset, rebus suis præsidium sublatum. Erat Ferdinandus ad cætera naturæ bona, numerosa prole felix. ex vni nuptijs susceperat Alfosum, Ioannem, Henricum, Sanctium, Petrum, quos vulgi consuetudine Aragoniæ Infantes vocarunt, præterea Mariam, & Eleonoram. Accidit, vt Alcantaræ Magister Ferdinandus Villalobus diem obiret. in eius locum Sanctius Ferdinandi filius, patre annitente substitutus est, ætatis legem Benedicto Pontifice solueret. idem factum, Laurentio Figueroa intra paucos menses sublato, Henricus D. Iacobi Magister cooptatus est. vtrunque Ferdinandi gratiæ est datum, non sine aliorum procerum obtrectatione motuque: cum ad regni procurationem amplissimas præfecturas adiecerat: vnusque suo, & filiorum nomine, omnes reipublicæ partes velle complecti videretur. A Carolo Aurelianensi missi in Castellam legati, operam pollicenti, milleque equites auxiliares, si bellum Mauricum instauraretur. idem Lucemburgius Comes obtulit, Duxque Austriacus. præterea Beatricem Reginam Ioanni Regi Castellæ antea iunctam, coniugem 20 Carolus postulabat. Vtrunque repudiatum: cum Regina à nouis nuptijs abhorreret, neque specie coniugij Hispaniam vellet longinquo exilio mutare: & Iuzepho Regi Mauro induciæ pactæ, in alios quinque menses prorogata essent: & si Priegho municipio Mauri tentato commississe videbantur, vt hostium loco essent. quod Rex barbarus se conscio factum negabat, paratus satisfacere, quantum delecti arbitri iudicassent. Fuit hic annus insignis, Virginis Matris signo reperto, Salmanticam inter & Mirobrigam, religiosissimo: cui à Franciæ rupe nomen est. Dominicanorum id cœnobio instituto, hominumque concursu ex vicinis longinquisq; locis celebre est. infautus autem Aragonijs, Martino Rege Siculo Calari in Sardinia extincto, ad octauum Kalend. Augusti, in ipso iuuentutis flore, cursuq; rerum gerendarum. Venerat in eam insulam Brancaloni Oriæ, & Aimerici Narbonensis Vicecomitis armis prouocatus: qui duabus Mariani Arboreæ reguli filiabus matrimonio iunctis, ad imperium insulæ non obscure nitebantur: ac penè res confecta erat. nam modicæ vires Aragonijs supererant: & præsentibus magis à populo fauebatur. Regis aduentu, versa belli fortuna. nam ad oppidum Lurim coniunctis castris, commissoque prælio, de Sardorum copijs victor euaserat, capto etiam ipso Brancaleone, hostium Duce. verum eius importuno obitu, cum cætera prona essent, corrupta omnis spes est: tamen Petro Torellio amicorum principe, copijs præfecto, aliquandiu est sustentatum. Corpus Calari in æde maxima tumulatum est. ex duobus Siculis pellicibus, ex Therasia Fridericum, ex Agathusa Violantem filiam reliquit 40 Nieblæ Comitis coniugem. famaue vulgatum, cum non satis confirmata valetudine, puellæ pulcherrimæ, in Sardinia natæ, complexibus indulgeret, sibi exitium attulisse. Tabulis testamenti patrem regni Siculi heredem scripsit: vxori Blanca reipublicæ procurationem, quod discedens instituerat, demanda-

uit, adiunctis viris primarijs, quorum consilijs auspicijsque regeretur. Eius Principis obitu, grauis luctus Aragoniam gentem occupauit: multa exceperet de successione certamina. Rex pater quantam lacrymarum vim fuderit, de suo sensu quiuus æstimare potest. sed filij tamen funere procurato, ad stabilendas regni rationes animum retulit. persuasum ab intimis, vt vxorem duceret. procreandæ sobolis spem integram esse. eam vnam rationem esse, sæuæ tempeltatis depellendæ, quæ rebus communibus imminere videbatur. Margaritam Pratensem eximia formæ venustate, regia stirpe ortam, sibi toro iunxit. nuptiæ celebratæ Barcinone, ad quintumdecimum Kalendas Octobris. ætate Rex idonea erat. vnum & quinquaginta annos natus, cæterum fracto valitudine corpore, & à multa sagina grauis, libidinis audus, magisquam potens: cuius facultas dum exquisitis medicamentis excitatur, vitalia labefactata, fatalisque hora accelerata est. Conseranus Episcopus ex Gallia continuò à Ludouico Andegauensi legatus est, postulante, vt filium cognominem ex Violante Ioannis Aragonij Regis filia susceptum, iure propinquitatis successorem renunciaret: matremque concederet in Aragoniam venire: filiumque Aragonijs moribus educari. funesti id ominis loco acceptum: in ipsa nuptiarum lætitia, Regem de successione appellari. Potiori iure Iacobus Vrgelitanus Comes niti, videbatur prouincialibus: aderatque multorum fauor, pro ingenio hominum, insito externum imperium exhorrentium, & quacunque conditione domesticum Regem dari exoptantium. eratque Alfonso Regis cognomento Pij, ex filio Iacobo, atque Petro nepote pronepos. præterea Isabellam Regis sororem connubio iunctam habebat. Similes spes sed longo proximo interuallo, Alfonso Dianij Comes, Villenæque Marchio necessebat, extrema ætate, suorum importunitate ambitiosus, atque à Iacobo Rege generis stemma deducens.

*De iure successionis coram Rege Aragonio disputatur.*  
*Caput. XX.*

**D**E horum Principum iure, audita Galli Episcopi oratione, exclusaque multitudine, coram Rege, cum se è conuentu recepisset in conclaue, noua disceptatio inter aulicos suscepta est: quam vt hoc loco infererem, in pauca collatam, quoniam omnia causæ fundamenta continet, operæpretium me facturum putabam. Orsus Guillelmus Moncada: Vtinam, inquit, Rex, ex te prolem videamus, viuo solamen, defuncto hæredem. alioqui quis Ludouico Andegauensi præferatur iure, Ioannis fratris tui ex filia nepoti? Non dubitabo animi mei sensum aperire in suo quisque negotio quàm in alieno minus est peritus. obstat metus, cupiditas, amor. sed nisi tu extitisses, an non patri Regi Violans filia substituta esset? te (quod absit) sine prole sublato, cur non eadem in pristinum iuris locum reponatur? Quod si sexus impedimento est: en filium pro se offert materno genere Aragonium, idoneum gentis imperio. Dicenti plerique aulici assentiebantur, ac vera prædicare mussantes confirmabant. Tum Bernardus Centellia. Di-

ucrfa

uerfa nostra sententia est. Comiti Vrgelitano successio potius debetur, cuius pater Ioannes eodem quo tu est auo prognatus, in quem Aragonia sceptrata translata, post Alfonso Regem fuissent, nisi Petrum patrem tuum, Iacobo Vrgelitani auo excluso, ætatis prærogatiua subleuasset. Fœmina à regia hæreditate exclusa, vt superiori tempore est iudicatum, quæ in filium transferratur ius, quod ipsa nunquam habuit? quod si fœminis noua censura locum daturus, Vrgelitani vxor præferatur necesse est, tuo patre Petro Rege ex Sibiliana nata, eoque tibi propinquior gradu filia fratris. Commouerat assensionem Centellie disputatio. Sed Bernardus Villalicus. Recte, tu, inquit, & acutè, nisi Alfonso Villenæ Marchionis Gandiæ Ducis, pares ac verò superiores partes essent, patre Petro, auo Iacobo Rege, qui fuit proauus tuus, patruo Alfonso auo tuo. sic cum proauus tuus idem Gandiæ Ducis auus, sicut è contrario proauus Vrgelitani auus tuus fuerit, eodem te, ille fraterque Comes Pratenfis profocer tuus gradu contingunt, quo tu Vrgelitanum, eo digniores quo propiores ijs Regibus sunt, vnde quasi ex fonte regni potestas deriuauit. de Vrgelitani vxore non attinet commemorare, neque Sibiliam matrem qualis fuerit priusquam Regina esset, explicare. Suspensis animis auditus est Villalicus, nulla admurmuratione subsecuta. probabilia dicere visus est: sed erat ingratum confecta senem ætate ad regnum vocari, iura obsoleta vetustate moueri. Ergo disputationem Villalici magis nolebant. quàm non probabant. Rex, eleganter, inquit, de tribus disputatum cum sit, plura adiungi de illis possent: sed est quartus causa potior, nisi me animus fallit (eum vos infecti partibus videre non potuistis) Ferdinandus Castellæ Regis patruus, Eleonora natus sorore nostra germana, in quo Sibilie filia est potior. Villenæ Marchio, Vrgelitanusque procul à nobis remoti sunt: idem de Ludouico iudicium esto. sororis filius fratris nepote propinquior est, arctiorique coniunctus gradu. vnus omnibus præferatur oportet. Exemplo res aperienda est: sicut intercisâ fontis vena, atque alio deriuata, riuus priores omnes, quibus antea deducebatur, exarescunt: neque aqua recurrit in canalem pristinum, nisi irrigatis completisq; omnibus posterioribus, aut riuus aut areis: ita progenies eius, quem semel à successione contigit dimoueri, excludatur necesse est in perpetuum: neq; adeat hæreditatem, nisi sublata alterius successoris progenie. Nam cum res sint in iure, atq; mancipio vltimi possessoris, nõ autem superiorum, quorum ius est in alios transfusum: vt quisq; ei maxime coniunctus erit, ita optimo iure nitetur: sibiq; ius succedendi vindicabit. Erratis ergo cum priores Reges Petrum, Alfonso, Ioannem consideratis: indeque quasi è latere successionis iura deducitis, me prætermisso: cui nemo Eleonora sorore propinquior sanguine est: ipsa omnibus, & secundum eam, eius proles Ferdinandus. Cui in dubia causa fauere æquum tamen esset, omnium optimo Regi futuro. blanditur sua cuique spes, & votis nostris fauemus: sed id tamen specimen virtutum dedit, vt iusti & moderati Principis in eo indolem esse appareat. Hæc est nostra sententia, hoc iudicium, vtinam tam felix, quàm reipublicæ & vobis omnibus salutare. de fœminis disputare non est necesse, cum inter mares, quis omnis sit. non vnde sint geniti, sed quo gradu nos ipsi attingant con-

M m m 4 fide-

siderandos puto. Hoc Regis testimonium per urbem Barcinonem, in cuius suburbio hæc gesta sunt, sed & per omnes nationes euulgarum fama, nunciisque, magnam Ferdinando auctoritatis partem conciliauit, qua aduersarios uicit. hæc palam iactata: sæpeq; de successionis iure, coram in aula, & in circulis disputabatur Rege non inuito. cum præiudicatum haberet, cæteris exclusis, imperium Friderico nepoti, qui Lunæ Comes erat, astruere, à Benedicto Pontifice vitiosi ortus uenia impetrata: si non succederet, in Ferdinandum Castellæ Regis patruum non obscure propensus: quem eximiæ virtutes, bellica gloria, regnumque contemptum, ad noua imperia uigentibus superis destinabant. tametsi Vrgelitano expetenti, regni procuratio data est: quod est gentis instituto successionis insigne, magno æmulum præiudicio: nisi esset à Rege occultè prouisum, ut ab Vrreis, Heredijsque regulis, Cæsaraugustæ urbis aditu, acceptæ potestatis administratione prohiberetur. quod magno Vrgelitani dolore factum est.

*Martinus Rex Aragonius defunctus. Cap. XXI.*



**I**NTEREA induciarum tempus abierat cum Mauris pactum: nouæque iniuriæ ad arma vocabant, Zahara oppido vi capto, direptoque, vicinis agris vastatis, præcipua agrestium calamitate. Ergo Ferdinandus Princeps non amplius cunctandum ratus, maximos delectus habet. nauium, militum, armorum apparatu, vrbes & oppida strepere. Mense Februario salutis anno millesimo quadringentesimo decimo collectis omnibus copijs, Cordubam itum est. arx Zaharæ expugnari à Mauris non potuit: oppidi mœnia instaurata sunt. Castra mox Antequeram, quæ veteribus Syngilia fuit, promotæ. decem millia peditum erant, equites tria millia quingenti, Castellæ robur. Aderant Sanctius Rogius Palentinus Episcopus, Aluarus Gusmanus, Ioannes Mendozius, Daualus, Velascus, alijque viri principes. ad sextum Kalend. Maij oppidum circumfessum, omnique diligentia impugnatum. obsidio ducebatur, missique à Rege Mauro equites quinque millia, pedites octoginta millia, oppidi liberandi causa: & si recusaretur, uniuerso certamine dimicaturi. castra collata castris, pridieque Nonas Maij signa collata sunt. uicti Mauri. ad quindecim millia in pugna, fugaque cecidere. vno impetu capta direptaque castra. uictoriæ fructus eò syncerior, quod è nostris centum viginti non amplius desiderati sunt. Ferdinandus secundum actas numini gratias, missasque in omnes partes litteras, nouam munitionem instituit: fossam competentem latitudine circum oppidi mœnia duxit. additur agger ex formaceis parietibus, qui ascensum hostium tardarent. præterea propugnacula adhibita, competentem inter se interuallo distantia. id hoc consilio factum, ne comæatus inferri ad obsessos possent: ne de improviso irruptiones illi, ut antea consueuerant, facerent, diminutis nostris copijs: quæ longius à castris progrediebantur, spe prædæ agrum omnem Malacam usque vastantes. ingens apud Mauros trepidatio: nullumq; erat genus mali, quod non experirentur. Rex barbarus collectis omnibus copijs, omnibus qui arma ferre possent, conuocatis, vicinis

cinis locis se ostentat. ut rursus totius certaminis sortem experiretur, adduci non potuit. At ij, qui in oppido obsidebantur, consumpto frumento de exitu fortunarum suarum consultabant: & abiecta quamuis defensionis spe, obstinatis tamen animis perstabant, uerti fortunam posse cogitantes. & recens trecenti equites ex Giennensi præsidio, in Maurorum fines imprudenter inuecti, circumuenti ab hostibus, oppressique erant. Iplis diebus, quibus ad syngiliam dimicatum est, omnino quinto Nonas Maij nouus Pontifex Bononiæ in Gallia Cisalpina decessit. Corpus in D. Francisci sepultum. festinatis comitijs in eius locum Baltassar Cossa, patria Neapolitanus, Diaconus Cardinalis, eiusq; urbis pro Pontifice gubernator, ad sextumdecimum Kalend. Iunij subrogatus est, Ioannis XXIII. nomine edito. audax, callidus, promptus, & prout animum intendisset, prauus aut industrius: alieno tamen pontificatu felicior, quam suo. Subsecutum est Martini Aragonij Regis funus, Barcinone in virginum collegio, quod urbis muro coniunctum est, ueterno oppressus diem obiit, pridie Kalend. Iunij. Corpus ad Populeti sepultum. funeris apparatus exiguus, lectu præfenti, metuque futuri, cunctorum animis occupatis. Generales conuentus Barcinone habebantur, non sine animorum motu. ex omnibus ordinibus uiri delecti sunt, qui Regem agentem animam, officij admonerent, rogarentque: uti contentionibus uitandis successorem ipse regni declararet. Ergo præeunte Ferrerio urbis Senatore: cui is honos à cæteris est delatus, rogantique uellet ne eum Regem præfici, qui iure propinquitatis potior esset? cupere uero capite annuit: neque aliud uerbum exprimi potuit. Ex eo tempore Aragoniæ felicitas obscurata, in Martino Rege uirili Barcinonensium Comitum profapia intercisa, quæ catenus in sexcentiesimum annum propagata erat. Aragonij obitus in omnes partes fama, & frequentibus litteris euulgatus, multorum studia, spesque inflamauit. celeritate opus erat ad gentis studia præoccupanda: sed Ferdinandum Principem, cui numina uiam ad regnum parabant, bellum Mauricum distinebat. itaq; in præfenti satis habuit, publicis litteris regni hæreditatem accipere, nullo quamuis offerente: mittereque de re tota in Aragoniam legatos, Vegam & Aceuedum uiros industrios, atque primarios. neque toto tamen obsidionis tempore ab oppidi impugnatione cessatum. Et erat ad Archidonam in tumultuaria pugna cum Maurorum manu prosperè à nostris dimicatum. De huius pugne occasione, euentuque paulò plura dicenda sunt, sed ex Vallæ historia, quam de rebus Ferdinandi confecit non inelegantem.

*Petra amantium. Cap. XXII.*



**V**ICINA oppida in nostrorum potestatem uenerant, pars uicinis locis municipio solliciti (ab Antequera abest octo tantum millibus passuum) collecta valida manu, comæatu, & milite instruunt. quoniam prima ex sententia successerant, elati animis, & studio, in uicinos agros excursionem faciunt, ut pabulatione, & comæatu hostes prohibeantur. id esse facile, quoniam equitatu ipsi abundant, hostium iumenta ma-



gno numero procul à castris ad præterfluentem amnem nomine Gorzam, quo-  
 tidie modico præsidio producebantur. in hæc illos & custodes impetum dantes,  
 è vicina rupe, quæ Amantium Petra vulgò dicitur, animaduertens noster specu-  
 lator, imminens periculum fumo significat. Corruptis, vt in re tali nostri ar-  
 mis, è castris prouolant. vrgent barbaros: compelluntque sese in oppidum  
 vnde venerant recipere. nostris à tergo vrgentibus, carpentibusque postremos,  
 distinctetur iter. ad Archidonæ muros pugna fit, magno animorum ardore. vin-  
 cuntur barbari, cædunturque ad duo millia: capiuntur multi. recepta nostri  
 præda incolumes reuertuntur, duobus modò desideratis, paucis vulneratis, læti  
 ouantesque. De Petræ illius appellatione, quoniam nobilissima est inter Archi- 10  
 donam & Antequeram medio spatio, pauca dicenda arbitror. Iuuenis quidam  
 professione noster, nomen & patria non traditur, sed Granatæ tamen capti-  
 uus duobus, tribusve annis, quo multum dominus rebus vrbis, & domesticis  
 vtebatur, morum elegantia, vultusque, heri filiam in suum amorem allexit. Li-  
 bera consuetudo futura diu non erat, altero seruo, puella nubili: & ne deprehen-  
 si capite pœnas darent, verebantur. fugæ consilium capiunt, adolescenti hone-  
 stius, quoniam ad suos fugiebat, à suis illa abibat: nisi veræ religionis amor im-  
 pulit, quod non puto. Profecti cum ad Petram peruenissent, fessaque puella re-  
 quiesceret: en patrem & comites omnes equis vectos, contento cursu inse-  
 quentes vident. quid facerent? quò se verterent? quid consilij caperent? fallaces 20  
 hominum spes, miseram conditionem. exanimati metu, quod vnum erat reli-  
 quum, per petræ cautes rependo in cacumen euadunt. inane præsidium. Fla-  
 grans oculis pater, trucique voce descendere iubet: nisi morem gerant, conti-  
 nuò extrema exempla editurum minatur. cæteri admonere, hortari, vnam salu-  
 tis spem in patris misericordia superesse: se ad pedes abijcerent, precarentur  
 veniam. parere recusantibus in pedes dilapsi omnes, rursus ascendere tentant.  
 Iuuenis obmoliri saxa, glebas, stipites, quæcunque desperatio dabat, arma face-  
 re. è vicino vico sagittarij aduocantur. Eorum aduentu fracti animis iuuenis &  
 puella, certo exitio, quod reliquum erat, ignominiam, probra, cruciatus maiores  
 euadere parantes (quæ fuerint extrema duorum verba commemorare non est 30  
 necesse) sanè arcto complexu innexi, ab ea parte, qua sæuus pater operi inten-  
 tus erat, sese præcipites deuoluunt. In eo complexu perlati, extinctique sunt,  
 fortunam miserantibus omnibus qui aderant præter patrem, illacrymantibus  
 nonnullis dolentibus casum eorum, quos non prius amor quam vita defecit. In  
 eodem habitu, quamuis inuito patre, eo loci sepulti sunt: & Petræ ab ea re no-  
 men inditum. animorum constantia meliori exitu digna, nobileque certamen:  
 si pro religione vera, non vafano amore fuisset susceptum. Ad Antequeræ im-  
 pugnacionem redire oportet. secundum pugnam ad Archidonam commissam,  
 aditus in urbem tormentis non vno loco est patefactus, casso labore cum noctu  
 instauretur, quod per diem erat deiectum. Supremum conatum adhiberi pla- 40  
 cuit. ad turrim, cuius superior pars deiecta erat, admotis repente scalis, ægrè  
 quidem, sed in oppidum tamen virtute penetratum. Mauri amisso oppido,  
 sese in arcem receperunt. eò minor cædes fuit. De murali corona die postero  
 disceptatum. multi profitebantur, non tam ipsi inter se acriter contendentes,  
 quam

quam studia excitantes, suæ quisque nationis hominum. ea contentio cum pro-  
 pe seditionem esset, recuperatores dati cognita causâ, auditisque testibus, pro-  
 nunciarunt, Turrianum, Seruam, Cherinum, Biatiam, primos turrim aggressos  
 esse: conscendisse Ioannem Cantabrum, qui in ipsa turri occisus est, alterum  
 que Ioannem à S. Vincentio. quos Ferdinandus laudibus, præmijsque cumu-  
 lauit: quòd eorum virtute, non tantum lautissimi municipij compos factus  
 erat, sed eo capto, Mauris in omne tempus, cæterisque, qui fortunam belli ex-  
 pectauerant, animi fracti essent. Ad sextumdecimum Kalendas Octobris ca-  
 ptum oppidum: octauo post die, qui in arcem confugerant, deditiõnem fece-  
 runt, incolumitatem pacti, vt sine fraude dimitterentur, resque efferendi fa-  
 cultatem. agmine facto Archidonam, locis vicinum oppidum, vti conuenerat,  
 dilapsi sunt. Superis actæ gratiæ, pro diuino dono: temploque, quòd in arce  
 erat, cum ex ritu Christiano sacratum esset, habita supplicatione, diuina in-  
 co hostia sacrificatum. Rodericus Naruaes arci præfectus, sacra-  
 mento in verba Castellæ Regis adactus. Ferdinandus his re-  
 bus confectis, vicinisque alijs oppidis & arcibus  
 captis, agris illata vastitate, Hispa-  
 lim autumno præcipiti  
 maturauit.

(2)

## Libri Nonidecimi Finis.

HISTO.

# HISTORIAE

## DE REBUS HISPANIAE.

### LIBER XX.

#### Rerum status. Caput. I.



EMPORA subsequuntur varijs casibus, bellis, dissi-  
 dijsque obnoxia, ipsa etiam pace, saeva non in Hispania  
 tantum, sed in toto terrarum orbe, quam late Christiani  
 imperij fines pertinebant. sublato metu, qui haud diutur-  
 nus officij, sed necessarius magister est, nouis cladibus af-  
 fectae prouinciae: vrbes incendijs vastatae: pollutae caere-  
 moniae: domestica dissidia: & quasi permissione terrarum  
 cunctae reipublicae partes concussae: incertum maligni sideris vi, numinum ira  
 certissima. Italia tricipiti ambitione Pontificum, Germaniae Imperatorum aut  
 ignauia, aut imbecillitate vna est maxime vexata, hinc Ladislai Neapolitani  
 Regis armis, qui Gregorij Pontificis partes sequebatur: impugnabat Ludouic-  
 us Andegauensis, a noua Pontificum stirpe patronus aduocatus. In Gallia Ci-  
 salpina Ioannes Galeacius Vicecomes imperium late propagabat. Bononia re-  
 cens occupata, vrbum aliarum oppressa libertas. In Germania imperij inter-  
 regnum erat, Alberto Augusto defuncto ipsis Kalend. Iunij. Venceslai antea  
 Imperatoris, & nunc Regis Bohemi ignauia in ea prouincia vetustae de reli-  
 gione opiniones mutabantur, conuellebanturque passim. Ioannes Husius, &  
 Hieronymus Praga concitatae multitudini se duces praebuerunt. metus suberat,  
 ne incendium ab ijs initijs ad caeteras prouincias manaret. Orientis prouincijs  
 quies tantisper post Tamerlanis expeditionem data erat. caeterum noua trepi-  
 datio sollicitos habebat, a Turcarum gente Bosphoro transmissa, spe vniuersae  
 Europae occupandae. Emanuel Palaologus Graecus Augustus prouisa tempesta-  
 te, Venetias mari appulsus, pedestri inde itinere in Franciam supplex abiit, spe  
 noui aduersus communes hostes subsidij. frustra susceptus labor. praeter specio-  
 sa verba, nihil relatum. & ardebat Gallia ipsa domesticis malis post Aurelia-  
 nensis caedem. varij rerum motus. multiplices hominum conatus. temporum  
 conditio misera. plebs in plebem armata. Lanij etiam crudele hominum ge-  
 nus Lutetiae in partes recepti Burgundioni fauebant. Rex mente per interual-  
 la vacillante, impar tantis curis, bellicae magis causa, quam rebus profligatis  
 praesidium erat. Anglorum arma volitabant, post longam seculorum seriem  
 maiori conatu, speque repetita. In Aragonia Martini Regis obitu, varij motus  
 animorum erant, de successore deligendo sententijs in omnes partes distractis.  
 res spectabat ad arma. tametsi legibus disceptabatur, inter amplissimas fami-  
 lias

lias multiplici causa cognationis, agnationis, propinquitatis, stirpis, capitum  
 iure controuerso. Conuentus de ea re frequentes habiti, nullo initio successu.  
 Petrus Torellius res Sardiniae extrema spe sustentabat, modicis viribus, nullis  
 ex Aragonia auxilijs. Siciliam Cabreræ arma vrebant. Regina etiam Blanca  
 intra Syracusanam arcem obsessa nulla maiestatis reuerentia. filiae periculo  
 permotus Vasconum Rex, confecta Gallica expeditione, rediens in patriam,  
 Barcinonem tenuit, quarto Kalend. Ianuarij, principio anni millesimi qua-  
 dringentesimi vndecimi. Reginae liberandae consilia communicata, in patriam  
 que reuocandae: quando nulla prole suscepta, alieno nomine proprio periculo  
 Siculorum rempublicam procurabat. Castellae prouinciae Rege minori Catha-  
 rinæ matris, & Ferdinandi patris auspicijs regebantur, partito tamen imperio.  
 quae res exitialis esse potuit: & multi corruptores aderant, Reginae insidiantes  
 auribus. Ferdinandi prudentia, & dexteritas in bonam vertit: cui tantum om-  
 nes ea tempestate, quantum suis quisque parentibus, debere profitebantur. bello  
 Mauricio ex sententia confecto, illustrior euaserat, inducijsque mensium septen-  
 decim Hispali concessis, rebus in Baetica constitutis, in interiori prouincia  
 maturabat. Cum nouorum motuum suspiciones exortae sunt. Fridericus Bene-  
 uentanus Dux, quem in costodiam missum superioribus annis dictum est, Ioan-  
 ne Apontio Montis regalis praefecto interfecto euaserat. magnam ea res Fer-  
 dinando solitudinem inculsit, ne pacem pulcherrime stantem turbaret homo  
 praepotens, nobilitate regia. itinera versus Lusitaniam obsessa, exitusque omnes  
 interclusi. ille forte an consilio ad Vascones aufugit Regis sororij opibus, ami-  
 citiaque fretus. contra res accidit. nam a Rege Vasconum in patriam reuerso,  
 Ferdinando per legatos expetenti datus ad Almodouaris arcem in agro Cor-  
 dubensi repetito carcere, eundem captiuitatis, & vitae finem habuit. Vni Lusi-  
 tani opima pace florebat: nouusque Rex vitium natalium optimis actioni-  
 bus compensare non desisteat, regnumque nouis operibus illustrare. cenobium  
 Praedicatorio ordini ad Aliubarrotam constituit, partem de Castellae Re-  
 ge victoriae monumentum, vnde & loco Victoriae nomen. Almerinum oppi-  
 dum ad Tagi ripam. Sintrae regiam, alijsque locis magnifica & pulcherrima  
 aedificia constituit. iustitiae cultor eximius, summos cum infimis, atque cum ijs  
 medios in officio continebat. Illud paulo seuerius quod Ferdinandum cubicu-  
 lo praefectum, e templo, ad quod confugerat, quasi ad asylum per vim extra-  
 ctum igne combussit. vitium Beatricae Castriae, quae in obsequio Reginae erat,  
 illatum obijciebatur. illa etiam aula exacta. sic res Lusitaniae erant, vt pa-  
 ce publica fundata in Africam arma transferre, aduersus Maurorum gen-  
 tem, non dubitarent: quod ei nationi principium magnae felicitatis aditus-  
 que ad gloriam fuit. Hic erat rerum status, in vniuersis prouincijs. Ponti-  
 ficum dissidium, quem exitum esset habiturum, suspensis animis mortales  
 expectabant. maiori animorum aestu, recens de Aragonio regno controuersia  
 in Hispania agitabatur.

*Nouem in Aragonia iudices designati. Cap. I I.*



ATLAVNI, Aragonij, Valentini, quæ nationes Aragonijs Regibus parent, suos quique conuentus habere, de summa rerum solliciti, & quem potissimum Regem dicerent deliberaturi, studijs in partes scissi, neque in vnam sententiam conspirantes. suas singuli candidati clientelas habebant, propriosque fautores. quisque sui beneficij regnum facere cupiebat: nouumque Regem officio obstrictum habere. Vrgelitano Catalauni ferme fauebant, atque in ea gente nobilissimæ familiæ Cardonæ atque Moncadæ: in Aragonijs Alagonæ Lunæque, non minori potentia atque nobilitate. prorsus vt Antonius Luna studio incensus, Gasiam Herediam Cæsaraugustanum Præfulem, vnum maxime repugnantem Vrgelitano, ad Almuniam oppidum, insidijs exceptum, simulata beneuolentia ferro peremerit. Graue id scelus visum est: caputque sacrilegum diris execrationeque ritu Christiano defixum. ab Vrgelitano multorum studia, facti atrocitate alienata: infaustum fore principatum, atque iniustum ominantium, cuius tale specimen extaret. Inter proceres Aragonios tumultus concitati, ad armaque concursus, alijs vlscisci scelus, alijs defendere parantibus. celeritate opus erat: grauiioresque indies metus proponebantur. Ex Gallia, atque Castella sese militares copiæ ostentare, ferro regnum, nisi vltro daretur, paratæ vindicare. Missis inter prouincias legationibus, reque diu & multum agitata, conuenit, vt controuersia finiendæ ea forma esset. nouem iudices darentur, ex singulis nationibus terni. ij in arce Caspe, quæ in Aragonijs finibus est, conuenientes, auditis partium rationibus, in causâ pronunciarent. quod sex saltem eorum decreuissent, id ius, fasque esset, modò in eo numero ex singulis gentibus singuli. Secundum id decretum, hi delecti. Dominicus Oscensis Episcopus, Franciscus Aranda, Berengarius Bardaxius, Aragonij omnes. è Catalaunis Sagariga Tarraconensis Archiepiscopus, Valseca, atq; Bernardus Gualbius. præterea è Valentinis, Vincentius Ferrerius, cuius ea tempestate insignis erat opinio sanctitatis, ex Prædicatorio ordine, ex Carthusiano eius frater Bonifacius Ferrerius, atque cum his Petrus Bertrandus. rem inauditam, atque mirabilem paucorum hominum iudicio, amplissima regna dari, auferrique. Euocati candidati. affuere nonnulli, alij misere legatos. Ferdinandi partes Sanctius Rogius Palentinus Episcopus, & Dieghus Stunica Begiaris regulus implebant. pro Vrgelitano aderat Semen ex Franciscano ordine Melitensis Episcopus, quo multum is Princeps & familiariter utebatur. singuli sacramento adacti, id ratum habituros, quod iudicum sententia staret. vnus Ludouicus Andegauensis venire assentiri iudicio recusauit, causæ diffidens an armis certare malens. certè quatuor iudices, sibi suspectos esse accusauit. Friderici Lunæ Comitis nulla fermè à iudicibus ratio habita. minor ipsius ætas, nulli fautores erant: iustus ex nuptijs procreatum non esse opponebatur: neque nouum inducendum exemplum, obscurandamque Aragoniam successionem vitio natalium disputabant. Alfonso Gandiæ Dux, eoque in ipso ardore controuersia defuncto, filius, fraterque facilè exclusi: quòd remotiori agnationis gradu proximos Aragoniæ Reges attingerent. Vrgelitanus, Ferdinandusque relinquebantur, non vna via ad victoriam contendentes. Afferebat Vrgelitani legatus, foeminas à regia

regia hæreditate maiorum instituto semper exclusas. tumultus concitatos Petro Rege, quòd filiam Constantiam, regni hæredem renunciare voluisset. Ioanne Rege defuncto, vtranque filiam exclusam, Ioannam, Violantemq; neque esse quod ante præiudicata nouis contentionibus retractarent. neque exoletis veritate exemplis stare ius, sed recentissimæ cuiusque consuetudinis vi, atq; auctoritate. exclusis foeminis, earum filios admitti iniquum videri: neq; transmittere ad posteros posse, quod habituræ nunquam essent, si maximè superviuerent. Vrgelitanum à Martino Rege Aragoniæ Procuratorem, Magistrum equitum sub mortem creatum, voluntatis atque iudicij argumento certissimo. Hæc Vrgelitani causæ fundamenta. Ferdinandi autem legati, à Vincentio Aria Placentino Episcopo, qui magnam sibi laudem ex iuris peritia professioneque quaesierat in Hispania instituti foemineæ successionis ius tanquam imbecillum prætermittens, regnum iure sanguinis dari confirmabant, descendentibus que & ascendentibus recta serie sublatis, agnatos è latere succedere propinquitatis gradu, eorum sexu & ætate consideratis, neque in stirpem vocandos. id iure communi rectum esse, proprio obseruatum. sic Alfonso Ramiri Regis nepotem auitum regnum suscepisse. sic ipsius Alfonso voluntatem, filiam ad regnum euocantis, si alia proles deesset, à magnis iuris peritis irritam fuisse iudicatam. quid enim an in regni successionem, vbi tam graues curæ sunt, non is potior iudicabitur, qui ex regia familia ortus, propinquioriq; gradu nixus, sexum, ætatem, regiasque virtutes afferat: quam qui minori propinquitate regias attingunt, quamuis per viros ducta prosapia? Sed quoniam hæc controuersia sæpe agitata, sæpe recurret, locus admonet, vt de iure regie successionis, & quibus modis pareatur, pauca in commune repetantur.

*De iure regia successionis. Cap. III.*

RAVIS disputatio suscipitur, varia, multiplex, spinosa, tantaq; difficultate impedita, quantam hæcenus explicare pro dignitate nemo potuit, quamuis multis ingenijs & temporibus in eius inquisitione consumptis. Cæteris principatum generibus, regium esse præstantius in confesso est, naturæ legibus consentaneum, vniuersitatis cælique rectionem ad vnum caput reuocantis. Quod primi homines prouidentes, qui propius aberant ab ortu, prima & meliori progenie, eoq; facilius rerum naturam intuebantur, amplexi sunt. alias regiminum formas tempus inuexit. inde illæ voces natæ. Multos esse Principes non est bonum: Rex vnicus esto. Initio quidem cum nulli Principes essent, voluntate eos ac suffragijs populorum in rerum fastigio collocari necesse fuit: quorum ætas, prudentia, spectataque virtus præ cæteris emicabat. Dubitatum deinde, vtrum commo dius foret, & salutaris rebus humanis, vno Principe defuncto, filios, propinquos ve ex eadem familia successores dari, an eligi ex omni multitudine, qui omnibus esset imperaturus. quod diu institutum in plerisque gentibus tenuit, prouidentibus, ne regia potestas data ad salutem, diuturnitate imperandi, certaue successionem degeneraret in tyrannidem. & filios sæpe paterna indulgentia, aut

copia voluptatum corrumpi, & parentibus esse dissimiles non ignorabant. Is mos in Hispania tandiu viguit, quandiu Gotthorum in ea imperium stetit. Imperio & legibus commutatis, hæreditariam successionem, vt ferè in alijs prouincijs, tempus inuexit: populis Principum voluntati blandientibus, & contra experimenta suæ nimium spei indulgente multitudine: Principumque filios ex nobilissimo sanguine procreatos, & in plena sanctitatis atque pudicitæ domo educatos, similes fore maioribus augurante. Fefellit eos opinio, spesque concepta, non parum sæpe: Principesque reipublicæ dati, vitijs & prauitate fœdi. sed id incommodum atque periculum considerabant multis bonis compensari. Maiorem Regibus reuerentiam exhiberi, ex Regibus auis atq; atauis natis. 10 Res hominum opinione maximè gubernari. pereunte obsequio etiã imperium intercideret. & ferunt æquiore homines animo quem Princeps infeliciter genuit, quàm qui electus est non malè. Perpetuæ reipublicæ perpetuos quodammodo Principes dari. Res communes diligentius quasi proprias curari ab eo qui posteris esset, quam acceperat relicturus potestatem. Interregni turbulenta tempestates auferri, quasi continuato principatu. Graues de successione contentiones simultatesque vitari. Legibus tantum circumscripta constrictaq; successio est: quas Principibus mutare non liceret, populi voluntate, suffragioq; regnum adeptis, certis conditionibus, legibusque munitum. Eæ leges pars in æs incisæ, in tabulasque relatæ, pars moribus institutisque singularum prouinciarum conseruata. sed de scriptis legibus quomodo intelligendæ sint, dubitatum sæpe est: consuetudines sæpe pro rerum conditione mutantur. Inde totius controuersie difficultas extitit, quam scribentium diuersitas magis etiam obscurauit. Filios patribus in regno succedere receptum est, ac ferè virili sexu, natuque maximos: sed vbi superstite patre, è pluribus filijs maior natu decessit prole relicta, nepos auo defuncto an eius patruus præferri debeant, dubitatum sæpè est, illustriaq; in vtranq; partem exempla extant, tum in Hispania, tum in cæteris prouincijs patruis aliquando, nepotibus prætermisissis, regnum adeptis, non nunquam è contrario nepotes ad regnum vocati sunt. Quod æquitati esse, atque legibus magis consentaneum, plerisq; visum est. in auti regni spem natos, atq; educatos, non esse ea spe, eoque iure spoliandos: acerbumque videri patris obitum, noua filiorum calamitate cumulari. Illud maiori sententiarum varietate disputatur. Omnibus liberis sublatis, aut nulla prole suscepta, ex agnatis qui succedere debeant, Rege defuncto. finge illi fratres, sororesq; fuisse. an nati ex sororibus, an ex fratribus: an stirps consideranda, an singulorum agnatorum capita inter se, non secus ac si filij essent, comparanda, sexus atq; ætatis discrimine perspecto. præterea an gradu remotiori præferendus sit, vt nepos maioris fratris patruo, aut amittæ. Sane in cæteris bonis, quæ hæreditario iure proueniunt, vtroque modo contingit: legeque imperatoria, quæ lex est De hæreditate ab intestato proueniente, scitum est: auo cum patruis nepotes ex filio defuncto succedere, in stirpem tamen relatos: vt nihil amplius obueniatur omnibus, quam patri si superites esset. idem sancitum, cum defuncto fratri intestato que frater succedit: nam si contingat, alterius fratris ante extincti filios superesse, ad communionem hæreditatis vocandi sunt, in vnam omnes stirpem relati.

Nam

Nam si cum patruo nepotes, aut filij fratrum non succedunt, sed aut hi inter se comparati aui, patruve hæreditatem adeunt, aut qui remotiori gradu propinquitatis defunctum attingunt: in capita vt referantur, & æquas singuli portiones obtineant, necesse erit. ergo in priori hæredum genere repræsentatio suscipitur: excluditur in posteriori. vtrum horum in regno obseruari debeat, cum descendentes sublatis, propinqui à latere ad sceptrum vocantur, magna quæstio est, incredibili sententiarum varietate, exagitata inter iuris peritos. Numero tamen & eruditione potiores, capitum rationem haberi iubent, negant stirpis. Omnia argumenta colligere nostri instituti non est. fontes designare satis habeam. Quod iure sanguinis regnum obueniatur. Dicuntur autem sanguini dari, 10 quæ more, instituto, lege, aut priuata cuiuspiam voluntate, vni cuiuspiam familiæ destinata capiuntur, non iudicio & voluntate vltimi possessoris: vti alia quæ hæreditario iure proueniunt, pro voluntate mutantur. eoque in pari propinquitate iubent, præstantissimum ex ea familia ad regni successionem vocandum. Quod sceminis, quas ipsa natura ab imperio sciunctas voluit, puerisque ætate minoribus, & curis grauioribus impari aditum ad regnum, diuersa sententia patefaciat: quæ magna pernicies est, omnibusque piaculis procuranda. Reijcienda repræsentatio, quasi iuris figmentum, neque extendenda ad ea, quæ 20 expresse legibus sancita non sunt. quid enim, an commentis fictionibusque susceptis rempublicam præstanti gubernatore spoliabimus? atque in manifesta pericula incommodaque scientes prudentesque præcipitabimus? vanasque cogitationes & argumenta, multorum salute potiora iudicabimus? At parentes in posteros omnia sua cum generatione transfundunt. verum in iure quæsitum: in futuro, si superstites essent, non item. At in minoribus principatibus hæredes reuocantur ad stirpem. negant id quidam. deinde si concedatur, non continuo verum est in regni id successione seruari debere: vbi multa propria sunt ab alijs omnibus hæreditatibus discreta. sed vt in pauca disputationem conseramus, sint ex iustis nuptijs, modò iusti filij, imperijque sanctitas, cum coniugij sanctitate iungatur, in pari propinquitate è latere succedentium in regno, qui 30 ætate, sexu, virtutibus præstantior est, ei regnum deferatur. tametsi iure successionis controuerso eam sequi partem rempublicam posse non negamus, modò voluntate, certoque iudicio, quæ rebus & tempori erit maximè accommodata. vnde varia in vtranque partem, illustriaque exempla manarunt. Quod si priuatis Prouinciæ legibus aut more secus est sancitum, illis standum putamus. nostra disputatio ex ipsis naturæ principijs procedebat, & iure communi. Constat etiam iura regnandi in armis plerunque homines ferè, malis artibus ambitiosos, atque vácordes: & qui minus iure, plus viribus nonnunquam potest. silent autem inter arma leges: nemoque est, qui oblatam facultatem regnandi, iudicium arbitrio permittat. prorsus vt miraculi instar fuerit, Aragonia comitia sine 40 offensione, sine sanguine, prosperum cursum ad exitum tenuisse. vt proxima narratione est explicandum.

*Ferdinandus, Rex Aragonius renunciat.**Caput. IIII.*

N n n

REBUS



E B V S maturis, collatisque inter se iudicum suffragijs, pro op-  
 pidi templo, amplum suggestum constitutum est aureis peristro-  
 matis contextum, vnde esset in omnes partes despectus. In nobi-  
 liori parte iudices considebant: in alia Principum legati. Aderat  
 Benedictus Pontifex, magna consilij suscepti pars. Oscensi Episco-  
 po sacris de more operato, Vincentius Ferrerius, cuius sanctitati à cæteris pri-  
 mæ partes deferebantur, luculentam orationem habuit, à diuinis verbis exor-  
 tus: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni.  
 Post turbidas tempestates, serenum consequitur: nostraque nauis sæuis pelagi  
 fluctibus tan diu exagitata, naucleroque destituta, exoptatum tandem portum  
 occupat. E templis quasi è colloquio Dei Opt. Max. venientes, non minore  
 religione apud vos verba faciemus, quàm modò ante aras vota pro communi  
 salute suscepta sunt. vos quoque pari animi pietate audituros confidimus.  
 Quid autem in Rege deligendo antiquius opportuniusque, quàm de regni di-  
 gnitate sanctitateque disputatio? sed eam tempus intercludit. Reges sanè in-  
 tituti, qui Dei summi Regis vice munereque fungerentur in terris. debet er-  
 go is probitate proximè ad diuinas virtutes accedere: debet quidquid in cæ-  
 teris pulchri honestique est, id omne solus ipse præstare: quem maiorem  
 conditione mortali, & quasi de cælo dilapsam heroem subditi populi in-  
 tueantur, admirentur, colant. non suæ, sed reipublicæ salutis, commodisque,  
 dies noctesque prospicere. Verùm hæc pluribus explicare Rege absente, non  
 attinet. Quæ tamen Rege deligendo considerata fuisse diligenter putate quot  
 quot adestis omnes. vobis obsequium persuadere necessarium, sine quo frustra  
 tantus labor susceptus esset, vanaque esset auctoritas imperandi. Politis priua-  
 tis cupiditatibus, vniuersi Deum præ oculis habentes, in commune consulite: at  
 que eum optimum Principem fore vobis persuadete, qui tanta consensione ani-  
 morum, quod diuinæ voluntatis certum argumentum est, fuerit datus: hunc  
 que diem festum lætumque agere. tantumque optimo Pontifici & Maximo,  
 qui præsens est, tantum sapientissimis iudicibus, quorum labore, industria,  
 diligentia, res tanta ad exitum perducta est, omnes debere, quantum suis  
 quisque parentibus existimate. Secundùm hæc verba, suspensis animis, quem  
 res exitum esset habitura, cuncti expectabant. Iudicum sententia de scripto  
 eiusdem voce pronunciata. Vbi ad Ferdinandi nomen ventum est, tum Vin-  
 centius ipse, tum cæteri præ lætitia vix se animis continere: vitam, victo-  
 riam, felixque regnum nouo Regi ingeminare: alij alios intueri mirabun-  
 di, velut somnij vanam speciem: suarum aurium fidei minimum creden-  
 tes, rogare proximos: vix inter se intelligere præ clamore, & quoniam vnum  
 gaudium omnium aliorum sensuum officium occupat, cunctorum ferè qui  
 aderant animos. Pro diuino munere laudes continuò numini decantatæ. Ge-  
 sta hæc sunt pridie Kalendas Iulij. Soluta conuentu legati ad Ferdinandum  
 missi, qui ad regnum capessendum inuitarent. Conchæ is in Celtiberis erat,  
 quorsum comitia euaderent expectans. missæ ex omnibus partibus legationes,  
 quæ gaudium afferrent, aut simularent: ac nominatim à Sigismundo, qui su-  
 periori mense Maio in Germania fuerat Imperator salutatus, pace quàm  
 bello

bello felicior, dissidioque inter Pontifices sublato, clarissimus breui futurus.  
 Ferdinandus rebus compositis Cæsaraugustam abiit: vbi Aragoniæ Rex à  
 cunctis ordinibus ad tertium Nonas Septembris proclamatur. In eius & Al-  
 fonsi filij, quasi successoris futuri verba iuratur. Alfonsus Castellæ imitatio-  
 ne Gerundæ Princeps vocatur. Affuere cæteri candidati. Fridericus Lunæ  
 Comes, Alfonsus Aragonius junior Gandiæ Dux. vnus Vrgelitanus Comes  
 non interfuit, excusata valetudine: re ablatum iniuria regnum (sic existima-  
 bat) armis obtinere cogitabat. & quoniam modicæ factiõis vires erant,  
 Anglica auxilia euocare parabat, Clarentiæ Duce in fœdus attracto. Nouum  
 10 Regem ea sollicitabat cura. scintilla sæpe contempta excitauit incendium. sed  
 ad Sardinia Siciliæque motus compescendos, primum omnium animum re-  
 tulit. Genuenses, qui ad Sardinia imperium aspirabant, tanti Regis ad fa-  
 mam excitati, missis legatis Cigala, Perseoque inducias quinquennes impe-  
 trarunt. In Sicilia Bernardus Cabrera ad Panormum hostium improviso  
 concursu captus erat, atque ad Tauromenium in arce Mota in custodiam  
 erat traditus, seueriorem quàm grauitas personæ, & res olim præclare ge-  
 stæ postularent. sed vafano amoris congruens supplicium, quo Regiæ nu-  
 ptias expetierat, modestiæ immemor, ætatisque. Lihorius maris Siculi Præ-  
 20 fectus ex priuata similitudine Cabreræ infensus, auctor præcipuus eius calami-  
 tatis exitit. Noui Regis importuna efflagitatione, vix tandem è custodia  
 dimissus est, è Sicilia discedere, seque quamprimum ad Regem conferre causam  
 dicturus in Aragonia iuratus. pax rebus Siculis reddita ex longo inter-  
 uallo. Vniuersa verò Sardinia sub Aragoniam ditionem reuocata Guillelmo  
 Narbonensi Vicecomite conciliato, atque pro vrbe Sassari, quam occupa-  
 rat, alijsque ea insula hæreditarijs principatibus, æqua abs Rege com-  
 pensatione facta. sic res Aragoniæ erant. In Gallia Archimbaudus Fuxensis  
 Comes diem obiit, quinque filijs relictis, Ioanne principatus hærede, Ga-  
 stone, Archimbaudo, Petro olim Fuxensi Cardinali, præterea Matthæo Con-  
 uenarum Comite. Ioanni, Vasconum Regis filia Ioanna nomine, connubio  
 30 iuncta est: eaque sine prole defuncta, ex Maria secunda coniuge Caroli La-  
 brei filia, filios suscepit, Galtonem natu maiorem, & Petrum Lautrechij Vi-  
 cecomitem, Lautrechij familiæ conditorem, rebus bello paceque gestis ad no-  
 stram memoriam in Gallia clarissimæ.

*Vrgelitanus capitur. Cap. V.*

40 
 E S Aragoniæ foris quidem quietæ erant, domi turbatæ, Vrgeli-  
 tani Comitibus importuna ambitione. in Castella induciæ Mauris  
 expetentibus superiori mense Aprili fuerant in mensem septimum  
 decimum prorogatæ. Pecunia in bellum Mauricum à populis antea  
 redacta ad centum aureorum millia, Ferdinando nouo Regi concessa est, pro-  
 pensissima totius prouinciæ voluntate. morum comitas, atq; naturalis ingenij  
 dexteritas cunctorum conciliabat animos. equites, peditesq; magno numero se-  
 cuti, opportunum vtrunq; motibus pacandis subsidium. Graue Aragonijs custo-  
 diam

diam corporis sui, regni, quod vltro delatum erat, firmandi spem in peregrino milite poni, damnata prouincialium fide, quam à cōdito regno inuiolatam suis Regibus præstitissent. Vrgelitanus Comes ad Regem cum copijs Ilerdam progressum, legatis viris primarijs, se in eius potestate fore professus est. ad quintum Kalendas Nouembris mandata à legatis exposita, Vrgelitanique nomine in Ferdinandi Regis verba iuratum, fictè, vti rerum euentus declarauit. sed tanti erat Castellæ copias, quacunque ratione ex Aragonia depellere. A Rege & Benedicto Pontifice colloquium Dertusæ habitum: iusque Aragonijs in eo congressu imperij Siciliæ atque Corsicæ venia Pontificis confirmatum est. Barcinone Catalaunicæ gentis conuentus agitati sine huius anni & principio proximi millesimi quadringentesimi tertijdecimi. In his conuentibus Vrgelitano pacando omnia concessa sunt, quæcunque eius nomine legati postularunt. verùm ijs blandimentis ferox animus nihil placatur. collectis suorum copijs, atque Gallicis auxilijs euocatis, regnum armis occupare cogitabat. Rex periculum veritus, ne modica negligendo, magnæ inclinationes fierent, delectus militares vniuersa prouincia habet. quadringenti equites à Catharina Regina è Castella opportunè missi. Regi Vasconum suæ gentis auxilia mittere proficenti remisit, odij vitandi causa. Gotifredus tantum Cortesius Comes, Vasconis filius nothus, cum equitum ala auxilio venit. Iusto exercitu conflato in Vrgelitani ditionem impetus factus est: ipsamque urbem Balaguerim principatus caput, copix promotæ: quò se propter loci firmitatem Vrgelitanus contulerat. obsidio diuturna fuit. interim eo tractu oppida in Regis potestatem redacta. Vno tempore à Gallo & Neapolitano Regibus legationes venerunt. Gallus renunciabat, Burgundionis insolentia, Parisiensis populi tumultu, res in extremo sitas. ipsam, & filium, aliosque Principes captiuorum instar esse. rebus profligatis ferret opem memor humanitatis atque amicitix, quæ inter vtranque regiam ab antiquis temporibus extitisset. Ladislaus Rex de belli societate aduersus Andegauensem appellabat. Aragonia regna repetiturum bello, nisi communibus armis repulsus esset. respondit Ferdinandus: Gallis quidem, dolere se nobilissimi regni calamitate. quod peterent curæ fore. Ladislao autem, se amicitiam non repudiare oblatam. Cùm Andegauensi omnia necessitudinis iura intercedere: competitorem extitisse, hostem nunquam. Pacis se potius auctorem, quàm belli socium fore. sic dimissi legati. Obsessi omnibus malis oppressi, ad deditiōem procliuēs erant. Isabella Vrgelitani coniux ad Regem egressa est: si viro veniam impetraret. fides tantum data inuiolatam, si venisset fore. Res in extremo erat. Ergo conditione accepta, pridie Kalendas Nouembris ad Regem egresso, atque in genua procumbenti, infimis precibus, vt iuuenili errori ignosceret deprecanti: tamen commisisse videbatur, vt capite plecteretur, vitam tamen dare dixit. De libertate atque principatu nulla mentio. Ilerdam in arce custodiendus mittitur. Mox vrbe Balagueri dedita, rebusque alijs eo tractu compositis, lege maiestatis postularus, bonis publicatis, perpetuo carceri mancipatur. & ne tumultus causa in Aragonia existeret, propter vigentia partium studia, in Castellam missus est, Vrenia arce ad custodiam designata. vbi primum,

primum, deinde Moræ, Setabi tandem ad vitæ finem retentus fuit, miser non magis amissi regni memoria, quàm patriæ desiderio. Antonius Luna, qui Loharrim arcem præsidio obtinebat, ea dedita ex Aragonijs finibus fugatus est, ditione omni in regiam potestatem redacta. Hunc intestini Vrgelitani motus exitum habuere, expectatione hominum, metuque prouinciæ faciliorem.

*Concilium Constantiense indictum. Cap. VI.*

10 **C**ONCVRSVS oratorum ex toto orbe Christiano ad Cæsarem Sigismundum fiebat, rebus ecclesiæ turbatis in eo præsidium fore, cunctis nationibus sperantibus. Consensu tribus Pontificibus denunciatum, vt sine frustratione concilium generale haberi sine-  
 20 rent: ipsi abdicato pontificatu, in Patrum essent potestate. eatenus simulationem prorsus & imaginem deponendi imperij tantum fuisse, distinden-  
 dis ea spe mortalium animis, nullam synceram voluntatem. Ioannes & Gregorius æquas aures ijs postulatis præbere videbantur: Benedictus præfractor. Eius  
 30 flecendi cura Aragonio Regi commendata, legatis ad eum à Cæsare, atque Rege Gallo, viris primarijs. Qui pace publica fundata domi, forisque, quasi ad triumphum nullis hostibus, Cæsaraugustam abiit. in ea vrbe regium insigne  
 40 desumpsit tertio Idus Februarij, salutis anno millesimo quadringentesimo  
 1414 quartodecimo. Tarraconensis Episcopus coronam capiti imposuit, quam Catharina Castellæ Regina dono misit, magni ponderis, aurum distinguentibus gemmis: materiam vincente operis pulchritudine. affuere legati Principum: proceres magno numero: Bernardus Cabrera Aufæ Modicæque Comes cum nouo Rege reconciliata gratia, Henricus Villena, Calatrauæ magisterio nuper ablato deformis: quod Maria Albornocia prædiuite scemina, Alcocerio, Salmeronio, Valdoliua, alijsque Infantatus oppidis dotalibus quasi irrito coniugio repudiata, Henrico Castellæ Rege obtinuerat. ne maiorum opes ei militiæ cederent prouidendum erat. ergo Tineum, Canicam, &  
 30 Villenæ principatus iura Regi donauit: tanta erat cupiditas eius honoris impetrandi, haud diuturni futuri. Milites eo coniugio soluendo fraudem subesse existimantes, instauratis comitijs, Ludouicum Gusmanium, amoto Henrico cooptarunt: vnde dissidia in sextum annum tenuerunt, militibus in vtranque partem distractis. donec Pontificis consensu in Cisterciensi conuentu hoc ipso tempore secundum iura & merita Ludouici emuli est pronunciatum. Henricus in tantis litteris, tantaque eruditione, parum sibi sapuisse visus est: repetitoque coniugio egenus, vitæ reliquum exegit. Soluta Cæsaraugustano conuentu ad res ecclesiæ componendas conuersi animi. Morella oppidum in ditione Valentina, Catalaunis, & Aragonijs finitimum Benedicti Ferdinandi; colloquio designatur. ad quintumdecimum Kalend. Augusti eo loco congressi sunt. Magni Pontifici honores sunt habiti. venientem Rex ipse pedes sub umbella in templum vsq; equitem deduxit. inde ad hospitium vestis caudam gestauit. prandenti die proximo, cum splendidum conuiuium parasset, ministravit ipse, Henricus filius pincernæ partes impleuit, aureis argenteisque vasis & lancibus

substitutis pro stanneis, quibus Pontifex utebatur mœroris argumento propter  
 dissidium de pontificatu summo. Quæ blandimenta non magis maiestati data  
 sunt, quam promerendo peruicaci hominis animo. Itaque crebris sermonibus,  
 de pace, ponendoq; per conditiones pontificatu actum est. difficilem se Benedi-  
 ctus præbebat, difficiliore aulici discrimen ac dedecus, si ita fieret, ostentantes,  
 & fidem in libidine victoris. Quinquaginta dies magnis altercationibus exi-  
 guo fructu consumpti. Quo tempore ex Italia renunciatur, Ladislaum Regem  
 Neapolitanum diem obiisse. Augusti sexto die Neapoli defunctus est, veneno,  
 uti vulgò opinio fuit, in ipso certè felicitatis cursu, quo ad totius Italiæ impe-  
 rium aspirare videbatur. Ioanna soror ex Gailllelmo Duce Austriaco, cui iunior  
 nupserat vidua, supra triginta annos nata, Regina est salutata, nihilo sanctius  
 honestiusque superiore Ioanna Regina habitura regnum, pudicitiamque. No-  
 uæ tamen spes excitatæ initio, multis Principibus eius nuptias ambientibus: ac  
 nominatim missis legatis in matrimonium pacta est Ioanni Ferdinandi Re-  
 gis minori filio. lætus adolescens, quasi ad certas nuptias in Siciliam nauiga-  
 uit. Iacobo illa Borbonio Marchiæ Comiti, præstanti corpore formaque nup-  
 sit. Pandolfus Alopus conspicua forma iuuenis maiorem apud Reginam gratiæ  
 locum obtinebat, quam imperij grauitas, muliebrisque pudicitia postulabant,  
 non sine aliorum procerum obreçtatione atque inuidia. spes certè Arago-  
 nia frustrata est. Concilio celebrando delecta Constantia, magno Sigismun-  
 di gaudio, in cuius ditone ea ciuitas erat. Itali atque Galli Patres conue-  
 niunt. Gregorius Pontifex cum liberis mandatis mittit legatos. Ioannes æmu-  
 lus etiam accedit, gratia Cæsaris, & ingenij dexteritate confusus. Benedicti  
 peruicacem animum, ut idem faceret, flectere Ferdinandus non poterat. mul-  
 tiplices animorum motus erant, varij conatus, rerum conditio misera. Con-  
 uenit uti ad Sigismundum missa legatione locum colloquio peterent: ventu-  
 ros Benedictum atque Ferdinandum. in eam rem Ioannes Ixarius delectus,  
 omnibus corporis & animi, litterarum prudentiæque ornamentis, ea tem-  
 pestate clarissimus: adiuncti alij viri præstantes. à Castellæ Regina Die-  
 ghus Anaia Conchensis Episcopus, & Martinus Corduba regiæ cohortis  
 præfectus, Constantiam legati sunt. Ex omnibus nationibus Patres frequen-  
 tes conuenere, omnino trecenti. faciendæ concordiæ studium, tædium præ-  
 sentium malorum incitabat. Concilium Nonis Nouembris inchoatur. In Ara-  
 gonia Iudæi magno numero Christiana sacra populariter susceperunt. Vin-  
 centius Ferrerius suator præcipuus: Benedictique Pontificis consensu, ha-  
 bitæ de religione disputationes, peruicacem alioqui gentem traduxerunt  
 ad sanitatem. resistentes malo compelli visum est. graues in Iudæorum  
 gentem leges promulgatæ. Extatque Benedicti edictum Valentia in Ede-  
 tanis quinto Idus Maij datum, pontificatus anno vigesimo primo, cuius  
 hæc præcipua sunt capita. Thalmuditici libri vetantur. Conuitia in nostra  
 sacra puniuntur. Nulla Iudæis permittitur potestas iudicandi, aut quem-  
 uis alium honorem in republica obtinendi. Synagogæ nullæ denuò ædifican-  
 tor: vnaque tantum esto in singulis ciuitatibus. Medici, pharmacopolæ, proxe-  
 netæ ex ea gente nulli sunt. Nullus Christianus Iudæis ministrato. Rubro, cro-  
 ceo

ceo ve signo à cæteris distinguntur: viri in pectore, in frôte sceminæ. Usurarum  
 libertas præscinditor, etiam venditionis specie prætenta. Qui Christiana sacra  
 susceperint, ijs ius esto, in propinquorum bonis succedendi nihilominus. Ter-  
 annis singulis ad Christianam concionem audiendam, de præcipuis religio-  
 nis capitibus congregantur. Huius edicti exemplar in omnes Hispaniæ pro-  
 uincias missum est: vnum in templi Toletani scrinijs seruatur. Ipsa nocte, qua  
 Christi Dei nati memoria celebratur, incunte salutis anno millesimo quadrin-  
 gentesimo quintodecimo, nocturnis precibus Ioannes Pontifex, Imperatorque  
 Constantiæ interfuere coniunctis sedibus, aliquanto humiliori Imperator: lo-  
 cis alijs Augusta, Patresque. Proximis diebus de pace agitatum. nulla neque  
 commodior, neque tutior via sese dabat, quam si insignibus pontificatus, nomi-  
 neque se volentes exuerent, Gregorius, Ioannes, Benedictus. Ioanni præsen-  
 ti ægrè quidem, sed persuasum tamen, ut morem gereret. Quarto Nonas Mar-  
 rij in infulis, sacraque veste cum diuina hostia sacrificasset, se pontificatu de-  
 cessurum palam renunciauit. consecutus est magnus omnium qui adcrant plau-  
 sus. Simulatio visa est: cum post paucos dies concubia nocte se Constantia sub-  
 duxisset, nouas capturus spes, veteres repetiturus. ex fuga retractus, abdic-  
 reque coactus pridie Kalend. Iunij, carceri mancipatur. eius custodiendi cura  
 Palatino Comiti demandata: vnde post tertium annum euasit: honoreque pur-  
 puræ recepto, Florentiæ, quæ caput Hetruriæ est, decessit. Corpus in D.  
 Ioannis baptisterio sepultum. thesauris, quos pontificatus tempore congesse-  
 rat maximos, Cosmus Medices potitus est: qui illi gradus & postteris ad am-  
 plissimas diuitias fuit, vrbisque suæ principatum. sic vulgò persuasum. Ioanne  
 in ordinem redacto, aucta Patrum lætitia est, cum Carolus Malatesta Grego-  
 rij Legatus cum amplissimis mandatis, sese post quintum diem eius nomine  
 pontificatu exiisset. Vnus Benedictus multiplicem Patribus iniiciebat curam,  
 ne eo prætermisso, veterum malorum orbis repeteretur, nouo Pontifice creato.  
 Ad ea ergo consilia, quæ paulò ante repudiata erant, auidissimè est recursum:  
 ut loco commodo designato, cum Aragonio, Benedictoque Sigismundus Cæ-  
 sar colloqueretur. neque deerat spes totius orbis terrarum consensum Benedi-  
 ctum secuturum. Nicæa, in ora Liguriæ ciuitas, colloquio est delecta: missique  
 de ea re ad Regem & Pontificem honestissimi legati.

*Colloquium Perpiniani habitum. Cap. VII.*



40 NTEREA Valentia Rex Aragonius Alfonsi maioris filij  
 nuptias insigni celebrabat apparatu. affuit Benedictus, atque ex  
 vniuersa gente principum virorum concursus est factus. spon-  
 sam è Castella Sanctius Rogius deduxit: qui ipso tempore Pa-  
 lentinum episcopatum Toletano mutauit, in Petri Lunæ de-  
 functi locum, Rege Aragonio annitente cooptatus: vir domi, militiæque  
 clarus, præcipua ingenij dexteritate, atque animi magnitudine. Nuptiæ con-  
 sectæ pridie Idus Iunij. Villenæ principatus puellæ dos à patre designa-  
 ta, ducentis aureorum millibus mutatus est. cum esset graue noue ditonis  
 N n n 4 accessio-

accessione, Aragoniæ opes in Castella confirmari. Rex Lusitanus numerosa classe comparanda, ab altero anno districtus erat, non sine finitimorum suspi-  
 cione, ut nulla est Principibus fides inter se. Aragonium præsertim sollicitabat,  
 ne Vrgelitani patrocinium suscipiens, quod fama ferebat, noui regni rationes  
 importuna ambitione turbaret. longè alia mente erat Lusitanus. arma in Afri-  
 cam transferre cogitabat, confirmato regno, sed & numerosa prole felix: quip-  
 pe ex vnis nuptijs, Eduardum, Petrum, Henricum, Ioannem, Ferdinandum, Isa-  
 bellam susceperat, furto genitum Alfonso Barcelosij Comitem. his propter  
 angustiam ditionis, novos in Africa principatus parare cogitabat. Triginta  
 onerariæ erant, septem & viginti triremes, biremes triginta, minora nauigia  
 centum & viginti. In ipso belli apparatu Philippa Regina extincta est. Corpus  
 in cœnobio, quod ad Aliubarrotam recens extructum erat, sepulturæ manda-  
 tum. Cum ijs copijs traiectum in Africam. Septa vrbs freto adiacens, primo  
 impetu capta ad vndecimum Kal. Septembris. Satis constat Corterealem pri-  
 mum in murum ascendisse, Albergueriam porta irrupisse. ambo, virtutis causa  
 præmijs donati, coronisque: tum reliqui, prout cuiusque meritum virtusque  
 erat. Maurorum cædes facta. pars deserto oppido, qua quemque metus agebat.  
 diffugerunt. Africæ sub iugum Hispanorum reuocandæ ab hoc principio spes  
 animis concepta. & quod in alijs Hispaniæ prouincijs factum erat, computan-  
 di annos ratio per Eras Cæsaris, in Lusitania hoc ipso anno antiquata est: com-  
 modiorque inducta à Christi ortu, principio numerandi facta: quod commer-  
 cio aliarum gentium orbisque Christiani consensui datum est. Ad Pontifices  
 redeamus. continenti valetudine impeditus Ferdinandus, Nicæam accedere  
 non potuit, in affecto corpore, quamuis leuis causa timebatur. quod proximum  
 erat, Cæsar Perpinianum, agri Ruscinonensis oppidum in extrema Hispania,  
 accedit. strenuum hominem dignumque immortalis laude, ob perpetuam in  
 adiuuanda republica voluntatem. Benedictus & Ferdinandus, nempe ex vici-  
 nis locis priores venerunt. consecutus est Imperator ad tertiumdecimum Kal.  
 Octobris, armatis equitibus quadringentis stipatus, vili tamen cultu, remotoque  
 & ipse auro & argento, mensarum instrumēto omni ex stanno utens. Venerunt  
 à Regibus Galliæ, Castellæ, & Vasconum legati. In eius colloquij euentu salus  
 publica vertebatur. summa omnium expectatio erat. par cupiditati metus. Rex  
 lecto affixus, tantis molitionibus impar, monere tamen, hortari, obtestarique  
 Benedictum, ut pacem terris ecclesiæque redderet, memor publicæ salutis, me-  
 mor iurisiurandi. Coactum Patrum concilium: quid amplius totius orbis spes  
 irritas faceret? accedendum, aut abdicandum. clarissima duorum æmulorum  
 exempla prouocare. quantum vitæ superesset ad extremam ætatem perdu-  
 cto? Abire pontificatu cum gloria poterat, si libido dominandi ratione regere-  
 tur, tetra cupiditas ceteris affectibus flagrantior. & ille præiudicatum habebat,  
 nihil pro sano facere, nisi malo coactus: diem tantum de die trahere, varijsque  
 excusationibus tergiuersari. Cum duo Principes vrgerent: neque finem obse-  
 crandi facerent, multa de iure causæ suæ locutus, si quid ante controuersia  
 esset, capitis diminutione sublatum ait: duobus æmulis in ordinem redactis, se  
 vnum superesse totius ecclesiæ rectorem. neque deserturum Dei viuētis eccle-  
 siam,

siam, nauemque, ad cuius clauum gubernator sedeat. Quo maior ætas, eo pro-  
 uidendum magis, ne consilij imbecillitate superos offendat, nomini suo igno-  
 minia noram sempiternam inurat. Die quodam septem horis disputationem  
 continuauit, defatigatisque audiendo omnibus ac plerisque abeuntibus dicere  
 perseuerauit, citra vllum defatigationis signum, maior septem & septuaginta  
 annis. Se verum esse Pontificem contendebat: aut ad se noui Pontificis electio-  
 nem deuolutam, vnicum ab indubitato Pontifice Cardinalem creatum. Cum  
 tempus altercationibus duceretur, Sigismundus quidem Perpiniano iratus dis-  
 cedit: minabundusque vi facturum, quod recusaret voluntate. Narbone tamen  
 restitit, si Ferdinandi precibus, qui eam curam desumpserat, perucax Benedi-  
 cti animus flecteretur. nihil impetratum, quin citato se Peninsulam proripuit,  
 oppidi firmitate, quod ad maris oram rupi impositum esse demonstratum ante  
 est, pontificiam dignitatem tueri parans. Quod reliquum erat: à Ferdinando,  
 agitatedum, de eius imperio abdicando. consilij præcipuus auctor Vincentius  
 Ferrerius, qui eius ante auctoritatem constanter erat secutus. Ad octauum No-  
 nas Ianuarij, principio anni millesimi quadringentesimi sextidecimi, regium  
 edictum in eam sententiam promulgatum est. longa consuetudine obtempe-  
 randi, religio paucorum animis infixamanebat: populus vacuus curis, sine falsi,  
 verique discrimine, regiæ se voluntati facile audientem præbebat. Perculit ea  
 res Benedicti animum, vnde officia omnia deberentur, inde initium præcipi-  
 randi exitisse: palamque Regi ingrato, regnum quod dederat, ablaturum mi-  
 nabatur. sed vanæ sine viribus eæ voces erant. Elenora Vasconum Regina  
 Pompelone per eosdem dies decessit, omnino tertio Nonas Martij. sepul-  
 crum ex alabastrite in templo eius vrbs maximo cum inscriptione extat, de-  
 functæ constitutum.

*Obitus Ferdinandi Regis. Cap. VIII.*

**F**ERDINANDI animum ardens cupido incefferat, in Castel-  
 lam migrandi, natiui cæli mutatione, melius habiturum confi-  
 dens, speique, ut solent ægri, nimium indulgens. Cura vtrunque  
 regnum complectebatur: nouaque ex arcano suberat, Castellæ  
 prouincias, vbi studia vigeant, Benedicto subtrahere. eo consilio  
 Barcinone, quò se Perpiniano contulerat, ineunte vere, itineri se dat. corporis  
 agitatione morbus inualuit. in ægro corpore quamlibet leuis causa grauior  
 existit. ad Igualadam, quod oppidum vigesimo quarto lapide abest, restitit: vbi  
 desperata valetudine, sacris Christiano ritu procuratus, extinctus est Aprilis  
 secundo die. regnauit annis tribus, nouem mensibus, diebus octo & viginti. di-  
 gnus longiori vita, eximijs animi & corporis dotibus, forma egregia, & cui  
 non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ. multum ingenij, multum artis, vel  
 fortunæ fuit, ad promerendam omnium voluntatem, non suo tantum, sed quod  
 difficilimum est, alieno imperio. Vulgi vituperatione non caruit: quasi Bene-  
 dictum deseruisset: Castellæ vectigalia, domum auerteret, largus priuatim,  
 quod ex publico auidius suppleret. Corpus ad Populeti humili sepulcro est



conditum. Laræ principatum, Medinam Campeſtrem, Balaguerim Ioanni filio legauit, Henrico Alburquerqueum, Sanctio Montalbanum. Alfonſum natu maximum regni hæredem nuncupauit. Sublatis ſine prole fratribus, ſorum Mariæ, atque Eleonoræ filios nepotesque, hæredes regni ſubſtituit, ipſas excluſit. quod ad memoriam inſigne viſum eſt. Ferdinandi obitu Caſtella in fide Benedicti perſtitit aliquandiu: vbi multi erant eius beneficio deuincti. ac Archiepiſcopi Toletanus, & Hiſpalenſis Exea nomine, eius in primis partes ſequabantur.

*Martinus V. Pont. Max. Cap. I X.*

10



**N** Caſtella noui motus animorum ſubſecuti ſunt, maiorum initia. vnde intellectum, quantum in Ferdinandi virtute præſidij rebus eſſet. Catharina Caſtellæ Regina iuſtis Valliſoleti defuncto perſolutis, vniuerſam regni procurationem ad ſe reuocauit.

14 17

Regis tuendi cura Toletano Præſuli, Velasco, & Stunicæ concredita. Alfonſus Henricus maris Præfectus, Daualus Magiſter equitum factum palam vituperare: ſequæ contemptos fuiſſe iniquis animis ferre. vnde inteſtini belli metus. Cum Mauro Rege biennes induciæ denuo pactæ, ineunte ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptimodecimo: ea tamen lege, vt centum ſingulis annis captiuos libertati redderet. Conſtantiæ patres vigilare, cogitare, ad eſſe animo, atque in omnes reipublicæ partes proſpicere. Noua hæreſis reprobata. auctores Hieronymus Praga, & Ioannes Huſſius ex fuga ad ſupplicium retracti, quamuis noxijs, iure an iniuria dubitatum, quod fide Imperatoris veniſſent: ſed commiſiſſe tamen conſtabat, vt hoſtium loco eſſent. Ad eccleſiæ diſſidia conuerſi animi: Benedictumque ante ſeptimum Kalend. Auguſti diris omnibus deuotum, pontificatu ſpoliarunt. De nouo Pontifice creando diſceptatum. duo & viginti Cardinales aderant, quorum erat ius ſuffragij. ex aliorum Patrum numero triginta Epifcopi, ijs adiuncti ſunt. Quibus in comitia conuenientibus, Othoni Columnæ Romano ciui, atque Cardinali, innoxius, atque inemptus pontificatus datus eſt, tertio Idus Nouembris, Martini quinti nomine, magna gratulatione, tum vrbiſ Romæ, tum totius orbis Chriſtiani, quaſi poſt denſas diſſidorum tenebras luce ſuccedente. eò ſyncerior lætitia, quod omnia in vnum ſuffragia conſpirarunt, linguis, inſtitutis, moribus, ſtudijs, diſcrepantium. rei geſtæ fama cum peruaiſſet, omnia repente ad nouum Pontificem inclinauere. cum Benedicto pauci modò Cardinales perſtitere, fugæ ſocij, neque ij conſtanti fide. prouinciæ omnes deſeruerunt, Principesque, Rege Scoto, & Armeniaco Comite tantum exceptis. ſic Patrum conuentus ſolutus eſt. Sancitum tamen communi conſenſu, vt ex ea die, quinto poſt anno concilium haberetur, alterum ſeptimo, tertium decimo. ex in proprium id legitimumque eſſet, vt decimo quoque anno, generales Patrum conuentus haberentur. Duo Ciſterciensēs monachi à nouo Pontifice ad Benedictum legati, vt orbis potius conſenſum quam priuatum iudicium ſequeretur, monuerunt ipſum, monuerunt etiam Cardinales. Benedictus nihil ijs monitionibus mouetur. quatuor Cardina-

20

30

40

Cardinales Hiſpani omnes purpuræ honore retento, nouisque honoribus aucti ſeſe Florentiam ad Martinum contulere. in quibus principem auctoritatis locum tenebat Cardinalis ſancti Euſtachij, Seguntinus Epifcopus Alfonſus Carrillius, Egidij Carrillij Cardinalis propinquus, Alfonſi Carrillij auunculus Toletani olim Præſulis. Fuit hic annus Galliæ inſauſtus, Hiſpanis lætus. Caſtellæ Regina concedente, Fortunatarum inſularum nauigatio repetita eſt. Ioannes Bentacurtius homo Gallus, inſtructa claſſe, quatuor inſulas ſubegit. maiorem Canariam obtinere non potuit. in ipſo rerum curſu defuncto, Menautes propinquus ſucceſſit, Regi nuncupato Rex. Martinus quintus Mendum monachum ijs inſulis Epifcopum dedit. inter hunc & Menauteſ nata diſſidia, Epifcopo ſuſcipiente gentis barbaræ patrociniū, Menaute ad quæſtum abutente, arrepta poteſtate. Inſulanos quamuis Chriſtianos effectos in ſeruitutem vendeſcit, nullo religionis reſpectu. Petrus Barua cum noua trium nauium claſſe, à Regina miſſus rebus præſidium, inſulas redemptas auro, Petro Perafæ Hiſpalenſi ciui vendidit. Perafæ poſteri uſque ad Ferdinandi Regis cognomento Catholici tempora earum inſularum obtinere principatum. Henricus quintus Rex Anglus Catharinam Galli Regis filiam in coniugium expeſtebat. repulſæ ignominia accenſus, in Nortmanniam claſſe tranſmiſit. inde funeſti belli initium, quo Gallicæ opes attritæ ſunt. ingens de Francis victoria parta. Duces Aurelianus Borboniusque capti. Rhotomagum Princeps Nortmanniæ vrbs longa obſidione capta. Acceſſit noua calamitas. Iſabella Galliæ Regina viro relicto, abducta Catharina filia Turonum ſeceſſit. Burgundio in auxilium euocatus, non modò Reginam, ſed & Regem, vrbeſque Lutetiam regni ſedem in poteſtatem redegit. in Carolo Delphino ſpes erat, contractis vndique copijs Anglorum conatibus obſiſtenti. Inter eum & Burgundionem pacis ſpes tentata. colloquij dies dicta. ad oſtium Icaunæ amnis in Sequanam influentis, in medio ponte clatra lignea extructa, exigua ianua relicta, qua commeandi facultas eſſet. deni armati vtraque ex parte conueniunt. Burgundionem procul Carolus conſpectum compellat, vultu lætitiæ ſpeciem præferente: atque poſt mutuam ſalutationem ad complexum inuitat. referata ianua, rixæ initium fortè an conſilio exortum. Burgundio interemptus: cuius vita non magis funeſta Galliæ, quàm mors fuit. Philippus filius Regem, Reginam, Catharinamque, atque vrbeſque regiam Anglo dedit, tanta erat vindictæ cupiditas. inde innumera mala cladesque extiterunt. Sed hæc aliquanto poſt. neque erat animus externa perſequi, ſatis oneris ſuſtinentibus, noſtrarum rerum commemoratione.

10

20

30

40

*Coniugia Principum. Cap. X.*



**M**EDINAE Campeſtri ſeſe Eleonora Aragoniæ Regina tenebat, numeroſæ proliſ comitatu, atque ſolatijs honeſtis mariti deſiderium tolerans. actum de ineundo coniugio Mariam inter eius filiam, & Ioannem Caſtellæ Regem. excuſabat Catharina Regina minorem filij ætatem, ex arcano in Luſitanum coniugium propenſa:

penſa: vbi Eleonora offerebatur Luſitani Regis filia, diuturnæ concordiaꝝ vinculum, ſic illa putabat, ſic aulici augurabantur. accidit, vt ad quartum Nonas Iunij Catharina Valliſoleti decederet anno milleſimo quadringentefimo octauo decimo, quinquaginta annos nata. procero atque obefſo corpore fuit, in potu largior gentis vitio, ingenio ſimplici & liberali. quæ virtutes in fraudem ab illis vertebantur, qui eius auribus inſidiabantur, obſcuro loco homines: quorum conſilijs ferè regebatur: quæ magna Principum pernicies eſt. in regium Toletani templi ſacellum funus illatum: vbi quindecim ſacerdotes perpetuis ſacris ſuis & Henrici viri manibus quotidie parentare conſtituit. Regiæ obitu magna rerum immutatio conſecuta eſt. Rex quamuis ætate minor, ad regni curam vocatus è tenebris educitur adiuncti viri proceres, quorum conſilijs reſpublica regeretur. Toletanus Archiepiſcopus vti erat vaſto animo, honorisq; quam ſatis eſſet auidior, cæteris contemptis, ad ſe rerum ſummam reuocabat: ſolusq; alio nomine regnare cupiebat, non ſine aliorum inuidia, obſtetatione, q; Gallis legatis auxilia expetentibus, nihil datum. Regis ætas, reipublicæ motus excuſati. De regijs nuptijs repetita mentio: auctoreque Toletano, qui omnia ſe Aragonijs Regibus debere profitebatur, inter Regem & Mariam Aragoniam nuptiæ pactæ ſunt. Octobris die vigefimo primo, principali apparatu Mediæ Campetri ſponſalia data. ſancitum præterea, vt Catharina minor Caſtellæ Regis ſoror, vni ex Aragonijs fratribus connubio iungeretur, nullo eo quidem tempore designato. Ioannes enim inter fratres cælibes ætate maior, Iſabellam Vaſconis Regis filiam deſponſam habuerat: verum eius coniugij ſpes repudiata, Neapolitani cupiditate, vanus is conatus fuit, vti ſuperius dictum eſt: Iſabella tamen Armeniaco Comiti coniux eſt data. Ioannes aliquandiu in Sicilia reſtitit, rebus præfectus in Blanca Regiæ locum, quem pater regni futuram hæredem reuocauit in patriam. viduæ nuptiæ certatim à Principibus ambiebantur. Ioannes Aragonius ob eximias virtutes, & ſpem fraterni regni, cæteris prælatus eſt, dos dicta quadringenta & viginti florenorum millia: cautumque, vt Blanca ante virum deſuncta, quamuis ſine prole, ille nihilominus reliquo vitæ tempore, regnum Vaſconum poſt foceros obtineret. Sponſalia Oliiti in Vaſconibus celebrata ſunt. Dieghus Sandoualius Caſtellæ Antelatus intima familiaritate Ioâni coniunctus, qui illi gradus ad magnam potentiam fuit, paresq; opes, pro abſente Principe vicarius rebus omnibus interfuit. Hæc ſalutis anno milleſimo quadringentefimo nonodecimo geſta ſunt. Quo anno Nonis Aprilis Vincentius Ferrerius Venetiæ in Gallia Armorica obiit, vir eximiè præſtans magnis virtutibus, multisque editis miraculis clariffimus, ante & poſt mortem obitam. Corpus in templo eius vrbs maximo eſt ſepulturæ datum.

*Caſtella motus. Cap. XI.*



**M**OVEBANTVR Caſtellæ regna, quaſi rectorẽ deſtituta nauis. inter diſcordes proceres Regi puero parum auctoritatis erat: imperij cura penes Toletanum, dolentibus cæteris, plus vnum ſacerdotem poſſe reliqua nobilitate. conſilium Regi datum, vt integram libe-

liberamque regni curam ipſe deſumeret. quatuordecim annorum ætatem, ad quam peruenerat, maiorum inſtituto, patrisq; teſtamento, iuſtam legitimamque eſſe capeſſenda reſpublica. Cõuentus Madriti ex omnibus prouincijs habiti. Rex quid ſuæ voluntatis eſſet, oſtendit. conſecutus eſt aſſenſus plauſusq; omnium qui aderant, iuſtum, diuturnum, fauſtumq; imperium acclamantium. Hæc huius anni principio geſta ſunt. Conſilio opus erat. quatuor abs Rege delecti, Toletanus Archiepiſcopus, maris Præfectus, Magiſter equitum, & cum his Legionis Antelatus Petrus Manricus, quem ea ætate virum ſtrenuum in paucis & prudentem fuiſſe conſidero. additus Guterrius Toletus, qui regias tabulas dictaret, magno Toletani dolore, qui ad ſe eam curam reuocabat (quippe ſcrinij Magiſter) in-  
 10 tempeſtiuè ambitioſus. Aderant Aragonij fratres, præcipua iuuenes auctoritate potentiaq; præſertim Ioannes, atq; Henricus D. Iacobi Magiſter. Hos ſibi Toletanus ingenij dexteritate, accommodatisq; ad tempus officijs conciliat. Segobiæ, quò Madrito ad æſtiua itum eſt, tumultus repente cõcitur aduerſus regios. parum aſſuit, quin pars cum parte conſigeret. ne inter fratres quidem ſatis ſida potentia, vbi nimia eſt. Ioannes, Henricusq; in partes diducti. vterque penes ſe rerum ſummam eſſe cupiebat conſortis impatiens. diſtracti proceres. Henrico Daualus Magiſter equitum atque Petrus Manricus fauebant: Ioanni Fridericus Traſtamaræ Comes, Toletanusque. Regis ætas imbecilla ſubitis offenſis, aut  
 20 inſteſtiuis blanditijs mutabilis, cõtemptui magis, quàm timori erat. Corpus vt in ea ætate procerum & candidum: cæterum roboris parum, facies parum venuſta: ingenium mite, tractabile venatione & ludicris certaminibus oblectabatur: neq; à litteris abhorruit: eruditis ſermonibus libenter intererat, verſus ipſe ſermone vulgari non ineptè pangens. Hæc virtutes in puero inchoatæ, ætate ad maturitatem peruenerunt: quas vna incuria, & rerum neglectus corruppebant. breui auditu, quamuis magna negotia tranſigere ſolitus, curis grauioribus impar: vnde aulicis ad magnam potentiam aditus, præſertim Aluaro Lunc, quo multum & familiariter præ cæteris utebatur. Aluarum Regina mater, quod futurum erat verita, ab aula pulſum in Aragoniam amandauit. hoc rectè. illud im-  
 30 prudenter. quòd Regem puerum vſq; ad ſuum obitum Valliſoleti D. Pauli vicinis ædibus, ſex amplius annis limine continuit, erepta libertate exeundi, quinquamve præter miniſtros aulae ad ſe admittendi. Ne à proceribus ſubtraheretur, materiaq; exiſteret rerum nouandarum prouidebatur. miſeram regni dixerim, an Regis conditionem: rectorẽ omnium publico carere, vt ne proceres quidem agnoſceret ſe adeuntes. loquendi audiendiq; commercium auferri Principi, & quaſi in cauea efferari. extingui humanitatis indolem. Indignum facinus: quaſi altilem in auario pullum, mihi ſagineſ, qui ad ſudorem & puluerem natus eſt: in vmbra & inter mulieres creſcat puellæ inſtar educatus: cui corpus debet eſſe potiùs labore & victu moderato duratum, cõtra morborum cauſas, & vt in bello frigus æſtumq; iuxta patiatur? voluptatibus frangas animum, qui dies nocteſq; quaſi in ſpecula præſidere, & in omnes reipublicæ partes debet proſpicere? Næ ea mollities magno ſubditorum damno conſtabit. pueritiæ & adoleſcetiæ maior ætas ſimilis erit, imbecilla, lubrica, dedita libidini, ac cæteris voluptatibus. quod in hoc Principe perſpicimus. deſuncta enim matre, quaſi  
 40 è tenebris

è tenebris, & ex materno utero in hanc lucem rursus egressus perpetuò hallucinatus est. magnitudine negotij obruebatur animus, aulicorum semper obnoxius imperio: quæ maxima perniciēs est: unde continui motus exiterunt & graues. Sed hæc vitia accusare facile est, emendare quis possit? quis quod verissimum est mulieribus munditias, Principibus laborem cōuenire etiam in c̄tate tenera, affirmare audeat, apud eos qui imperij maiestatem mollitiæ, libidine, voluptatibusq; definiunt: ventri & turpissimæ corporis parti seruire, vitæ fructum vel maximum arbitrantur: Principum cupiditatibus indulgere obsequij gratissimum genus putant. ergo hæc mittantur. Principio proximi anni millesimi quadringentesimi vigesimi, Tordesillam in Vaccæis itum est. Henricus D. Iacobi Magister, siue Catharinæ Principis nuptias ambiens, siue vt aduersarios opprimeret, cum suorum manu in id oppidum irrumpens, Ioanne Mendoza regis Magistro, alijsq; aulicis captis, Regem etiam in suam potestatem, pridie Idus Iunij redegit, ablata libera quoquam eundi, aut decernendi facultate. magnum dedecus, grauem reipublicæ ignominiam, Rex obsessus, captus, inclusus. Sed ea indignitate, cæteri per prouinciam proceres ad arma sunt excitati, Ioanne Aragonio Duce: qui nuptijs Pompelone celebratis atque confectis in Castellam post diem quartum sese retulerat, eorum quæ acciderant fama, & multorum litteris euocatus. Abulæ regis nuptiæ celebratæ, modico apparatu, exigua lætitiâ: cum magna pars procerum abesset, Rex captiuus instar teneretur. Henricus se muniendi cura, tria millia equites in eam urbem inuexerat: Ioannes frater sese Olmedi tenebat, vicinis locis parem equitum numerum sub signis habens. ad eum ex vniuersa prouincia concursus facti. infimi, medijs, supremi regis iniuriæ vlciscendæ cōsilia communicabant. colloquij inter Principes tentata spes. Cæterum Regis conueniendi potestas, Ioanni Principi facta non est. Henricus rerum arbiter in præsentia, de futuro sollicitus, regni conuentus in ea vrbe agitari curat. libera suffragia non erant, vrbe à militibus occupata, circumfesso armis senatu. paucis repugnantibus Henricus, quæ gesta erant, omni noxa liberatus est: quin vt facinoris præmium esset Rege concedente, à Martino Pontifice impetratum, vt Magistri D. Iacobi principatus, ditioq; vniuersa Henrici posteris hæreditaria esset. nouum reipublicæ vulnus atq; grauissimum, nisi maiori ætate id decretum à Rege esset rescissum. Quod vnum supererat, Catharina Princeps vna maxime, Henrici cupiditati oblittebat, negans eum virum passuram, qui armis & immanitate extorqueret, quod officijs & beneuolentia erat impetrandum. victa tamen siue imbecillitas, siue inconstantia. nuptiæ Talaueræ in Carpetanis, quo abs Rege Abula itum est, principali apparatu celebratæ sunt. dos dicta Villenæ principatus Ducis nomine. Aluaro Lunæ aulicorum principi pro nauata opera Gormatium oppidum dono datum: qui illi gradus ad supremam potentiam fuit, paresq; opes. Salmanticæ D. Bartholomæi collegium extruebatur, impensa Dieghi Anaix, (qui ipso Constantiensis concilij tempore Conchensem ecclesiam Hispalensi mutarat) amplis vectigalibus attributis, unde collegæ idoneo numero vitam sustentarent. ad exemplar Bononiensis collegij, quod ab Egidio Cardinali, Hispanis iuuenibus litteris informandis constitutum, Italica peregrinatione præsens erat contemplatus. Anaix exemplum æmulati viri principes

tota

tota Hispania multa domicilia litteris ædificauit, annis consequentibus (vnde veluti ex arce sapientiæ viri magno numero prodierunt in omni litterarum genere excellentes) maiora in ea vrbe tria, Vallisoleti quartum, quintum Compluti: minorum numerus iniri vix potest. Vno tempore Aragonijs & Lusitanis ad noua imperia aditum superi aperiebant. Henricus Lusitani filius ex astrorum cognitione, in qua magnam vitæ partem cōsumpserat, suspicatus est in Oceani maris vastitate ad nouas insulas nouasq; gentes cursum patere. missis classibus tentatum, si quod operæpretium existeret. Olisiponem inter & Fortunatas insulas, medio propemodum interuallo, insula hoc anno reperta, angusta quidem spatijs, cæterum eximia cæli soliq; bonitate: vt condensæ syluæ indicio erant, cædua; materia: vnde insulæ Maderæ nomen est factum. Ab hoc principio extrema Africæ littora lecta: atq; ad vltimas orientis Solis oras, Asiam, Indos, Sinas, inuicta virtute à posteris penetratum est, ingenti gloria nominis Lusitani, pari prouentu. Ioannam Reginam Neapolitanam Ludouicus Andegauenis intra Neapolim obsidebat. belli causæ, ducta ex antiquo cum ea regia inimicitia, Reginæ ipsius non satis tectæ libidines. quas Iacobus vir cum sanare non posset, in Galliam abierat: vbi aliquanto post tempore, principali vita abdicata, atq; in cucullati sacerdotis morem detonsus, Franciscanis monachis sese adiunxit. Ludouici adiutor præcipuus Sfortia, magni nominis ea tempestate Dux, Braccij obtrectatione in quem erat Regina propensior. prope res erat cōfecta, cum Alfonso Aragonius Rex eo nomine V. excellenti virtutum indole, recensq; Sardinia domita, pacataque clarissimus, in auxilium est euocatus, regni Neapolitani spe obiecta, ex adoptione Reginæ, quoniam alia prole carebat. occasionem ille amplificandi imperij, quæ vltro offerebatur, non prætermisit. Aragonia classè è Sardinia missa, Neapolitana obsidio dissipata est. operæ premium fuit, in conuentu Principum adoptionis tabulæ recitatæ ad sextumdecimum Kal. Octobr. quam Romanus Pontifex aliquanto post tempore ratam habuit. nihil disputo de iure. magis disputatio facilis est, quàm necessaria. Ab hoc certè principio diuturna bella atq; internecina Gallis & Hispanis nata sunt, alia ex alijs ad nostrâ ætatem nexa. Alfonso Sardinia subdita, Corsicaq; Genuensibus occupanda relicta, in Siciliam maturauit: Panormumq; tenuit, sublata mora, speiq; insistens noui regni confirmandi. ed ardentiori cura, quod ante quintum annum inspectis astris, aut occultiore arte Mathematicis: Cælum, dixerat, Alfonse Rex magna & mirabilia portendit. ad imperium Neapolitanum te fata vocat, breue primum, ne terrearis, neu dimittas animum. Datur tibi certa sedes, ingentes opes, multum hominum. Ad regnum reuocato, tantum copiarum accedet, vt vel venatoribus, etiam opimi principatus obuenturi sint. Deo fretus perge, quâ tua te fortuna vocat, certus omnia prosperè casura, atq; ex animi sententia præclarè.

40

*Henricus Aragonius captus. Cap. XII.*

NON restitere in vno gradu Castellæ motus, calamitatesque graues, à paruis quamuis inirijs concitatæ, Regi super insitam animo ignauiam ablata libertate, ciuili ex ea re discordia. Talaueræ curia

erat,

erat, vti ante dictum est. Rex quasi animo curis vacuo, sese venatione oblectabat. ea specie ad tertium Kalend. Decembris oppido egressus, Montalbani fugam abijt: arcem tumulo terreo impositam, Talaueram inter & Toletum, medio ferme spatio, Tago amne præterfluente, subiecti agri præcipua bonitate. fugæ suæ for, comesque Aluarus Luna, iam tunc Regis potens. ægrè id tulit Henricus, memor patrati facinoris, atque ex conscientia digna metuens. noua audacia raptim contractis copijs Montalbani obsessa: ab impugnatione tamen cessatum. id vnum Regis circumfessi quamuis, reuerentiæ datum est. fiebat concursus procerum, ad eam iniuriam vindicandam, Toletani Præsulis, Ioannis Aragonij, Henrici maris Præfecti. sed par periculum proponebatur, vtraque parte victrice. interim in arce annonæ angustia erat, iumenta, equique profana foedaque in cibos versa. decimo Idus Decembris soluta obsidio est. Henricus Occaniam abijt, suæ ditionis validum municipium, armis defendere bellum paratus. Regi Talaueram repetenti Ioannes, Petrusque Aragonij fratres occurrunt. salutant inter se. Henrici audaciam accusant. ad arcem Villalbani Montalbano vicinam, conuiuio regio excepti. fallacibus blanditijs vtrinque certatum. retro inde redire iussi. Aluarus Luna etiam consilij auctor, solus ad summam potentiam euadere satagens: vnde maiori impetu præcipitaret. Versus ex eo reipublicæ status, fortunaque partium immutata. Talaueram se Rex contulit, in eo municipio natalem Christi diem celebraturus, ineunte anno millesimo quadringentesimo vigesimo primo. mox in Vteriore Castellam itum est, vbi maiora præsidia erant, magisque synceræ provincialium voluntates. Henrico Aragonio Villenæ principatus attributus erat, dotis nomine, vti paulò ante dictum est, magna tamen obrectatione, inuidiaque incolarum, negantium rata fore, quæ vi extorta essent. Contra leges & instituta priorum Regum eum principatum alienari nefas esse, recens pecunia redemptum, ne in Aragonij Regis potestatem veniret. Quid aliud esset nobilem principatum in regni consinibus Henrico tradere, quam publicam salutem prodere, Aragonijs aditum in Castellam patefacere? A verborum disceptatione, ventum ad arma. Henricus præceps natura, cui audacia potius consilia, quam moderata place- rent, missa militari manu, omnia oppida occupauit, vno excepto Alarconio, quod loci firmitate defensum est. nunc iusso discedere ab armis, copiasque dimittere, neque obtemperanti, is principatus regio edicto, viribusque detractus. abrogatum præterea, quod de D. Iacobi ditione erat concessum, vt hæreditaria esset. hæc initia magna rerum moles est infecuta. Henricus enim iniuriæ dolore percitus, Ocania discedens, ad Regem festinare constituit, mille & quingentos equites secum ducens, præsidij causa. Guadarramam ventum. montes superati: atque in ipsum Regis conspectum, qui sese Areuali tenebat, penetratum. periculum erat, ne ad pugnam procederetur. Elconora Regina, de Henrici filij salute sollicita, vltro citroque comendo, impendentem tempestatem depellere conata est. idem facit Lupus Mendoza Compostellanus Episcopus. Persuasum Henrico vt copias dimitteret. pessimi exempli rem esse dictitantibus armis extorquere velle, quod legibus & æquitate posset. Arma tenenti, quid dari posse? cum potius maiestatis crimine teneretur. deponenti omnia ex sententia obu-  
tura.

tura. Regum patientiam exacerbare, paucis impune fuisse. tardos impetus habere, sed vehementes, exitialesque. sic in præsentis discessum ab armis. Blanca Vasconis Regis filia, ad quartum Kalend. Iunij, filium viro peperit, cui Carolo, de cuius appellatione, nomen fuit. Castellæ eum Rex de sacro fonte suscepit, socio adhibito Aluaro Luna, cui eum honorem haberi voluit. nihil tunc immodicum videbatur, crescente hominis gratia. Regni conuentus Toletum prius deinde Madritum indicti. eo consilio in Citeriorem Castellam profecti Rex & Regina Toletum peruenerunt, ad decimum Kalend. Nouembris. Henricus Aragonius, Daualus Magister equitum, Petrus Manricus Antelatus ad eos conuentus euocati simulates excusabant, quæ illis cum viris principibus erant. Inter Alfonso Aragonium, & Ludouicum Andegauensem de regno Neapolitano graue certamen erat. Alfonso sese Neapoli tenebat: Auerfam locis vicinam obtinebant Galli. vtrinque in alteros excursiones factæ. Cerra quarto ab vrbe Neapoli lapide Aragonijs copijs circumfessa, loci munitione, præsidijque virtute defensa diu, dedita tandem Alfonso est. Petrus Aragonius, & fratris litteris, & sua sponte incitatus, Rege Castellæ concedente, ad id bellum profectus abijt, principio anni millesimi quadringentesimi vigesimi secundi. Quo tempore Madriti generales conuentus agebantur. aderat Ioannes Aragonius, alijque viri principes magno numero. Toletanus Præsul valetudine impeditus, adesse non potuit. Henricus & socij, cum vis a Rege pararetur, nisi ad conuentus accederent, consilio inter se communicato, vt Henricus & Gasias Manricus irent: Daualus, atque Petrus Manricus resisterent, seseque locis tutis tenerent, inter se decreuerunt. Idibus Iunij, Henricus, Gasiasque Madriti præsto fuerunt. exceptis hospitio, atque liberaliter habitis, proxima luce cum Regem salutaturi in arcem eius accitu accessissent, vincula iniecta sunt. Henrici custodiendi cura Gasias Toletum Oropesias regulo demandata. Moræ arx custodia designata. Vrgelitanus Comes, qui à superioribus annis in ea arce seruabatur, Madritum translatus est. In conuentu maiestatis lege postulati sunt, quasi consilia prodendæ reipublicæ cum Mauris perpetuis Christiani nominis hostibus communicassent. quatuordecim epistolæ Magistri equitum ad Iuzephum Regem in eam sententiam productæ, recitatæque. Atrox id crimen visum est. Henrici, Gasiasque bona iudicum sententia publicata. idem sancitum de Petro Manrico, qui ad eius rei famam Turiasonem abierat, atque de Daualo Magistro equitum, qui rebus desperatis cum Catharina Henrici vxore, Seguram prius locis præruptis in Contestanis situm oppidum, arduumque ascensu, se contulit: deinde in Valentinos fines dilapsus fuga est, ampla ditione relicta, quam in Castella obtinebat, Arcobriga, Ariona, Osorno, & Ribadeo, Candaleda, Arenis, alijsque oppidis magno numero. vnde Daualorum familia ex magnis diuitijs, magnaque potentia, in præceps abire cœpit. ex aliena ruina, vt fit, creuere alij, Fagiardi, Henricij, Sandoualij, Pimentelij, Stunicæ. Suspicio fuit eas epistolas confictas fuisse: & magni auctores testantur, Ioannem Gasiam, qui Daualo à commentarijs erat, quæstione tormentis habita, eas se composuisse confessum: sed id suppressum, quoniam Regis intererat, & procerum aliorum. & de confesso tamen, tanquam de conuicto rerum capi-  
tatum,

talium, vti alio loco monstrabimus, supplicium sumptum. certè Aluarus Luna Magister equitum in Dauali locum susceptus est. Gonsaluus Messias D. Iacobi militiæ pro Magistro moderator, cum libera decernendi potestate creatus. Tantis rebus vno tempore perfectis, Complutum Rex abiit. quo tempore filia illi Illescis nata est ex vxore, tertio Nonas Octobris, cui Catharinæ nomen est inditum. explorata Reginæ fœcunditas, spes masculæ prolis, puellæque ortus vniuersam prouinciam lætitia, & gratulatione compleuit. quam Toletani Præfulis obitus breui consecutus, nonnihil conturbauit. Compluti ad duodecimum Kalend. Nouembris ex diurno morbo consumptus est. sepulcrum marmoreum in D. Petri templi maximi Toletani sacello, quod eius impensa erat exstructum, eleganti opere cernitur. In defuncti locum Ioannes Contrerius Toletanus Decanus, patria Riacensis cooptatus à collegio, Romam continuò abiit, vt electionem Martino Pontifici probaret, vti erat more susceptum. biennium ferme eundo, redeundoque consumptum.

*Rex Maurus obiit. Cap. XIII.*



**T**OLETI, quo Rex Castellæ soluto procerum conuentu quam primum abiit, reipublicæ forma immutata est, perturbatæ antea, & partium disidijs obnoxia. sex AEdiles biennes creari consueuerant, ex plebe terni, totidem ex nobilitate. hi duobus prætoribus & licitorum duci coniuncti, quadam senatus imagine res communes gubernabant. admittebantur è Patricijs alij quicumq; interesse vellent, cum iure suffragij: quæ magna peruersio erat, senatoribus partim incertis, partim temporarijs. vtrunq; nouo Regis edicto procuratum: sancitumque vt quod Burgensibus datum erat ab Alfonso Regis tritauo, sedecim senatores, pari è nobilitate atque populo numero, Toleti essent, proprij dum vita maneret. quod eorum maior pars decreuisset, id ius fasq; esset. in defunctorum locum Regis nominatione succederent alij. Vnde is magistratus venalis esse cœpit. sic plerunque in contrarium vertuntur, quæ à sano principio suscepta erant. Maiori causa aliquanto post Pompelone regiminis ratio correctæ est, in tres prætores antea diuisi, qui totidem vrbs partibus iura dabant: suburbio, ciuitati, atque illi vrbs regioni cui Nauarrerix nomen erat, magna sæpe partium contentione, qualem in multiplici imperio fuisse fides est. annuus prætor iuridicundo à Carolo Vasconum Rege constitutus est, adiunctis senatoribus decem, cõmoda publica iuratis, vniuersisq; ciuibus reuocatis in vnum reipublicæ corpus. Ioanni Comiti Fuxensi, Galto filius ex vxore natus est: cui cum ætate mirabili rerum humanarum varietate ad regnum Vasconum aditus est patefactus consequentibus annis Carolo extincto, quem in auiti imperij spem ex Blanca Ioannes Aragonius susceperat: miseratque cum matre ad Regem auum. Vianæ is Princeps continuò est renunciatus, multis alijs municipijs adiunctis, ac nominatim Corella, Peraltaq; nouo in Vasconibus exemplo, ex imitatione tamen finitimarum gentium, vt is principatus Regum maioribus filijs legitimus esset sancitum, lege in perpetuum lata ad tertiumdecimum Kal. Februa. eius seculi anno vigesimo tertio.

quinto

quinto post mense agente auro, in infantis verba à cunctis regni ordinibus iuratum Oliti, vbi se Rex ingrauescente extremaque ad eò ætate multus tenere consueuerat, locorum amœnitate palatijque, quod extruxerat, elegantia & magnificentia inuitatus. Rex Castellæ identidem in minori etiam ætate, à Lusitano fuerat per legatos de fœdere, paceque appellatus. diuturnis calamitatibus vtranque gentem vexatam, finem malis, aut modum esse debere. nunc hætenus Lusitani postulatis datum, vt induciæ nouem & viginti annorum essent: cautumque ne alterutri in alteros eo decurso tempore arma sumerent, nisi bello per faciales ante annum & dimidium denunciato. Eæ induciæ voce præconis Abulæ, vbi Castellæ Rex erat, promulgatæ magnam genti lætitiã pepererunt. pro diuino munere ad omnia templa supplicationes habitæ. inter proceres ludis, conuiujs, comitateque certatum. ludicrum militare commissum. Ferdinandus Castrius Lusitani legatus, equo regio, & paludamento insignis, dum cæteros ad certamen prouocat, plerisque experiri detrectantibus, à Roderico Mendoza, Ioannis Mendozæ filio, primo ictu ad terram prostratus, magnum vitæ periculum adiit. afflicto Rex omnem humanitatem exhibuit: restitutumque, atque magnificè donatum, remisit in patriam. Inter Castellæ, & Aragoniæ Reges legationes repetitæ. Mendoza Almasani regulus Neapoli Henrici Principis capti causas explicatæ: Catharinam eius coniugem, Daualum Magistrum equitum, perfugas alios reddi postularat. noui de vtraque re legati ab Aragonio, ad Castellæ Regem missi. legationis princeps Dalmatius Tarraconensis Præsul. Leges Aragoniæ excusatæ, nefasque vili esse, ad eius gentis præsidium confugientibus patrociniũ denegare: fidem publicam, qua consili venerant, violare contra ius gentium fore. Præterea explicatum, quo in statu res Neapolitanæ essent. suspiciones inter Reginam & filium multiplices exortas. vrbes & oppida in partes scissa. ex summo conuerti fortunam Aragoniorum cœpisse. periculum esse, ne veniretur ad manus. Alfonso Regina querebatur, plus sibi auctoritatis rebus gerendis arrogare, quàm pro concessa potestate. dare præfecturas, mutare præsidia, milites in ipsius verba sacramento adigere. leges, gentis instituta, moresque immutare, atque peruertere. Hæc illa in Alfonso accusabat, vario & mutabili ingenio scemina: cui tædium præsentia fecerat, in timore benigna, post victoriam ingrata, vitio prauitatis humanæ. Alfonso Regina imbecillitatem animi verebatur, & malè cautos amores non ferebat. eam procul ab vrbe Neapoli in Catalaunos submouere cogitabat. eo consilio classẽ in Hispania instrui mandauit. id non sefellit mulierem, seu per se suspicacem: seu quia in domestico disidio occulti quicquam esse non poterat. Ex eo tempore parum sancta societas inter vtranque gentem esse. vtrinque querimonias iactari, vtrosque se insidijs petitos accusare, neutros falso. Rex se in arce noua tenere, Regina ad portam Capuanam, loco, arcis instar firmissimæ, munito. Dux factiones Neapoli exortæ, Aragoniorum & Andegauenis, nomina genti inuidiosa nostra etiam & parentum ætate. Simulat Rex valetudinem. Ioannes Caracciolus Senescalus maiori apud Reginam gratia, & auctoritate, quàm honestum esset, inuisendi causa accedens capitur: mox ad portam Capuanam aduolatur. portis clausis ponteque sublato,

vitatum periculum, Alfonsoque repulsus est. sagittis, & missilibus pugnatum, non absque Regis periculo. ab ijs inijs ventum ad manus, diuisaque studijs ciuitate, in ipsis plateis acie dimicatum est. melior initio fortuna partis Aragoniæ fuit. vrbe in potestatem redacta, direptaque, atq; incensa magna ex parte, arx vbi Regina erat circumfessa: supremoq; conatu impugnata, loci firmitate, præsidijque fide stetit. præsto tum Regiæ affuit Sfortia è propinquo, vbi castra habebat, auxilio euocatus, tum Alfonso è Sicilia Bernardus Cabrera, è Catalaunis classis, in qua duæ & viginti rostratæ naues, octo onerariæ erant. Ea classis ad quartum Idus Iunias Neapolim appulsa Aragonias vires, quæ labare cœperant, confirmavit. denuò intra urbem dimicatum. nouæ cædes, nouæ direptiones factæ. Regina Auersam deducta, prosequatur Sfortia cum præsidio militari, ad quinque milia ciues sua studia professi. captiuorum permutatio facta: Caracciolusq; redditus libertati. Ventum ad extremum. Regina Alfonso adoptionem, vt ingrati animi rescindit Nolæ ad vndecimum Kalend. Iulij. Ludouicum Andegauensem tertium eo nomine, secundi filium, Roma euocatum, in eius locum substituit, ac Calabriae Ducem renunciat: qui principatus regni destinatis hæredibus dari consuevit. auctores consilij, Sfortia Caracciolusque. paruis momentis magnæ inclinationes fiunt, in omni reipublicæ parte, in bello ciuili maximæ, quod opinione hominum, fama; gubernatur. fortuna Aragoniæ partis ex eo cõuerfa, immutataq;. Braccius quem Sfortiæ opponeret, ab Alfonso accersitur è Vestinis vbi Aquilam obsidebat. venire ille recusauit, seu diffidètia victoriæ, seu specius vrbis occupandæ, totiusque vicini tractus. ergo Alfonso necessariò in Hispaniam nauigare constituit, æger mora, impatiensq;, ad noua belli subsidia colligenda: tametsi alia species erat, Henrici fratris à vinculis eximendi. Petrus alter Alfonso frater, rebus, bello, paceque præfectus, ad quem summa imperij rediret. Iacobus Caldora, alijq; ex vtraque gente Duces adiuncti. Caietæ priuatim Antonius Luna Præpositus, filius Artaldi Lunæ Calatabelotæ Comitum. Quo tempore Regi Castellæ Placentiæ, Talaueræ, atque Madriti agròs, & oppida obeunti, filia altera ex vxore nata est, ad quartum Idus Septembris, cui Eleonoræ nomen est inditum. Rex Maurus Iuzephus Granatæ decessit, anno Arabum octingentesimo vigesimo sexto. successit Mahomad filius regno tertium ablato, & perpetuis calamitatibus, quàm alia re gesta nobilior futurus. Regis Castellæ amicitiam publicè coluit initio: Muleium Tunetanum Regem magnis officijs deuinxit. prouidus barbarus aduersus externam vim, si ab alterutra gente ingrueret, per fugium apud alteros parare satagebat. præsidium, quod in ciuium beneuolentia firmissimum est, parare non potuit, læuus manu, vnde illi cognomen, læuus consilio, sinistra fortuna.

*Henricus Aragonius liberatur. Cap. XIII.*



ETRVS Luna, cui in Pontificum dissidio, Benedicto tertio decimo nomen fuit, Peninsulæ, vbi se tenebat loci munitione pontificium nomen retinens decesserat ad decimum Kalend. Iunias, ipso Pentecostis festo die, ætate grauis, atque ad eò nonagenarius. quod

mira-

miraculi instar fuit, in tanta rerum varietate, tantisque procellis, tandiu produxisse vitam. corpus in eius arcis templo compositum funere translatio. Ludouicus Panfanus ciuis Hispalensis, atque è familia Alfonso Carrillij Cardinalis sancti Eustachij, pro certo affirmat in proprio commentario, Benedictum veneno fuisse peremptum, infectis nebulis dulciarijs, quibus in secundis mensis libenter vescebatur, à Thoma monacho, quo is multum & familiariter utebatur. de confesso, atq; conuictò sumptum supplicium, corpore in quatuor conscripto partes. Consilij auctorem Cardinalem Pisanum ad capiendum Benedictum in Aragoniam legatum, Derusa vbi se tenebat operi intentus, aufugisse metu Roderici, Aluarique, patris Benedicti indignam cædem vlcisci parantium, Legati haud dubium capite: nisi celeriter Hispaniæ finibus discessisset, re ex sententia patrata, neq; dissidio tamen composito. Nam duorum, qui supererant, Cardinalium nominatione Egidius Munotius Barcinonenlis Canonicus, in defuncti locum susceptus est. Vile erat ac nihili, quod ad eas sordes abijciebatur. & ipsum nutantem, atq; aduersus consensum orbis terrarum oblatum honorem, suscipere recusantem, Alfonso Aragonius Rex confirmasse fertur, ineundiq; Pontificatus auctorem exitisse, Clementis VIII. nomine. nimirum Martino Pontifici ægrè facere cupiebat, ad Andegauenses propenso, ab Aragonijs rebus auerso: qui Ludouicum Andegauensem antea Regem Neapolitanum, Romanæque ecclesiæ beneficiarum nuncuparat: & nuper abdicatam à Ioanna Regina Alfonso adoptionem probasse videbatur, viresque contra illum, & consilia participasse. Ex decreto concilij Constantiensis conuentus Papiæ Episcoporum haberi cœptus Senas Hetruriæ nobilem ciuitatem, propter vim pestis grassantem translatus. eò vndique Episcopi & oratores missi. suos etiam misit Alfonso: mandauitque, vt Benedicti causam diligenter agerent: ereptique per iniuriam pontificatus, litem intenderent. absterruit ea mentio Martinum: studiaque restinxit in Andegauenses concitata. festinanterq; soluto conuentu, atq; in tempus aliud reiecto, Episcopos, & oratores discedere iussit, veritus ne renascente dissidio, nouis difficultatibus orbis Christianus implicaretur. Interfuit conuentui Ioannes Contrerius Toletanus, Primatis nomine Archiepiscoporum primus Martini Pontifici. concessu, vt gemina eius diplomata indicio sunt: quorum exempla adscribimus, inter Toletani templi schedas forte ab amico reperta. Cum Patriarchæ & Primates vnum sint, & solùm nomine differant, dignum censemus & debitum vt eisdem honoribus etiam potiantur. Hinc est quod nos de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, cuiusuis ambiguitatis super hoc ortæ, vel orituræ dubium tollere volentes auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, venerabilem fratrem nostrum Ioannem Archiepiscopum Toletanum, qui Hispaniarum Primas est, eiusq; successores Archiepiscopos Toletanos, in Capella nostra, concilij generalibus, sessionibus, consistorijs, & locis alijs quibuslibet tam publicis, quam priuatis, quoscunq; sedis Apostolicæ notarios & alios Archiepiscopos non Primates, etiam si ætate & promotio ne priores fuerint, præcedere debere, quæadmodum venerabiles fratres nostri Patriarchæ illos hactenus præcesserunt & præcedunt. volentes & eadem auctoritate statuentes, vt idem Ioannes Archiepiscopus & successores sui, ac quicumq; alij pri-

,, mates, Notarijs, & alijs Archiepiscopis nõ Primatibus, prædictis in Capella, con-  
 ,, cilijs, selsionibus, cõsistorijs & locis huiusmodi de cætero perpetuis futuris tem-  
 ,, poribus ad instar Patriarcharum prædictorum præponatur & præferantur æta-  
 ,, te & primævis promotionibus Archiepiscoporum non Primatum huiusmodi,  
 ,, cæterisq; contrarijs non obstantibus quibuscunq;. Hoc primi diplomatis exem-  
 ,, plum est. alterius subiicimus. Quãquam venerabiles fratres nostri Archiepisco-  
 ,, pi & Prælati in generali concilio constituti, pro statu prospero vniuersalis ec-  
 ,, clesiæ atque nostro & conseruatione libertatis ecclesiasticæ, curis, vigilijs labo-  
 ,, rare, & diligenter intendere teneantur: tu tamen quem Hispaniarum Primatem  
 ,, esse tenemus & asserimus: & propterea quemadmodum iam pridem in nostra  
 ,, curia experientia docuit: delectis filijs nostris & Apostolicæ sedis notarijs, qui  
 ,, prælati alijs præferuntur, præferendis: sicut in concilio eiusque selsionibus  
 ,, & alijs locis publicis præferaris: eò debes feruentius animari & vigilantius in-  
 ,, tendere ad omnia concernentia statum catholicæ ecclesiæ atque nostrum: quò  
 ,, propter huiusmodi primatiam excellentiori titulo dignitatis fore dignosceris  
 ,, insignitus. Quocirca fraternitatem tuam, quam fide feruentem & in bene ge-  
 ,, rendis rebus dicti concilij circumspectam esse non dubitamus, requirimus &  
 ,, hortamur: vt cum Hispaniarum Primas existas, sicut prudenter agis iuxta da-  
 ,, tam tibi a Domino sapientiam, illa omnia in eodem concilio circumspectas,  
 ,, consulas & prouideas: quæ pro felice statu Romanæ ecclesiæ honoreq; nostro  
 ,, & Apostolicæ sedis tibi necessaria, vel vtilia videbuntur: & quæ ad laudem  
 ,, Dei & pacem Christi fidelium noueris pertinere. Datum Romæ apud sanctum  
 ,, Petrum Nonis Ianuarij, pontificatus nostri anno septimo. Hæc ante. Nunc Al-  
 ,, fonsus in consilio persistans in Hispaniam nauigandi, conscensa classe, in qua  
 ,, triremes decem & octo erant, onerariæ duodecim, Neapoli soluit Octobri  
 ,, mense dimidiato. Iniquum anni tempus erat. Itaque coortis tempestatibus dis-  
 ,, iectæ in varia loca naues, correcto tandem cursu, Malsiliam tenuerunt, vr-  
 ,, bem in ora Phocænsis Prouinciæ nobilem, celebrem portu, & Andegauen-  
 ,, sium imperio parentem ea tempestate. ruptis catenis penetratum in portum  
 ,, est. pugnatum acriter mari, terraque ad multam diem. noctis superuentu Car-  
 ,, donæ Comes Folchius abstinentum certamine iudicabat. certa pericula esse,  
 ,, ignotas vrbes plateas, intus hostes, & cuncta insidijs opportuna: ne si pateant  
 ,, quidem portæ, nisi exploratò, nisi luce intrandum negare. Contra Ioannes  
 ,, Corbera instandum percussis disputabat: neque dandum spatium, quo vires,  
 ,, animosque colligerent. Hæc placuit Regi sententia. certamen instauratum.  
 ,, magno impetu in vrbe irrumpitur. multum audaciæ per tenebras irrumpen-  
 ,, tibus fuit: magna rapiendi scelerumque licentia. Illud religiosè: scemina inco-  
 ,, lumes conseruatæ, quæ ad Diuorum templa confugerant: ac ne res quidem quas  
 ,, detulerant ablata. vtrunque Regis edicto. Vrbe relicta, prædaque in naues im-  
 ,, posita, sine anni discessum. D. Ludouici Episcopi Tolosani Carolo secundo  
 ,, Rege Neapolitano geniti ossa Valentiam in Edetanis delata: quo se Rex con-  
 ,, fecta nauigatione retulit, alijs vitatis ciuitatibus: quo vicinior Castellæ, de  
 ,, Henrici fratris liberatione ageret. Cognito eius aduentu Castellæ Rex le-  
 ,, gatos mittit, principio anni millesimi quadringentesimi vigesimi quarti, qui  
 ,, reddi-

redditum patriæ, partasque victorias gratularentur. deinde restitui perfu-  
 gas atque ad iudicium dediti, de quo tandiu fuerat contentio, nouo conatu  
 postularent. hi legati Valentiaë auditi ad tertium Nonas Aprilis. Quo; tem-  
 pore res Aragoniæ Neapoli quidem vehementer inclinauerant: ac penitus  
 oppressæ erant, Sfortia quamuis tanti nominis Duce, dum Aquilæ obsidionem  
 dissipare contendit, à Braccio circumsessæ Aterni fluminis hibernis imbribus  
 inflati, in transitu extincto ipsis Ianuarij Nonis. Tenuè id leuamen erat Fran-  
 cisco Sfortia idonea iam ætate paternas partes implenti. Accessere externæ vi-  
 res. Martinus Romanus Pontifex atque Philippus Mediol. Dux Pontificis  
 10 opera partibus conciliatus. ab eo Genuæ idonea classis instructa, missaq; Duce  
 Guidone Taurello. affuere copiæ terrestres. Caieta momento temporis capta,  
 missa per conditiones Aragonio præsidio. vis admota Neapolim. venienti-  
 bus Iacobus Caldora vrbes præsidio Præfectus, cum ijs consilio communicato,  
 pactusque stipendium, quod ab Aragonijs debebatur, vitro portas aperuit.  
 insidias vitæ lux à Petro Principe comparatas factò prætendebat: cum pro in-  
 genio, infidus esset, mobili animo, auidus rerum nouarum. Pridie Idus Apri-  
 lis amissa Neapolis, duabus tantum arcibus retentis, Noua atque ea, cui ab  
 Ouo nomen est mari circumsessæ, exiguæ quidem angustæque spatijs, firmissi-  
 mæ tamen. Neapoli capta, cætera victori prona erant. vrbes & oppida certa-  
 20 tum diditionem facere. Id ægrè Aragonium Regem habuit, importunis Cas-  
 tellæ Regis actionibus, grauissimam plagam acceptam. flagrabat vindictæ cu-  
 piditate: sed omnia tamen tentare constituit, priusquam bellum attingeret. rur-  
 sus Dalmatius Præsul legatus Oceaniæ dato senatu sui Regis mandata coram  
 Castellæ Rege explicuit. Debere eum æquitate postulari tandem, sin minus  
 Henrici propinquitate, fraternisq; precibus moueri. Si quid peccatum erat, satis  
 pœnarum diuturnis vinculis datum. Sibi præiudicatum esse, nisi fratre libera-  
 30 to, causam non deferere. Tibi, inquit, Rex maxime considerandum, ne priuatis  
 ,, tuorum cupiditatibus indulgendo, vtrunque gentem nouis obijcias calamitati-  
 ,, bus, si ventum erit ad manus. Erant in Castellæ regia plerique gratia, auaritia,  
 30 timoreq; deprauati: ne Henrico liberato, suscepti eo capiendò cõsilijs pœnas lue-  
 rent, bonaq; exulum eriperentur, contactu alienæ ditionis contaminati. horum  
 studijs fauebant alij. ante omnes Aluarus Luna nimia gratia potentiaq; ferox,  
 satis magnum fructum ratus, si presentibus frueretur, neq; longius conspectum  
 intendens. his impredientibus nihil effectum: ac ne impetratum quidem, vt in-  
 ter se Reges colloquerentur. Dimissis Aragonijs legatis, Castellæ Rex Burgos  
 abiit: quo tempore Augusti die decimo, Catharina eius filia Madrigale extin-  
 cta in Vaccæis est. Corpus Olgis sepultum. is mœror breui noua lætitia & ma-  
 xima mutatus est. Vallisoleti Henricus infans ex Regina natus est, ipsis Ianua-  
 rij Nonis, inchoante eius seculi anno vigesimo quinto. infanti de sacro fonte  
 40 susceptores à patre Rege adhibiti, Henricus maris Præfectus, Aluarus Luna,  
 Dieghus Sandoualium Antelatus Castellæ cum vxoribus. Mense Aprili in infan-  
 tis verba cuncti ordines sacramento adacti, post patrem Regem futurum. Ara-  
 gonius CæsarAuguste bellum omni conatu comparare: militum, equorum, armo-  
 rum apparatu prouinciæ strepere. de eo bello defendendo Vallisoleti deliberatio  
 suscepta

suscepta est. variæ dictæ sententiæ. pars continuò decernebat bellum, proca-  
 ci ore, in ipso conflictu ignavi. alij cautiore omni ratione tempestatem eam  
 procurandam iudicabant: ac nisi necessario ad manus venire recusabant. Regis  
 sententia anceps erat, neque quid optimum factu foret, satis providebat animo.  
 Carolus Rex Vasconum de eius controuersia euentu sollicitus, in quo salus pu-  
 blica vertebatur, legatis ad Castellæ Regem Petro Peralta regiæ Procuratore,  
 & Falce, qui erat ipsi à commentarijs, contentione pacanda suam operam polli-  
 cetur. Magna legatorum diligentia rem propemodum confectam, litteræ ab  
 Aragonio allatæ disturbarunt, Ioannem fratrem ad se euocantis imperio, quasi  
 de rebus magnis deliberaturi. discedit ille inuitus (sic videri voluit) impetra- 10  
 raque abs Rege Castellæ venia, dataque potestate de tota controuersia, quæ in-  
 ter patruales Reges erat, paciscendi, in Aragoniam abiit. Erant ad Turiasonem  
 Aragonij Regis castra in Castellæ fines irrumpere parantis, nisi satisfactum  
 esset, vsq; adeo in vindictam præcipitis, vt præ eo res Neapolitanas negligere  
 videretur, vbi nouam plagam acceptam nuper esse nunciabatur: Braccio ad  
 Aquilam prælio insigni victo cæsoque ad octauum Kalend. Iunias, Duce in  
 paucis ea ætate nobili. Confidentia animi, hostiumque contemptus exitium at-  
 tulit. ad Aquilam, quam urbem Braccius obsidebat, ancipiti pugna dimicatum  
 est, ductore pontificij exercitus Iacobo Caldora. Carrillij Cardinalis propin- 20  
 qui duo Ioannes, Sanctiusque victoriæ præcipuam laudem tulerunt, præstanti  
 virtutum indole iuuenes. Picenum etiam copijs pontificijs præfecti, à Brac-  
 cio ante occupatum, mox eripuerunt. Interfecti Braccij corpus Romam dela-  
 tum, quoniam à piorum numero exemptus erat, ad D. Laurentij pro foribus in  
 loco profano sepultum est. Inde Eugenio quarto Romano Pontifice Perusiam  
 translatum, in nobilissimo sepulcro ritè condidit Nicolaus Fortebrachus: qui  
 Roma capta eum honorem auunculi defuncti manibus habendum curauit. Flo-  
 rentiæ in Hetruria Petrus Frias Hispaniæ Cardinalis decessit. corpus in His-  
 paniam relatum, Burgis in templo maximo tumuli honorem habet. ex obscu-  
 ro genere tenuique fortuna, conspicua forma, industria, atque dexteritas, Re-  
 gum gratia Henrici Ioannisque ad amplissimos honores euexit. mediocris sta- 30  
 tura fuit: turpis vita auaritiæ fordibus atque libidine. accidit vt Burgis cum Se-  
 gobiensi Episcopo Ioanne Tordesilla rixaretur. eum Cardinalis è familia qui-  
 dam fuste eodem die dolauit. atrocis facinoris inuidia penes herum stetit,  
 quamuis inscium: vt is postmodum est confessus, qui tetri facinoris patrator  
 fuit. sed expostulantibus tamen proceribus superbiam hominis immodici &  
 pristinae fortis obliuiscendam, in Italiam Cardinalis abscedere fuit com-  
 pulsus. Pecunia cuius vim magnam struxerat, abs Rege occupata. quæ præci-  
 pua causa extitit exilij maturandi. sic pereunt malè, perduntque thesauri prauis  
 studijs quæsit. viris sacratissimum nullum certius quàm in pietate præsidium. an in  
 exilio in quo vitæ reliquum exegit mutarit, nil compertum habebamus. Huius 40  
 opus est Spegiæ monasterium D. Hieronymi ordini constitutum, magna iam  
 incrementa in Hispania sument. Ioannes Aragonius Turiasone à Rege fratre  
 benignè atque splendide acceptus est. eo auctore dum de conditionibus disce-  
 ptatur, & plenior à Castellæ Rege, atque proceribus decernendi potestas de-  
 manda-

mandatur, flexo itinere in Vasconum fines sine maleficio penetratum: & ad Mi-  
 raculum oppidum Aragonia castra posita sunt ætate iam exacta. Carolus Rex  
 Vasconum cognomento Nobilis Oliti extinctus est, repentina vi morbi defi-  
 ciente anima, sabbatho, sexto Idus Septembris, qui dies Virginis matris natali  
 facer est. Corpus Pompelone in templum maximum illatum. iusta exequiarum  
 regio apparatu facta: Morienti patri Blanca eius accitu affuit, haud multo an-  
 tea filiam sibi cognominem enixa. ea continuò ad virum successione insignis,  
 vexillum regium misit. quo prælato in castris, Rex Vasconum proclamatus est,  
 festinatò vt quidam disputabant: cum Pompelone debuisset regni prius iura &  
 10 immunitates iurare. sed nimirum Regum voluntas pro iure sepe est: proceribus  
 dissimulantibus, multitudo curis vacua, & sine falsi, verique discrimine adula-  
 tionibus certat palam, neque vltra verba quamuis offensa progreditur. defuncti  
 Regis manibus cum esset in castris parentatum, ad Regum controuersiam con-  
 uersi animi: reque diu & multum deliberata in amplissimo procerum è tribus  
 gentibus conuentu sententia pronunciata est: cuius hæc summa fuit. Henricum  
 Principem vinculis continuò eximendum. Honores atque ditionem omnem  
 restituendam videri: adijciendos etiam decursi temporis reditus, qui penes se-  
 quelstrum erant. tantundem de Petro Manrico exule mandatum. Regi Castellæ  
 & proceribus grauis ea sententia visa est. & nimirum natura cogebat, vt se  
 20 Ioannes fratribus æquiore præberet, neq; ineundæ concordie vlla spes erat,  
 nisi liberato Henrico. quæ res Castellæ Regem & proceres mouit, vt sententiæ  
 morem gererent. Henrici liberati nuncius intra diem & dimidium ad fratres  
 perlatus est, vt conuenerat, fumo è turribus, atque speculis, quarum erat magnus  
 numerus significatione facta. Ergo Aragoniæ copię Turiasonem reductæ,  
 mox dimissæ in hiberna sunt mensè Nouembri. Ioannes Aragonius Agredam  
 est progressus, vt fratri obuius complexum ferret: atque ad Aragonium Regem  
 Turiasonem deduceret. nullus dies tribus fratribus iucundior illuxit, non mo-  
 dò Henrici libertate lætantibus, sed etiam Castellæ proceribus terrore perdo-  
 mitis: quod pulcherrimum victoriæ genus est. Valentia per idem tempus Al-  
 30 fonso Iuniore Gandiæ Duce sine liberis defuncto ad tertium Kalend. Decem-  
 bris, Ripagorsæ principatus Ioanni Aragonio, Regi Vasconum datus est. id  
 præmium nauatæ operæ fuit, promissum antea, nunc præstitum. A Ioanne  
 Gusmanio Nieblæ Comite vxor Violantes Martini Regis Siculi filia, post  
 diuturna dissidia repudiata est: magno dolore Friderici Lunæ Comitis, foro-  
 rem regio sanguine prognatam, nulla sua culpa vafanos tantum ob mariti  
 amores ludibrio haberi non ferentis. inde similtates graues exortæ sunt inter  
 vtranque familiam. Castellæ proceres quoscunque Fridericus tentando oppor-  
 tunos inuenit, in partes attraxit.

40

*Aluarius Luna è curia ablegatur. Cap. XV.*



ENRIGO Principe liberato, res Castellæ amplius exacerbata sunt, tricupiti antea ambitione conuulsæ Aluari Lunæ, Ioan-  
 nis, Henricique Aragoniorum fratrum. hos proceres alij seque-  
 bant.

Ooo 5



bantur, vt quemque spes vatiæ, aut beneficiorum memoria incitabat. nunc Aragonijs fratribus inter se conciliatis è tribus factionibus geminæ factæ, reipublicæ nihilominus exitiales. Maxima procerum pars in perniciem Aluari conspici-  
 rait, quem in aula cum paucis, ijsque nouis hominibus, atque eius beneficio obligatis superbe, & auarè dominari dolebant. nulla militari laude, nullis virtutibus, vna ingenij dexteritate, & assimulatis ad tempus officijs ad eum gratiæ & potentiæ gradum euectum querebantur scilicet, solumque alieno nomine regnare: recentem eius felicitatem ægris oculis aspicientes, & fortunæ modum in homine alioqui humili & obscuro requirentes maximè. ipse fauore Principis ferox, cui à puero in omnia iura familiaritatis assueuerat, venturique securus cæteros omnes præ se viles existimare: nimiumque præfenti potentia fide-  
 re. prorsus vt Reginam de turpi amore appellasse, rumor esset, & magni viri affirmarent: verò, an falso, compertum ne tum quidem fuit: & multa ex inuidia crimina afficta, creditaque putamus fuisse. Eius conspirationis semina Turia-  
 4 2 6 ne, quo Aragonios fratres conuenisse dictum est, iacta, vertente proximo salutis anno millesimo quadringentesimo vigesimo sexto ad maturitatem perue-  
 nerunt. Cuius principio Castellæ Rex Segobiæ Christi Dei natalem diem celebrauit: Vasconum Rex Medinæ Campestri cum matre: paulò ante Rege Castellæ ad Roam municipium conuento. Henricus Ocaniam abierat, sublata facultate curiam accedendi: attingendi ve aliquam reipublicæ partem. Valentia  
 20 Rex Aragonius se tenuit: vbi Constantia Dauali Magistri equitum filia Ludouico Masæ nobili in primis iuueni, & copioso pacta est. dos magna ex parte abs Rege dicta. Ea enim fuit animi magnitudo, vt non modò senis & profugi patris vnam ob iniquitatem fortunæ euersi egestatem subleuarit: sed filium etiam Enecum Daualum, atque ex Bertrando filio nepotem Enecum Gueuarum amplis opibus donarit, rerum potitus Neapoli. Aragoniæ Regina vidua cum filia Eleonora filij Regis Aragonij horratu Valentiam abiit: breuique sese Medinam Campestrum retulit, ne diuturna absentia ægrè faceret Castellæ Regi. Quo annuente Vrgeliæ Comes Castro Tarasño, quo Moræ ex arce translatus fuerat, Serabim migravit hac tempestate. id Aragonijs rationibus propter  
 30 impendentes Castellæ motus commodius fore prouidebatur. vnus diuturnæ calamitatis & vitæ terminus fuit. Tauri Castellæ conuentus agitati sunt. De restringendis aulæ sumptibus disputatum: cui pares amplitudini regni opes non sufficerent. Cohors prætoriana in qua mille equites inerant, ad centum redacta. Aluarus ei cohorti præfectus. nouæ auctoritati inuidia par. Fuere ij conuentus insignes duobus claris funeribus, Ioannis Mendozæ, in cuius locum Rodericus filius regiæ Magister est factus. Ioannes minor filius Viscaie Præstamurus. Henricus etiam decessit regio sanguine & suis virtutibus clarus. maris præfectura Friderico defuncti filio data est abs Rege. Castellæ proceres inter se consilia atque dolores communicant, per litteras & nuncios, quo tectior res  
 40 esset. Magistri militares, Calatrauæ Ludouicus Gufmanius, Alcantaræ Ioannes Sotomaior, Velascus regio cubiculo præfectus, Rex Vasconum, Henricus frater, alij foedus inter se sanctissimo iureiurando, atque omnibus execrationibus sanciant eosdem amicos inimicosque habituros: Regisque auctoritate incolumi

mi daturus operam, ne quid detrimenti respublica caperet, pessimis quorundam consilijs, atque actionibus perturbata. Id foedus mense Nouembri auspicante Orcillæ in Medinæ Campestris agro est ictum, totius actionis ministro Petro Manrico: quem inquieto & ardenti hominem ingenio fuisse, eius ætatis monumenta docent. Rei perficiendæ opportunitas quærebatur. Tauro Zamoram Castellæ Rex abiit, principio anni millesimi quadringentesimi vigesimi septimi. Henricus Aragonius impetrata prius, deinde denegata curiam accedendi facultate, Ocania in Vltiorem Castellam mouet splendido comitatu stipatus, & cum armis ad omnem casum paratus. Rex Septimancas sese retulerat. Aragonij fratres, coniurati proceres Vallisoleti se tenent. Principes studijs diuisi, quique separati ab alijs suos agitare conuentus. pauci quibus otium re-  
 10 publica carius erat, mediam personam gerere: alienæ controuersiaæ spectatores malle quàm participes esse. inter discordes Regi parum auctoritatis erat præter insitam ignauiam, quasi veneficijs vix animi compoti. Offeritur à coniuratis libellus aulæ vitia, & Aluari criminationes continens. rationem aliquam inuestigandam videri publicæ calamitatis procurandæ. Re deliberata dati iudices in caussa ferme è coniuratis, maris Præfectus, Calatrauæ Magister, Petrus Manricus, Ferdinandus Roboreus, obscurus quidem homo, pecuniosus tamen, & fisci rationibus, ærarioque regio præfectus. His cognoscendi facultas concessa est, de criminibus quæ Aluaro obijciebantur, si sententijs variarent, Bene-  
 20 dictini cœnobij Præfectus adiunctus. quod maior pars decerneret, id fixum ratumque fore. consilio illi communicato pronunciant primùm Videri, relicto Aluaro, Regi concedendum Cigales: faciendamque potestatem Aragonijs fratribus ipsum conueniendi. deinde adijciunt. Aluarum è curia submouendum. annum & semestre exilium fore. Proh dedecus atq; ignominiam Regis dixerim, an prouinciæ, an ætatis. Ereptum Principi, quod est in principatu beatissimum, nihil cogi. imperatum à subditis, Regem obtemperasse. Cigales Rex abiit: coniurati, salutatum accessere. Henricus aliquãdiu in genua procumbens, lacrymas etiam pœnitentiæ indices profudit, ad eò humanis ingenijs parata  
 30 simulatio est. Aluarus Ayllonem suæ ditionis oppidum abiit, magna nobilitate prosequente, honoris & præsidij caussa. in his Garsias Toletus Oropesia, Mendozius Almasani regulus, vterque Aluari ære obstricti, à quo accipiebant annua salaria. Excepit procerum contentio ad Regis familiaritatem nitentium varijs artibus: apud quem tantum gratia posset, vt se, & sua alieno arbitrio manciparet. Ferdinandus Roboreus cæteros auctoritate anteibat, ante proximus Aluaro, & nunc sublato æmulo validior: prorsus vt simulata valetudine sæpe ad eum Rex & proceres senatu habendo ventitarent. quod nouo & ignobili homini inuidiosum erat: vt sæpe in contrarium vertitur aulæ fauor, nisi modum adhibeas. Cœperat Rex iratus esse Ferdinando, quod festinatione præcipite in eum à quo magnis beneficijs esset obstrictus, sententiam exilij in Aluarum protulisset. Vbi exacerbatum Regem, & posse Ferdinandum eueri satis  
 40 patuit, ijs qui occasionem rei maturandæ acriter speculabantur, à Rege Vasconum de multis criminibus coram Castellæ Rege postulatus est. factiosum hominem esse: perfida cum proceribus cum externis consilia agitare: sermonis etiam

etiam accusauit frequenter aduersus maiestatem habiti. Re deliberata, in vincula duci iussus, Segobiæque seruari. Vzedæ in custodia obiit, haud leui exemplo nihil incertius aura aulica esse, quæ leui momento in diuersa circumagitur. Granatæ Rex ciuium coniuratione hoc anno, regno, & patria pulsus in Africam ad Tunerani Regis præsidium nauigauit, profugus, egenusque. Mahomad cognomento Paruus in eius locum subrogatus, in diuersæ factionis homines grassari cœpit: morte, exilio, bonorum spoliatione mulctare, quæ effunderet in alios. Ac nominatim Iuzephus ex Abensarraxia familia inter Mauros nobilissima Prætor vrbanus antea iuridicundo creatus, rebus desperatis Murciam abiit se tuendi consilio, armaque Castellæ in nouum Regem, priusquam se confirmaret, concitandi. Eodem tempore Hieronymiani monachi in duas factiones scissi sunt, vti est antea demonstratum. Lupus Olmedius Martini Romani Pontificis gratia pollens, cum quo Lutetiæ studiorum tempore eodem contubernio vsus erat, dissidij auctor extitit, nouæ sectæ capite Diui Isidori nomine monasterio ad Hispalim constituto. vnde vniuersæ familiæ appellatio facta est. Nostra ætate resarcita concordia, ij monachi veteribus Hieronymianis vnde prodierant contributi sunt, cura Philippi secundi Regis Hispaniæ. verum ad Castellæ motus reuocetur oratio.

*Aluarus Luna in aulam reuocatur. Cap. XVI.*



**A**ETERNÀ constitutione nexuq; caussarum latentium (quod fatum vocant) quemque hominem suum cursum peragere, neque esse aliquid in nostris consilijs, ad euitandum quod est immutabili lege destinatum, Stoici persuadere conati sunt, genus alioqui philosophorum cum primis seuerum & graue. Stultè, inquis, & inaniter. quis id neget? an maior esse furor possit, quam homini, per quod homo est, consiliorum suorum & vitæ arbitrium detrahere? Sed caussam tamen extitisse aliquam fateri necesse est, quæ Regem Castellæ, & Aluarum Lunam ita constrinxit, ac conglutinavit animis, ita deuinxit voluntates, vt diuelli vix possent: quamuis publica ex ea re inuidia flagrarent ambo, maiori Aluarus. prorsus vt Seianos, Patrobios, Polycletos, Asiaticos Romanorum Principum libertos, vetera odiorum nomina superaret. quæ factum, vt neque Rex infamia moueretur, quæ ex ea familiaritate orta erat: neque Aluarus exitium priuideret, ad quod magnis itineribus festinabat? nempe moderata durant, violenta in præceps ruunt: quoque magis humanus fauor extulit, hoc se magis deprimere homines debent, variosq; casus metuere, memores humanæ inconstantia. Nimirum est in astris potestas aliqua, conditioneque nascendi: inde Principum inclinationes, offensionesque ortum plerunque habent. aut perstringit mentem diuinæ vindictæ gladius, cum aciem suam retundi non vult. vti in præsentia accidit. Nullus Regi dies iucundus illuxit. nunquam nisi tristi vultu, lugubri animo visus est, ex quo ab eo Aluarus fuerat distractus. de eo loqui per diem, de eo cogitare noctibus: mentisque oculis absentis speciem identidem representari. Quod necesse erat, prouidentes ij qui in aula Regis erant, Aluarum propediem

diem reuocandum, maiorique in gratia futurum suspicantes, quasi inimicis, fortunaque superatis, maiori conatu ad eius amicitiam niti. Ipse etiam Vasconum Rex Henrico inuidens fratri, quem in magna apud Castellæ Regem gratia esse, & priorem auctoritatis locum obtinere dolebat, Aluaro fauere cœpit: eiusque reuocandi consilia agitare. & opportuna occasio sese dabat, Roderico Daualo extincto ad octauum Idus Ianuarias, anno millesimo quadringentesimo vigesimo octauo Valentia vbi Aragonius Rex erat. Prole Daualus quam aulæ gratia felicior fuit. ex tribus coniugijs septem filios, duas filias genuit: vnde Potentia & Bouini Comitibus, Vasti & Piscariæ Marchionibus in Italia, multis in Hispania familijs stemmata texuntur. Corpus Valentia, vbi temporario tumulto conditum est, Toletum in D. Augustini annis consequentibus migravit. Astrologorum prædictionibus credulas aures præbere solitus (nam erat cum multis ea superstitione non intactus) casum præuidere non potuit. is nondum spem posuerat pristini honoris recuperandi: & magna in eam rem contentio ab Henrico Aragonio adhiberi cœpta erat. sed amicis deserentibus factum non est. vt ferè miseros studia hominum destituunt. Vnus Aluarus Nunnus Ferrerius Cordubensis ciuis eximia atque perpetua Daualum fide coluit, familiaris ante magister & deinde in vincula traditus, quasi obiecti criminis participes, non prius quieuit, quam mendacij auctore Ioanne Garzia de crimine falsi conuicto, supplicijsque subiecto. Ad heri etiam egestatem subleuandam, bonis, quæ eius dono acceperat ampla, diuenditis, octo florenorum millia, textrinae lignis excauatis, quo res occultior esset, atque asino impositis, filio pedibus sequente, in dissimulato habitu subsidio misit. egregiam viri fidem, atq; maiori copia laudeq; celebrandam. Sublato æmulo Aluari potentia confirmabatur. Castellæ Rex Segobiæ dissoluendis procerum inter se foederibus operam dabat. edictoq; sanxit: vti inter se iurisiurandi gratiam facerent, quo deuincti inter se erant. criminum atque iniuriarum perpetuam obliuionem edixit. præterea Catharinæ Henrici coniugi Villenæ permutatione, Castra Iulia & Alcarassum data sunt. in Carpetanis oppida ad Caracam, ignobilia aliquot. adiecta ducenta florenorum millia. ampla ac verè regia dos. Agente eodem Henrico Aragonio Daualus crimine maiestatis absolutus est. quod consequens erat, honores, bonaque defuncti, filijs restituta non sunt. sic Regi placitum. sic proceribus expediebat, alieni casus præda ditatis. His rebus confectis Turueganum Castellæ Rex abiit. eò Aluarus eius accitu venit, comitatu splendido & numeroso, quasi triumpho nobilissimo de aduersarijs parto, lætus superbusque. crescere indices gratia. maiorique auctoritate, rebus omnibus esse. reliquis Principibus ac nobilitate vniuersa plus vnum priuatim posse. Eleonora Aragonij soror, desponsa erat Eduardo Lusitaniæ Principi, regni hæredi designato, annos nato sex & triginta. sponsalia in Darocæ agro pago, cui Oculis nigris nomen, data abs Rege Aragonio sunt. affuit Petrus Olisiponensis Præsul pro Lusitano legatus, natusq; Alfonso Gegionis Comite. dos dicta virgini ducenta florenorum millia. adiunctaque Constantia Touaria, quæ cubiculo præesset, Dauali defuncti vidua. Valentia puella per Castellæ fines deducta, Vallisoletum venit: vbi à Castellæ Rege & fratribus eximiè culta est. ludij militares dies aliquot continuati. magnis

gnis inde muneribus ornata in Lusitaniam ad sponsum abiit. nuptiæ eo maiori  
 gentis læticia celebratæ, quò diutius erant desideratæ, ac penè futuras despera-  
 rant, Eduardo Principe cælibe ad eam ætatem. Accidit per idem tempus, vt Pe-  
 trus Eduardi frater, obita longa peregrinatione, inuisq; Sigismundo Cæsare, ip-  
 soque adeò Tamerlane Scythæ (vulgus septem orbis partes adiuisse fabulatur)  
 rediret in Hispaniam is Iulio mense Valentiam appulsus, Septembri Isabellam  
 duxit Vrgelitani Comitæ vincti filiam maiorem natu. ex hoc coniugio Isabella  
 quondam Lusitanicæ Regina, Philippa virgo sacra, Petrus in Lusitania Magister  
 equitum nati sunt, Iacobus Cardinalis Olisiponensis Episcopus, qui Florentiæ  
 extinctus est, Ioannes Cyprius Rex, atque Beatrix, Adolphi Cleuensis vxor. Ergo 16  
 Petrus ijs nuptijs perfectis, Valentia profectus, Castellæque Rege Arandæ salu-  
 tato, in Lusitaniam tandem redijt. Venienti sese obuia multitudo portis effudit,  
 quasi lapsum de cælo hominem, supraque mortalem conditionem, qui remotis-  
 simas prouincias peragrasset, admirantes rudi agrestique homines ingenio. Ca-  
 stellæ Rex rebus in vltiori prouincia compositis, & Garzia Manrico, quem  
 cum Henrico Aragonio captum diximus, reddito libertati atque dignitati pri-  
 stinæ, in Carpetanos abiit sine anni: & Compluti aliquandiu moratus, Illescas  
 contendit. Iuzephus Abensarraxius Granata profugus eodem delatus, benignè  
 à Rege acceptus atque habitus cum Alfonso Lorca, qui eius iter Murcia erat  
 profectus, ad Regem Tunetanum cum litteris ablegatur: quibus barbarum hor-  
 tabatur, vt profugi Regis cõmiseratione eum suis copijs in regnum restitueret.  
 præclare conantibus suam opem non defuturam: pecunia, armis, milite, com-  
 meatu iuuaturum. Erectus ea legatione Tunetanus, Regem Mahomadem cum  
 classe & equitibus trecentis in Hispaniam remisit. Eò ad Veram seu Baream  
 oppidum delato, magnæ animorum inclinationes factæ sunt, eorum qui vete-  
 ri imperio studebant; nouum auersabatur, mobili homines ingenio. vrbes &  
 oppida cupidissimè deditioem facere. ipsaque Granata vrbs in potestatem  
 1429 venit, principio anni millesimi quadringentesimi vigesimi noni. tyrannus in-  
 tra Alhambræ arcem inclusus, ac breui in potestatem redactus, occisusq; quod  
 iniuria occuparat, fauentibus superis, tota prouincia plaudente, reliquit impe-  
 rium iusto Regi, Regibus aut, atque atauis. Gallicæ res peiori loco esse non po-  
 terant. Lutetia cum multo maxima eius prouinciæ parte ab Anglis occupata,  
 perpetuis Gallici nominis hostibus. Carolus eo nomine septimus Gallicæ Rex  
 in periculo tum ad alios Principes auxilia petiit, tum ad Aragonium Regem  
 preces propemodum supplices mittit. Mathias Rexachus Barcinonem appu-  
 lit mense Aprili, ea causâ ex Gallia legatus. Erat Aragonius gemino bello di-  
 strictus, Neapolitano in primis, vnde rebus propè desperatis sese Petrus frater  
 in Hispaniam cum classe reuulerat, rerum summæ præfecto Dalmatio Sarsera,  
 qui ægram spem sustentaret: deinde Castellæ bellum inferre cogitabat, atque  
 in eius apparatu totus erat. nihil ergo impetratum. Sed rem tamen Gallicam 40  
 sine viribus, sine præsidio, sine Duce, numina recrearunt. septimum mensem  
 Aurelia obsidebatur ad Ligerim nobilissima ciuitas. obsessi rerum omnium  
 inopia laborabant, ac vix mœnibus hostilem vim propulsabant. Ioanna puella  
 annorum non amplius octodecim rebus saluti fuit. Remigij nata, qui pagus in  
 agro

agro Tullensi apud Leucos est, patre Iacobo Durcio, matre Isabella, atque à  
 prima ætate paternas oues pascere solita, veniens in castra Gallica, diuino se  
 monitu missam ait, ad Aureliam periculo, Galliam liberandam Anglico impe-  
 rio. Varijs & multis interrogationibus versata, vbi fides abs Rege & proceri-  
 bus est habita, per hostium munitiones impetu facto, auxilia & comitatum in  
 urbem infert. ciuibus cum spe defensionis creuit animus. crebrisque ex vrbe  
 eruptionibus obsidio dissipata est ad sextum Kalend. Iunias. circumiecta op-  
 pida recepta: leuia tantummodo prælia facta, neque vniuersi certaminis fortu-  
 na tentata, dum vincendi consuetudine Gallorum vires & animi confirmaren-  
 tur. Rex Gallus per medios hostes Remos (quod factum non erat) ad sacrum  
 10 chrisma, regni que insigne suscipiendum abiit. auctor consilij puella. sic augu-  
 stior suis, hosti formidolosior est factus. Multis receptis urbibus, Lutetia ten-  
 tata capi non potuit: quin ad D. Honorati portam, puellæ vulnus inflictum est.  
 belli impetus versus aliò. Compendium obsidebatur ab Anglis. puella successu  
 fidentior animo, suorum cuneo facto in urbem irrumpit. sed fortuna tamen in  
 medio cursu deserente eruptione facta in hostium potestatem redacta, Rhoto-  
 magi Magicæ superstitionis rea causâ dicta igne combusta est. Petrus Cauchon-  
 nius Bellouacorum Pontifex præcipuus concitator, nemine pro captiua contra  
 hiscere auso. tamen plerisq; persuasum erat, virginem eam iniuria fuisse dam-  
 20 natam. æternum Gallicæ decus, omnibus seculis nobile. vti dati in causâ iudices  
 à Calixto Romano Pontifice pronunciarunt. quæ acta in scrinio summi templi  
 Lutetiæ cum fide seruantur. A Erea virginis statua armati militis habitu in me-  
 dio Aureliæ ponte cernitur, accepti beneficij monimentum. Verum hæc ali-  
 quanto post. Tarracone in Caralaunis à Petro Fuxensi Cardinali Martini Ro-  
 mani Pontificis Legato, Episcopi Tarraconensis prouinciæ ad concilium euo-  
 cati sunt. in eo concilio quid fuerit sancitum compertum non habeo. Quod  
 erat præcipuum, Egidius Munotius pontificatus nomen abdicauit: insignia de-  
 posuit. Cardinales quos penes se habebat, loco moti, de graduque deiecti, quem  
 inauspicatò occuparant. auctor Aragonius Rex in Martini Pontificis gratiam.  
 30 quem vt antea metu continere, ita nouo nunc officio conciliare, in partesque  
 traducere erat propositum. Peninsula Hospitalarijs militibus detracta, quo-  
 rum in ditione ab antiquo fuerat, Regi cessit. Egidius nonnulla compensatio-  
 ne Balearis Episcopus factus est. Alfonso Borgia Valentia Pontifex renun-  
 ciatur. ea merces nauatæ operæ fuit Egidio & socijs sanandis, ad summos &  
 maximos honores aditus. Augusto mense hæc Dertuse sunt gesta. sic diuturno,  
 & post hominum memoriam maximo Pontificum dissidio finis tandem est  
 allatus. Pro diuino beneficio ad omnia altaria supplicationes habitæ: piacula-  
 que instaurata superis propitiandis: vt quæ erant collata conseruarent: & tantis  
 muneribus adderent perpetuitatem permixto lacrymis gaudio precantium.  
 40 Verum ad res Castellæ intermissas, nouique inter Hispanos Reges belli causas  
 explicandas referenda narratio est.

Libri Vigésimi Finis.

HISTO.